
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
39 B
33

IN

# QVINQVAGINTA DVARVM DOMINICARVM TOTIVS ANNI EVANGELIA,

QVÆ IVXTA SANCTÆ ROM. ECCLESIÆ, vſum, leguntur, Homiliæ: nunc primùm in lucem editæ: ac in Teſſaradecadas quatuor facili methodo diſtributæ, & in duos Tomos partitæ.

*Auctore* F. MAVRICIO HYLARETO *Engoliſmenſi*, S. Th. *Doctore, Prouinciæ Turoniæ Exprouinciali, & Aureliorum à tribus luſtris, non ita pridem ordinario Eccleſiaſte.*

TOMVS SECVNDVS.





Sancti Petri — Viminarij

PARISIIS,
Apud CLAVDIVM CHAPPELET, via Iacobæa, ſub ſigno Vnicornis.
M. DC. IIII.



# CLERO, NOBILIBVS, MAGISTRATVI, ET ciuibus Engolismensibus.



*RISCÆ & auita Græcorum consuetudo (pietate & religione insignes viri) vsu obtinuerat inueterato, vt populo ad sacram synaxin properanti, sonora voce, occlamaret diuinæ mensæ minister Diaconus,* sacta sacris. *Nam cùm totius Christianæ ac Catholicæ religionis, compendiosa epilogus, ad tria potissimum coarctetur & reducatur; ad doctrinam, sacramenta & ceremonias: Illa duo vi sibi ingenitâ sancta sunt, hoc vltimum institutione & significatione tantum priora duo exigunt, vt à sanctis agantur, sanctè tractentur, & sanctis offerantur. Vnde contigit cùm huc & illuc animum flecterem: quatenus huic fœcundissimi doctoris domini Hylareti, postumo fœtui, dignos suo genio patronos seligerem; Illico pietatis vestræ recordatio, & defuncti authoris natalis soli, geminatâ inspectio: inquietæ & pallabundæ menti in hoc ancipiti & vario cogitationum fluctu, quasi sacram anchoram iniecerint explicata nobis ac conspicua fides vestra efficit: vt laudis encomio, tanquam Apostolus Romanos, vos efferamus. Non adulationis ergo: sed sanctæ perseuerantiæ stimulo. Plus etenim neruorum consequuntur domestica ad mouẽdum exemplá, quam exotica & forensia. Quod quatuor ordinibus vestræ ciuitatis, has conciones deuouerim, hinc emanat quia omnibus debitores sumus; vt testatur Apostolus sicut ipse, ad omnium salutem, factus est omnia in omnibus: sic nos ad eius amussim & prototypum ad singulorum eruditionem, quæ in ipsis concionibus non exigua, non rara scatet. Denique*

D. Chrysost. & Basilius in Liturgiis.

Paul. 1. ca. ad Rom.

1. c. ad Rom.
1. Cor. c. 9.

*in huius quaternarij symbolum, currum intuitus est Ezechiel*
Ezech. 1. c. *propheta, quatuor animalibus vectum, quatuor itidem rotis suffultum & eleuatum in quibus erat spiritus vitæ. Ecclesia est quatuor fidelium gradibus discriminata. Iamiam nunc ad hunc currum rediuiuis istis sermonibus, per vos faustus ac secundus pateat accessus; quos si fœlici hospitio exceperitis, me perpetuò addictissimum vestrum oratorem in gratiam præceptoris mei, & popularis vestri, ex pondo & libra conseruabitis, Valete. Ex ædibus Franciscanorum, Lutetiæ. Kalend. Febr.* 1604.

Humillimus omnium vestrum Orator,
Fr. HELIAS BEAVVOIS, minor
& Professor Theologus.



# DE MORTE F. MAVRICII HYLARETI DOCTORIS clariss. Carmen lugubre.

Disparibus numeris Elegi decurrite tristes,
Vocibus & planctus edite luctisonis.
Edite flebilibus funebria verba querelis,
Frons neque splendescat pumice vestra leui.
Occidit heu Hylaretus! eheu & concidit vnà
Iam Franciscanæ gloria tota domus!
Occidit Aureliæ lumen columénque cathedræ!
Occidit huius lux vrbis,& orbis amor!
Occidit Aonidum Sydus, splendórque sororum!
Santonúmque iubar clarius occubuit!
Occubuit multis è millibus ille sodalis,
Qui mihi tam stricto fœdere iunctus erat!
Dignus Nestoreos vitam producere in annos,
Proh dolor! in tumulo corpus inane iacet.
Flete meos casus,vestros,cunctíque popelli,
Plangite collapsam relligionis opem.
Sed vos,Pierides,tenero quas semper ab æuo
Præcipuâ coluit relligione pius,
Nónne magis,sparsis per colla decora capillis,
Vos deceat madidas vngue notare genas?
Et te, præcellens,sua maxima numina,Pitho,
Fas fuerit oculis parcere,Diua,tuis?
Mellifluæ meliùs prompsit quis flumina linguæ?
Pallada quis meliùs iunxit vtramque simul?
Quis didicit meliùs populum sermone morari,
Cùm omnis ab illîus pendulus ore foret?

Quis magis & vitij potis ore ciere veternum,
Quo longùm stupuit plebs feriata malè?
Fortiùs admouit quis dura lupata proteruis,
Nouit & effreno tradere frena viro?
Is diæ constans sophiæ rigidúsque satelles,
Quo nec Aristoteles clarior arte fuit.
Is vatum sacros adiit rediítque recessus,
Prælucente piis moribus, vsque fide.
Vt labyrinthæis erroribus optimus olim
Dux Ariadnæum stamen & omen erat,
Auspice sic Christo, sic ductu Flaminis almi,
Per responsa Dei dædala flexit iter.
Minotaurus adest testis, monimenta nefandi
Partus quem forti pectore sustinuit;
Et quem, post longos animi laterúmque labores,
Occisum in proprio carcere fudit humi,
Iste est Caluini monstrum ferale Godetus
Castroduni probrúmque exitiúmque soli.
Quid quòd & Alcides tantùm duodena laborum
Præmia Mauricius bis duodena tulit?
Nempe renascentem toties quod cõtudit hydram,
Monstráque fatalis perculit hæreseos.
Attamen exhaustos post tot tantósque labores
Hunc mors pro meritis in sua busta trahit!
Scilicet omne sacrum mors importuna prophanat,
Omnibus obscuras iniicit illa manus.
Ergo perit totus? lethæis accubat vmbris
Totus? & æternus lumina somnus habet?
Interit ergo vir tam clarus Apollinis arte?
Est nihil è tanto nomine iámque super?
Non ita, nam ciues talem vetuere ruinam
Aurelij, merito qui monimenta struunt.
Ingenium prohibet, positóque perennius ære
Hoc opus, in quod nil funera iuris habent.

Hoc vetat & celsi summus Regnator Olympi,
Qui sua promeritis præmia constituit.
Qui dedit æternâ cœlis mens pace fruatur,
Condita dum tumulo molliter ossa cubant.
Viue igitur, veterísque memor sis semper amici,
Sic tellus cineri sit leuis vsque tuo.

*Deflebat Fr. Franciscus Feuardentius in leue tristissimi desiderij solatium.*

## *Summma Priuilegij.*

REGIO Diplomate Lutetiæ dato 16. Februarij, Anno 1604. Subſignato Henrico, & inferiùs per Regem in ſuo Conſilio, Potier, magnóque ſigillo ceræ flauæ ſigillato: Conceſſum eſſe Claudio Chappelet Mercatore Librario Pariſijs iurato, typis excudere, toties quoties voluerit, & tali forma & caractere quo ei videbitur, Librum cuius titulus eſt: *In quinquaginta duarum Dominicarum totius anni, Euangelia; Quæ iuxta ſancta Rom. Eccleſiæ vſum, leguntur, homiliæ: Nunc primum in lucem editæ, ac in Teſſaradecadas quatuor, facili methodo diſtributæ, ac in duos Tomos partitæ, Auctore F. Mauricio Hilareto Engoliſmenſi S. Th. Doctore, prouinciæ Turoniæ Exprouinciali, & Aureliorum à tribus non ita pridem luſtris ordinario Eccleſiaſte.* Et prohibitione facta quibuſuis Librarijs & chalcographis & alijs quibuſlibet perſonis cuiuſcunque fuerint Status, typis excudere vel excudere facere ſupradictum librum niſi poſt decennium, ſine conſenſu & permiſſione dicti Chappelet, ſub pœna mulctæ trium librarum millium, applicabilium ſcilicet tertia pars nobis, altera pauperibus, & tertia ſupradicto ſupplicanti, & confiſcatione exemplariorum impreſſorum, in contemptu huius noſtri diplomatis, & omnibus expenſis dicti Chappelet, vt latiùs in dicto diplomate continetur. Præterea ſua vult Majeſtas vt ſumma huius diplomatis eandem vim habeat ac ſi lectum & publicatum, ſupradictis librarijs, chalcographis & alijs quibuſlibet perſonis, eſſet.

*Ad relationem D. d'Amboyſe Conſiliarij Regij, & libellorum in Regia Magiſtrati.*

## APPROBATIO DOCTORVM.

NOs infrà scripti Doctores Theologi in sacra facultate Parisiensi vidimus, & attentis animis legimus sacras Conciones per omnes Dominicas totius anni, nec non in die & Ferijs Pentecostes per virum longè Doctissimum F. Mauricium Hylaretum Franciscanum Parisiensem Theologum, & Aurelianensem Ecclesiasten ordinarium conscriptas, concinnatásve, Opus quidem omni varietate doctrinæ, omnigenáque scientia refertum, & nihil in eo offendimus quod religioni Catholicæ aduersum aut dissentaneum censeri possit. Quapropter iudicauimus illud meritò prælo cõmittendum esse, maximo omnium, sed præsertim Concionatorum commodo. Lutetiæ anno Domini. 1603.

F. PETRVS BELLOT. Doctor Regens.

F. HELIAS BEAVVOYS. Doctor: & Lector Theologus.

F. MOVLARD. Primus Lector.

# INDEX CONCIONVM seu Homiliarum, quæ hoc secundo volumine continentur, quoto, quodque Euangelium folio inuenias designans.

DOMINICA



# DOMINICA SECVNDA A PASCHATE.

## De bono paſtore, mercenario, ouibus, ouili, & oſtio. Ioan. 10. cap. Ioan. 10. ca.

*Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor, animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor &c. Vbi ſuprà.*

VNDE dicendi ſumatur exordium conuenientiùs, aptiuſve, quàm ex Pſalte regio, nō inuenio (Auditores) Sic enim ille de vero paſtore loquens, *Dominus*, inqu*it*, *regit me & nihil mihi deerit. In loco paſcuæ ibi me collocauit. Pſal. 22.* Et ſignificantiùs, ac cùm emphaſi, ita græce habetur; ex 70. interpretum tralatione, ὁ κύριος ποιμένει με hoc eſt, *Dominus paſcit me*, ſiue, *Dominus paſtor meus.* Pſ. 22 ex 70. interpretum tralatione. Vbi primùm omnium obſeruabis, Chriſtum verum eſſe, ac bonum paſtorem, quo de intelligebat legiſlator Moſes, loquens ad Dominum: *Numer. 27. Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc: & poſſit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne ſit populus Domini, ſicut oues abſque paſtore.* Num. 27. a Dixítque Dominus ad eum. *Tolle Ioſue filium Nun, virum, in quo eſt ſpiritus Dei, vt audiat eum omnis ſynagoga filiorum Iſrael.* Præſignauit autem Ioſue, Chriſtum Ieſum, qui eſt bonus paſtor, qui ait in hodierno Euangelio, *Ego ſum paſtor bonus.* Quicumque verò à Chriſto paſcitur, vt pſaltes agnoſcit, nihil ei deeſſe poteſt. Dicat diues quantùm voluerit, Paſcent me diuitiæ meę, & nihil mihi de-

erit. Dicat Dominus temporalis, Pascet me regnum meum, Pascet me census meus(gallicè, *mon reuenu*) *& nihil mihi deerit.* Dicat mercator, Pascet me negotiatio mea, & nihil mihi deerit, Dicat sapiens: Pascet me prudentia mea, *& nihil mihi deerit.* Dicant postremò, vt volent, filij huius sæculi, quod quidam, *Apoc.* 3. dicebat. *Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & quod diues quidam cogitans intra se,* dicebat animæ suæ: *Anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Luc.* 12.c.

Apoc. 3. c.

Luc. 12. c.

Nos autem Christiani ex toto corde dicamus. *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.* Cæteri omnes fallentur, & fraudabuntur à desiderio suo, Verùm hæc Christianorum spes, non confundit. *Rom.* 5. *Spes non confundit. In te Domine speraui, non confundar in æternum. Psal.* 30. Dominus igitur regit me, aut, pascit me, &c. *Et nihil mihi deerit.* Hoc est Enthymema, quo vates regius vsus est, more Poëtarum. Nostrarum partium erit, satagere, vt antecedens huius Enthymematis, *Dominus regit me,* verificetur in nobis. Non ergo nostra auaritia nos regat, non ambitio, non animositas, non concubina, non diabolus, non caro, non mundus, non propria libido, non cæcum iudicium, sed Dominus, & hoc posito antecedente, necessariâ consequentiâ, ac formali, consequetur & istud Enthymematis consequens, *Nihil mihi deerit.* Cœlum potius decidet, & terrea moles sursum feretur, quàm quod inquirentes Dominum minuantur bono, deficiántve in necessarijs, *Timentibus Deum nihil deest,* vt canit Ecclesia. Ei ergo qui Deum pastorem habet, ac gubernatorem, nihil deesse vnquam poterit. D. Paulus *Heb.* 13. seu, vltimo, *Deus pacis,* inquit, *qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum: aptet vos in omni bono,* Et Apostolorum princeps Petrus, prioris, c. 2. *Eratis sicut oues errantes, sed cōuersi estis nunc ad pastorem, & episcopum animarum vestrarum,* & c. 5. *Cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* & diuinus vates *Ezechiel.* c. 34. *Suscitabo,* inquiens, *super eas* (oues) *pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid: Ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.* Vbi aperta est de venturo Messia, filio Dauidis, prophetia: cùm in futurum suscitare polliceatur pastorem Dauid, quum tamen aliquot antè seculis Dauid rex, potitus rerum fuisset, atque regnasset. Christus proinde iure longè optimo, nūc dicit: *Ego sum pastor bonus &c.*

Rom. 5. c.

Psal. 30.

Ecclesia.

Heb. 13. c.

1. Pet. 2. c. c. & 5.

Ezech 34. c.

Porrò, quatuor sunt boni pastoris officia, seu, conditiones, oues nimirum pascere, eas cognoscere, illas tueri, & defende-

re,easdem postremo adunare,& in vnum ouile adducere: de prima dicit Christus:*Ego sum pastor bonus*,de secunda , *Cognosco oues meas*. De . 3. *Animam meam pono pro ouibus meis;* de quartá denique,*Et alias oues habeo*,ait,*quæ non sunt ex hoc ouili. Illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor &c.* Quæ cùm in summo,ac perfectissimo,heroicóque gradu,in Christo inueniantur:meritissimè dicere potest: *Ego sum pastor bonus*.

Tres quoque sunt ouium Christi conditiones. 1. est, quòd pastorem verum agnoscunt. 2. quòd eius vocem audiunt, 3. quòd spontè , & vltrò eum sequuntur, quocumque eas conduxerit. De prima, ait Christus, *cognoscunt me meæ*. De secunda idem dicit: *Oues meæ vocem meam audient* De tertia ,*Oues*, inquit,*illum sequuntur* . Audiunt vocem boni pastoris : oues, non lupi : qui eas ad interitum vocat, non furis , qui ad ruinam , non mercenarij , qui vt lanam accipiat, & solius lucri gratiâ , seruit: sed vocem Christi audiunt , qui eas vocat, vt ad vitæ æternæ pascua conducat. *Per me , ait, si quis introierit, saluabitur, ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet & Ioan. 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris , sed habebit lumen vitæ*. Nec obiter, aut , perfunctoriè transeunda sunt hæc Christi verba. Ioan. 8.

*Ingredietur, & egredietur*, Sensus est : Ingredietur , ad contemplandam verbi diuinitatem. Egredietur, ad contemplandam,& conspiciendam humanitatem carnis. Ingredietur, per gratiam,Egredietur , per gloriam. Ingredietur , in hoc præsenti seculo, Egredietur , in futuro seculo. Ingredietur ,credendo,quod non videt, Egredietur facie ad faciem videndo, quod credidit.

Pascua inueniet animam Christi , carnem , & sanguinem Christi. *Bonus iste pastor, animam suam dedit pro ouibus suis* , carnem, & sanguinem suum pro nobis dedit. Animam in pretium scilicet,carnem in cibum , & sanguinem in potum & , quod Græci dicunt, ἀντίλυτρον. (Gall *la rançon.* )

Obserua insuper ad pastorale officium , vt administretur sine querela, multa esse necessaria, nempe industria , in pascendo oues , audacia in defendendo à lupis , & aliis subrepentibus noxis , instrumenta pastoralia , sine quibus pastorale officium rectè geri administrarive nequit : sollicitudo in custodiendo grege , cura aggregandi oues , in locum congruum , pro temporum qualitate : Et memoria denique reddendæ rationis pro ouibus cõcreditis, Domino ouiũ, qui exiget debitum, vt sibi ( quoad fieri licuerit ) oues illæsæ

restituantur, atque reddantur.

Est sanè industria pastori imprimis necessaria, vt oues sanas conseruet, infirmas curet sedulò, détque operam, vt steriles fœcundentur, fœtas verò foueat, agnos leuet, debiles oues baiulet, omnibus denique congruentia pascua

Ezech. 34. ca. procuret. Vnde *Ezechiel. 34. cap.* hoc vitio datur pastoribus malis, scilicet, *Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersa sunt oues meæ, eo quod non esset pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt*. Temperanda est disciplina ouium, iuxta earum vires, ne igniculus virtutis, qui in illis micat, & micando se prodit, extinguatur. Quia e-

Reg. 12. c. nim Roboam. 3 *Regum. 12. ca.* Non se attemperauit, neque condescendere voluit gregis sui infirmitati, maximam gregis partem amisit. Et quod in corporali regimine ac-

Gal. 6. c. cidit, vt summum ius, summa sit iniuria, idem pariter in spirituali contingit. Quocirca, *Galat. 6. capi. Si praoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis* ( πνευματικοὺς, id est, spirituales patres, sicut appellari solent, hoc est, Prælatos, qui ex pastorali officio spirituales esse debent etsi moribus, ac vita, non sint semper tales, intelligit Apostolus) *huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.*

Est sanè verum, quòd nonnunquam oues insolentes, asperiùs à pastoribus tractandæ sunt, quia vinum, & oleum iussit beatus ille medicus temperare, ad curam animorum. Per oleum blanda increpatio, suauisque intelligitur correptio: per vinum, acrimonia disciplinæ, cùm scilicet, flagellis vtendum est, significatur. Sit salis etiam, in pastorali functione, nedum mellis vsus frequens. Non solum manna, sed etiam virga Aaron, penes pastores esse debet, ita vt, *si quis Ecclesiam non audierit, sit sicut ethnicus, & publicanus Mat-*

Matth. 18. ca. *thei. 18. ca.* Vnde Dominus flagello ex funiculis confecto, vē-

Ioan. 2. ca. dentes, ac ementes, è templo profligauit. *Ioan. 2.* & Paulus

Tit. 1. c. hortatur Titum Cretensem Episcopum. *cap. 1. increpa illos,* inquiens, *durè, vt sani sint in fide.*

Tunc verò dant operam pastores, vt fœcundentur oues, quando ex sanctis operibus, & præclaris virtutum exemplis pastorum, oues ad meliorem frugem, in dies promouentur. Vt sint sicut, *Cantic. 6. capite* dicitur: *sicut grex ouium,*

*quæ ascenderunt de lauacro ; omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis:*

Patriarchæ Iacob sollicitudo custodiendi greges, est, Pastoribus animarum imitanda. *Genes.* 33. qui ait: *Nosti Domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum:* quas si *plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Præcedat Dominus meus ante seruum suum: & ego sequar paulatim vestigia eius.* Et hanc pastoralem sollicitudinem indicat, Isaias cap. 40. *Sicut pastor* inquiens, *gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portauit.* & rursus, cap. 42. *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Strenuus ille quoque gregis Christiani pastor Paulus, huius pastoralis sollicitudinis haudquaquam immemor, *prioris, Cor. 9. c.* ita scribit: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos, vt omnes Christo lucrifacerem.* Genes. 33. Isa. 40. & 42. c. 1. Cor. 9. c.

Meminerint pastores, quàm fuerit sollicitus Iacob, pro ouibus sibi commissis. *Genes. 31. cap. Viginti annis* aiebat ille, Laban, auunculo, ac socero suo, *fui tecum, oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt. Ego damnum omne reddebam, quicquid furtim peribat, à me exigebas. Die, noctúque æstu vrebar, ac gelu: fugiebátque somnus ab oculis meis.* quod si ille adeò sollicitè, & accuratè regebat gregem irrationalium ouium, quanto quæso, maiore sollicitudine, sunt oues rationis participes gubernandæ? Si ouibus Labam tanta cura impendebatur, cedo, Christi ouibus, quanta est impendendi? Si oues signatas signaculo hominis Idololatræ Laban, Iacob patriarcha, tanto zelo prosequebatur, ac obseruabat, vt in earum custodia peruigil esset, frigoribus, & caumatibus non parceret, vt gregem illæsum conseruaret, quanta cura (amabo) grex Christi curandus est, signatus sanguine Christi, vnctúsque oleo Spiritussancti? *Posterioris ad Corinthios capite primo. Qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Contrà verò hodie fit. Nam etiam, quod citra indignationem dici nequit, magis curantur canes, & muli, ac equi, accipitres, & aues, à quibusdam titulo tenus Episcopis, quàm Christi grex: Verùm, de ouibus concreditis fidei ipsorum, exiget Dominus aliquando, ab eisdem pastoribus rationem. *Redde rationem villicationis tuæ,* dicens singulis eorum. Gen. 31. c. 2. Cor. 1. c.

Pastoralia autem instrumenta, inter alia hæc sunt, pera

(gall. *la panetiere*) & pedum, seu baculus pastoralis (gall. *la houlette*) Pera igitur pastorum Ecclesiæ, diuini sunt codices, quorum scientia, atque explicatio pastoribus competit, vt ex hac pera lapides colligant, quibus Episcopi gregis hostes feriant, vt olim fecit inclytus ille pastor Dauid, quinque colligens limpidissimos lapides, & abscondens in pera pastorali, vnde illos resumpsit, contra Goliath diuini agminis exprobratorem. 1. *Regum.* 17. *cap.* Sunt autem quinque isti lapides, quinque pastoralia munera, ex sacra scriptura deprompta, ad Ecclesiæ prosternendos hostes quæ sunt huiusmodi. Doctor, Pastor, Pater, Sponsus, & Iudex sui gregis, debet esse Episcopus Catholicus. Doctor nempe, vt diuini verbi pabulum, ouibus ministret: illis enim à Domino dicitur in Apostolorum persona: *Matth.* 5. *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi.* Illuminant, docendo fidem: Salis vice condiunt cibos, & ne carnes putrescant, impediunt: arguendo mores prauos, & virtutes commendando. Episcopi quoque sunt pastores.

1. Reg. 17. ca.

Matt. 5. c.

Vigilent ergo sollicitè, super gregem suum, visitent illum, oues scabiosas à grege excludant, & sanas incolumes conseruent. Sunt etiam patres spirituales, quia verbo Dei generant fideles, *Vt filios meos charissimos moneo* scribebat Apostolus, *prioris ad Cor.* 4. Idem alicubi, *Per Euangelium*, ait, *ego vos genui.* Vnde Philemoni scribens, Onesimum dicit se genuisse in vinculis. quia nimirum, ipsum docendo, ad Christi fidem deduxerat. Quod verò Episcopi Sponsi sint, præcursoris testimonio satis innotescit, dicentis: *Qui habet sponsam, sponsus est. Ioan 3 cap* At verò Episcopi habent sponsam Ecclesiam Dei: sunt proinde sponsi: vnde in die consecrationis ipsorum, annulis aureis subarrantur, vt iam deinceps se gerant, tanquam Ecclesiæ Dei sponsos, vice Christi. Sunt tum demum Dominici gregis Iudices, quibus ex officio incumbit populum Dei iudicare, in iustitia, & veritate, & absque personarum acceptione. Itaque si Episcopi Catholici se gesserint, vt plebis Christianæ Doctores, si vt pastores, si vt spirituales patres, si vt sponsos, si denique tanquàm iudices, legatione pro Christo fungentes, profligabunt his mysticis quinque lapidibus, dubio procul, ab ouili Christi Lupos, aliosque fidei hostes, ac aduersarios.

1. Cor. 4. c.

ad Philemonem.

Ioan. 3. c.

Est autem baculus, alterum pastorale instrumentum, vt scilicet dispalantes oues, in caulam reducat, ne bestiarum vllos patiantur incursus. Quia ergo Episcopi, potestatem

à Deo acceperunt delinquentes corripiendi, ideo baculo sunt insigniti. (Pedum pastorale, seu, pontificium, vulgus nostrum appellat, *vne crosse d'Euesque*) de pastorali virga, seu, baculo agit Psaltes in *Psal.* 22. *Virga tua & baculus tuus*, inquiẽs, *ipsa me consolata sunt*. Duo nomina idem pollentia posuit sacer vates: pedum significans, q.d. Augustino Steucho Eugubino interprete & paraphraste: In manu pastoris mei est baculus validissimus, quo sustineor, cui innitor, in quo spes omnis mea recumbit. Hoc animum meum solatur. Sic ille Canis quoque ad seruandas oues, & aduersus truculentam luporum rabiem, eas defendendas, ac propugnandas, necessarius pastori esse cernitur: Quippe qui latratu suo pastoris excitat somnolentiam, vt gregibus suis præsto sit, fugátque lupinam rapacitatem, & ab ouili abarceat malas, sæuásque, bestias. Est enim fidus gregis cum pastore custos, ac comes ferè indiuiduus. Sunt autem isti canes mystici ij, quibus mandat Episcopus in sua diœcesi prædicandi munus assumpti ab eo in partem sollicitudinis, vt eum adiuuent: Siquidem non omnia potest per se, ouibus suis necessaria præstare, nisi adiuuetur. Ideo prædicatores habet, qui lustrent semper diœcesim, prædicéntque, ac per singula oppida (parœcias dictitant) concionentur, ad virtutes exhortando, & à vitiis, voluptatibúsque huius seculi dehortando, ac deterrendo. De canum sagacitate, ac fidelitate, si quis plura desideret, ad nostras Decadas, recurrat, consulátque homiliam de diuite epulone, & de canibus Lazari vlcera lingentibus. Lingua canum medicinalis esse dicitur, quod perbelle prædicatoribus aptabitur, modo ne sint *canes muti, non valentes latrare. Isa.* 56. *cap.* Hæc sunt bonorum pastorum munia, ac insignia, quibus à malis facilè secernuntur. Legimus tamen in posteriore Machabæorum volumine, *cap.* 4. Iasonem Oniæ fratrem, ingenti pecunia, ab Antiocho nobili, summum comparasse sacerdotium. Post hunc verò, Menelaum etiam, *cap.* 13. *eiusdem lib.* Hi non per ostium, sed aliunde ingressi sunt, aut veriùs intrusi: vterque verò malè periit, vt ibidem apertè declaratur. Talis est Simoniacorum, ac sacrilegorum, funestus, ac tragicus exitus, Deo vindice.

*Sac. Decade authoris hom. de diuite, & Lazaro.*
*Isa.* 56.
2. *Mach.* 4.

Sub Domini Christi æuum, quo nempe, tempore, in carne mortali versabatur cum hominibus vænalia erant sacerdotia, vt patet in Caïpha (qui erat, ait ὁ λόγος, *Pontifex anni illius, cap.* 11.) Ideò Dominus subnotabat eos de Simonia, cùm diceret hoc loco, *Qui non intrat per ostium, in ouile ouium, ille fur est*

*Ioan.* 11. & 10.

*& latro.* O tempora! ô mores! Verè de huiusmodi sacrorum licitatoribus, qui sacerdotia tanquam merces aliquas licitantur (vernaculè *maquignons de benefices* appellant) dici potest il- Ezech. 22.
lud: *Ezech. 22. Sacerdotes eius* (Ierusalem) *polluerunt sanctuaria mea: Inter sanctum, & prophanum non habuerunt distantiam,* (quod sedulò notabis) *& inter pollutum, & mundum non intellexerunt. Principes eius, in medio illius, quasi lupi rapientes prædam: ad perdendas animas, & auarè sectanda lucra.* Hactenus sacer vates.

Cæterùm, quia mercenarij, bonis opponuntur quasi è diametro, pastoribus, hoc contextu, peruelim, huius ὁμωνύμιαν, seu æquiuocationem, ambiguitatémve, vocabuli, euoluere, & explicare. Quidam enim mercenarij boni sunt, illi nempe, qui æternæ mercedis gratiâ, gregem Domini pascunt, qui- Luc. 15.
bus de Euangelicum illud exponitur: *Luc. 15. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.* Alij verò sunt mercenarij, qui temporalis lucri spe, hoc præstant, curantes quidem gregem, *non propter IESVM tantum,* vt *D. Ioannes ca. 12. Euang.* loquitur, sed propter honorem seculi, aut propter pecuniam, Vel etiam gratiæ, fauorísque principum, & procerum, conciliandæ, caussâ. Tertij mercenarij sunt, qui mercede conducti, ad pascendum gregem, non tamen curant, vel, pascunt gregem, quin potius seipsos pascunt: Ezech. 34.
de quibus. *Ezech. 34. Væ pastoribus Israel: qui pascebant semetipsos: Nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis.* Sic ille. Ideò viso lupo fugiunt, & sinunt periclitari gregem, de quibus hîc Christus, *Mercenarius,* inquit, *cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & fugit.* Fugit autem quia mercenarius est, quia ouium non tangitur curâ, quia denique gregem non amat. Si enim amasset, vtique non fugisset. His de mercenariis, qui depascunt Zach. 11.
greges, dicitur illud: *Zachariæ cap. 11. Sume tibi vasa, pastoris stulti Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum non sanabit, & id, quod stat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet. O pastor, & Idolum, derelinquens gregem, &c.* Hæc diuinus vates.

Psal. 118.
Horum praui optimi sunt mercenarij, qualis erat ille qui, *Psalm. 118.* aiebat: *Inclinaui cor meum, ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Secundi sunt tolerabiles, At tertii, mali sunt, ac reprobi. Iam nos quoque de mercenariis in superioribus Homiliis, cùm de operariis in vineam

conductis ageremus: plura tractauimus. Sed dicet quispiam. Quid ergo Sacerdotes sacrum facientes, propter mercedem, & Canonici choro inseruientes, propter distributiones quotidianas, & qui beneficiis (vt loquuntur) inseruiunt, facientes officium, propter beneficium, Sunt ne tales, mercenarii, etiam appellandi? Respondeo. *Dignus est vtique operarius mercede sua*, cibo suo, Et *qui altari seruit, de altari quoque viuere debet*, Christo Domino, eiusque Apostolo, testibus, omni exceptione maioribus. Si igitur præfati, mercedem aliquam, pro operis suis locatis, ad vitæ necessaria subsidia, exigunt, aut potiùs sibi debitam iure naturali, ac diuino, accipiunt: non malè faciunt: quia hæc stipendia sunt illis statuta, pro quotidiano Ecclesiæ seruitio, vt inde alantur, ac necessaria sibi prouideant.

Sunt ergo isti mercenarii tolerabiles, quia iustum est, quod intendunt. Si verò vtentes stipendiis, Ecclesiæ seruitia non exhibent, mali sunt mercenarij.

Pastores igitur boni pascentes gregem, ex fructibus gregis itidem, si se pascant, non est iniustum, aut vituperabile. Imò verò rationi, ac æquitati maximè consentaneum, authore Apostolo prioris ad *Cor.9.c* *Quis militat*, inquiente, *suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem: & de lacte gregis non manducat? Scriptum quoque est in lege Moysi: non alligabis os boni trituranti. Si nos vobis spiritualia seminauimus: magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Sic ibi. Vsus iste de commoditatibus gregis, pastori de iure licitus est, nec facit mercenarium malum. Non ergo ob hoc, dicendi sunt mercenarii mali. Sed si carnalia gregis recipientes, Spiritualia autem non impartiantur, mali tum demum dicendi sunt, & censendi, mercenarii. Et hactenus quidem hæc ex Michaële de Palacio, Granatensi in Ioannem, ad cap.10. in Moralibus, & ex Cornelio Italo Bitontino Episcopo, ex nostro ordine assumpto, elegantissimo prædicatore, *Nella predica. di Christo pastore*, magna ex parte mutuata esse, ingenuè agnosco, nec tanquam ingratus diffiteor. Quibus ita prælibatis, nunc ad textum aggredior.

*Cor.9.*

*Michaël de Pala.Granat. in Ioan.c.10.*

*Il Cornelio Ital.nella predica.di Christo pastore.*

*Ego sum Pastor bonus, & cat.* *Nemo bonus*, inquit Christus, *Luc.18. & Marc.10. nisi solus Deus.* Ideò se testatur Deum, vocando se bonum præsertim, cum articulo Græco, emphaticῶs dixit, ὁ καλός, pastor, inquam, ille bonus. Christus pastor equidem bonus est, per essentiam bonitatis, quatenus Deus est, & secundùm quòd homo, κατ' ἐξοχὴν, καὶ αὐτοουσίαν,

*Luc.18.& Marc.10.*

bonus dicitur, per excellentiam. Alij verò pastores sunt boni, solùm per participationem. Vates regius, *Psalm* 22. sub poëticis tropis, quibus Homerus, reliquíque poëtæ redundant. De pastore, ouibus, pascua, aquis fœcundis, baculo pastoris, mensa opipara, poculis, & quiete in amœnis thoris, multa cecinit, quæ nunc prætereo.

*Psal.* 22.

*Aug. Steuchus Eugub. l.* 5. *de perenni philosophia, cap.* 12. *ex Platone in Politico, Homer. item in Iliade.*

*Sac. Decad. to poster. hom. de Enceniis.*

Augustinus Eugubinus, *lib.* 5. de perenni Philosophia, *cap.* 12. Platonem diuinum citat in Politico, vbi Deum vocat ποιμένα ἀνθρωπίνης ἀγέλης. Pastorem gregis humani. Appositissimè igitur, nunc dicit Christus. *Ego sum Pastor bonus.* Pastoris nomine, & appellatione, Homerùs, Agamennonem regem insigniuit, exornauítque eo titulo: vocans eum, ποιμένα λαῶν, pastorem populorum. In Decadibus nostris quoque, aliqua eadem re, atque de ouibus Christi, homiliâ de Enceniis, posteriore tomo, tractata comperies.

*Psal.* 22.

*Ioan.* 10.

Pastoris officium est gubernare, ac regere pascendo nimirum. Ideò meritò reges, ac magistratus pastorum appellatione subindicantur. Sed soli Christo eminentissimè hæc conuenit nomenclatura. Vnde *Psalm.* 22. *In loco pascua ibi me collocauit. Ingredietur, & egredietur,* ait Idem Christus, *Et pascua inueniet, Ioannis* 10. *cap.* Per introitum, ac exitum, scripturarum more, tota huius vitæ conuersatio comprehenditur. q. d. In vita, & in morte, tempore prospero, ac aduerso, in incolumitate, & imbecillitate, in bello, & pace, pascua inuenient, nec illis deficient, qui Christum pastorem sequuti fuerint. Consimiliter huic, Euangelicus vates. *cap.* 49. *Super vias, ait, pascentur, & in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus, & Sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. vel, portabit.* quasi dicat. Quia Christus eorum misertus, reget eos, idcircò nihil illis defuturum est. *Quoniam apud te,* inquit Psalmographus, *Psal.* 35. *est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Per me si quis introierit,* ait ille, *Saluabitur* (*Ioan. cap.* 10.)

*Isa.* 49.

*Psal.* 35.

*Ioan* 10.

*1. Petr.* 4.

Adde quod, nō vno duntaxat modo regit, pascítve Christus oues suas, sed sicut ipse dicit hoc contextu: Vocat pastor oues suas nominatim, quoniã vniuscuiusq; in specie, ac particulari, cognoscit ingenium, & indolem: Aliterque incipientes, ac infirmos, aliter proficientes, aliter etiã perfectos tractare solet, vnicuique iuxta propriam conditionem, sese attemperans, & metiens. Vnde B. Petrus *prioris, cap.* 4. Multiformem gratiam Dei, meritò appellauit, quia cum singulis varias in formas, figuráſve se transformat. Sicut olim, qui coram Domino appo-

nebantur panes, vulgò propositionis dicti, ex Hebraica dialecto,& loquendi proprietate, *Exod.25.* panes facierum nuncupati sunt,ad hunc ferè modũ,& Christi regimen (per panes illos siquidem Christus adumbrabatur, ac præfigurabatur) multarum, variarúmque facierum, non vnius solùm faciei,ac formę esse dicitur,sed iuxta vniuscuiusque accõmodatur conditionẽ,& necessitatẽ.Sicut etiam *Sap.16.c.* de Manna legitur, quòd *omne delectamentum,in se habuerit, & omnis saporis suauitatem, atque deseruierit vniuscuiusq; voluntati,ad quod quisque volebat, etiam cõuersum fuerit:* Ita bonus pastor Christus,sua pascua,pro varia appetentia suarum ouium,ac secundum singulorum palatum, variare solet, &,quod cuiq; salutare est,proponere pabulum. *Omnibus omnia fit,* vt de se scribit Apostolus,& nos supra citauimus,vt omnes lucrifaciat,ac vniuersos faciat saluos. *Exod. 25.* *Sap.16.*

Porrò, non solùm Christus est pastor, at multis post se parasangis,quod dicitur,alios relinquit,omnes alios multis nominibus superat,vincitque. Atque modo quodam peculiari, & eximio, Pastor nominatur Christus, hic dum dicitur: Ego sum pastor ille bonus: vbi bonus excelleñtiam significat,quasi se pastorem præ cæteris, supráq; cæteros eximiũ nominasset. Cæteris, inquam,in multis antefertur, ac præstantia, seu, excellentia eius, Prima est, quoniam alij,vel casu,vel sorte sunt 1.
pastores, At Christus ad hoc natus est,vt sit pastor. In eúmq; finem nasci voluit, ac de cœlo descendere, vt homo factus, pastor bonus humani generis re ipsa demonstratur: quærens hominem,ouem nimirum erranté,quæ perierat,ex parabola, *Luc.15.* quam ipse Christus proposuit. Et sicut ad pascendum natus erat,quàm primùm etiam in lucem editus est, *& Verbum caro factum est, Ioan.1.* pastoribus nuncium suæ natiuitatis deferendum curauit. *Luc.2.* Altera eius excellentia est,quoniam ipse pro grege suo mortem subiit, quod nemo alius fecit ex pastoribus rationis expertiũ ouium. Vt nos ex faucibus lupi infernalis erueret, se crucifigendum pro ouibus, lupis etiam ipsis rapacibus,vltrò obiecit. Tertia præstantia, ac postrema 3.
est,quia ipse ita pastor est,quòd pabulum ipsum, seu, pascua, quoque est. Pascit oues sua carne, eásque proprio sanguine potat. Vnde os illud aureum. Quis, inquit, pastor oues proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem (bonus iste pastor) non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat. Sic Diuus Chrysostomus. *Luc.15.* *Ioan.1.* *2.* *Luc.2.* *D. Chrys.*

*Pastor iste bonus, pascuis implet absque defectu vllo oues suas*, eodem assertore, *Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet Ioan* 10. *ca. Ingredietur* nimirum ad animam Christi, *Egredietur*, ad corpus refertur, *Et pascua inueniet ad verbum. Ingredietur* Ad diuinitatem *Egredietur*, ad humanitatem, *& pascua inueniet*, pascua, inquam, diuina, & humana *Ingredietur* per intellectum, *Egredietur* cum sensibus, *& pascua inueniet* sensibilia, & intelligibilia. *Ingredietur* vt videat coram, intueatúrque, quod credidit, & *egredietur* tenendo, quod sperauit, in faciali, vt ita dixerim, contemplatione glorificatæ humanitatis Christi, *& pascua inueniet*, delectationis, & æterni gaudij. quo, vtinam! perfruamur in cœlis. Amen.

*Cornel. Itaco Hom. de vita spirituali fer. 3. post Pente.*

Hæc ex Cornelio Italo, concione, de vita spirituali, omniũ, quas ad populum habuit, supremâ, & postrema. Anno Domini 1573. Romæ, in Æde S. Petri. Fer. 3. post Pentec. super Euãg. *Qui non intrat per ostium, &c.*

Verè pascua inueniet, dicente Domino per Prophetam Ezech. 34. *In pascuis vberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel, erunt pascua earum: Ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus, pascentur super montes Israel. Ego pascam oues meas: & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat consolidabo, & quod pingue, & forte, custodiam: & pascam illas in iudicio.* Sic vates sacer.

De pascuis æternæ beatitudinis, vbi videtur Deus, intelligendus est locus propheticus, ex quo facilè etiam colligitur, bonum pastorem captui, & ingenio, ac modulo, suarum ouiũ, se accommodare, vt singulis earum cõueníentia adhibeat pascua, & pabula.

Obserua, ait noster Philippus Diez, conc. 1. ad hoc Euangelium Dominica 2. à Paschate, non dixisse Christum, Ego sum Iudex, vt vos iudicem, Non, Rex, vt vos opprimam, Non, Dominus, vt vos vincam, & domare velim, ac in miseram conijce re seruitutem, atque iugum grauissimum, Sed dixisse, *Ego sum pastor*, quod timorem non incutit, imò ad Dei amorem nos inflammat, magísque accendit. Felices oues, quæ ab hoc pastore, pasci se permittunt. *Bone pastor, panis vere, Iesu nostri miserere.* Amen.

*Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, &c.* Suam hoc pacto erga oues præclarè testatur opilio, beneuolentiam, ac intimum amorem, cùm videlicet, pro ouibus, ipsis vitam, ac sãguinem profundit. Sic Codrus Atheniensiũ rex, (vt posteriore

Decadum nostrarum tomo ad Verba: Expedit vt vnus homo moriatur pro populo aut, certè, priore tomo. Homiliâ, de amore patriæ, me dixisse memini) pro populo, ac patria, mortem oppetere, non dubitauit; habitu mutato, seipsum in confertissimas hostium copias iniiciens, cúmq; à nemine cognosceretur, interfectus, morte sua, suis Athenis, victoriam, hostibus profligatis, comparauit. Singulari profectò amore iste Codrus, suos Athenienses prosecutus est; At verò bonus pastor Christus, longè præstantiorem erga suum gregem amorem declaraui, Animam suam pro ouibus suis exponendo; vt animarum saluti (quas vehementer ipse diligit) hac via prouideret.

*Sac, Decades auth. Hom. de amore patriæ prio. to. vel poster. scr. 6. post Dom. in Paß. ex Val. Maxi. de Codro.*

*Dixit Rex Sodomorum ad Abram, Da mihi animas, cætera tolle tibi Genes. 14. cap.* Æquiore sanè iure, Christus Rex regum, ac Dominus Dominantium, vt sacra habet Apocalypsis, Gregis sui commodum curat, animas quærit, non diuitias, aut, temporalia lucra. *Non quæro vestra, sed vos:* dicebat eius Apostolus.

*Paulus 2. Cor 12. c.*

Hæc tùm demùm vera est, ac heroica amicitia, cum pro ouibus pastor, mortis discrimini, ac periculo se obiicit. *Maiorem quippe charitatem nemo habet* (Christo assertore, *apud Ioannem cap. 15.*) *quàm, vt animam suam ponat quis, pro amicis suis.* Maximoperè verò charitatem suam commendat in nobis Christus, Rom. 5. *quoniam cum adhuc peccatores essemus, pro impiis etiam, ipse mortuus est, & cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filij eius.* Aristoteles, libro secundo Rhetoricorum, cap. 20. citat hunc versum

*Nemo est amans, qui sempiternè non amat.*

Ex Euripide in Troadibus, desumptus videtur: Ita enim ille Græcè cecinit.

οὐκ ἔστ' ἐραστὴς, ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ.

Id est,

*Non est amicus, quisquis amare desiit.*

Quod & D. Hieronymus, to. 1. epist. ad Ruffinum Epistolâ, in fine his extulit verbis:

*Amicitia, quæ desinere potest, vera nunquam fuit.*

Nonne idem dicit Parœmiastes Salomon? *Prouerb. 17. Omni tempore diligit, qui amicus est. Et idem cant. 8. c. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Ac denique Liuius, Ethnicus historiographus, li. 40 hist. Rom.

Vulgatum illud, inquiens, quia verum erat, in prouerbium venit: Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse, sic aiebat Q. Cæcilius Metellus ad Censores.

Talis proculdubio fuit pastoris Christi erga oues pascuæ suæ, amicitia vera, non ficta, perpetua, non horaria, aut, temporaria, sed *cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, vsque in finem dilexit eos. Ioan. 13. c.* Vnde ipse per sanctum vatem (Ieremiam intelligo c. 31.) *In charitate perpetua,* inquit, *dilexi te, ideò attraxi te miserans.*

*Valerius.* Nunquam Pylades suum Orestem, tanto prosequutus est amore, atque bonus iste pastor, suum gregem. Scribit Valerius, lib. 4. c. 7. de amicitiæ vinculo ad hunc modum: Orestes Pylade penè amico, quàm Agamemone patre notior est. Sic ille.

*Plato.* Quid dicam de Alcesti? Narrat diuinus Plato in conuiuio, vel, de amore, pag. 285. Pro alio mori, amantes soli eligunt, non viri tantùm sed etiam mulieres. Cuius sermonis testimonium Græcis Alceste Peliæ filia, manifestum exhibuit, quæ sola elegit, pro viro suo perire. Cùm tamen ille & patrem, & matrem haberet: quos illa propter amorem charitate adeò superauit, vt eos extraneos, & nomine duntaxat filio suo coniunctos esse monstraret, quodquidem facinus tam præclarum, non tantum ab hominibus, verumetiam à Diis est indicatum, vt cum è multis, qui multa, & egregia gesserant, Dij reminiscendi munus paucis admodum, & præstantissimis attribuissent, hanc ab inferis continuò suscitarint: tam egregio facinore delectati. Tantì studium, virtutémque circa amorem Dij æstimant. Hæc ille.

*D. Hieronym.* *Scholia Erasmi ibidem.* D. Hieronymus, tom. 2. epist. &c. lib. 1. aduersus Iouinianum circa finem Alcestim, ait fabulæ ferunt, pro Admeto spôtè defunctam. Ac Erasmi Scholia ibidem sic habent: Alcestis Admeti regis vxor. Apud hunc quoniam benignè habitus est Apollo, impetrauit illi à fatis, vt mortem effugeret. Nam fatalis dies iam aderat, si reperisset, qui pro se mori vellet, Cúmque nullum inueniret huius functionis vicarium, sola vxor, mariti vitam sua morte redemit. Extat super hac re Euripidis

*Euripidis tragœdia. Alcestis titulum gerens.* tragœdia. Cuius tragœdiæ Alcestis inscriptæ, tale est argumẽtum. Apollo petiit à Parcis, vt Admetus iam moriturus, aliũ præbeat, qui pro ipso moreretur, & ipse iterum viueret, tãdiù quàm antea vixisset. Alcestis autem coniunx, seipsam dedit illi periculo, neutro parente volente pro filio mori.

In tragœdia ita incipit Apollo:

*Admetum liberaui à morte*
*Decipiens parcas, promiserunt enim mihi deæ*
*Admetum præsentem mortem effugiturum esse,*
*Permutantem aliud cadauer inferis.*
*Cumq; omnes exploraret, & circumiret amicos,*
*Patrem, & anum matrem, quæ ipsum peperit,*
*Neminem tamen inuenit, præter coniugem, quæ vellet*
*Mori pro ipso, & non amplius intueri hanc lucem.*
*Quæ nunc in domo manibus gestatur*
*Agens animam: & in hac die,*
*Fatale est mori, & discedere ex vita.*
Hæc è Græcis Euripidis tralata sunt.
Seruius ibidem loquitur.
*Quid conuenit aliud facere præstantissimam*
*Mulierem? Qua in re alia potuit ostendere*
*Se magni facere maritum, quàm si moriatur pro eo?*

Qui plura desiderauerit, id ipsos adeat fontes: ac totam (si per otium vacat) perlegat Euripidis tragœdiam. Valerius Max. lib. 4. cap. 6. de amore coniugali, eius fabulæ sic meminit. O te Thessaliæ rex Admete, crudelis, & diri facti crimine, sub magno iudice damnatum! Qui coniugis tuæ fata, pro tuis permutari passus es! Eáque ne tu extinguereris, voluntario obitu consumpta, lucem intueri potuisti. Et certè prius parentum indulgentiam tentaueras, fœmineo animo impar iuuentus. Hæc ille. *Valerius.*

Paulò supra ibidem scripserat: Tib. Gracchus anguibus domi suæ, mare, ac fœmina apprehensis, certior factus ab aruspice mare dimisso vxori eius, fœmina, ipsi celerem obitum instare, salutarem coniugi potiùs, quàm sibi partem augurij secutus, marem necari, fœminam dimitti iussit, sustinuitque in conspectu suo, seipsum interitu serpentis occidi. Itaque Corneliam nescio: vtrum fœliciorem dixerim, quòd talem virum habuerit, an miseriorem, quòd amiserit: deinde subiungit, quod sup. citatum est: O te Thessaliæ rex Admete crudelis, &c.

Higinus Augusti libertus, li. Fabularum Fab. 51. Admetus, inquit, illud ab Apolline accepit, vt pro se alius voluntariè moreretur. Pro quo, cum neque pater, neque mater, mori voluisset, vxor se Alcestis obtulit, & pro eo vicaria morte interiit, quam postea Hercules ab inferis reuocauit. Sic ibi. *Higinus Fab. 51. de Alcesti.*

Quæ vt ad nostrum accommodentur institutum. Dicendū existimo, Christū bonū pastorē, viceuersa, & ex opposito, prò

suis fecisse ouibus, atque Alcestis pro Admeto egerit. Vxor enim, pro marito mori voluit. Christus contrà, pro Ecclesia sua sponsa, mortuus est, Pastor, pro ouibus, Tib. Gracchum referens potiùs, pro sua Cornelia mori paratum; quàm Alcestim, pro Admeto coniuge, vicaria morte, occumbentem.

*Cic. lib. 1. de diuinat.* De Tib. Gracchо, & Cornelia, Cicero lib. 1. de diuinatione f. 261. sic memoriæ prodidit: Duobus anguibus domi comprehensis, haruspices conuocauit, qui cùm respondissent, Si marem emisisset, vxori breui esse moriendum: Si fœminam, ipsi: æquiùs esse censuit, se maturam oppetere mortem, quàm P. Africani filiam adolescentem. Ideò fœminam emisit: Ipse paucis post diebus, est mortuus. Hæc Cicero. Ad hunc pœnè modum, Imò infinitis partibus excellentiùs, amorem suum bonus pastor, erga suas oues comprobauit, & Ecclesiæ caput, ac sponsus, pro ipsa Christus mori voluit. Quàmobrem iure omnium optimo, hoc loco dixit idem pastor: *Bonus pastor, animam suam dat pro ouibus suis, &c.*



In eam rem, scribitur. 1. Reg. 17. Dixisse Dauidem Sauli Regi: *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel, vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehēdebam mentum eorum, & suffocabam interficiebamq; eos. Nam & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus.* Sicut ergo Dauid opilio, pascens gregem, belluas feràsque confecit, & de earum faucibus prædam eruit: Ita filius Dauidis Christus Messias, & pastor bonus, nos de ore leonis infernalis. i. diaboli eripuit, quē & moriens ipse pro ouibus, superauit, ac profligauit. Est ergo pastor ille bonus (cum Emphasi) per essentiam, inquam, bonus, emendicatam, aut, participatam bonitatem non habēs, sed sibi coessentialem, atque congenitam, &, vt ita dicam, fontalem, seu, abyssalem. A Deo quippe omne bonum procedit.

*Mercenarius autem fugit, net curat de ouibus, &c.* Hi propriè dicuntur Mercenarij, qui solùm oculum habent ad mercedē, quam reportant, temporalem. Non enim intendunt gloriam Dei, neque salutem gregis, sed duntaxat temporale lucrum cuius consequendi gratia, Episcopatus ambiunt, & munia pastoralia administrant, vel ob mundanum honorem, vel ob carnis voluptatem, vel propter censum, seu, vectigalia. Et quoniam animus eorum mercenarius, vel, intentio praua homines latet: Hi à probis pastoribus, non facile distinguntur, quousque

quousque coticula probatoria accedat (Gall. *La pierre de touche*) Puta, donec ingruerit persecutio, in gregē Dei. Verbi causâ quando hæretici grassantur in populum Dei. Tunc sanè, qui gregem negligunt, mercenarij sunt. Qui verò murum se opponunt, tuendo gregi Dei: etiam cum vitæ propriæ dispendio, isti veri pastoris syncerum gerunt animum. Potest itaque fieri, vt & mercenarius intrauerit per ostium, quia rectè fuit institutus Episcopus, æquè ac quiuis alius non mercenarius instituitur. Et ideò, quantum spectat ad legitimam institutionem vterque est verè pastor, at verò sunt animo dispari, quippe cùm mercenarius bona solùm temporalia attendat, at bonus pastor, quamuis temporalibus pro sua, & suorum indigētia vtatur, animum tamen habet, scopúmque intuetur, & finē respicit, gregis nempe salutem, quam præcipuè intendit. Ideò Dominus ait, ad mercenarium non pertinere de ouibus, vel (quod idem est) non esse illi curæ, oues. Quamquam enim ex officio, ad mercenarium pertineat de ouibus. Non tamen illas curat ex animo.

Distinguenda igitur hæc sunt ex Euangelio: Pastor bonus, fur, latro, mercenarius, & is, qui non est pastor, neque ex mercede conductus, neque ex proprietate. Pastor sanè is vocatur à Domino bonus, qui habet correspondentem pastorali muneri animum. Mercenarius verò, habens pastoris officium, animo pastoris caret, qui mercedem, non gregem amat.

Seipsum enim, non gregem pascere quærit, Atque perinde se gerit, ac ille, qui non est pastor, & nullas habet oues. Hic etiam, si ingruente bello, non fugiat à sede Episcopali, verùm personaliter resideat, fugit tamen à cura, & studio impendendo, profectui spirituali ouium. Fugit igitur ab exercitio præcipuo pastoralis muneris, quod est, neruos omnes intendere in dirigendo grege ad vitam æternam, atque dum sibi in malo gratulatur otio, sanctum fugit negotium. De quo hoc loco Christus: Mercenarius autem, cuius non sunt oues propriæ, &c. At regeret aliquis, & obiicere poterit, Omnes mercenarios esse, quandoquidem Solius Christi oues sunt propriæ. Respōdendum, Solius quidem Christi, eas esse per creationem, per redemptionem, per æternam electionem, prædestinationémve. Cum hoc, cæterorum etiam pastorum oues sunt propriæ, secundum delegationem, quia Christus illis suas oues delegauit curādas, ac pascendas, Petro imprimis, tanquā summo ipsius vicario. *Ioann. 21. Pasce oues meas. Pasce agnos meos,* Episcopis deinde, dicente D. Paulo: *Attendite vobis, & vniuerso* *Ioan. 21. c.*

*gregi: in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo. Act.* 20. Bonorum pastorum eatenus,oues dicuntur propriæ,quatenus ouibus sibi à Deo commissis,eam impendunt curam, quam pastores propriis solent impendere,à qua longè absunt mercenarij.

Lupus tyrannos significat. *Ezechie.*22. *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam: ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auarè sectanda lucra. Sophoniæ cap.*3. *Iudices eius* Sophonias. *lupi vespere, non relinquebant in mane.*

Rursus lupi, hypocritas adumbrant, de quibus *Matth.* 7. *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem, lupi sunt rapaces.*] & c.10. *Ecce ego mitto vos*, ait Christus, *Sicut oues in medio luporum*, quia Apostolos mittebat ad prædicandum gentibus noxiis, ac trucibus: quippe truculentissimi fuerunt principes Gentiles, in Apostolos, & discipulos Domini, immanissimis eos excarnificantes torquentésque suppliciis, &c.

Lupi sunt etiam hæretici, quibus de Apostolus: *Act.* 20. *Intrabunt post discessionem meam, lupi rapaces, non parcentes gregi.* Lupus primus, diabolus est, Lupi autem sequaces,sunt omnes truculenti homines, quocumque censeantur nomine, hypocritæ,tyranni, hæretici.

*Lupus rapit oues, &c.* Quomodo ergo dixit Christus. Ioann.10.c. *Ioan.* 10. *Nemo rapiet oues meas de manu mea, sicut nec de manu patris mei?* Si nemo rapiet, quomodo ergo lupus rapit? Item *Matth.* 13. *Venit malus, & rapit, quod seminatum est in corde eius, hic est, qui secus viam seminatus est?* Diluitur distinctione obiectio. Sunt enim quædam oues, secundum præsentem statum, vel secundum præsentem iustitiam: Aliæ secundum Dei electionem æternam. Tertiæ denique vtroque modo. Contingit verò, quosdam esse Christi oues, secundum præsentem statum,qui tamen secundumDei electionem æternam non sunt oues, vt, exempli gratiâ, Iudas proditor, qui erat reprobus. Ioann. 6. *Nonne duodecim vos elegi, & vnus vestrum diabolus est?* qui interim ad tempus bonus fuit in collegio Apostolorum. Ille non de ouibus erat, Matt.25.c. sed potius inter hœdos connumerandus. Matth. 25. & à sinistris in fine collocandus. Quidam oues sunt secundum electionem, qui nondum sunt oues secundum præsentem statum: vt verbi caussâ, Saulus, cùm, adhuc *spirans minarum & cædis in discipulos Domini, proficisceretur in Damascum ad synagogas Christianos comprehensurus*, pro eo statu inquam, erat lupus

rapax, non ouis: Iuxta Patriarchæ Vaticinium, ac in eo complendum oraculum, *Beniamin lupus rapax*. Genes. 49. & tamen, secundum electionem æternam, verificatur in eo, quod dixit Christus de eodem ad Ananiam: *Act. 9. Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum, &c.*

Quidam vtroque modo sunt oues. verbi gratia. Duodecim Apostoli post Pentecosten, & alij prædestinati ab æterno, quando sunt in statu gratiæ, & absque peccato mortali.

Oues ergo, (ait Michael de Palatio Granatensis, in hunc Ioãnis contextũ, præmissa tali distinctione) quæ nõ sunt oues, nisi secũdũ præsentẽ iustitiæ statum, rapiuntur vel rapientur à lupo, non ex impotentia, aut negligentia pastoris, sed ouium arbitrio. Vnde diabolus hac ratione rapuit Iudam Ischariotem, ex grege Apostolico, & alios huiusmodi. Imò in cœlo residens diabolus, rapuit à caula cœlesti, Angelos malos, qui fuerant Dei oues, (per aliquam morulam) quia creati in Dei amicitia fuerant. (Et de Iuda quidem, ait Christus Ioann. decimo septimo. *Quos dedisti mihi, Pater sancte, custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis; vt scriptura impleatur*) Mich. de Pala

Cæterùm oues secundum electionem Dei æternam, nemo rapiet de ouili Christi, siquidem pastor est omnipotens, custodiens eas, & ipsæ oues sedulæ erunt, ac vigilantes, ne à diabolo rapiantur. (*Septies enim*, licet *cadat iustus in die*, tamen semper, Deo ipsum erigente, resurgit: & *cùm ceciderit non collidetur*. & scriptura, *Dominus enim supponit manum suam.* Si verò lupus rapit, & dispergit oues, & fur non venit nisi vt furetur, mactet, & perdat oues, vtique is ipse qui lupus est, etiam fur est. Sic Michael de Palacio.

Nunc de ouibus sermo etiam instituendus est, & adornandus. Est imprimis, ouis animal simplex, nihil doli, aut fraudis meditans. Sic & Christi fideles oportet in simplicitate cordis ambulare, & omnem fraudulentam duplicitatem reiicere. 1.

Secundò, Ouis est animal vtile, ac fœcundum. Lac hominibus, lanámque subministrans, & agnellos pariens, ad hominum commoditatem. Sic & nos debemus bonorum operum fœcunditatem nobis comparare, ne inuenti steriles in conspectu Dei in æternam incurramus maledictionem. 2.

Tertiò, ouis est animal obediens, nec vnquam recalcitrat aduersus pastorem, vt faciunt equi, & alia rebellia animalia. Nos quoque si oues pascuæ Domini esse volumus, obe- 3.

dientiam imprimis præstare Deo debemus, deinde præpositis nostris. Hi enim omnes sunt pastores nostri, dirigentes nos in viam salutis æternæ.

4. Quartò, ouis est animal parcum in victu, & sobrium. Paruis enim pascuis est contentum, & expensis modicis educatur. Hanc certè parsimoniam, & sobrietatem, seu mauis, frugalitatem, nos ratione præditi, obnixè amplecti debemus.
Ecclef. 37. *Qui enim abstinens est, adiicit vitam.* Ecclesiast. 37. capite, in fine.

5. Quintò, Ouis animal est pacificum, mansuetúmque. Cùm enim tondetur, cùm mulgetur, cùm ad occisionem ducitur, obmutescit, & non emittit vocem, seu balatum, neque resistit attrectantibus eam. Ad hunc modum nos esse pacificos oportet. *Beati* quippe *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Matt. 5. capite.

Cæterùm, tria ponuntur signa, quibus Christi oues facilè
1. internoscuntur. Primum, Oues Christi eum cognoscunt vt suũ pastorem. *Cognoscunt*, inquit, *me meæ* non solum per fidem, sed etiam per bonæ operationis studium, 1. Ioan. 2. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est; & in hoc veritas non est. Qui autem seruat verbum eius: verè in hoc charitas Dei perfecta est. *Tit. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

2. Secundum signum ouium Christi est, quòd sequũtur suum pastorem, per imitationem virtutum eius, *Pastor namque*, ait Christus, *ante eas vadit*, oues suas nimirum, per bonæ vitæ exẽplum, *& oues illum sequuntur*, imitando eius vestigia. Vnde D. Ioan. *in Epist. vbi supra. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.*

3. Tertium signum, quo Christi oues agnoscũtur est, quòd audiunt vocem sui pastoris. *Oues*, inquit, *meæ vocem meam audiũt*, non solùm auditu corporis, verumetiam mentis, & cordis. *Luc. 11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, accommodando ad opus. Sic, *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Ioan. 8. c.*

Postquàm vero de bono pastore, & ouibus, ac lupis diximus, ordo postulat, & exigit, vt quædam etiam de mercenario proponamus.

Mercenarius dimittit oues, & fugit. Fugit autem, vel deserẽdo oues, non residendo apud illas, sed extra suam diœcesim manendo, aut etiam residendo apud oues, eas tamen non curando, non visitãdo, non pascẽdo, vel cibo corporali reficiẽdo

pauperes oues, vel cibo spirituali, non reficiendo, pauperes iuxta ac diuites: sed otio torpens, sibíque plus satis indulgens, oues perire in suis peccatis sinit.

Vetus erat quæstio, si ex iure diuino Episcopi tenebantur residere? Et in opinionibus versabatur ambigua. At verò Cócilium Tridentinum Sess. 6. ca. 1 in Decreto de reformatione, non residentes citra iustam causam Episcopos mercenarios vocat, docens Episcopos *attendere debere*, iuxta verbum Pauli, *sibi, & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, Act.* 20. c. & quod in ea custodienda vigilent, & in omnibus laborēt. 2. *Tim.* 4. Implere autem illud, inquit Sacrū Concilium, se nequaquam posse sciant, si greges sibi cōmissos, mercenariorum more deserant, atque ouium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo iudice requirendus, custodiæ minimè incumbant, cùm certissimum sit, nō admitti pastoris excusationem, si lupus oues comedit, & pastor nescit. Rursus Sess. 23. cap. 1. de Reformat. Cùm, inquit, præcepto diuino mādatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere: pro his sacrificium offerre, verbíque Diuini prædicatione, Sacramētorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo, pascere: pauperum, aliarūque miserabilium personarum curam paternam gerere: & in cætera munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab his præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilāt neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factíque forma gregis, in iudicio, & veritate, pascant, & regant, declarátque omnes Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine, & titulo, præfectos, etiam si sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel, diœcesi, residentiam, vbi iniuncto sibi officio defungi teneantur: neque abesse posse nisi ex causis, & modis infra scriptis. Nam cum Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesiæ vel, Reipublicæ vtilitas, aliquos nonnumquam abesse postulent, & exigant: decernit eadem sancta Synodus, has legitimas absentiæ causas, à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, Suffraganeo Episcopo, antiquiore residente, qui idem Metropilitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas: Postmodum subiungitur: Si quis autem cōtra huius decreti dispositionem abfuerit: præter alias pœnas aduersus nō residētes, ac mortalis peccati

*Conc. Trident. Sess. 6 c. 1. de reform.*

*Idē Conc. Sess. 23. c. 1. de ref.*

reatum, quem incurrit: (quod benè, ac sedulò obseruabis) eum pro rata temporis absentiæ, fructus suos non facere, nec tutâ conscientiâ (nota valdè) alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, &c. Hactenus Concilium. Vnde videtur ex Concilio, iuris esse diuini, residentiam Episcoporũ nisi ex causa iuxta impediatur: Quia cùm residere sit affirmatiui præcepti, obligat pro tempore, & non pro quolibet tempore. Norint autem Episcopi, aliique Ecclesiæ pastores, vanã esse corporis residentiam, nisi similiter adsit diligens ouium cura, & Dominici gregis custodia sedula. Forsam obiicies, dixisse Dominum, *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliã* Matth. 10. c. Respondeo, D. Augustino in suis Epistolis, etiam assertore, fas esse aliquando Episcopis fugere, & deserere suũ gregem, quando ipse Episcopus specialiter à persecutoribus quæritur: Tunc enim non fugit mercenarii more, sed sibi consulens, fugit, commissâ aliis Ecclesiâ ministrandâ, in quos non fremit rabies persecutoris.

In persecutione autem non personali simpliciter, sed omniũ ouium communiter, non debent lupis relinquere oues, veri pastores: ne periclitetur religionis causa.

Mercenarius igitur est, qui sine causa iusta non residet, aut si residet corpore, mẽte alienus est, à cura debita gregi, quia illi non est curæ grex ouium. Ex eo fugit, quia non amat oues, & ideò eas non curat. Qui verò fugit non ex defectu amoris, sed quia gregi non potest prouidere, aut, quia vitæ suæ aliter consulere nequit, fugit, per alium prouidendo, quandiu ipse quæritur ad interfectionem, non est mercenarius, Vt neque etiam mercenarius, qui restaurandæ salutis gratiâ, ex medicorum consilio, aliquanto tempore abest.

Demùm hoc sermone ferit Pharisæos, Scribas, & Magistratus templi, qui quamquam erant pastores populi illius, erant mali pastores, quia erant mercenarij, solùm intendẽtes lucris, & nõ animorum saluti. Erant quippe auari, veluti eos de auaritia notauit Christus in Euangelio.

*Franciscus Torrensis.* FranciscusTorrẽsis librum vnum de residentia pastorum iure diuino scripto sancita, edidit; Florẽtię impressum: vbi inter cætera doctissimè scribit: Quod est, inquiens, in electione, & cõsecratione Episcopi σωματικὸν καὶ ὑπουργικόν, id est, corporale

*D. Ambrosi.* ac ministeriale, hoc dicit Ambrosius, & nos cum eo immediatè esse ab homine. Quod verò spirituale, quale est Episcopatus, qui est charisma in opus ministerij, sine gratia ministrationis, vt Apostolus loquitur, hoc non immediatè ab ho-

mine, sed à Deo, per hominis ministerium, ita ut electio Episcoporum, diuisio ouilium, circumscriptio cuiusque Dioeceseos, iniunctio curæ pastoralis, Vox illa, vade, & prædica populo tibi commisso, hæc, inquam, σωματικῶς καὶ ὑπουργικῶς, id est, corporaliter & ministerialiter, & vt cerni possunt, ab homine sunt immediatè: Spiritualiter verò, καὶ ὡς κυρίως ἐνεργήματα, id est, vt propriè, ac principaliter fiũt, non immediatè quidem, & primùm ab homine, sed à Deo, per hominem. Deus enim est, qui diuidit charismata spiritus, qui committit curam animarum, denique qui potestatem pastoralem tribuit, quam legibus diuinis & Euangelicis sanxit. quis dat, inquit Ambrosius, gratiam Episcopalem, Deus an homo? Respondes sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus, Deus largitur gratiã, sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. Sic ille.

Ergo vt propositum aggrediamur, quia libenter concedunt multi, à quo fiant Episcopi, ab eo ius residendi proficisci, quod libẽter nos quoque accipimus. Residentia igitur prælatorum est de iure diuino. Nam si residere tenentur Episcopi, vt quidem tenentur, quod nemo sanæ mentis iuerit inficias, sequitur eius præcepto teneri, id est, Dei, qui episcopos faciat, eáque voce, & lege Diuina, qua facti sunt pastores. Dei enim vox est, ac præceptum, quod tanquam Christi minister ipse consecrator Episcopi pronunciat, cùm ait: Vade, & prædica populo tibi commisso. Quæ quidem verba, vim illorum Christi verborum: *Pasce oues meas*, explicant. Vade (inquam) scilicet ad dioecesem tuam regendam. Quam Dei vocem, Deique per ministrum loquentis præceptum violant quidem, quicumque non erũt, cum ire possunt. Et ne auctoritate scripturæ defici videamur, Age Salomonem Parœmiographum, de cura, & studio ouium rationalium edisserentem, verbáque facientẽ audi. *Cognosce*, inquit, *animas gregis tui.* γνωσῶς, id est, euidenter, &, vt scriptura loqui solet, facie ad faciem, siue, coram, & in præsentia. *Prou.* 27. diligenter *agnosce vultum pecoris tui* (habet editio vulgata, & ab Ecclesia probata) *tuosque greges considera*. Dominus præuidens fore futuris temporibus, qui negarent iure diuino sancitam esse residentiam pastorum spiritualiũ, iussámq; esse à Deo in scriptura sacra, idcircò per os Salomonis expressè, disertísq; verbis hoc sanxit. Neq; cognoscere potest pastor gregẽ suũ γνωσῶς, nisi suis oculis cernat. Suis autem Prou. 27.

B. Cyril. com. in Zachariā. oculis cernere non poteſt,niſi præſens ſit,Vnde ex B. Cyrilli in Zachariam commentarijs,Epiſcopi ſic dicti ſunt, quia in corpore Chriſti,quod eſt Eccleſia,locum teneant oculorum, & per eos Dominus inſpiciat credentes. Præcepit Salomon, vel potius Deus per Salomonem,vt paſtores animarum non quidem per literas ex vicariis ſuis de ouibus cognoſcerent, ſed vt videant ipſi eas,Cognoſce,inquit,γνωστῶς, id eſt, notoriè,vt ita dicam,ſiue cognoſcenter,animas tui gregis, ſiue, ouilis.& additur,Adhibe cor tuis gregibus.&c.Prętereo alia loca ſcripturæ ſanctæ,ne quis, quod de præſentia paſtorum neceſſaria,ex illis concludi videtur,id per vicarios,& ſubſtitutos ſatis poſſe præſtari affirment.At cognoſcere notoriè, &,vt ita dicam,ſine vllo medio,ac facie ad faciem, quod declarat verbum γνωστῶς ſecundum conſuetudinem ſcripturæ (vel ex eo loco Exodi,in quo Moyſes deſiderans videre Deū, *non per ſpeculum in ænigmate, ſed ſicuti eſt*, vt Ioannes ait, ſiue, *facie ad faciem*,vt Paulus, Oſtende te inquit, mihi γνωστῶς (ex tralatione 70.)vt videam te.Id enim deſideraſſe, & petiiſſe, vel ex eo conſtat, quod Dominus negauit hoc fieri poſſe, quandiu mortalis eſſet.*Non videbit me*,inquit,*homo & viuet*. Sic enim videre Deum vt fieri hîc poſſe, negauit, beatorum eſt. Eſto poſtea gloriam, ſiue, ſplendorem, & lumen ſuum, eidem Moyſi viuenti, abſque ænigmate & figuris oſtenderit: ſicuti teſtatur idem Moyſes in lib. Numerorum, *Palam*, inquit, *& non per ænigmata, & figuras gloriam Dei vidit*. Vidit

Exod. 33. autem *Exod.* 33.cum faciem ſuam videre non conceſſit,Deus, quod quidem erat videre Deum γνωστῶς, gloriam verò, & ſplendorem conceſſit, qualis fuerit gloria,ſiue, ſplendor qui in ſcriptura dici ſolet δόξα,quam viderunt Diſcipuli in monte Thabor)Sic, inquam γνωστῶς, agnoſcere quemadmodum per alium præſtare poteſt,qui ipſe adeſſe poteſt? Paſtores igitur præceptum hoc Dei violant, quicumque per alienos, abſque legitima excuſatione,gregi attendunt, & animas pecoris ſui,non γνωστῶς, & facie ad faciem, ſuiſque oculis cernunt præſentes, ſed velut in ſpeculo, & ænigmate, obſcurè, abſentes, per auditum, & epiſtolas cognoſcunt:Si tamen vel ſic agnoſcunt, ac non potius vel hoc negligunt.Eſt prę-

Canon Apoſtolorum ex vetuſto codice. terea quodam Canone Apoſtolorum, quem inter alios, in vetuſtiſſimo libro legi,pœna etiam adiuncta, his verbis clariſſimè ſancita paſtorum præſentia: ποιμένες ὄντες καὶ οὐ τῇ ἰδίᾳ ποίμνῃ παραμένοντες, ἀλλότριοι ἔσονται τῆς ἐν χειρσὶ κοινωνίας NOthi,inquit,& adulterini magis,quàm paſtores,qui in ſuo oui-

li non permanent, alieni sint à communione in Christo, Et nunc isti, & negent iuris diuini esse residentiam. quæ enim Canonibus Apostolorum sancita sunt, ad ius diuinū aut scriptum, aut non scriptum pertinere, quis neget, nisi qui Ecclesiasticas traditiones, quæ solui non possunt, contemnat? Athanasius patriarcha Constantinopolitanus in epistola ad omnes episcopos, sacerdotes, & præpositos monachorum docens, quemadmodum subditos, & quid docere debeant, ἀπαραιτήτου ἀνάγκης χωρὶς τῆς ποίμνης μακρὰν μὴ βραδύνωμεν, λόγον ἐπέχειν εἰδότες ποιμένα τῇ ποίμνῃ πρὸς σῶμα ψυχῆς. Ne, inquit, absque magna necessitate quæ aliter vitari non possit, procul à Diœcesi moremur, scientes pastorem esse gregi, quod anima corpori, idem epistolâ ad omnes episcopos, hortans eos, vt in Ecclesiis suis residerent, μηδ' ἔξω ἐπὶ πολὺ τῆς λαχούσης, ἀθετήσει τῶν θείων θεσμῶν διατρίβωμεν. Ne, inquit, diu extra diœceses contra diuina iura moremur. Et in epistola ad episcopum Sardensium, hortans similiter, vt ad Diœcesim rediret, θείων θεσμῶν μηδὲ κἂν πρὸς μικρὸν ἀνεπιτιμήτως ἐώντων ἀφίστασθαι τινὰ τῆς ποίμνης. Diuina, inquit iura, vel, statuta, ne paulisper quidem sinunt impunè quemquam pastorem à grege abesse. Idem in Epistola quam scripsit ad Metropolitam Cretensium, perinde, ait, videri gregem esse absque pastore, vt cæcum duce carere. Sic ille.

*Athanasius patriarcha Constantinopolitani.*

Et Damasus Epistolâ, quam scripsit ad Episcopos Africanos, aduersus Chorepiscopos, & eos pastores, qui substitutis in locum suum Chorepiscopis, ipsi à suis Ecclesiis abecant, Tales, inquiens, videntur mihi esse nutricibus similes, quæ statim vt pariunt infantes suos alijs nutricibus tradunt educandos, vt suam citius valeant explere libidinem, sic & isti infantes suos, id est, populos sibi commissos alijs educandos tradunt, vt suas libidines expleant, id est, vt pro suo libito sæcularibus curis inhient, & quod vnicuique visum fuerit, liberiùs agat. Pro talibus enim animæ negliguntur, oues pereunt, morbi crescunt, hæreses, & schismata prodeunt, Ecclesiæ destruuntur Sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proueniunt. Non taliter Dominus docuit, neque Apostoli instituerunt, Sed ipsi qui curam suscipiunt, ipsi peragant, & ipsi proprios manipulos Domino repræsentent. Nam ipse ouem perditam diligenter quæsiuit, ipse inueuit, ipse proprijs homeris reportauit, nósque idipsum facere perdocuit. Hactenus ille. Quis hic cauillari poterit, quin

*Damasus Papa, epist. ad Africanos*

confiteatur indicasse Damasum, Episcoporum residentiam diuini iuris esse?

*Ioan.10.c.* Præterea, videtur mihi declarasse beatus Petrus primâ suâ Epistolâ, quod hoc loco Dominus dicit de bono pastore, quòd proprias oues vocet nominatim, & educat eas, & cùm proprias oues emiserit, ante eas vadat, & oues illum sequantur, quia sciant vocem eius &c. Petrus hunc locum imitatus, scripsit ad pastores omnes: *Pascite, qui in vobis est gregem Dei*, forma gregis facti. Hoc enim est vadere ante oues, & oues illum sequi, scilicet fieri exemplum, ac formam fidei, & operum, ouibus, vt sic credant, & viuant quomodo doceat, & viuat eorum pastor bonus.

Profectò, cum ait Paulus præcipiens: *Attendite vobis & vniuerso gregi &c.* dicere potuisset, vt aliàs loqui solet: Præcipio non ego, sed Dominus, attendite gregi, siue, pascite. Imò, vt hoc significaret, statim subiunxit, *In quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, perinde atque diceret: Non hoc meum præceptum est, quod attendere, & pascere præcipio, sed eius qui fecit vos Episcopos, & pastores, id est, Spiritussancti.

*Act.20.e.*

Cæterùm pastore, seu, Episcopo à diœcese sua absente, absque legitima occasione, quis negauerit eum reum esse, & obnoxium (*qu'il est comptable, & responsable*, vernaculè) eorum malorum, quæ ex eius absentia, & vacatione, nasci necesse est (Ex Aristotele namque in Metaphysicis, absentia naucleri, causa est periclitationis nauis: causa, inquam, sine qua non) atque eorum bonorum interceptorem esse, quæ si adesset, opere, & sermone, facere poterat, & debebat?

*Aristoteles in Metaphysicis.*

Hactenus ex Francisci Torrensis suprà memorato opusculo, tam multa, huic loco valdè profutura mutuatus sum, quæ Reuerendis Dominis Episcopis, & in Christo patribus nostris spiritualibus, seriò consideranda, proposita volui, quandoquidem *ipsi peruigilant*, vt Diuus scribit Paulus *ad Hebræos, cap. vltimo*, quod etiam sic interpretor, peruigilare debent, *quasi rationem pro animabus nostris reddituri*, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Sic Apostolus.

*Heb.13.c.*

Sequentia iam videamus.

*Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ &c.* Struthio (Gallicè *Austruche*) oua sua aspiciendo fouere, suóque solùm aspectu fœtum ab ouis haurire legitur: quæ si intueri desinat, inania, & sterilia redduntur. Sic subdi-

:i, oculis prælatorum sunt fouendi: Eorum enim aspectus sub ditis, ne pereant, perquàm necessarius est. De Struthiocome io, maxima auium, hoc quidem asserunt visu nimirum, eam oua fouere, quod apud Plinium, & Ælianum de animalibus, reperire mihi non contigit, aut, quamuis accuratè per totum iudicem inuestiganti, ibi legere.

Vulgò fertur. Oculus domini impinguat equum. Quod in Decadibus nostris tomo posteriore, Dominica quarta Quadragesimæ, comperies. Id vel maximè ad persuadendum pastorum residentiam facere potest. Nam iuxta tritum prouerbium: Vbi oues, ibi pastor. Verùm paulò suprà ea de re plura proposuimus. *Sac. Decad. to. posteriore Homil. Dominica 4. in 40.*

*Cognosco oues meas. 2. Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus, qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. Prouerb. 12. Nouit iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia. Dixit Dominus Moysi, Exod. 33. Noui te ex nomine.* Hoc modo cognouit Christus Nathaëlem, de quo *Ioannis primo capite* Christus, *Ecce*, inquit, *verè Israëlita, in quo dolus non est.* *2. Timo. 2. c. Pro. 12. c. Exod. 33. c. Ioan. 1. e.*

Nec verò, simplici notitia (qua & impios cognoscit) oues etiam suas nouit bonus iste pastor: Verùm, *Sicut nouit me pater*, ait idem, *& ego agnosco patrem, &c.*

Iam pater Christum ita agnoscit, vt & summè diligat: & Christus ita patrem cognoscit vt eum quoque summè diligat. Consequitur itaque, quòd cognitio, qua fideles suos agnoscit, adiunctam habeat summam charitatem. Hoc verbo etiam innuit talem esse debere cognitionẽ, qua fideles Christum cognoscunt, nempe coniunctam charitati: *Oues*, ait, *meæ, me cognoscunt*, non simpliciter, sed *sicut nouit me Pater*, hoc est, vt simul etiam diligant.

His duobus præterea verbis. *Cognosco meas, & Cognosco patrẽ.* Duo charitatis præcepta à se completa indicat, sine quibus nemo vnquam pastor idoneus fuit, aut, esse potest.

*Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc, &c.* De vocatione gentium expressum est oraculum. veluti & Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & Isa. 49. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ. Malac. 1. Ab ortu solis, ad occasum vsque magnum est nomen meum in gentibus. Matt. itẽ. 8. c.* extat Christi ea de re vaticiniũ. *Multi venient ab oriente, & occidente, & recumbent cũ Abrahã &c.* ac, θεόλογος Ioannes cap. 11. *Christus non solùm moriturus erat pro* *Psal. 2. Isa. 49. c. Malac. 1. e. Matth. 8. c. Ioan. 11. e.*

*gente, sed vt filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in vnum.* Hac igitur sententia, Christus propriè vocationem gentium prædixit, atque prophetauit.

*D. Cypr. epist 76. ad Magnũ filium, iuxta Pamelij dispositionem.*

Nec prætermittendum, quod D. Cyprianus martyr, ad Magnum, scribens, de baptizandis Nouatianis, Epistola 76. (ex dispositione Pamelij) inter cætera, de Ecclesiæ vnitate, ita loquitur: Ecclesia vna est, quæ vna & intus esse, & foris non potest. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit. Si verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, & quem præter sacerdotij honorem, Martyrio quoque Dominus glorificauit: Nouatianus in Ecclesia non est nec Episcopus computari potest qui Euangelica, & Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à seipso ortus est: Habere namque, aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est. Deinde subiungit: Dominus insinuans nobis vnitatem de diuina auctoritate venientem, ponit, & dicit: *Ioan 10. Et erit vnus grex, & vnus pastor.* Si autem grex vnus est, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est? aut pastor haberi quomodo potest, qui (manente vero pastore, & in Ecclesia Dei, ordinatione succidanea præsidente) nemini succedens, & à seipso incipiens, alienus fit, & prophanus dominicæ pacis, ac diuinæ vnitatis inimicus; non habitans in domo Dei, id est, in Ecclesia Dei, in qua non nisi concordes, atque vnanimes habitant? loquẽte in Psalmis Spiritu sancto, & dicente: *Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo.* Denique vnanimitatem Christianam, firma sibi, atque inseparabili charitate cõnexam, etiam ipsa dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat, de multorum granorum adunatione congestum; populum nostrum, quem portabat, indicat adunatum: & quando sanguinem suum vinum appellat, de botris, atque acinis plurimis expressum, atque in vnum coactum: gregem item nostrum significat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Hucusque Diui martyris aurea verba processerunt, quæ non parùm faciunt ad hunc nostrum contextum: *Et erit vnum ouile, & vnus pastor.* At verò, obiiciunt hæretici. Veram Ecclesiam vnicum admittere pastorem, etiam ex hoc loco; Igitur falsa erit Ecclesia, quæ alios pastores, aliáque quasi vicaria capita, admittat & recipiat. Responsio. Summus pastor Christus Petro dixisse refertur. *Ioã. 21. c. Pasce oues meas.* Et Paulus *Eph. 4.* scribit, *posuisse Deũ in Ecclesia suos pastores, & doctores, vt esset* quem-

*Ioan. 10.* *Psal 67.* *Ioan. 10.* *Ioan. 21.* *Ephes. 4.*

admodum D.Petrus, *prioris cap.5.* ait, Pastorum *Princeps Christus*. Quo sanè iudicio falsitas Ecclesiarum Caluinianarum proditur. Quia enim vera Ecclesia sit oportet, in qua Paulus ait positos esse Pastores atq; Doctores, sequitur illas Ecclesias falsas esse, quæ prætextu Christi pastoris, nolunt pastores vicarios agnoscere. D. quidē Cyprianus, vbi suprà. vsque adeò tenuit in Ecclesia Christi vnū debere esse vice-pastorē, vt quod isti hæretici, allegant scriptum, *Vt fiat vnum ouile, & vnus pastor*, ad vnum pastorem vicarium extrudendum; Ille de hoc ipso, quamuis secundario quodam sensu, dictum acceperit. Probè nimirum intelligens, non propterea vnum pastorem esse vnius gregis desinere, quòd primarius, vicarium sibi generalem substituit. Quomodo nec vnius familiæ paterfamiliâs vnus, aut vno in regno, vnus rex esse desinit: eo quod illi suas interdum vices, subditis sibi ministris, credant. Hæc *li.5. c.7.* de Ecclesia Lensæus Louanii Regius. S.Th.professor, ex quo & in consequentibus quamplura, de Ecclesiæ vnitate, mutuati sumus. Sed tempus est, vt ad intermissum regrediamur contextum: *Alias oues habeo, inquit Christus, quas oportet me adducere.*

1.Petr.5.

D. Cypr. vbi suprà.

Ioan. Lensæus lib.5. c.7. de Ecclesia.

Obiicies fortassis Christum dixisse, *Matth.15. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Responsio in promptu est, Dominum venisse quidē præsentia corporali, ad Iudæam modò, non autem ad Gentilitatem, elegit nihilominus ab æterno Gentes, in oues pascuæ suæ, quas tandem pauit per Apostolos suos, Euangelico verbo.

Matth.15.

*Illas me oportet adducere, &c. Nemo quippe venit ad me, nisi pater meus traxerit eum,* ait idem Christus. *Ioan.6.* Et nunc idem testatur: *Illas oportet,* dicens, *me adducere.* Igitur, neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, vocatio ad fidem. *Rom.9.* fit attractio quidem à patre, absque vlla violentia, fit & spontanea adductio, à filio, At pater, qui trahit, ipse etiam adducit, & filius, qui adducit, ipse est, qui trahit. Non est aliud tractus, quàm adductio, sed ipsa inspiratio interna, ipsa est tractio, ipsa est ductio. Est quædam spontanea violentia, & violenta spontaneitas, vt sic dicam. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth.11.* Quod simus violenti propter regnum Dei, hoc efficit diuinus tractus: quod simus spontanei. Christi diuina præstat adductio. Trahimur igitur, quia ad ea vocamur, quæ superant naturam nostram, vt ille, qui iuuaretur, vt arduum cliuum conscenderet. Vnde in Canticis clamat Sponsa: *Trahe me post te, curremus, & cæt.*

Ioan,6.

Rom.9.

Matth.11.

Adducimur autem, quia Dei gratia confortati, hæc supernaturalia sponte amamus.

Act.9. *Oportet me adducere.* Trahit pater ad Christum, adducit Christus ad seipsum, vt Paulum ex alto vocauit. *Act.9* Quæ Sauli adhuc persecutoris vocatio, maximus videtur tractus fuisse, cùm ab equo, cui ipse insidebat, fuerit in terram prostratus, & cæcus ad tempus effectus. Igitur filius etiam trahit, sicut & pater. Opera siquidem ad extra sunt indiuisa, & filio æquè ac patri communia: ipsi iuxta ac parenti eadem actio competit. Ex quo disce Christum se testari Deum, Patri *ὁμοούσιον*: ac coæqualem, quia gentes ad se omnes potens est adducere, vt pater etiam trahere.

Cant.6. Ioan.10. Rom.12. & Eph.4. Præcipuè autem attendenda sunt postrema hæc verba: *Et fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Hic de Ecclesiæ vnitate, vt dicamus, locus est valdè opportunus. Imprimis, *In Canticis cap 6. vna est columba mea,* ait Sponsus, & nunc similiter, *fiet,* inquiens, *vnum ouile, vnum corpus*, ait Paulus, *Ephes.4. & vnus Spiritus. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, &c.* Cúmque vnum multis dicatur modis: Debet aliqua reperiri Ecclesiæ vnitas, qua vna sit in seipsa, & per quam euadat spectabilis, ac discernibilis. Vna est igitur Ecclesia, videlicet,

Act.4. per concordiam (*Nam multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Hæc est vnitas consentanea, Sic quippe Diuus Bernardus libris de consideratione eam appellat) Item, per ordinatam plurium dispositionem (Siquidem, *Ecclesia est velut*

Cant.6. *castrorum acies ordinata, Cant.6.*) Duobus hisce modis, vna potissimum intelligenda venit Ecclesia. Concordia autem requiritur imprimis respectu vnius finis: qui sit omnibus propositus, quoque animi destinatione quadam ac spe tendant omnes, quos inter se concordia liget. Propter hoc concordiæ vnitatísque vinculum, dicta est à Paulo, vna spes

Ephes.4. vocationis. *Ephes.4.* Deinde esse debet concordia iis in rebus, quæ destinantur ad finem propositum. Quæ consensio spectatur partim in dictis, partim in factis: nimirum, vt vnum & credant, & dicant omnes, & vnum conformiter agant, atque obseruent; vtrumque autem in his quę pertinent ad Deum, & æternam salutem nostram. Propter illud dici-

Ibidem. tur, *vna fides*, ibi, Et *prioris Corint.1. Obsecro vt idem dicatis omnes,*

1.Cor.1. *& non sint in vobis schismata.* Propter hoc verò, *vnum baptisma,*

Ephes.4. (*Ephes.4.*) *Vnúsque panis, & calix vnus. 1. Cor. 10.* sub qui-

1.Cor.10. bus cætera sacra, & Sacramenta intelligenda sunt, quæ conformem, & cōsimilem inter multos habeant obseruationem.

Sed vnde tanta inter multos constare concordia posset, nisi eam vnus spiritus efficeret? idcirco, *Ephes.4. Vnus spiritus*, vt suprà, esse dicitur. Cæterùm vt hæc concordia firma staret, longíque temporis esset inter homines, ordinata opus erat dispositione exteriore, quasi videlicet mẽbrorum in corpore, prouinciarum in regno, & turmarum in castris. Dispositionis autem ordinatæ ratio, in communitate postulat vnum caput, ad imitationem naturalis in humano corpore dispositionis. Ars enim, teste Aristotele, naturam imitatur. Hoc verò imprimis requiritur ad concordiã conseruandam, quæ in vnũ coit libera electione voluntatũ. Hominum quippe concordia hoc vinculo tenetur, quia sint sub vno, facit namq; hoc incredibiliter ad concordiã, si vnus omnium sit Dñs. Ideo hîc additur: Et vnus pastor. Et Apostolus dicit: *Eph.4. Vnus Dominus.* Iste quidẽ vnus est imprimis Deus. Cæterùm quia caput eiusdem naturę esse oportet cum mẽbris, Dei filius homo factus, caput est nostrum, ac Dominus noster, vt in Symbolo Apostolico profitemur, dicentes, *Et in vnũ IESVM Christum Dominũ nostrum.* Non quod Pater Dominus noster non sit, sed filius peculiariter sic dicitur, propter redemptionis opus. Verumtamen, quia naturam suã visibilem Christus erat subducturus ab oculis nostris, voluit cõmuni hominũ imbecillitati prospicere, vt ipsius loco, & vice haberet visibile caput, quo faciliùs, atq; efficacius, inter infirmos, & adhuc peregrinãtes, absentésque à Domino suo, concordiæ iura firmarẽtur, tum etiam vt rebellibus tolleretur prętextus, qui cum absente Domino facilè se iactant habere concordiam. Ideóq; hic nos est inter homines, vt quoniam abituri, vicarios substituant. Ea propter super vnum, vt D. Cyprianus ait, ædificat Christus Ecclesiam suam, *Matth.16.* vt in vno Petro, omnium Apostolorum capite, vt Optatus, inquit, Cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur. Nec verò sic monstrum facimus biceps, vt calumniatur hæresis, corpúsque Ecclesiæ deformamus, cùm volumus ordinare: quia subordinata hæc capita sunt: iuxta illud. *1.Cor. 11. cap. Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus.* Quin & sub hoc vno in terris supremo capite, alia multa pro amplitudine Ecclesiæ, subordinata esse oportuit, vt partito in multos onere, tolerabilior esset vni futura totius administratio. Ac quamuis multi sint isti, quia tamen vni parent, vnum audiunt, ad vnum grauiora quæque referunt, fit vt hoc pacto per multos sacerdotes, tanquam in vnum redactos, totius corporis vnitas, & concordia, conseruetur.

*Ephes.4.* *Arist. in Phys.* *Ioan.10.* *Eph.4.* *Symbolum Apostolor.* *D. Cypr. l. de vnitate Eccl.* *Optatus lib. contr. Parmenianum.* *1.Cor.11.*

Sic igitur quadruplex vinculum Vnam Ecclesiam iungit, atque connectit. In fide vna omnium, in amore societatis Ecclesiasticæ, in Sacramenti communi signaculo, in Episcopatu vno seu Cathedra.

Vnum igitur idémque semper est Christi regnum, sed successione vnum: quoniam ab ipsa sui prima origine non intermittit per succedentium series ministrorum, atque populorum, in ea quam primùm accepit religione, decurrere ad fines vsque seculorum. Valde autem successionis hæc vnitas euidens reddi solet in regnis, atque familiis, ipsa enumeratione capitum succedentium: cùm quis, cuius demortui in locum, suffectus sit ostenditur, Ea de re in Decadibus. Homil. de Cathedra, plurima dixisse me recordor.

*Sac. Decad. authoris to. 1. Homil. de Cathedra Mosis & de successione.*

Reperitur hæc vnitas euidenter in ea, quæ Romana dicitur Ecclesia, Eadémque constat in hæreticorum conuenticulis non reperiri. Quæ enim illic concordia fidei, atque doctrinæ? quis mutuus amor? quæ ordinata, tanquam vnius corporis, aut regni dispositio? Imò verò, quæ non scissuræ, & execrationes mutuæ? qui non conflictus in rebus præcipuis? quæ non confusio, & perturbatio? Vna ergo ex omnibus Babylonia esse potest: Vna Christi Ecclesia esse non potest. Magna sanè absurditas, ex tam inter se pugnantibus sectis, & hæresibus, vnam conflare velle Christi visibilem Ecclesiam. Quæ enim vnius Ecclesiæ ratio constet, vbi non vna fides? non vnus spiritus? non vnum baptisma? Imò non vnus Deus, qui non est dissensionis Deus, sed pacis? Vbi quot capita, tot sensus? tot fides, quot voluntates? tot ritus, & leges, quot familias, & ciuitates? Vniformis enim (ait quidam) res est, veritas. Mendacium in varia distrahitur. Verùm præcipuè redarguuntur sectæ obiecta successione, quæ ab ipsa Petri Cathedra, vsque ad nos perpetua est. Illi autem, siue eorum ministri, quibus successerint per annos aliquot, id dicere fortasse possunt: vltra si progressus fueris, silent. Noua enim & recens per singula schismata designari origo potest, à locis, à personis, à causis, à factionibus. Vt Lutheranorum, à Luthero excucullato, in Saxonia, propter indulgentiarum prædicandarum quęstum sibi interuersum. Nec possunt dicere se Apostolorum successores, qua hoc erunt vel mediatè, vel Immediatè. Si mediatè, quibus ergo aliis Lutherus proximè successit, à quibus suam doctrinam acceperit? Si immediatè, profectò misera, & tarda successio est, quæ per annos mille & quingentos, statim extinctis regni primordiis, fuerit vsque ad Lutherum

ad Lutherum intercisa. Conuincuntur ergo à seipsis nati, non aliorum successores existere. Sic de Caluinistis iudicandum, & modernis Hugonottis, vel Hu-gnosticis vulgò appellatis. Si grex vnus, & vnum ouile, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est? aut pastor haberi quomodo potest, qui manente vero pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente, nemini succedens, & à seipso incipiẽs, alienus fit, & prophanus, dominicæ pacis, ac diuinæ vnitatis inimicus, non habitans in domo Dei, in qua non nisi concordes, atque vnanimes habitant: dicente in Psalmis Spiritu sancto: *Deus qui inhabitare facit vnanimes*, siue, vt habet vulgata editio, vnius moris in domo. *Psal. 67.*

Nota hæc simul procedere, quòd Ecclesia sit vna, id est, vnita & vnica. Ideo S. Cyprianus colligit, eos non pertinere ad Ecclesiam, qui non pertinent ad eius vnionem. Est igitur vnicum ouile, & vnica Ecclesia, benè vnita, & cohærẽs, & ita vna, vt intus, & foris esse nequeat. Atque ex eius vnitate rectè docetur, quòd *extra Ecclesiam salus esse non possit*, haud magis, quàm extra Arcam Noë, qua similitudine. Veteres vsi sunt. *S. Cyprian. in epist.*

Vnitas, concordiáque filiorum Ecclesię, visibile signum est, quo doctrinæ eius veritas cõmendetur. Vnde Christus, *Ioã. 17.* vt sint vnum, orauit, *sicut* (inquit) *& nos vnum sumus.* Nec verò simplicem debemus consensum attendere, sed & rerum, in quas consentitur, & originis, ex qua cœpit, & stabilitatis, qua perdurat, & consentientium multitudinis, in admirabili gentium, nationúmque diuersitate, vigilanter habenda ratio est. *Ioan. 17.*

Et vnus pastor, vniuerso gregi, pastorum princeps Christus, vicarium præfecit, cui qui parêre recusarent, ij ouilis non tenerent vnitatem. Ioan. 21. *Pasce agnos meos pasce, oues meas.* *Ioan. 21.*

Iam & de ostio ouium, ac ostiario, dicendum est mihi, ex hoc Euangelistæ *cap.* 10. quod quidem Euang. feriá post Pentecosten tertiâ, in Ecclesia legi, populóque proponi solet: & quia eiusdem expositio, ad caput sequens reseruandá mihi videtur. Idcircò, huic capiti, finem, & colophonem impono, sequenti capite contextum præfatum explicaturus, σὺν θεῷ. Cui sit honor, & gloria per æterna secula. Amen.

# FERIA TERTIA POST PENTECOSTEN.

## De ostio ouium, ac ostiario, *Ioan.* 10. *cap.*

*Ego sum ostium ouium. Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Ioan. 10. cap.

*Ioan.* 10.

## CAPVT II. PRINCIPALE.



VRIS, ac latronis discrimen tale assignari solet, vt fur ille dicatur, qui clanculum quid surripit, & astu vtens, technísque occultis furatur. Latro verò non technis, sed vi armatur ad latrocinia. Cuiusmodi sunt grassatores (Nomine infami Burgandos, Gall. *brigands*, appellare solemus) qui viatores spoliant ex violentia, nedum pecuniis, sed etiam non rarò vita ipsa. (Inde exordium ducendum, non intempestiuum mihi visum est.) Gellius, noctium Atticarum lib. 1. cap. 18. eam in rem ita scribit. Ex doctissimo Varrone, furem ex eo dictum, quòd Veteres Rom. furuum atrium appellauerint: Et fures per noctem, quæ atra sit, facilius furentur. Et ex propria sententia subiungit Gellius. Quod à Græcis nunc κλέπτης dicitur, antiquiore lingua Græca, φῶρ est dictum: hinc per affinitatem literarum quæ φῶρ Græcè est Latinè fur. Sic ille. Latro à latendo dici videtur, quod latenter insidietur, tamen pro grassatore communiter accipi solet, vt hîc differentia satis est expressa. Intrare autem per ostium, est legitimè, &, vt dici solet, canonicè intrare. Conscendere verò per aliam viam, est violenter in ouile irrumpere, & seipsum veluti intrudere, absque legitima vocatione. Sunt autem, timor Dei, amórq; ipsius, ostium, per quod tutissimè intrat homo, ad gubernandam Dei Ecclesiam, sapienter, prout decet. Quandoquidem secundum Scripturam, initium sapientiæ timor Do-

*A. Gell. lib. 1. cap. 18. noct. Attic. ex M. Varrone posteriore parte lib. 14. rerum diuinarum.*

mini. Et eadem Sapientia. *Prouerb.8.* clamat dicens: *Beatus homo, qui vigilat ad fores meas, & obseruat ad postes ostij mei.* Prouerb. 8.

Qui ergo posthabito Dei timore, & amore Ecclesiæ gubernacula suscipiunt, vt qui ex ambitione, vel, ex auaritia, vel ex alia quauis iniusta causa, illi ascendunt aliunde, violenter enim se intrudunt in administrationem, nec legitimè ingrediuntur. Neque pascunt gregem legitima gubernatione, sed seipsos pascunt, ac tyrannidem potiùs exercent, quàm legitimum regimen. At verò, qui Dei gloriam, & ouium sibi creditarum commoda requirunt, non proprium emolumentum, isti sunt legitimi pastores, qui per Diuini timoris ostium intrant in Dei ouile administrandum, & gubernandum. In summa, quicquid opponitur timori Dei, repugnat quoque ingressui per ostium. Vnde hæreticus non ingreditur per ostium, quia Dei timor falsas hæreticorum expellit doctrinas. Simoniacus similiter, non intrat per ostium, quia gratiam Dei existimat, se pecunia comparare sibi, & eam possidere. Intrusus quoque, ac malis artibus sibi Sacerdotij honorem vendicans. Non intrat per ostium, quia manu armata, in beneficij Ecclesiastici possessionem, seipsum ingerit impudentissimè, locis sacris violentiam irrogans. Dolosus etiam, qui adulterinis bullis pontificiis, & diplomatibus subreptitiis, aut falsatis, periuriis, aliisq; exquisitis fraudibus, beneficiis inhiat, aditum sibi per ostium non parat: quia timor Dei fraudem non habet, sed potius dissoluit.

Ostium locus est patentissimus. Vnde in Metaphys. Aristoteles, principia scientiarum quia sunt patentissima, & per se nota, vocat fores, & ostia scientiarum, Vnde celebratur Prouerbium, In ipsis foribus, quis aberrat? Ex quo analogia, & proportione haud dispari, videtur effici, quod timor Dei, & amor, ostij sortiuntur rationem, & nomen, quandoquidem nihil patentius est hoc principio per se noto: Deus est timendus & amandus. Veteres, per ostium, diuinam Scripturam exponunt, ac intelligunt, quæ quia Christum docebat, in quem credere necessarium est ad salutem: Et hanc doctrinam non audiebant Iudæi: Ideò non intrabant per ostium, sed aliunde ascendebant, ex suo cerebro recipientes falsos messias, & Christos, pro veris: vt Theodam, ac Iudam Galilæum, de quibus *Act.* 5. In quem sensum *ca.*14. etiam scribitur, quia *aperuisset Deus Gentibus ostium fidei.* vt nimirum, ipsæ Gentes, Euangelio crederent, & verbum Dei lubenti animo audirent.

*Aristot. in Metaph.*

*Actor. 5. cap. 14.*

Verùm enimuerò, quid opus est alia expositione ostij, quàm ea quę subtexitur in Euãgelio? *Ego sum ostiũ*, ait Christus. Ostiarius itidem est Christus. quippe qui *via est, veritas, ac vita*

*Ioan.* 14. *Ioan.* 14. Imò & pastor, idem quoque Agnus immaculatus, &

*Ioan. Ferus* ouis, imò ipsa ouium pascua, Christus est. Ioannes Ferus, in

*Minor. in Ioã.* hunc Diui Ioannis locum. *Qui non intrat per ostium, &c.* ita ob-

10. *cap.* seruauit. Potissimum, inquiens, tangit Christus hoc verbo eos, qui non legitimè intrant ad Ecclesiastica officia. Is autem non legitimè intrat, qui non vocatur à Deo, vel ordinaria potestate, sed seipsum intrudit, aut vi, & armis, aut Simoniaca

*Act.* 5. labe; contra id quod D. Paulus ad *Hebraeos cap.* 5. scripsit: *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aaron.* Secundò, illegitimè intrat, qui nec Dei gloriam, nec animarum salutẽ quærit: Tertiò, illegitimè intrat, qui falsa docet, aliámque viam ad salutem, quàm per Christum struere nititur. Horum ergo omnium, alius Ecclesiasticam dignita-

*Act.* 8. tem emit, sicut Simon Magus, *Act.* 8. & Iason, qui ambie-

2. *Mach.* 4. bat summum sacerdotium. 2. *Machab.* 4. Annas, & Caiphas,

*Ioan.* 11. & socer, ac gener, de quibus apud Ioannem extat mentio. Alius

18. vendit, Sicut Giezi seruus Elisæi. 4. *Reg.* 5. Alius rapit, vt Alci-

4 *Reg.* 5. nius, dux iniquorum, & impiorum ex Israel, qui volebat fieri Sacerdos, & à Demetrio rege Seleuci filio, constitutus est in

1. *Mach.* 7. Sacerdotium. 1. *Machab.* 7. Alius præsumit. Sicut Dathan, &

*Numer.* 16. complices eius. *Num.* 16. Alius vsurpat, sicut Osias rex. 2. *Paral.*

2. *Paral.* 29. 26. Meritò igitur fures dicuntur & latrones, quia non quærunt ouium salutem, sed proprium tantum commodum, sinentes commissum sibi gregem dispergi, atque dissipari, fame contabescere, atque in præcipitia vitiorum prolabi. Deinde etiam ideò fures sunt, quia Ecclesiastica bona veris pastoribus debita, ad se rapiunt, cum interim nihil dignum pastore agant. Sic appositissimè noster Ferus.

*Qui intrat per ostium pastor est ouium, &c.* Christus tripliciter describit verum pastorem, 1. Ab ingressu. 2. Ab officio. 3. Ab exemplo. Primùm quidem, qui legitimè ingreditur, qui vocatus accedit, qui non suum commodum, sed ouium salutem quærit, qui denique vera docet, ille verus est pastor, quia per ostium intrat. Huic etiã, vt subiungitur in contextu Ostiarius aperit. Iam Christum ostiarium esse diximus. Accommodatiùs tamen per ostiarium Spiritus sanctus intelligitur, qui vt verbum externum prodesse possit, auditorum corda per gratiam suam præuenit, ac emollit. Sic Paulo con-

1. *Cor.* 16. tigit, qui dicebat: 1. *Cor.* 16. *Permanebo Ephesi vsque ad Pentecosten.*

*Ostium enim mihi apertum est magnum & euidens: & aduersarij multi.* Et *Apoc.* 3. cuidam dicitur, Angelo nempe Philadelphiæ Ecclesiæ. *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere.* Istis ostiariis, nimirum, Spiritus sanctus aperiebat. Quod in Christum iuxta, & æquè competere potest, quo de Euangelica narrat historia: *Luc.* 24. *Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* *Apoc.* 3. *Luc.* 24.

Ostiarius aperit. Quia Spiritus sanctus, de omnibus ad salutem necessariis, pastores informat, atque instruit. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ioan.* 16. & 1.*Ioan.* 2. *Sicut vnctio docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Ioan.* 6. *Scriptum est in Prophetis: Et erunt omnes dociles Dei.* 1.*Cor.* 12. *Nemo potest dicere Dominus IESVS: nisi in Spiritu sancto.* Breuiter. *Si quis spiritum Christi non habet, his non est eius. Quicumque autem spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Rom.* 8. Igitur valdè appositè per Ostiarium, intelligemus Spiritum sanctum, ex consequentia etiam sermonis, quippe cum Christus seipsum vocet ostium. *Ioan.* 16. 1.*Ioan.* 2. *Ioan.* 6. 1.*Cor.* 12. *Rom.* 8.

Proprias oues vocat nominatim, &c. Pastorem describit ab officio: quia singulos subditorum determinatè cognoscit, vnicuique secundum propriam indigentiam prouidendo. Sicut medicus, corporum dispositiones, temperamenta, ac complexiones, morborémq; varietates pensat, vt congruentia medicamenta apponere possit: Sic agere debet pastor spiritualis. Hinc igitur patet verè dixisse Gregorium: Ars artium est regimen animarum. *D. Greg. Pap.*

Id vt præstare valeat, iuxta Sapientis in Prouerbiis hortamentum, *Diligenter agnosce vultum pecoris tui*: resideat personaliter in diœcesi, necesse est. Qua de re, paulo suprà locupletiùs diximus.

*Ante eas vadit, & oues illum sequuntur, &c.* Hic pastorem describit ab exemplo. Vnde Paulus Timotheum admonet: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* 1.*Timoth.* 4. Titum similiter, *cap.* 2. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Verbum sanum, irreprehensibile.* Michaël de Palacio hunc locum sic explicat: Pastores corporales sequuntur oues, & non præcedunt. Ideò videtur hoc dictum Domini, non de corporali pastore, sed spirituali esse intelligendum. At verò sunt, qui asserant alicubi, vt in Brabantia, pastores præcedere oues, & eas sectari suos pastores, quem morem forsan Iudæa tum obseruabat: in quem morem intuens Dominus, dixit *1.Tim.* 4. *Tit.* 2. *Michaël de Palacio in Ioã. præsentem locum.*

oues sequi pastorem illúmque oues præcedere, vt quas officij dignitate antecellit, eas quoque sanctorum morum studio præcedat. Sic ille.

*Alienum non sequitur, &c.* Tripliciter alienum intelligere possumus. Nempe alienũ a Deo, vel ab ouibus, qui non per ostiũ intrat. Alienum voce, hæreticum scilicet, qui maledocet. Alienum vita, qui impiè viuit. Quoniam contrariorum eadem est disciplina, ex Aristotele, Alienus pastor facilè ex veri pastoris oppositione deprehenditur, ac notis, signísq; contrariis. Ille nimirũ, qui non intrat per ostiũ, cui ostiarius non aperit, cuius vocem ignorant oues, quem deniq; oues non sequuntur. quia vt hîc ait Christus, non nouerunt vocem alienorum. Sic genuini, ac germani Catholici, hæreticos prædicantes non audiunt. sed eorum cœtus, cane peius & angue, oderunt, ac tanquam à facie colubri (sicut dicit scriptura) ab impiorum Synagogis, conciliabulisque fugiunt. Vnde Sapiens, *Prouerb. 1. Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Moses quoque ex lacte Aegyptiaco non est nutritus, sed ad vbera matris suæ.* Quia hæreticorum sermones, quamuis candore lacteo, & dulcedine superficiali polleant (Nam latinissimis, & exornatissimis vtuntur sermonibus, verborum fuco, & apparatu splendido) hoc tamen lac est Ægyptiacum, lac est alienorum, & vox non proprii pastoris.

*Arist. in organo logico.*

*Prouerb. 1.*

*Exod. 2.*

*Ego sum ostium ouium, &c.* Non ergo iam solus timor Dei est ostium, Nam quãtumlibet quispiam asserat se timere Deum, nisi habuerit fidem Iesu Christi, fuerítq; ipsi Christo per baptismũ (qui meritò ostium, & ianua omnium Sacramentorum appellatur à veteribus) initiatus: Iuxta illud: *Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & SS. non intrabit in regnũ cœlorum,* non poterit saluari. Postquam autem fides Christi in orbem euulgata, ac propagata est vbique, ostiũ est Christi fides. Ostium namque est notissimus locus. Absque verò Christi fide explicita, æternam salutẽ frustrà quis sibi polliceatur. *Non est enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus* (id est alia religio, quàm Christiana nulla est, per quam aut in qua salus cõtingere possit) *in quo oporteat nos saluos fieri Act. 4.* ait princeps Apostolorum.

*Act. 4.*

Non ergò quod supra diximus, Dei timorem, pariter & amorem, esse ostium, soluit, vel destruit hoc, quod nunc quidem se Christus vocat ostium. Nam ipse Christus, hunc Dei timorem docet, *Matth. 10. Eum timete, qui potest animam, & corpus mittere in gehennam.* Christus Doctor est eius timoris, author, & obiectum, qui timendus est, ac amandus ab omnibus, qui

salutis æternæ sunt auidi. Nec sufficit tenere ostium fidei, nisi per bona opera ingrediamur per ostium, vt saluemur. Imò progrediamur, non in ostij limine gradum sistentes.

Nam Dominus attexuit dicens: *Per me si quis introierit saluabitur.* Et quia, ex Aristotelis Topicis, contrariorum contraria sunt consequentia. Consequitur, quòd qui non introierit, condemnabitur. *Arist. in Topicis.*

Nota, quod Christus est veræ Religionis ostium, quę Christiana ab eo congruenter appellatur, qua de Iacobus Apostolus, *cap.* 1. ita scribit: *Religio munda, & immaculata apud Deum, hæc est,* hæc, inquam, nimirum, Christiana. *Ego sum ostium,* ait Christus. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Ipsum audite. Matth.* 17. asserit cœlestis Pater. *Baruch. cap.* 3. de Mundi sapiẽtibus, ac secularibus philosophis scribit ad hunc modum. *Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* Postmodum subiungitur. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Posthac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* *Iac.* 1. *Matth.* 17. *Baruch.* 3.

Obserua item Christus est lux mundi, doctor, ac magister hominum, Ecclesiæ Architectus, fundamentum principale, ac primarium 1. *Cor.* 3. *fundamentum aliud* (ait Paulus) *nemo potest ponere, præter id quod positum est: quod est Christus IESVS. Authorem fidei nostræ, & consummatorem IESVM,* idem vocat Apostolus: *Hebr.* 12. *ca.* Et nunc seipsum Christus ostium ouium appellat, nedum pastorem, quoniam, (eodem ter maximo Paulo interprete, *Ephes.* 2. *ca.*) *per ipsum habemus accessum ambo, in vno Spiritu ad Patrem.* Et, vt vno verbo multa complectar. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus, Act.* 17. *c.* In ipso viuimus, vt in vita. In ipso mouemur, vt in via. In ipso sumus, vt in veritate. In ipso viuimus, incipientes. In ipso mouemur, proficientes. In ipso sumus perfecti. In ipso viuimus per fidem. In ipso mouemur, per spem. In ipso sumus, per charitatem. Christus porrò, nedum ostium, verum etiã ostiarius dici potest, respectu diuersorum. De illo namque Sancta canit Ecclesia: *Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna polorum.* Rursus. Cùm *habeat Christus clauem Dauid, aperiat, & nemo claudat, claudat, & nemo aperiat. Apoc.* 3. & rursus: *Dignus es Domine aperire librũ, & soluere septem signacula eius.* qui autẽ habet claues, is ianitor, & ostiarius iure nominatur. Christus ergo verè ostiarus appellabitur. Sed ita distinguẽdum censeo, Christus est ostium respectu viatorum, quia *1 Cor.* 3. *Hebr.* 12. *Ephes.* 2. *Act.* 17. *Ecclesia, in Cantico, Te Deum laudamus. Apoc.* 3. & 5.

necesse est viatoribus, per fidem Christi, & charitatem ingredi, si volunt esse Deo grati: At verò, respectu regni cœlestis Christus primarius est, præcipuusque, ac eximius ostiarius. Cuius vicarius est Petrus, qui ab Ecclesia vocatur Ianitor cœli, & clauicularius regni cœlorum. Cui tradidit Deus claues Regni, sicut fuerat pollicitus. *Matt.16. Tibi dabo claues regni cœlorum.* Is ipse itaque ostiarius est, *quia sanguine suo, aperuit regna cœlestia.*

Ecclesia.

*Quotquot venerunt ante Me, fures sunt & latrones, &c.* Obscura, sanè, & difficilis est sententia. Nunquid, Domine, Moyses, & alij sancti Prophetæ, ante te non venerunt?

At hi non fures, sed sanctissimi viri extiterunt. quomodo ergo vniuersalis hæc propositio vera est? Dico, omnes, qui ante me venerunt proprio motu, & quos non miserim, Omnes, inquam, tales latrones esse, quibus de Ieremias, ex vtero sanctus vates, cap.23. ait: *Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* At Moyses, & prophetæ, non suo spiritu proprio ducti venerunt, sed à Deo missi, & destinati sunt. Non ergo de prophetis hoc dixit, sed de pseudoprophetis.

Quod ex sequentibus fit manifestum. Non enim (inquit) audierunt illos oues. Prophetas autem pij viri audierunt, & per illos crediderunt. Qui & laudans oues dixit: Sed non audierunt eos oues. Nusquam autem inuenitur laudare, Prophetis inobedientes, Sed è diuerso vehementer accusat. Insuper, ponderandum est verbum istud; *Venerunt*, non dicit, Quicumque missi sunt, sed venerunt, scilicet, non missi: *Rom. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?*

Rom. 10. c.

Perpende, quòd ante Christum venire, non est præcisè tempore Christū præcedere, sed aliam, quàm Christi doctrinam docere. Fuerunt quidem Moses, atque Prophetæ, ante Christum in carnatum, sed è Spiritu Christi, Ecclesiam Domini docuerunt, Christúmque annunciarunt, quamuis adhuc sub vmbris latentem. Intrusos solos hìc notatos existima. Non autem Prophetas sanctos, de quibus. *Secunda Pet. capite primo Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto afflati, locuti sunt sancti Dei homines.* Item de Spiritu sancto Catholica canit Ecclesia: *Qui locutus est per Prophetas.* Rursus Apostolorum vertex, in Actis, capite 10. *Huic*, inquiens, Christo, nempe, *omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius.* Finis legis Christus, & Prophetarum scopus, à præcone Euangelij D. Paulo prędicatur. Quid

Ecclesia.

D. Paulus.

plura? Conferenti, hæc cum superioribus, *Qui non intrat per ostium, &c.* magna certè lux veritatis affulget, vt scilicet, de his qui non intrauerunt per ostium intelligamus dictum: Quotquot venerunt, fures sunt, & latrones. Venerunt, inquam, non in nomine Domini, ex eius scilicet authoritate, Nam, vt Regius Psaltes cecinit: *Benedictus, qui venit, in nomine Domini*: Sed à se venerunt, & absque legitima, & canonica missione.

*Ego sum ostium.* Denuò idipsum repetit, & inculcat, quia & ad præsentem gratiam, & ad futuram gloriam, per Christum solum peruenitur. Vel, quia vtriúsque ouilis, Iudaicæ Synagogæ, & Christianæ Ecclesiæ, ostium declaratur, qua de re infra dicturus est: Fiet vnum ouile, & vnus pastor. Præterea, Christus est ostium, quo bonus pastor ad oues intrat. Est rursus ostium, quo quisque fidelis ad cœlestem patrem intrat. Ioann. 14. capite. *Nemo venit ad patrem, nisi per me.*

*Per me* (ait) *si quis introierit, saluabitur.* Quid, quæso, maius promittere potuisset? Prouerb. 8. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Nec quisquam saluari potest, qui non per hoc ostium, in Dei Ecclesiam intrauerit. Sic in diluuio, omnes perierunt, qui in arca Noë inuenti non sunt. Sic in Iericho sola domus Raab seruata est. Iosue 6. cap.




*Ingredietur, & egredietur, &c.* Suprà ea de periodo aliquammulta dicta comperies. Ideóque succinctè quædam tantùm hic notabimus. Ingredietur fide, egredietur autem fidei confessione. Ingredietur in penetralia suæ mentis, per contemplationem. Et egredietur extra contemplationis secretum ad boni operis exercitium ad proximum adiuuandum subleuandámque eius indigentiam. De vtriusque vitę, cōtēplatiuæ & actiuæ proprietatibus, ac officiis, accipe hæc duo. Ingredietur, & egredietur, nimirū, in vita, & in morte, vt non deficiatur virescentibus, ac lætis pascuis vbique.

Olim quicumque ingrediebatur, siue indigena Israëlites, siue aduena proselytus, pascua legis & Prophetarum, (Pabulum animi, conuenientissimum) inueniebat: sed à præsenti vita egrediens, quia Paradisus nondum reseratus erat, pascua non inueniebat. Deinceps autem, etiam egredientes, hoc est, in Christo morientes, pascua inuenient. *Apoc.* 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur amodo,* (Ibi enim periodum Græci codices constituunt, & punctum figunt) Deinde subiungitur:

Etiam certè *dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Est enim paradisus, per Christi mortem, & ascensionem reserata: Vnde protomartyr D. Stephanus. *Ecce,* inquit, *Video cælos apertos. Act. 7. cap. 4.*

*Fur non venit, nisi vt furetur, &c.* Antithesi quadam seipsum opponit diabolo quo de Ioan. 8. habetur: Ille homicida erat ab initio. Contrà. Ego, inquit Christus, *veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Significat nos plus habere, quàm patres veteris testamenti.

Illi enim iuxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus, sed à longe aspicientes eas. Heb. 11. Nos autem eas habemus. Vitam namque, quam illi habebant in spe, nos habemus in re. Ideo supra dixit. *Pascua inueniet.*

*Abundantius habeant, &c.* Vita huius seculi, septem dierum circulo concluditur, vel ad summum, septem hominis ætatibus absoluitur: At verò vita, quæ à Deo est, omne tempus superat, & excedit. In longitudinem dierum. In secula seculorum. In generatione & generationem, Ab æterno, & vsque in æternum. In æternum & vltra. *Vitam æternam, Amen:* vt habet Symbolum Apostolorum. *Ibunt iusti in vitam æternam.* Matth. 25. *Absorpta est mors in victoria. Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. prioris Cor. 15. c.*

*Psal. 22. Apoc. 1. c. Psal. 118. Psal. 102. Exod. 15. c. Symbolum Apostolorum. Matt. 25. cap. 1. Cor. 15. c.*

*Vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Vitam, scilicet, gratiæ, & vitam gloriæ: Vitam animorum, & vitam corporũ vitam nominis, ac famæ, siue existimationis apud posteros, & vitam personarum, vitam meritorum, & vitam præmiorum Vitam nedum naturalem, de qua Ioann. 1. in ipso vita erat, sed etiam gratiæ, cuius meminit Paulus dicens: Philipp. 1. *Mihi viuere Christus est,* ac tandem vitam gloriosam. Ioan. 10. *Vitam æternam do eis.* In summa 1. Ioann. 5. *Qui habet filium habet vitam, qui non habet filium Dei, vitam non habet.* Ibidem. *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & sumus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna. Vitam æternam,* ait ibi rursus, *dedit nobis Deus, & hac vita in filio eius est.* Sic ὁ θεὶλογος. Significatur adumbratúsque Christus in ligno vitæ, in medio paradisi existente. *Habetis,* ait Apostolus. *Rom. 6. cap. fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Et ibidem. *Gratia Dei vita æterna, In Christo Iesu Domino nostro.*

*Ioan. 1. c. Philip. 1. c. Ioan. 10. c. In Genesi. Rom. 6.*

Vt autem ad finem aliquando perueniamus. Dicendum

præfiguratum olim fuisse Christum in Abele, de quo Gen. 4. *Fuit Abel pastor ouium.* In primis illis Patriarchis: quorum extat mentio, Gen. 46. *Instruxit Ioseph fratres suos, quomodo Regi respondere deberent. Cùm vocauerit vos, inquiens, & dixerit: Quod est opus vestrum? Respondebitis: Viri pastores sumus serui tui, ab infantia nostra, vsque in præsens, & nos & patres nostri.* Et sub capitis finem, sic concluditur: Detestantur Ægyptij, omnes pastores ouium. Ad hunc sanè modum, Mundani homines oderunt animarum pastores. Et hæretici (qui per Ægyptios designantur, Ecclesiam enim persequuntur, & tribulant: iuxta nominis ex Hebræo notationem, ac ἐνωσι) ex vno Christi ouili, multas sectas dessectas faciunt, vt sex & triginta sectarū genera, hac tempestate exorta cernantur, & conspiciantur. Vtinam, per boni pastoris, singularem gratiam, contingat diebus nostris videre, impletum istud Christi oraculum & vaticinium. *Et fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Gen. 4. & cap. 46.

Fiat fiat.

Dixi de Pastoris officio, abundè in superioribus: Nihilominus hic coronidis vice, & aliqua insuper adiicere censui, vt lector locupletissimè, pro vtriusque Euangelicæ lectionis ad populum expositione, hinc haurire, & accipere possit, quod in concione populo proponendum melius ei videbitur expedire & conducere.

Prima igitur, Pastoris cura, hæc esse debet, vt oues suæ cōcreditas fidei visitet personaliter. Eo enim spectat & pertinet, Episcoporum, aliorúmque prepositorum, residētia personalis, de qua supra eodem quoque refertur, quod in cōtextu habetur: *Ego cognosco oues meas.* Item, Pastor vocat oues nominatim, &c.

Quæ quomodo adimpleantur, si pastor, vt Episcopus, diœcesim suam inuisere, ac visitare neglexerit? *Act.* 15. *Dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbū Domini, quomodo se habeant.* Act. 15. Visitationis præcipuus fructus, pax existimatur communis, & publica in populo, vt nimirum prouincia, aut diœcesis, pacata conseruetur. Vnde Isaias Euangelicus vates Isa. capite 60. *Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos Iustitiam non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vastitas, & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.* Ad hunc quippe finē ordinantur pastorales, siue Episcopales visitationes, atq. vicariorū, Archidiaconorū & similiū

ab Episcopo & Capitulo delegatorum officiariorum, vt scilicet pax inter diffidentes componatur, lites terminentur, & sarta tecta concordia inter clerum ac populum conseruetur, mutuáque beneuolentia procuretur, vt in charitate & amore fraterno, simul valeant cohabitare. Nam vbi charitas, & amor ibi Deus est. Et regius Psaltes. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*, Et Christus. *Matt. 5. Beati pacifici*, inquit, *Quoniam filij Dei vocabuntur*, Et, vt vno verbo dicamus, in eum potissimùm finem, ac vsum, visitationes destinantur, vt quæ egent reformatione, in pace, ad Dei gloriam, in melius reformentur. Vnde. *Gen. 37.* in huius rei typum, dixit Patriarcha Iacob, Ioseph filio suo. *Vade, & vide, si cuncta prospera sint, erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur. Hunc autem cum inuenisset vir errantem in agro, interrogauit quid quæreret? At ille respondit fratres meos, quæro, indica mihi vbi pascant greges.* Quæ verba facilè accommodari possunt ad visitationes pastorū. Debent enim visitatores huiusmodi, inter visitandum, non aliud quærere, quàm fratres suos, animarum subditorum salutem imprimis procurare, ac quantùm fieri poterit, promouere, nō ob lucrum, sed propter animas Christo lucrifaciendas, greges suos visitantes. Dauidis pastoris instar, cuius sacra primi Reg. c. 17. meminit historia, his verbis: *Dixit Isai ad Dauid filiū suum, qui pascebat gregem patris sui in Bethleem; fratres tuos visitabis, si rectè agant. Qui interrogabat si omnia rectè agerētur erga fratres suos.* Applicatio est facilis.

Psal. 132. Matt. 5. ca. Gen. 37. c. Reg. 17. ca.

Est enim visitatio, quædam licita generalis inquisitio, de vita, & moribus subditorum. Et visitare, est quærere que Iesu Christi sunt, non quæ sua, hoc est, prædicationi verbi Dei, exhortationi, & correctioni, ac reformationi status Ecclesiarum, personarum, ac rerum Ecclesiasticarum, necnō morum laicorum vacare, vt fructus referatur, qui non perit. Visitatio quippe est reformatio, ac correctio omnium, quę prælati nouerint in clero, & populo, tam in cap. quàm in membris reformanda, & corrigenda. Visitatoris autem officium est, vitia euellere, malos mores eradicare, & ædificare virtutes, bonósque plātare mores. Inter cætera verò seminare debet verbum Dei tanquàm pabulum permaximē necessarium. *Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Matth. 4.*

Matth. 4. ex Deut. 8. c.

Porrò pastoris officium esse censetur, morbidam ouem separare, & à sanis segregare, ne totum inficiat, corrumpátve ouile. Nam vt Satyrographus cecinit.

——— *Sicut Grex totus in agris* *Iuuenia'is,*
*Vnius scabie cadit, & porrigine porci.* *Satyra. 2.*

Cæterùm, Pastor, Christi principis pastorum exemplo, quo de eximius prophetarum. *Psal.* 44. scripsit: *Virga directionis, virga regni tui*, vel, vt D. Paulus. *Heb.* 1. c. habet: *Virga æquitatis, Virga regni tui, & Psal.* 22. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*, Eius inquam, boni pastoris, qui in visceribus misericordiæ, *visitauit nos oriens ex alto, Luc* 1. more, baculum pastoralem, siue, pedum (Gall. *la houlette*) in dextera habere debet, ad arcẽdam luporum truculentam rabiem, & ouium suarum consolationem, moderatámque ipsarum, à caulis errantium correctionem, atque ad gregem salutarem reductionem. Non sit, quæso, virga ferrea confringens oues, tanquàm vas figuli, sed caput draconis conterat: Sit baculus Iacob, cum quo trãseatur fluuius Iordanis, (id est, vitæ huius terminus, more labẽtis aquę decurrentis) de quo, *Genes.* 32. *Non sit baculus arundineus, & confractus, in quo non est confidendum.* 4. *Reg.* 18. *An speras in baculo arundineo, atque confracto Ægypto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? Vel, qui in star arundinis, ad quemlibet ventum flectatur. Matth.* 11. *Arundinem vento agitatam?* Sed sit baculus prosternens Goliam, spurium illum, & incircuncisum Gygantem. 1. *Reg.* 17. per quem diabolus designatur. Sit virga, quam quicumque in manu sumat, facturus sit, editurúsq; veritatis prodigia, & in cõspectu Pharaonis deuoret serpentes magorum, hoc est, vitiorum monstra, & resumpta, in virgam gratiæ redeat. In exodo, id præfiguratum, & adumbratũ, in Mosis virga habetur. Baculus iste in manibus tenendus est, à comedentibus agnum. *Exo.* 12. *Tenentes baculos in manibus*, Est enim *Phase*, id est, transitus Domini. Est virga Aaron, turgentibus gemmis, quæ flores protulit, qui in amygdalas deformati sunt, quam in tabernaculum testimonij relatam, Domini mandato, legimus, *Num.* 17. vt seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israël. Est virga Iesse, efflorescens, qua de Isaiæ vaticinium extat *cap.* 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* De Christo, id principaliter præcipuéque accipiendum esse, nemo Catholicus dubitauerit, non insulsè tamen, per quandam accommodationem ad nostram pastoralem virgam applicabitur. Huius virgæ extensio, clementiam regiam signat in animam bonam: vt notabili figura patet, *Esther c.* 4. *Quicumque non vocatus interius atrium regis intrauerit, absque vlla cunctatione statim interficiatur: nisi forte Rex, auream*

*Psal.* 44. *Heb.* 1. *Psal.* 22. *Luc.* 1. *c.* *Gen.* 11. 4. *Reg* 18. *ea.* & *Isai. c.* 36. *item* *Ezech.* 29. *ea.* *Matth.* 11. *c.* 1. *Reg.* 17. *e.* *Exod.* 12. *e.* *Num.* 17. *e.* *Isa.* 11. *e.* *Esthere.* 4. 5. & 15.

*virgam ad eum tetenderit, pro signo clementiæ, atque ita possit viuere. item c. 5. Extendit rex virgam auream, quam tenebat manu, ad reginam Estheram.* Et, c. 15. *Accede Esther, & tange sceptrum.* Non sit claua (Gall. *vne massue*) genus nimirum, armorum, per quod quisque præsumitur animum habere mactandi, ea percutiens: sed sit baculus senectutis, non transmittendus à nobis: *Tob. cap. 5.* præfiguratus. Sit baculus ponendus super faciem pueri defuncti, vt resurgat, nempe, ab operibus mortuis plebs in delictis alioqui mortua, ad melioremvitæ frugem, conualescat, atque consurgat. 4. *Regum.* Dixit Eliseus Giezi puero suo: *Tolle baculum meum in manu tua, & pones illum super faciem pueri.* Attendant Pastores, atque considerent baculi huius summitatem curuam. & per hoc intelligent tantæ rei mysterium, de quo statim fusius agemus.

*Tob. 5. c.*

*4. Reg. 4. c.*

Lituus, vt A. Gellius li. 5. c. 8. noct. Attic. ex Higino scribit, est virga breuis, in parte, qua robustior est incurua, qua Augures vtuntur. Verum autem lituus Auguralis, à tuba, quæ lituus appellatur, an tuba à lituo Augurum, lituus dicta sit? quæri posset. Vtrumque enim [illegible] forma, & pariter in capite incuruum est. Sed si (vt quid[illegible] putant) tuba à sonitu lituus appellata est, necesse est ita accipi, vt virga auguralis à tubæ similitudine lituus vocetur. Vtitur autem vocabulo isto Vergilius, & pro tuba: vt ibi.

*A. Gellius lib. 5. c. 8. noct. Attic. Higino.*

*Et lituo pugnas insignis obibat, & hasta.*

Sic A. Gellius vbi suprà.

Plutarchus insuper tom. 1. in vita Romuli: Est, inquit lituus bacillum incuruum, quo qui auspicantur, templa capiũt. Hunc in Capitolio ferunt seruari solitum, sed capta à Gallis vrbe perditum, mox eiectis illis, inter cætera incensa omnia, & corrupta, multo obrutum cinere, inuentum fuisse, intactum autem ab igne. Et eodem tomo, in Camillo. Ad Martis curiam Palatium lustrantes peruenerunt: & in purgando loco, reperiunt submagno cumulo cineris, Romuli baculum, quo vti ad auspicia solitus erat. Is ab altera extremitate inflexus est, Lituum vocant. Huius in cœli regionibus describendis vsus est auspicantibus, ad quod ille augurandi peritissimus, illum habuerat. Romulo deinde, ex conspectu hominum ablato, hunc baculum sacerdotes, à contactu hominum seruauerunt, vt rem sacram. Eo tunc amissis cæteris integro, læti spem conceperunt, Romam hoc omine, æternam significari fore. Sic Plutarchus.

*Plut. to. 1. vitarum, in Romulo.*

*Idem eodem tom. in Camillo.*

*Cicero l. 1. de diuinatione.*

Cicero autem, non dissentaneè li.1. de diuinatione, ea de re in hæc verba scribit: quid lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus, vnde nobis est traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cùm vrbem condidit. Quiquidem Romuli lituus, id est, incuruum, & leuiter à summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine, nomen inuênit, cum situs esset in curia Saliorum, quæ est in Palatio, eáque deflagrasset, inuentus est integer. Quid multis annis post Romulum, Prisco regnante Tarquinio? quis veterum scriptorum non loquitur, quæ sit ab Actio Nauio, per lituum regionum facta descriptio? Sic Romanæ eloquentiæ Parens, Cicero, de lituo.

· Lituus, Græcè, λίτυον. vt Plutarchus in Camillo: τοῦτο δ' ἐστὶ μὲν ἐπικαμπὲς ἐξ θατέρου πέρατος, καλεῖται δὲ λίτυον. Ad verbum sic interpretor: Est autem hoc incuruum, ex altera extremitate, seu, inflexum Vocatur autem Lituus. Idem in Romulo, τὸ καλούμενον λίτυον. ἐστὶ δὲ καμπύλη ῥάβδος, ᾗ ἐπ' οἰωνοῖς ἐχρῶντο, Lituus vocatur. Est autem virga retorta, qua in auspicijs vtuntur, seu, augurijs, Ex quibus liquet, idem ferè cum pedo, seu, baculo episcopali, (dicto vernaculè *vne crosse d'Euesque*) lituum esse. Sic enim in nomismatibus, seu nummis Romanorum, ab antiquariis, excudi, & describi, figurarive, non semel vidimus.

Eam ob rem in hanc litui descriptionem paulò longiùs digredi, ac diuertere, exspatiarive volui, cùm mentio baculi pastoralis hîc ingeretetur. Accipe (dicit consecrator, secundum rituales libros, Pontificale vulgò nominant) baculum pastoralis officij. Et cætera, quæ ibi habentur.

Oportet in huius baculi capite exaltare serpentem, vt populus, qui mordetur à serpente satana, à Christo crucifixo serpente, per intuitum oculorum cordis sanetur, & in illo, qui semper viuit, crucifixo pro nobis, mors occidatur, *vt qui in ligno vincebat*, vt Sancta interpretatur Ecclesia, *in ligno quoque vinceretur per Christum Iesum Ioan. 3. cap. Sicut exaltauit Moyses serpentem in eremio, &c.* Hic denique baculus ad correctionem cum prudenti moderatione, comparatus est, dicente de Deo, Psalmographo: *Ps. 88. Si dereliquerunt filij tui legem meam: Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo &c.*

Iam Guliel. Durandum, in rationali diuinorum officiorũ, l. 3. c. 15. eadem de re differentem, audiamus: Baculus, inquit,

*Pontificale Rom.*

*Ecclesia. Ioan, 3. c. ex Num. 21. c. Psal. 88. Gulielmus Dur. l. 3 c. 15. Ration. diu. offic.*

pastoralis,correctionem pastoralem significat,propter quod à consecratore dicitur consecrato?Accipe baculum pastoralis officij: vt sis in corrigendis vitijs piè sæuiens. De quodicit
1.Cor.4.ca.in calce. Apostolus prioris Cor.4.in fine cap. *Quid vultis? In virga veniam ad vos: an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Virga igitur pastoralis potestas intelligitur sacerdotalis, quam Christus ei contulit,quando Apostolos ad prædicādum misit, præcipiēs
Mar.6.c. eis,vt baculos tollerent.EtMoses,cum virga missus est in Æ-
Exod.4.c. gyptum.Pedum vocatur,quod est lignum recuruum,quo pastores pedes retrahunt animalium. Quod verò baculus est acutus in fine, rectus in medio, & retortus in summo, designat,quòd pontifex debet pungere pigros,regere debiles sui rectitudine,& colligere vagos. Vnde versus.
Versus. *Collige,sustenta,stimula, vaga, morbida, lenta.*

*Et reddendo singula singulis,* versus iste omnia continet præmissa. Vel sic. *Attrahe per primum,medio rege, punge per imum.*

Virga autem ac baculus pastoralis,non solum corripit,sed etiam sustentat. Sic ibi. Scipio enim(Gall. *vne baguette*)ad sustentationem comparatur debilium. Et de baculo pastorali quidem,hactenus dictum sit satis.

Nunc per Epilogum, huic Homiliæ desideratum finē imponētes,in verbis Heroinæ siue,Heroidis Iudithæ,quæ Spi-
Iud.c. 8. ritusanćto eam intus edocente,ac inspirante,ad presbyteros habuit:c. 8.Sacræ historiæ eiusdem, totum hunc absoluamus tractatum.

*Et nunc,* inquit per eam Spiritus sanctus, *quoniam vos estis presbyteri in populo Dei,& ex vobis pendet anima eorum:ad eloquium vestrum,corda eorum erigite.* Sic ibi.

Studeant igitur pastores,verbo pariter & exemplo, atque Sacramentorum dispensatione, ouibus pabulum spirituale ministrare,residentes,& Christi exemplo,per vicos,& castella,seu,oppida suæ Diœceseos, in visitationibus suis verbum Dei prędicantes.Nam Matth.9.c.de Christo scribitur: *Circuibat Iesus omnes ciuitates,& castella,docens in synagogis eorum,& prædicans Euangelium regni,& curans omnem languorem, & omnem in-*
Matth.9.c. *firmitatem. Videns autem turbas misertus est eis: quia erant vexati, & iacentes,sicut oues non habentes pastorem,Tunc dixit discipulis suis: Messis quidem multa,operarii autem pauci.Rogate ergo Dominum messis,vt mittat operarios in messem suam.* Hactenus Christus. Ei autem pastorum principi,& Episcopo animarum nostrarum, cum patre æterno,& viuifico Spiritu bono(de quo Regius vates, Psa.
Ps.142. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*) Sit inquam tribus honor vnus. *Amen.* D o-

# DOMINICA A PASCHATE III.

## De Apostolorum luctu, ob Christi mortem, per similitudinem parturientis mulieris. Ioan.16.c. Ioan.16.c.

*Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem. Vbi suprà.*



VMANAE vitæ, atque adeò rerum omniũ, tanta est instabilitas, & inconstantia seu, vicissitudo, vt nihil fixum, & immotum sit, sed tristibus læta, letísque tristia vbiq; permisceantur. Et, vt Poëtæ verbis vtar, (Horatium loquor, lib.1. Carminum. Od. 16.) Horatius l. 2. Carm. ode. 16

*-- Nihil est ab omni*
*Parte beatum.*

Quis enim semper secundo vento nauigauit? Cui sẽper alea feliciter cecidit? Cui semper idem aspirauit ventus? cui fortunæ rota, in deterius nunquam reuoluta est?

*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,* Ouidius l. 4.
*Et subito casu, quæ valuere ruunt.* de Ponto, ele. 3

(Sic scribit Ouidius, lib.4. de Ponto, elegiã 3. ad amicum instabilem.)

Vixdum noua aliqua lætitia oborta est, cum superuenien- te noua tristitia intercipitur: adeout finis nondum expleti gaudij, noui mœroris initium sit. Hoc est enim, quod Ecclesiasticus, c.18. ait: *Memento paupertatis in die abundantiæ. A mane vsque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.* Quibus verbis significare voluit non procul à lætitia mœrorem abesse, & nec vel integrum annum, aut, mensem, aut etiam diem in continua lætitia transigendum: sed hæc Eccl. 18. c

omnia citatissima sibi conuersione ( neo ita rerum vices variante )succedere, eiusdémque diei sicut partem nocti, partem lucis spatio tribuimus: ita partem lætitiæ, partem curis, & mœrori tribuendam esse Sic Ludouicus Granatensis, Cócione.1.Dominicæ.3. id interpretatur.

*Lud Granat. Conc.1.præsentis Dominicæ.*

*Scilicet interdum miscentur tristia lætis.*

( vt in fastis Ouidius cecinit )

*Ouidius in fastis.*

Atque sicut sine spinis rosa non est, ita sine doloris aculeo, præsentis voluptatis fructus minimè percipitur.

*D Bern.epist. 136.*

In eam rem. ita D. Bernardus, epist. 136. Si tristia, inquit, semper acciderent, quis sustineret? Si semper prospera, quis non contemneret? Sed rerum tanta gubernatrix sapientia, horum pernecessaria vicissitudine, eo moderamine electis suis, cursum vitæ temporalis alternat, vt nec aduersa frangant, nec læta dissoluant, cùm potiùs & ista ex illis gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddantur. Sic ille.

Hoc ipsum planè significat, atque innuit præsens Euangel. in quo Dominus, exiguo temporis momento se absuturum, deinde rursus adfuturum suis insinuat Apostolis.

*Modicum*, inquiens, *& non videbitis me*, quia nimirum in crastinum mortem erat perpessurus, ac crucifigendus, sicque à suis auferendus. Deinde, modicum, & iterum videbitis me. Siquidem tertia die rediuiuus ex mortuis, erat eis per continuos quadraginta dies, in varijs argumentis, appariturus, eosque visitaturus, ac exhilaraturus, quos antea mors, ac passio Domini ingenti mœrore affecerat, *quia*, inquit, *vado ad patrem.* Nam ipsis cernentibus, ascendit in cœlum. Vnde magno perfusi sunt Apostoli, de Domini triumpho, gaudio. Sic permixta sunt tristia lætis.

*D.Bern.serm. 74. Super Cantic.Sal.*

Obserua ex D. Bernardo sermo. 74. super Cantica pertractante hæc verba: *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me &c.* O modicum, & modicum! ô modicum longum! Pie Domine, modicum dicis, quòd non videmus te? Saluum sit verbum Domini mei. Longum est, & multum valdè nimis. Veruntamen vtrumque verum, & modicum meritis, & non modicum votis. Habes vtrumque in propheta: *Si moram fecerit*, inquit, *expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit*. Quomodo non tardabit, si moram fecerit? nisi quod ad meritum satis est, sed non sa-

*Abach.2.ca.*

tis ad votum? Porrò, anima amans votis fertur, trahitur desideriis dissimulat merita, maiestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens in salutari, & fiducialiter agens in eo. Intrepida denique & inuerecunda reuocat verbum, & cum fiducia repetit delicias suas, solita libertate vocans non Dominum, sed dilectum, *reuertere dilecte mi*, inquiens, *Canti.* 2. Hucúsque Diuus Bernardus, verè mellifluus doctor, Sensum anagogicum proferens. *Cant.* 2. *f.*

Posset etiam iuxta allegoriam, ad hunc modum explicari: *Modicum, & non videbitis me &c.* secundum nostrum Philippum Diez, Conc. 1. vt scilicet, sacratissimam suam passionem, Christus pusillum quid appellet. Sed, quid Domine: Tam terribilia tormenta, crudelémque adeò mortem, rem denique tantæ vtilitatis, quomodo modicum vocas? *Philippus Diez Franciscanus Lusitanus Conc. 1. huius Dominicæ.*

Parúmne est Dominum gloriæ crucifigi, inter latrones medium, & Dei viui filium diræ mortis subire cruciatus? *O vos omnes* (exclamat ipse apud Sanctum vatem. *Thren. capite* 1. *qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* *Thren.* 1. *c.*

In sacratissimo eius corpore, ne sanguinis quidem gutta remansit, nec membra membris cohærebant: *Psalm.* 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos, & diminuerauerunt omnia ossa mea.* Et hæc omnia modicum vocat? Respondeo: Ex *Genesi* 29. *Seruiuit Iacob pro Rachel, septem annis, & videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.* *Psal.* 21. *Gen.* 29. *c.*

Longè verò pluribus annis mysticus noster, ac cœlestis Iacob Christus, pro animabus redimendis seruiuit, cui tandem omnia modicum videbantur, Proptérque singularem erga nos amorem, quæ pertulit omnia, quantumuis acerba, ea omnia exiguum quid, & modicum vocat. Et nos vicissim, propter Christi amorem, omnia libenter sufferamus, & quantumlibet carni acerba videantur, pro minimo tamen ea reputemus, secundum quod Diuus Apostolus, *posterioris, Corinth. cap.* 4. scribit, his verbis: *Id quod in præsenti est momentaneū & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* Et rursus, *Rom.* 8. *Existimo*, inquiens, *quod non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, Et Apostolorum princeps 1. *Pet.* 5. *Modicum passos Deus ipse perficiet, confirmabit solidabitque.* Et denique Ecclesiasticus. 51. *capite.* *2. Cor.* 4. *e.* *Rom.* 8. *c.* 1. *Pet.* 5. *c.* *Eccle.* 51. *c.*

*seu, vltimo, Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.*

B. Franciscus in Regula. Tritum est, ac peruulgatum istud: Modica passio, gloria infinita, quod B. Patriarcha noster Franciscus frequens habuit in ore.

*Modicum, non videbitis, rursusque modicum videbitis me.* Pusillo temporis articulo tristabimini, deinde impendio de mea resurrectione gaudebitis.

Eccle. 3. c. Psal. 29. Sic permixta sunt omnia. *Ecclesiast. c. 3. Tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus saltandi,* & Regius Psaltes. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Psal. 29.* Priùs quidem, *non videbitis*, ponitur, postea verò, *& videbitis me*, præcesit luctus, subsequuta est lætitia. Vnde Ouidius,

Ouidius in Metamor.

*Flebile principium, melior fortuna secuta est.*

Et Genes. 1. c. *Factum est vespere, & mane dies vnus.* Priùs manè, deinde vespere.

Quid aliud est (amabo) præsens mundus, quàm theatrum, in quo tragici motus, variæque repræsentantur personæ? quàm Orchestra mundi, eo quòd varij rerum humanarùm casus, ac mutationes Imperiorùm, bella, cædes, victoriæ, in eo exhibeantur? Vnde haud inscitè, Orosius, succinctum, & elegantem ab orbe condito rerum vbique gestarum Latinum commentarium, vel ipse, vel maiores nostri, Orchestram mundi nuncuparunt (ait in Hercule Prodicio Stephanus Viuandus, Pighius Campensis) quia variæ clades in eo libro (velut in Logeo, gesticulationes, motus, ac Saltationes multiplices, Thymelici, scænicíve artifices exhibere solent) repræsentãtur. Sic ibi.

Steph. Viuandus in Hercule Prodicio.

Fuit Paulus Orosius Christianus, in Hispania natus, atque educatus: qui in Africam ad Aurelium Augustinum, eximium iubar Ecclesiæ, traiecit; circa Annum Christi. 400. Presbyter etiam inscribitur, & Tarraconensis, à Gerundensi, libro decimo. Hunc ipsum laudante, citantéve authorem, fuisse perhibetur; Verba Gerundensis refero. P. Orosius, in eius Hormista, inquit, sicque passim citatur, in Hormista: non in Orchestra, quod sciam, quia nimirum, de bellorum, cladium, & impetuum, bellicorúmque motuum calamitatibus, ac miserijs, agit illis in libris (quod & in Enneadibus nostris, Homiliâ, in Natali Domini (si satis memini) iam præmonueram.

Gerundensis, lib. 10. Sac. Enneades aduentuales authoris. Ho. in Nat. Domini.

At verò, nequis rudior, cespitet in vocibus suprà positis,

eas dilucidiùs interpretabor: Primùm omnium, Orcheſtra, ὀρχήστρα, Locus erat in theatro, Senatoribus ad ſpectandum deſignatus, in quo erat pulpitum, quinque non amplius pedibus altum, quòd Græci Thymelem dicebant, & Logeum, in quo chorus Tragœdiarum, & Comædiarum, quandiu Comædiæ chorum habuerunt, ipſique etiam citharœdi, & aulœdi, & quotquot perſonam, ex fabula non agebant, actioni ſubſeruiebant Dicta Orcheſtra, ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι, hoc eſt, à ſaltando, quod in eo geſticulatores, hiſtrionibus in ſcænam abditis, populum ſaltando detinerent. LOGEVM, λογεῖον, Pulpitum eſt in ſcena, in quo chorus Tragœdiarum & Comœdiarum (quoad Comœdiæ chorum habuerunt (cæteriq; perſonam non habentes, fabulæ ſubſeruiebant, qua voce, Vitruuius etiam vtitur. *Calepinus in Dictionario tribus in locis.*

Thymelici verò, θυμελικοί, dicuntur geſticulatores, qui in pulpito orcheſtræ, quod Thymelem vocabant, fabulæ ſubſeruiebant, & hiſtrionibus in ſcenam abditis populum geſticulatione retinebant. Meminit horum Vitruuius, diuerſóſq; facit à ſcenicis. Scenici quippe dicebantur hiſtriones, qui in ſcena fabulam agebant: Thymelici verò, qui perſonam ex fabula non habentes, ante ſcenam in Orcheſtra ſaltabant, & ſcenæ ſubſeruiebant. Hactenus ex Calepino, in Dictionario. (Nos Gall. *meneſtriers, ou tabourineurs, & flusteurs*, nominare ſolemus.) *Vitruuius.*

Sequitur in textu. ***Quid eſt hoc, quod dixit nobis modicum? Neſcimus, quid loquitur.***

Vbi notabis, quòd cum hæc verba eſſent alioqui non obſcura nimis, ſed peruia ſatis faciliáque intellectu, Apoſtoli tamen non intellexerunt, ſed eorum expoſitionem à Magiſtro poſcere parati fuerint; Manifeſtè inde conſequitur, quòd niſi Chriſtus ſcripturas per prędicatores, exponeret auditoribus, ipſam eos intelligere non poſſe: Hoc vir Eunuchus (ſic enim eum nominat ſcriptura *Act. 8.c.*) optimè recognouit, qui à Philippo rogatus. *Putáſne intelligis, quæ legis? Reſpondit: Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Hinc Pſalmographus precatur: *Reuela oculos meos*, inquiens, *& conſiderabo mirabilia de lege tua.* *Act. 8. c.* *Pſ. 118.*

***Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium &c.***

Scribit Plinius l. 7. ca. 1. nat. hiſt. Nullum tot animaliũ aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio, natura genuit, vt hominem, quem Natali die abijcit, ad vagitus ſtatim, & ploratum. Sic ille. Huic ſubſcribit Solinus Polyhiſtor. c. 4. Naſ- *Plin. l. 7. c. 1. nat. hiſt.* *Solinus Polyhiſtor. c. 4.*

centium, inquiens, vox prima vagitus est. Vnum nouimus eadem hora risisse, qua erat natus, scilicet Zoroastem. At Crassus auus eius, quem rapuerunt bella Parthica, quòd nunquã riserit, fertur ἀγέλαστος cognominatus sicuti meminit Cicero non semel, nempe l. 3. Tusculanarum qu. & de finibus, lib. 5. Prætereà, mire conuenit hîc elegantissimum Palladæ Epigramma.

*Cicero l. 3. Tusc. q item de finibus li. 5*

*Ex Epigrammat. lib. 1. 55. 1 3. εἰς τὸν βίον ἀνθρώπινον. Παλλαδᾶ.*

Δακρυχέων γενόμην, καὶ δακρύσας ἀποθνήσκω·
　Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον εὗρον ὅλον.
ὦ γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυτον, ἀσθενές, οἰκτρόν,
　Συρόμενοι κατὰ γῆς, καὶ διαλυόμενοι.

Sic quidam latinè conuertit,

*Fundebam lacrymas genitus, moribundus idem nunc*
　*Plango, videns luctu tempora cuncta teri.*
*O mortale genus, male firmum, triste, misellum,*
　*Seu te habeat tellus, seu fera parca ferat.*

Vitam humanam plenam esse lacrymis, & calamitatibus, si non hoc tetrasticho, certè quotidianis experimentis verum esse discimus. Quid hîc Thraces commemorem? qui nascentes luctu, & lacrymis prosequuntur, mortuos, lætitia, & tripudio efferunt, quòd illi innumeris malis obijciantur, hi omnibus sint perfuncti? In eam rem perelegans Græcum Epigramma Ἀρχίου, perducere non grauabor.

*Ibidem, Ἀρχίου,*

Θρήικας αἰνείτω τις, ὅτι στοναχεῦσι μὲν υἷας
　μητέρος ἐκ κόλπων πρὸς φάος ἐρχομένους.
ἔμπαλι δ' ὀλβίζουσιν, ὅσους αἰῶνα λιπόντας,
　ἀπροϊδὴς κηρῶν λάτρις ἔμαρψε μόρος.
οἱ μὲν γὰρ ζώοντες ἀεὶ παντοῖα περῶσιν.
　ἐς κακά, τοὶ δὲ κακῶν εὗρον ἄκος φθίμενοι.

Luscinius hæc reddidit totidem versibus Latinis, ad hunc modum:

*Laudantur Thraces, natos quod viscera matrum*
　*Egressos gemitu protinus excipiunt*
*Quodque relinquentes vitam sine fine beatos*
　*Credunt, incautos dum fera parca rapit.*
*Illos vita malis quia destinat omnibus, hunc hos*
　*Pharmaca quod mortem tot reperere malis.*

Nota, ἀπεριδὴς μόρος, improuiſa mors exponitur, ὀλβίζουσι, beatos prædicant. τὸ, ἄκος, -ους, medela, remedium, pharmacum, dicitur, Et hæc quidem pro difficiliorum vocabulorum interpretatione, in gratiam ſtudioſorum linguæ Grecæ dicta ſunto

Meritò itaque Heraclitus philoſophus, humanam vitam, tanquam miſeram, ac luctuoſam, deflere, continuéque deplorare ſolitus erat. Nec abs re dixiſſe nunc putandus eſt Chriſtus, Dominus noſter: *Plorabitis, & flebitis vos, Mundus autem gaudebit.* Chriſtus verè ἀγέλαστος. (quippe qui ne ſemel quidem in vita riſiſſe legatur, fleuiſſe autem ſæpè) nuncupabitur. Ille væ imprecatur, iis qui rident: *Luc. 6. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia flebitis ac plorabitis.* *Luc. 6.*

Nota ſedulò, hoc ἀντίθετον: *Mundus autem gaudebit, &c.* Nec ſcriptoris cuiuſdã elegantia, ſanè, recentioris, quædam verba, hoc loco maximè conuenientia, prætermittere volo (Iuſtum Lipſium *lib. 1.* de Conſtantia, *cap. 14* intelligo.) Caligula olim, ſcribit ille, per ſæuitiam imperare ſolitus, Ita feri, vt ſentiat ſe mori; Id iſtis euenit, quos carnifex ille animus, cottidie minutis ictibus cædit, & pungit. Nec ſplendor ille (Mundanorum hominum) tibi imponat, & circumfuſa potentia, aut opes. Quia non magis illi ideò felices, aut beati, quàm ſani, quorum febris, aut podagra recumbit in purpureo ſtrato. Deinde, Rident illi ſæpè, fateor: ſed non verum riſum. Gaudent, ſed non germanum gaudium. non hercle magis, quam hi, qui capitis damnati, in carcere attinentur, & talis interdum, aut teſſeris fallere ſe conantur, nec fallunt. Manet enim impreſſus ille imminentis ſupplicij terror, nec tollit ſe vnquam ab oculis imago luridæ mortis. Vide mihi, Sodes, dimoto externorum, iſto velo, Siculum illum tyrannum: *Iuſtus Lipſius lib. 1. de conſtantia, c. 14.*

*Diſtrictus enſis cui ſuper impiâ*
*Ceruice pendet.*

Audi Romanum illum lamentantem. Tiberij verba ex Epiſtola ad Senatum. Dij me dæéq; peius perdant, quàm perire cottidie ſentio. Audi alterum ingemiſcentem. Neronis morituri verba. Ergo ego ſolus, nec amicũ habeo, nec inimicum? Hæc vera illa animorum tormenta, hi cruciatus, angi ſemper, pœnitere, metuere: quibus caue compares eculeos vllos, fidiculas, vncos. Sic ille.

Luctus in Abel ſatis figuratur, ſicut, ex oppoſito vana lætitia, in Cain Mundum adumbrante. Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, ait Chriſtus, Sicut aqua cõuerſa eſt in vinum,

Ioan. 2. *Ioan. 2. c.* Porrò minimè perfunctoriè pertranseunda sunt ista Domini nostri verba: *Plorabitis & flebitis vos. Mundus autem gaudebit.* Vbi antithesim obseruabis, Pij lugent, Impij verò, rident.
Matth. 5. *Matth. 5. Beati qui lugent quoniā ipsi consolabuntur.* Anna Samuelis
1. Reg. 1. mater. *1. Reg. 1.* largiter *flebat, & non capiebat cibum. Cui vir suus*
Tob. 10. *Anna, inquit, cur fles, & quam ob causam affligitur cor tuum?* Altera eiusdem etiam nominis Tobiç iunioris mater, *flebat irremediabilibus lachrymis, Heu heu me! fili mi,* inquiens, *vt quid te misimus peregrinari? &c. Omnia simul in te vno habētes, te non debuimus dimittere à nobis. Cui dicebat Tobias vir suus: Tace, & noli turbari, sanus est filius noster, &c.* Mulier peccatrix, *Luc. 7.* lachrymis suis pedes domini rigare non destitit. Contrà, Herodiadis filia, procaciter,
Luc. 7. Marc. 6. ac impudenter, in cōuiuio Natalito Herodis, saltauit. *Marc. 6.* Præstat autem longè cum Anna, ac Magdalena, largiter flere, quàm cum saltatricula illa, effusè tripudiare, & gaudere. Et quid dico cum saltatrice gaudere? Imò verò præstat cum Lazaro quondam paupere, ac mendico esurire, quàm cum diuite
Luc. 16. quotidiè epulari splendidè, *Luc. 16.* Nam sicut dicit Scriptura: *Extrema gaudij luctus occupat,* Et teste, *Iob 20. gaudium hypocritæ ad*
Iob 20. & 21. *instar puncti.* De huiuscemodi enim, *c. 21.* scribitur: *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.* Quod quomodo sit interpretandum, fusiùs in Decadib. Hom. De epulone, comperies.

Sac. Decad. to priore hom. de diuite epulone. Obserua, quod ex lachrymis, ac luctu magnæ, & multæ sequuntur vtilitates. Lachrymis quippe peccatorū veniam peccatrix obtinuit, vt suprà. *Luc. 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quo-*
Luc. 7. *niam dilexit multū.* Lachrymis vitæ prorogationē Ezechias rex
Isa. 38. consequutus est: *Isa. 38. Fleuit,* ait Euāgelicus vates, *Ezechias fletu*
4. Reg. 20. *magno.* Cui per suum vatē, dixit Dominus: *Audiui orationē tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos, &c.* Lacrymis consequimur optata, & votorum compotes efficimur. Hoc in Anna patuit, quę cōcepit, & peperit magnū
1. Reg. 1. illum Samuelem, cum antea esset sterilis. *1. Reg. 1.* Lachrymis
Luc. 7. mortui excitantur: Patet in adolescente filio vnico matris viduæ. *Luc. 7. Hanc cum vidisset IESVS flentem, misericordia motus super eam, dixit illi: noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Et ait, Adolescens tibi dico surge.* O felices lacrymas! ex quibus tot profluunt, manantque bona! Per quas nimirum, peccatorū obtinetur indulgentia, Anni prolongantur, mortui ad vitam reuocantur, & supplicum vota, executioni demandantur: vnde Psalmogra-
Psal. 38. phus deprecatur: *Auribus percipe lacrymas meas. Ps. 38.*
1. Multæ autem causæ sunt, ob quas flere debeamus. 1. pro-

pter peccata,& miserias proprias: 2. propter peccata aliena: 2.
3. propter presens exilium: 4. ob metum,& incertitudinem 3.
finis nostri. Nam *nescit homo finem suum*, ait Scriptura. 5. ob 3.
gloriæ dilationem. Qui verò his de causis fleuerint, tandem 4.
consolabūtur:iuxta illud supra allegatum.*Beati qui lugent,quoniam ipsi consolabuntur. Psal.93. Secūdum multitudinem dolorum meorum in corde meo,consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* 5. *Psal.93.*

*Plorabitis vos.* Cùm simus in valle miseriæ, exules, & à patria extorres, quomodo non fleremus? quomodo autem gaudere poterimus, ac lætari in hoc mundo? *Musica in luctu, importuna narratio. Eccl.22.* hinc Iudæi in Babylonico detenti exilio,flebant:secundum regium Psaltem: *Psal.136. Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Illic interrogauerunt nos,qui captiuos duxerunt nos,verba cantionum. Et qui abduxerunt nos,Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticū Domini, in terra aliena? Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis,si non meminero tui. Si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Sic Psalmista qui rursus.*Psal 119.Heu mihi,*inquit,*quia incolatus meus* (siue exilium meum)*prolongatus est! Tob 5. Quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo,& lumen cœli non video? Prou.14. Risus dolore miscebitur:& extrema gaudij luctus occupat.* Sara Raguelis filia, *Nunquam,* ait,*cum ludentibus miscui me:neque cum his,qui in leuitate ambulant,participem me præbui. Tob.3. Post tempestatem tranquillū facis. & post lacrymationem,& fletum,exultationē infundis.* Ibidē.Contrà verò, *Iac 4. Risus vester in luctum conuertetur,& gaudium in mœrorem.*Plorate peccatores. Quod si quis obiecerit,quod *Prou.17.* scribitur. *Animus gaudens,ætatē floridam facit:Spiritus tristis exsiccat ossa, & cap.15. Cor gaudens exhilarat faciem:in mœrore animi deiicitur spiritus.* Distinguendum arbitror de tristitia, ac mœrore, aut huius seculi,vel de tristitia,quæ secundū Deū est,qua de Apostolus sic scribit: posterioris, *Cor.7. Gaudeo,* inquiens,*non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitētiam. Contristati enim estis secundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur:Seculi autem tristitia mortem operatur.* Sic ille.

*Eccles.22. Psal.136. Psal119. Tob.5. Prou.14. Tob.3. Iac.4. Prou.17. & 15. 2.Cor.7.*

Neque verò cōniuentibus oculis pertransēūdum arbitror, quod Valerius Max.*lib.7.c.2.* de sapienter dictis,aut factis refert, laudátque Solonē,his verbis:Solon cum ex amicis quendam grauiter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatúsq; est vt per omnes subiectorū ædificiorum partes, oculos circumferret: Quod vt factum animaduertit, Cogita nunc

*Valer. lib.7. c.2.de Sapiēter dictis ex Solone Athen.*

tecum, inquit, quã multi luctus sub his tectis, & olim fuerint, hodiéq; versentur, in sequẽtibúsque seculis sint habitaturi: ac mitte mortalium incommoda, tanquam propria deflere. Qua consolatione demonstrauit vrbes esse humanarum cladium consepta miseranda. Sic ibi. Sors est igitur piorum, atq; conditio ista, vt in luctu, & lacrymis, dies huius vitæ transigant.

*Psal.* 125. *Psal.* 125. *Qui seminãt in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, Venientes autem venient, cum exultatione, portantes manipulos suos.* Vides, ait, hoc loco Euang. Ferus noster, quid piis, hoc in mundo expectãdum sit, nempe fletus, & planctus. Et quidem non desunt eis causę plangendi (vt supra attigimus) Tristãtur siquidem de peccatis propriis, iuxta illud: *Psal.* 41. *ad me ipsum anima mea conturbata est.* Tristantur de peccatis alienis, iuxta illud: *Rom.* 9. *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, pro fratribus meis.* Tristantur de præsenti incolatu, iuxta illud supra citatum, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Tristantur de beatitudinis dilatione: *Psal.* 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ, panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Sũma. Qui seipsum agnoscit, & mala mundi, non habet occasionem gaudij, sed mœroris, Et qui inaniter gaudent, profectò ignorãt malum suum. Sic Ioan. Ferus Moguntinus Franciscanus. Qui inani efferuntur, ac dissoluuntur lætitia. Phreneticis haud absimiles mihi videtur, qui effusè ridere solent, grauissimo, ac letali morbo laborãtes, periclitantésve; cùm tamen circumstantes, vix temperent sibi à lachrymis. Tales hauddubiè sunt Mundani, dicentes, illud: *Sap.* 2. *Vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.*

*Ferus, in Ioãnem, 16.* *Psal.* 41. *Rom.* 9. *Psal.* 41. *Sap.* 2.

*Mulier cum parit tristitiã habet,* Lata enim est sentẽtia in Euam: *in dolore paries filios. Genes.* 3. Si gaudiũ habere vult de filio, oportet, vt prius doleat, verum hunc eius dolorem mitigat, quòd scit non fore diuturnum. Item, quòd ingentem sperat voluptatem de filio nascituro. Pari forma, Animaduertite charissimi discipuli, ait Christus latam esse, decretámque sententiam, Neque solui posse scripturam, *Ioan.* 10. quæ dicit: *Percutiam pastorẽ, & dispergentur oues gregis. Matth.* 26. ex Zacharia Vate, c. 13.

*Genes.* 3. *Ioan.* 10. *Matth.* 26. *Zach.* 13.

Hæc hora iam instat, præteriri non potest, quare forti animo sustinendum est. Hisq; duobus firmandus animus vester. Primò, quòd non diu durabit hæc hora. Secundò, quòd ingens, incomparabilisque fructus inde consequetur. Hic est

præſentis parabolæ ſenſus, quantùm ad Apoſtolos attinet ſpecialiter. In genere autem, ad totam accommodabitur, applicabitúrque Eccleſiam. Quandoquidē piorum afflictiones dolori parturientium comparantur in Scripturis. *Pſal.* 47. Ibi *dolores vt parturientis* *Iſa.* 26. *Sicut quæ cōcipit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis. Sic facti ſumus, &c.* Mich. 4. *comprehendit te dolor ſicut parturientem. Dole, & ſatage filia Sion quaſi parturiens*; An non multæ matres in partu obierunt? *Geneſ.* 35. *Cùm parturiret Rachel ob difficultatē partus, periclitari cœpit. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij ſui Ben-oni, id eſt, filius doloris mei Pater verò appellauit eum Benjamin, id eſt, filius dextræ. Sic.* 1. *Reg.* 4. *Nurus Heli, vxor Phinees, prægnans erat, vicináque partui: & audito nuntio, quòd capta eſſet arca Dei, &c. incuruauit ſe, & peperit, irruerāt enim in eam dolores ſubiti. In ipſo autem momento mortis eius, dixerunt ei, quæ ſtabant circa eam. Ne timeas, quia filium peperiſti.* Sunt quidē & aliorū hominum dolores plerúmq; magni, nulli tamen accōmodatius cōfertur piorum afflictio, quàm dolori parturientis mulieris. Parturientis quippe vehementiſſimus eſt, acerbiſſimúſque cruciatus, imò non procul à morte. Deinde talis eſt, cui hominū nullus mederi poteſt. Adhæc, ſupra dolorē, quem habet, etiā timor eam angit. Neſcit enim an ad vitā, vel, ad mortem partus fiat. Interim tamen, is idē dolor, etſi eſt pœna peccati, eſt tamen initiū vitæ, & conſolationis, Et quāto maior fuerit dolor in partu, tanto maius ſuccedit gaudiū de puero nato. Sic omninò, iuſtorum tribulationes multæ ſunt. *Pſ* 33. atq; adeò acres, vt interdū nō procul abfuit, à deſperatione (ſecundū hominem dico) 2. *Cor* 1. *Supra modū grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit in quem ſperamus, quoniā & adhuc eripiet.* Deinde purum afflictionibus ſolus Deus mederi poteſt. *Pſal.* 26. *Pater meus, & mater mea dereliquerūt me: Dominus autem aſſumpſit me.* Inſuper ipſos etiā cruciat carnis propriæ infirmitas, cordíſque humani inſtabilitas. Neſciunt enim an perſeueraturi ſint, an non. Ideò ſemper timent, & orant, *Pſal.* 50. *Ne proiicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum, ne auferas à me.* Interim, & ſi crux, afflictióque, in peccati pœnam impoſita ſint: Initium tamen, & ingreſſus ſunt ad vitam. Imò quò maior fuerit afflictio piorum, eò maius gaudium conſequetur. *Pſal.* 65. *Tranſiuimus* (inquiunt pij) *per ignem, & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium.*

Pſal. 47. Iſa. 26. Michea 4. Geneſ. 35. 1. Reg. 4. Pſal. 33. 2. Cor. 1. Pſal. 26. Pſal 50.

*Videbo vos, & gaudebit cor veſtrum.* Nota antitheſim. Gaudet

mundus de vanitate, pij ante de visione, & cognitione Dei. Mundus externè quidem gaudet, sed internè verum gaudiũ non sentit, imò perpetuam sentit crucem. Non est enim pax impiis, quantumuis exteriùs lætitiam dissimulent. Isa. 48. & 57. Quale, quæso, gaudium esse potest, vbi cor inquietum est? Contrà autem pij internè gaudent. Psal. 118. *Pax multa diligẽtibus legem tuam. Domine*, *Act.* 5. *Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati.* Vnde & Horatius lib. 1. Epistolarum, Epist. 1. consimiliter cecinit:

*Horatius.*

*Hic murus aënens esto,*
*Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

*Et gaudium vestrum*, ait Christus, *nemo tollet à vobis, &c.* Antithesim etiam obserua. Mundi gaudium facilè tollitur, ac euanescit. Nam voluptas quidem breuis, sed pœna est perpetua, vt etiam Archimandita Franciscus, dicere solitus erat, Ideo tale mũdanũ gaudiũ, cõparatur pulueri. Psal. 1. *Non sic impij, non sic: sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Piorum autẽ gaudiũ, nemo tollere potest, quia in aduersis etiam persistit eorum gaudium vt iã habitũ est. Igitur, Nemo tollet à vobis, id est, nullus homo, nulla tribulatio, nullus dæmon. *Quis nos separabit à charitate Dei? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Rom.* 8. Istæ sunt diuitiæ Christianorum, quas nemo ab eis auferre poterit. *Thesaurizate*, ait Christus, *Matth. 6. in cœlo.* Ibi omnia tuta fore asserit, qui non mentitur, sed nec mentiri potest, cùm sit ipsa veritas suprema, Christus.

*B. Franciscus in Regula.*
*Psal.* 1.

Magno itaque æstimandum est gaudium piorum, quia stabile, quia permanens, quia, vt ita dicam, inauferibile est. Mundi gaudium, ait Ludouicus Granatensis, conc. 1. huius Dominicæ, mille modis intercipitur, & fugit, At piorum gaudium, æternum est. Non mors illud tollere ab eis potest, vbi immortalitas regnat. Non morbus, qui inde exulat, vbi mors non est, non casus, aut fortuna, quæ illic minimè dominantur: non inuidia, vbi omnes germana charitate deuincti sunt: Non dissidia, & bella, vbi æterna pax, & concordia viget: Non hostis antiquus, qui inde cum satellitibus suis pulsus est: non mundus, qui superatus iam, & subactus est: Non caro, quæ spiritualis effecta, non iam rebel-

*Ludouicus Granatensis. Conc. 1. huius Dominicæ.*

lis,& aduerſa,ſed obſequens,& amica eſt. Quocirca nihil eſt, quod illud æternũ gaudiũ, aliqua ratione, vel inficere vel inferre poſſit. Idē Cōc.2. Gaudium mũdi, cōparatur Gaudio diuitis epulonis quod in luctum, cruciatúmque perpetuũ deſiit. Triſtitia autem Piorum penuriæ, ac luctui mendici Lazari, Sed tandem conuerſa eſt eius triſtitia in gaudium, quod nemo ab eo tollere poterit. Luc. 16. Hanc autem tam variam rerum commutationem, quidam commodiſſimo accipitris, (Gall. *vn Eſperuier*) & gallinæ exemplo, exprimere ſolent. Accipiter enim dum viuit, in magno pretio habetur, & regum manibus geſtatur, qui tamen mortuus, in ſterquilinium proiicitur (Gal. *ſur le fumier.*) Contrà verò Gallina, dum viuit, longè à palatio, & ab hominum conſpectu, ad ſterquilinia relegatur: vbi tamen mortua fuerit, argenteis patinis regum mēſis infertur. Eadem igitur piorum, & improborum conditio eſt. Nam iſti è ſplendida & opulenta menſa, ad inferos detrudūtur. Illi autem à paupertatis ſordibus, ad Abrahæ ſinum, manibus Angelorum deportantur, ibíque cum Lazaro quondam paupere, æternam habent requiem.

Idē Conc.2.

Luc.16.a.

Hanc autem rerum viciſſitudinem, in duobus filiis Ioſeph adumbratam cernimus, quos cum pater ad eorum auum Iacob morti iam proximum, adduxiſſet, & Manaſſem natu maiorem, ad dexteram eius, Ephraim verò natu minorē, ad ſiniſtram collocaſſet; ille commutatis manibus dexteram ſuper iuniorem, ſiniſtram verò ſupra ſeniorem, (patre etiam eorum reclamante) poſuit: quòd intelligeret, hoc diuinæ ſapientiæ, atque prouidentiæ decretum fuiſſe.

Ad hunc ergo modum frequenter eos Dominus, qui maiores in hoc mundo putantur, in fine vitæ, cum hœdis ad ſiniſtram, minores verò ad dexteram, cum ouibus ſuis collocat. Sic ille.

Præclara ſanè promiſſio hæc eſt: Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, quæ omnem nobis laborem mitigare poſſit. Si enim nautis, militibus, agricolis, omnes labores mitigat ſpes fructus, & lucri conſequendi, quid nobis recuſandum fuerit laboris, quibus tam certa promiſſa data ſunt? Spes præmij, vt eſt in prouerbio, diminuit vim, grauitatémque laboris, Heb. 6. *Confugimus,* (ait B. Paulus) *ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut ancoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus Item Iac. 5. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ: patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Patientes eſtote & vos. Qui ſpe-*

Heb.6.d.

*rat, patienter expectat, & sua spes eum sustentat, atque confortat.* Quæ est (vt finiunt Theologi) certa expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia Dei ac meritis hominis proueniens. Non est porrò ab instituto nostro alienum, referre, quomodo Romani Spem, vt Deam coluere olim sacrificiis, & templis, tam publicè, quàm priuatim quisque domi: credentes eam cum genio bono singulis in lucem editis hominibus adesse præsto, nec ab iisdem ante extremum vitæ diem discedere. Non male igitur Genialem Spem vocarunt, cum Genij indiuiduam comitem opinentur. Quapropter non sine causa deam hanc senes etiam imprimis colebant: quia caducam, & fragilem vitam, Spes sedulò sustentat, & fulcit. Hanc idcirco pulcherrimè Pindarus Poëta γηροτρόφον, id est, senectutis nutricem optimam appellauit, vt Plato de Republica, & Instinus martyr, ac philosophus testantur. Simulachrum deæ, vt in numismatibus Imperatorum antiquis reperitur: sic in marmore sculptum est: Virginis Stolatæ forma: quæ sinistræ manus suspensæ digitorum duorum extremis articulis stolæ suæ laciniam progrediendo librat, & nonnihil attollit: dextra elata floris calyculum, tanquam fructus nasciturі spem quandam ostendit. Quo gestû declarare videtur, ex paruis quibusque initiis spem nasci: sed meticulosè & dubiè semper promoueri. Additur in tabula hæc obscura Epigraphe

GEN. *Genialis Spei.* HELPIDIS.

*Steph. Pigh. in Herc. Prod. de Spei Simulacra.*

Hæc Stephanus Viuandus, Pighius Campensis, in Hercule Prodicio, totidem verbis, eleganter descripsit, quem licet modernum authorem, laudare tamen non piguit, quippe qui Romanæ antiquitatis peritus, ex suis scriptis facilè deprehenditur, velut ex vnguibus (quod habet prouerbium) Leo.

Obiter adnotarim, Spem Deam à Romanis cultam, quæ in Adriani Imperatoris aureo numismate hoc modo depicta cernitur. Femina fuit stans, stolæ laciniam sinistra manu nõnihil attolens, dextrâ in cubitũ elata, floris similitudinem proferebat, cum hac inscriptione: *Spes P. R.*

Notum est Adagium. Ægroto dum anima est, spes est. Item Spero, quandiu Spiro, ac Rursus illud *Iob. 13. cap. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* Spes Christianorum immortalis est. *Sap. 3. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Tit. 2. cap. expectantes beatam Spem*

*& aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.* vbi, interim obseruabit candidus Lector, Spem, pro re sperata, accipi.

Non tacitus præter mittam, Ouidij libro primo de Ponto, Elegiâ 7. pulcherrimam Spei descriptionem. Sic igitur ille cecinit: *Ouidius.*

*Hæc facit, vt viuat fossor quoque compede vinctus,*
*Liberaq; à ferro crura futura putet.*
*Hæc facit, vt videat cùm terras vndiq; multas,*
*Naufragus, in mediis brachia iactet aquis.*
*Sæpe aliquem solers medicorum cura reliquit,*
*Nec Spes huic vena deficiente cadit.*
*Carcere dicuntur clausi sperare salutem,*
*Atque aliquis pendens in cruce, vota facit.*
*Hæc Dea, quàm multos laqueo sua colla ligantes*
*Non est proposita passa perire nece.*

Deinde,

*Quamuis est igitur meritis indebita nostris* (sub.venia ac indulgentia.)
*Magna tamen spes est in bonitate Dei.*

Sic ille.

Referam & quod Alciatus, In Spei Simulacrum, Emblemate 44. scriptum reliquit: hoc pacto. *Alciatus.*

*Ego nominor illa,*
*Quæ miseris promptam spes bona præstat opem,*
*Cur viridis tibi palla? quòd omnia me duce vernent.*

In quem locum Claudius Minos I.L. Diuionensis, ita adnotauit. Palla vestimenti genus est; ad terram vsque promissum. Viridis autem color, eorum est proprius, qui spe lactantur aliqua, dicit enim idem Alciatus, Emblem. 117. In colores. *Claudius Minos.* *And. Alciatus Emblem.*

*Nos sperare docet viridis. Spes dicitur esse*
*In viridi, quoties irrita retrò cadit.*

Sic ibi.

Vt enim cum virescunt segetes, & arbores, ab eis fructum expectamus, fit tamen interdum, ea spes irrita, fallax, & nullius omninò frugis. Sic multos spes humana fefellit, at verò Spes in Deum reposita, nunquam confundit, vt sacra asseuerat Scriptura.

Minos,vbi sup. Lubens adiiciam,inquit,Fornerij mei, præclari certè hominis destichon,quod ille mihi vtraque lingua eadémque sententia suggessit:

*Gul. Fornerius Antecessor Aurel. Acad.*

Ἐλπὶς γλυκερόφρων μούνη τρέφει ἔνδοθι ἦθος,
Ἧς ἀπολειφθεὶ θανεῖν ἥδιον, ἢ βιοῦν.

*Intus alit pectus nostrum spes viuida: qua si*
*Destituar, durum est viuere, malo mori.*
Hactenus ille.

Mirè consonat istud 1. *Cor.* 15. *si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus: miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Nota est, ac trita, loquendi hæc formula: Spes salutis illuxit, aut,affulsit. Nam, φῶς, pro spe accipi solemne fuit, vt apud Tullium. 1. Philippica: Lux quædam videbatur oblata. Sic etiam Minos in Emb. Spes proxima citauit.

*Cicero 1. Philippica.*
*Min. in Emb. 43.*

*Alunt bona spes exules, vt dicitur.*

*Plutarch. to. 2 opusc. de exi. ex Eurip.*
*Idē to. 2. de tranquill. animi, ex Pindaro.*

Ita ex Euripide, Plutarchus tomo secundo opuscul. de exilio. Estque spes, Senectutis, vt Pindarus, inquit, altrix, eodem Plutarch. tom. item 2. de traquillitate animi, in fine, citante.

Et hactenus quidem tam multa de spe huc congessimus, vt ea fulti, in præsenti militia, ac lacrymarum valle, ad gaudia victoribus proposita properemus, *Et gaudium vestrum,* ait Christus, *nemo tollet à vobis.*

Cæterùm, ex parturiētis mulieris parabola, insinuatur Christi mortem esse instar partus, & resurrectionem instar regenerationis. Quo nomine ipse eam appellauit apud Matt. cap. 19.

*In regeneratione,* ait, *cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ.* Regenerationem vocans ipsam finalem resurrectionem: vnde & Paulus, Act. 13. hoc modo accommodat, in concione. *Nos vobis annunciamus*, inquiens, *eam quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filiis nostris, resuscitans Iesum,* sicut & in Psalmo 2. scriptum est: *filius meus es tu, Ego hodie genui te, &c.*

*Sic & vos nunc quidam tristitiam habetis, &c.* Quid sibi vult nunc, nisi momentum? Est igitur nostra tribulatio momentanea, ad horam durans, ad momentum, & breue instans, quod summa Dei liberalitate, ac bonitate æternum gloriæ (vt ait Apostolus, & sup. citatum est) operatur.

*Gaudium vestrum nemo tollet à vobis, &c.* Gaudium ex resurrectione

rectione Christi à nemine poterat perturbari: neque auferri: quia resurrectio Christi non erat, vt resurrectio Lazari, ad nouam spectans mortem, sed vitam æternam habens. Ideóque cùm nullus sit timor subeundæ mortis, gaudium, quod concipietis, cùm me rediuiuum aspexeritis, nemo poterit tollere à vobis.

Modica igitur est tristitia, quæ vos modo ex morte mea perturbabit, at maxima erit lætitia, quæ vos perfundet ex resurrectione mea, sicut mulieri parturienti transitorius accedit dolor, sed magnum reportat ex nato filio gaudium. Vnde gaudij venturi magnitudo, præsentis anxietatis compensat tormentum.

*In illo die non interrogabitis quicquam, &c.* Difficilis, & obscurus est locus iste. Quomodo enim verum comprobatur istud, quòd post resurrectionem, non eum amplius interrogaturi essent, cùm tamen Petrus, Dominum interrogauerit de Ioanne, post resurrectionem eius dicens: Ioan. 20. *Domine hic autem quid? &c. Act. 1. Domine, si in tempore hoc restitues regnū Israel.*

Respondeo, Sic exponendum esse hunc locum: In illa die postquam subtractus fuero, à conspectu vestro, iam nihil me interrogabitis. Erit tamen vobis doctor Spiritussanctus, vt neminem sit necesse interrogare. Non ergo simpliciter de resurrectione Christi interpretaberis, sed de die Pētecostes, quando Spiritussanctus docuit Apostolos omnem veritatem, ideóque nihil opus habebant, vt interrogarent, cùm de nullo dubitarent, à Spiritu illo, veritatis doctore, plenissimè instructi. Vel etiam, vt Diuus exponit Augustinus, ad vitam beatam istud referendum est, siquidem in cœlesti regno, non erit locus interrogandi quicquam: quando clarè beati omnia intuebuntur, quæ sibi sunt necessaria. Verùm enimverò, ad contextum magis consentaneè exponendum videtur ad hunc modum: *In illo die* scilicet, Pentecostes, *non me interrogabitis*, non quod non indigeatis lumine meo, sed quia præsentem habebitis doctorē Spiritū sanctum. Et quamquam me in persona propria non interrogabitis, tamen consuletis scripturas. Hæ vos satis instruent (interiore doctore, vos irradiante, & illustrante) vt non sit opus meipsum interrogare.

*D. Augustin.*

Hucusque Euangelicam percurrimus lectionem, quoad literalem (vt vocant) interpretationem: Nunc quædam sparsim obseruabimus, non pœnitenda: vnde à prima periodo exordium ducentes, *Modicum, &c.* Notandum quod supra

Ioan. 13. discipulis dixerat, *Filioli, adhuc modicum sum, &c.* *& cap. 29. Adhuc modicum*, inquit, *& mundus me iam non videt. Vos autem videtis me, &c.* Modicum, ait, vel, quia mox erat subtrahendus, per captutam, & sequenti die crucifigendus. Aut, quia postquàm triumphator ascendit de sepulchro, quadraginta solùm diebus conuersatus est cum discipulis suis. Neque obstat, inquit Michaël de Palacio, in Ioan. 13. cap. quod Matth. 98. 28. id est, vltimo cap. scribitur: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Enimverò Christus semper ad- st fidelibus, suæ diuinitatis speciali prouidentia, & assistentia: tametsi secundum carnis præsentiam visibilem absit, postquam assumptus est in gloriam Dei Patris. Iam enim non est visibilis oculis corporis, neque tractabilis, sed solùm oculis fidei, per quam credimus præsentem esse realiter sub velamento accidentium specierúmve panis, & vini. *Modicum*, igitur ait, *vobiscum sum* loquens, & agens, & mortali vita viuens: vt vos viuitis. At resurgens à mortuis, & vita immortali fruens, adhuc modicum ero vobiscum, mortalem vitam degentibus. Sic ille.

*Mich. de Pala.*

Hoc quoque modo intelligendum est, quod Matth. 26. dixerat, *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* sup. pauperem, indigentémque, & cui possitis corporale ministerium (velut fecit hæc fœmina, que vnxit illum in conuiuio, seu, cœna) exhibere.

*Idē de Palacio*

Idem de Palacio in Ioann. 14. cap. Adhuc post pusillum tempus, & Mundus me iam non videt, quia nimirum, ait ille, post triduanam mortem surrexit Christus inuisibilis omnibus hominibus, nisi, quibus ipse voluit se manifestare, vt se manifestauit Apostolis, & quingentis Fratribus, & Magdalenæ, vt ex Euangelio, Paulique testimonio habetur. Siquidem est hic status beatorum, vt sit in eorum potestate, beata sua corpora visibilia facere, aut retinere inuisibilia. *Vos autem* inquit discipulis suis Christus, *videbitis me, &c.* Hoc est, vobis ero visibilis tunc, etiam si aliis sim inuisibilis. Vobis tamen, qui permansistis mecum in tentationibus meis, meipsum ostendam, ad consolandum vos: fruemini igitur plena consolatione, & inuisibi Spiritus Paracleti, & mea visibili. Porrò, non est sermo modo, de die illo terribili iudicij, quando mundus videbit Christum. *Videbunt enim filium hominis venientem in nubibus cæli, cum potestate maxima. Matth. 24. cap.* Sed solùm sermo hic: *Mundus me iam non videt, &c.* Significat, Ero mundo inuisibilis, à morte mea, vsque in diem iudicij, quando ero omnibus iustis, & iniustis conspicuus.

Nunc autem in Sacramento altaris, non videtur Christus sub propria forma, sed sub forma panis consecrati, à fidelibus fidē videtur, & fide adoratur. Hæc ibi.

Siquis autem obiecerit. *ex Act. 9.* Ananiam Saulo dixisse: *Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, & cap. 26. Ego sum Iesus, ad hoc enim apparui tibi, vt constituā te ministrum, & testem eorum, quæ vidisti, &c.* Item *sup. cap. 23. Sequenti nocte assistens Paulo Dominus, ait: Constans esto: Sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet, & Romæ testificari.* Vides, quomodo post resurrectionem suam, verè, ac corporaliter apparuerit Apostolo Christus, mitto, quod de Petro martyrio, citatur; Apud Onuphrium Panninum, Veronensem, Augustinianum, de Septem, præcipuis Ecclesiis vrbis Romæ dum agit, De Sacello, Domine quo vadis? nuncupato. Ex Ambrosio Mediolanēsi Episcopo, doctoréque illustri, & sancto, In oratione qua in Auxentium, de Basilicis tradendis, inuehit, sic scribente. Petrus, Gentilibus eum quærentibus, vt ex Christianorum persuasione, paulisper cederet, Ille quamuis esset cupidus passionis, tamen cōtemplatione populi precantis, inflexus est. Rogabatur enim, vt ad instituendum, & confirmandum populum, se reseruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbémque ingredi, ait, Domine, quo vadis? Respōdit Christus, venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, quia mortuus est semel, & iam non moritur, at Apostolus. Intellexit ergo Petrus, quod iterum Christus crucifigendus esset in seruulo. Itaque spontè remeauit. Interrogantibus Christianis, Responsum reddidit. Statímque correptus, per crucem suam honorificauit Dominū Iesum. Hæc scripsit B. Ambrosius, quæ multis annis antea memoriæ prodiderat Hegesippus, vicinus Apostolorum temporibus, vt licet legere, in eorum, quæ scripsit de Hierosolymitano excidio libro tertio. Hæc eadē legimus in lib. de martyrio Sāctorū Apostolorum Græcè scripto, ex quo hæc descripsimus.

*Onuph de Stationibus vrbis Romæ, De Sacello, Domine, quo vadis?*

*Ex Ambr. in orat. de Basilica tradendis.*

*Hegesip. li. 3. de excid. Hierosolymitanō.*

Ante paucos dies rogatus à fratribus secedebam, & ecce vidi Dominum meū IesumChristum, quē adoraui, & his verbis affatus sum. Domine, quo vadis? Venio, inquit ille, Romam iterū crucifigi. Sequēs igitur illū, Reuersus sum Romā. Paulò post idē Onuphrius. Hæc ex illa hist. martyrij Beatissimorum Apostolorum, Græcis literis, iisque vetustissimis scripta, huc transtulimus, vt multis probatis testimoniis ostende-

*Ex marty. SS. Aposto, Græcè Scripto.*

remus, diuina quadam dispositione factum fuisse, vt Petrus Apostolus Romam reuersus, martyrium illic pateretur. quemadmodum Innocentius 3. Romanus Pontifex, rectè his verbis annotauit: Locus quem elegit Dominus, Apostolica sedes esse agnoscitur, &c. Deinde subiungit: Vnde cum ipse Petrus vrbem fugiens exiuisset, volens Dominus eum, ad locum, quem elegerat reuocare, interrogatus ab eo. Domine, quo vadis? Respondit: Venio Romam, iterum crucifigi, quod intelligens Petrus, pro se dictum, ad locum ipsum prorinus est reuersus. Idem Innocentius, in alio sermone: Traditur (inquit) Dominus Iesus occurrisse B. Petro, & tam ipsi, quàm pro ipso dixisse: Venio Romam iterum crucifigi. Ita Innocentius 3. Papa.

*Innoc. 3. Papa*

In huius rei memoriam, haud longè à porta S. Sebastiani via Appia, sacellum antiquius conditum fuit nostro seculo Reginaldi Poli Cardinalis Britanni iussu, impensa hospitalis Anglorum renouatum. Hactenus ad verbum Onuphrius, vir sanè antiquari⁹, & multæ, ac variæ lectionis. Ex hac historia duo colligo. Vnum est Christum post Ascensionem suam, Petro, vicario suo apparuisse corporaliter, illique occurrisse. Alterum, eundem Apostolum post receptum dudum in Pentecoste Spiritum sanctum Christum interrogasse, Quò proficisceretur? Et tamen vtrumque superioribus repugnare videtur, nempe, quòd Christus Apostolis dixerit: In illa die, non interrogabitis me, &c. Item expositioni adductæ: *Vos videtis me*, videlicet, vsque ad Ascensionem, *Mundus autem me non videt*, post meam resurrectionem, vsque ad supremum iudicij diem.

Respondendum sanè, hæc de lege communi intelligenda esse. Tamen extraordinariè, & ex Priuilegio, Saulo & Paulo, atque B. Petro Apostolorum principi, & quibusdam (prout voluerit Christus, omnipotens Deus) apparuit ille verè, post suam in cœlos Ascensionem.

Interrogasse autem Christum, Beatum Petrum, non repugnat, aut vlla in parte contradicit, huic sententiæ: In illa die, me non rogabitis quicquam. Quamquam cum interrogauerit, speciali quadam id factum est dispensatione, non ex lege communi. Adde quod interrogatio illa non arguit, vel conuincit D. Petrum, tunc temporis nescisse mortem suam, quam illi Christus, post resurrectionem prædixerat, & prænunciauerat Ioann. 21. cap. *Cùm esses iunior*, inquiens, *cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cùm autem senueris extẽdes manus tuas, & alius*

*te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, ait item illi: sequere me*

Quibus verbis subindicauit Christus, Petrum esse crucifigendum, pro ipsius nomine, ac fide necnon pro grege, eodem nempe mortis genere, quo & ipse Christus, pastorum princeps, pro omnibus suis ouibus fuerat affectus. *Alius* quippe *te cinget*, quando te ligabit vt crucifigaris, *& extendes manus tuas*, in cruce pro me, vt ego feci pro te. Neronis nempe carnifices, seu, lictores, ligabunt te, & ducent te, ad crucis supplicium, *quò tu non vis*, secundum naturalem inclinationem. Naturâ enim quilibet ad vitam tuendam (quoad licuerit) propēsionem habet maximam (etiam Cicerone teste) vnicuique enim animantium, à natura tributum est, vt vitam suam tueatur, & ea, quæ nocitura sunt, effugiat. Sic mors Petri iuuolūtaria fuit, Porrò secundum animi deliberationem, erat volūtaria. Præcipit Petro Dominus, vt eum sequatur, id est, vt crucem eo animo ferat, quo Christus tulit suam, nempe ob salutem gregis sui. Tu igitur Petre, mea sequere vestigia, pastorē quippe constitui te totius ouilis. Ideò exponas, oportet, animam tuam pro salute gregis, tibi à me commissi. Sic videtur non ignorasse Petrus mortis suæ genus, & speciem, quam sibi Christus longè antequàm interrogasset, Domine, quo vadis? prænunciauerat. Vel etiam, vt supra dicendum, id fuisse priuilegium Petri, quod legem multis impositam, non soluit, aut abrogat. *Cicero.*

Sed acrior instat obiectio, de quibusdam perfidis Iudæis qui tamen Christum viderunt, ante Iudicium, quòd nondum venit, sed expectatur certò futurum: veluti S. Gregentius Archiepiscopus Tephrensis, scriptor Græcus, disputans cū Herbano Iudæo; Nic. Gulonio interprete, literis consignauit, ad hunc modum: Ad Sancti viri Gregentij orationem, in refertissimo consessu, Rege præsente, cum optimatibus, ac fideli turba, Terræmotus magnus factus est, atque ab Oriente tam vehemēter intonuit, vt horrore omnes correpti fuerint, & ceciderint in terram. Qui paulo post, cùm surrexissent omnes, Et orientē versus intenti essent, Ecce aperti sunt cœli portæ & repente nubes fulgida explicata est à porta cœli, velut planus campus, ad eos vsque perueniens. Adhuc autem contentis oculis intuebantur, Ecce Dominus Iesus à portis exitus illius venit: & ad ipsos supra deambulans accedebat coram oculis ipsorum. Erat autem speciosus forma valde, venit igitur, & *S. Greg. Græc. Nic. Gul. interprete versus finem.*

in extremis partibus nubis ſtetit propè Archiepiſcopum, & conſeſſum,ſiue,concilium,ſuprà ipſos ferè ducentos cubitos, ita vt ipſe videretur ab omnibus, purpurea nube circumamictus pulcherrima,ex qua diuinitatis radij emicabant. In capite eius ſplẽdor fulguris, & diadema pulchritudinis inæſtimabilis,& radiis velut ſpinea corona: gladiúmque tenebat manu ſiniſtra,& dextra ſeipſum. Vt igitur ſtetit coram ipſo Dominus,tremor non enarrabilis cum gaudio in ipſum Regẽ,& optimates incidit,atque in omnem Chriſtianorum multitudinem, ſic vt præ illo horrendo ſpectaculo, neque ipſi loqui poſſent Solummodo ſurſùm obtuentes,iucundè ipſum conſpiciebant,& præ immenſa,atque incredibili lætitia attoniti, ſtupeſcebant. Iudæi verò cum ſuo Herbano,horribile,& tremendum illud myſterium ſpectantes, animo percellebantur valde,ſua pectora tundentes, & præ tremore, ac formidine huc, & illuc circumſpicientes, fugam quærebant. Archiepiſcopus autem ad Herbanum alta voce clamauit: Contemplare,ô Herbane,horrificum illud myſterium,de quo tibi magna eſt ſcrutatio, & inquiſitio, atque inconcuſſam, & certam habeto fidem,& crede indubitanter, quòd vnus ſanctus, vnus Dominus Ieſus Chriſtus in gloriam Dei Patris,Amen.

Hic autem adhuc tacebat.Venit igitur, vox à Domino, ad Iudæos. Propter magnam Archiepiſcopi inuocationem, appareo vobis in oculis veſtris,ego crucifixus à patribus veſtris. Voce autem edita, attoniti ſtupuerũt omnes,& proni in terrã ceciderunt: & quod B. Paulo,cum huic Dominus apparuit *Act.* 9. quondam accidit,vt excæcaretur, hoc idem ipſis euenit. Siquidem apertis oculis neminem videbant. Quæ cũ ſic facta fuiſſent,ad faciem Domini radicata in ſublimi, quæ erat deorſum ſub ipſo nubes lucida, eum occultauit à facie ipſorum: & ſic Seruatore ad interna ſurſum perambulante, paulatim conduplicabatur à tergo ipſius nubes, donec ad cœleſtia domicilia reuerſus eſt Dominus. Rex autem, & turbæ Chriſtianorum fiducia recollecta, tunc valida, & firma voce clamarunt, Domine miſerere. Et Reuerendus Archiepiſcopus, cernuus,& pronus in terram incumbebat,& ad Dominum Deum noſtrum preces fundebat. His ita conſecutis, & omnibus in concilio congregatis, Rex, & cum ipſo Senatus, Archiepiſcopum Religioſè admodum verentes, & honore incredibili proſequebantur venerantes, & admirantes. Iudæorum vnus alterum interrogabat: Vidéſne & tu frater? Hic dicebat: Nullomodo. Herbano dixerunt,

*Act.* 9. c.

Væ nobis magister, quidnam modò faciemus? Hic autem ipsis dixit, nos soli excæcati fuimus, Christianorum Deum conspicati? Nunquid & illis hoc idem accidit? Quidam ex Christianis cùm hæc audiuissent, alta voce dixerunt. Absit. Nos equidem Christiani gratiâ eius inexplicabili ipsum cõtemplati, acutiùs, & meliùs nunc cernimus, quàm antea videbamus. Vos soli cæci facti estis propter perfidiam, & incredulitatem vestram. Cùm igitur omnes cæci essent, neque omninò viderent, Herbanus mane ductus ad Archiepiscopum venit, & dixit ad ipsum. Omnis homo suum Deum intuitus, ab eo beneficium accipit. Nos autem Deum tuum vidimus, & mala accepimus. Si huiusmodi beneficia in eos confert, qui ad ipsum accedunt: certè sui patris bonitatem non adeptus est Sanctus Archiepiscopus, Dominus, (Ps. 93.) Deus vltionum, etiam nunc liberè egit. Secundum vestras blasphemias (id est, impias contumelias, & sacrilega conuitia vestra in illum) vobis factum est. Herbanus. Si malum pro malo rependit, cuinam postea nostra curanda committis? S. Archiepiscopus. Medicus membrum secans, quodcumque putruit, non vt autor sectionis redarguitur. Indignis enim oculis Dominum contuiti, excæcati fuistis. Herb. Ex omnibus, quę abs te audiuimus, & vidimus, hoc solùm tibi restat, vt aperiantur oculi nostri, & Christiani omnes efficiamur. Quod si hoc nobis non perfeceris, redes rationem in die Iudicij pro nobis. S. Archiep. Si vultis, vt vos spiritali lauacro perfundam, visum recipietis. Herb. Si nos perfuderis, & neque nostri aperiantur oculi, quid futurum? S. Arch. vnum, inquit, purifico lauácro abluam ex vobis, qui si visum non receperit, ne tunc hoc acceperitis. Hoc autem Herbano placuit, & omnibus. Atque cùm ex his vnus, cœlesti lauácro tinctus fuit, continuò apertis oculis visum recepit, & clamauit, dicens: Iesus Christus Deus est verus, & credo in ipsum, hoc cùm audiissent cæteri, cum alacritate magna, ad sacrosanctum lauácrum accesserunt, & Christi signaculo accepto, cum Christianis annumerati sunt. Et factum est gaudium magnum, & lætitia Ecclesiæ Dei, in die illo, & Diabolo damna multa. Herbanus etiam lauácro spiritali tinctus, & omnes, qui cum ipso erãt, mox oculis apertis, & in pristinum aspectum restitutis, Deũ glorificarunt. Deinde post pauca subiungitur. Rex autem Herbanum sciens virum esse ornatissimum, & eruditissimum eius in Sancto baptismo fideiussor, siue, sponsor factus (gall. *en parrain*) ipsum Leonem nominauit, & vnum sui Senatus

Ps. 93.

declarauit, suum constituens Patricium (vt Romani nominant, & Καλικλείοια, Græci.) Hic honor, vt ex Græcis nouissimis Scriptoribus colligere licet, maximus fuit, & summæ familiaritatis apud reges, & Imperatores. Ex Iudæis autē cū Herbano, circiter quinquies mille quingentis millibus lauachro spirituali tinctis, magna animi voluptate domos suas reuersis, Regis iussu, & Archiepiscopi, omnis Synagoga Iudæorum, quæ omnibus regni ipsius vrbibus habitabat, baptizatur. Et statim de consilio, & sententia sanctissimi Archiepiscopi, Rex piissimus familias, siue, tribus, quas ipsi inter se habebant, dissipauit, & edixit, vt Christianorum familijs miscerentur. Hactenus veridica, & valdè mirabilis historia, in calce disputationis cum Herbano Iudæo. Ex qua conficitur, Dominum nostrum Christum, post Ascensionem suam, à Iudæis tunc incredulis, visum fuisse in aëre, cum splendore, ac maiestatè. Non igitur ad diem vsque iudicij generalis, differretur conspectus eius, veluti suprà memorata verba ipsius significant: *Mundus iam me non videt &c.* Respōdeo: factum istud priuilegiatum esse, specialissimam ob causam, & extra ordinem, legémque communem, quapropter trahi non debet in

Ioan. 14. c. consequentiam. Manétque veritas ista, *Ioan. 14 Adhuc modicū, & mundus iam me non videbit* (nisi in iudicio, in maiestate venientem) *Vos autem videbitis me &c.* Discipuli enim post resur-

Act. 10. cap. rectionem, immortalem existentem viderunt; quia (*Act. 10. c. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis, à Deo, nobis qui manducauimus, & bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis.* Ideo dicit hoc loco: *Et iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem* (per

Ioan. 13. c. Resurrectionem, & Ascensionem) suprà. *Ioa. 13. Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem &c.* In superiore autem Christi ad Iudæos ostensione, & de cœlis manifestatione, in gloria, ac maiestate, & apparatu plusquàm regio, tanquàm Iudex horrendus apparere voluit, vt ad fidem suam contumaces, rebellésque Iudæos terroribus, ac minacibus verbis conuerteret, pertraherétve.

*Modicum*, Nota, præsentem hanc vitam veloci cursu transigi, & parùm admodum durare. *Adhuc pusillum, & non erit pec-*

Psal. 36. *cator: quæres locum eius, & non inuenies. Psa. 36. Homo sicut fœnum,*

& 102. vt ait Euangelicus vates, *virescit nunc, statimque postea exsicatur.*

Isa. 40. c. *Exiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Verè fœnum est populus.

Iac. 4. c. Idem. *Iac. 4. Quæ est enim vita vestra? Vapor est, ad modicum parens,*

Iob. 14. c. *& deinceps exterminabitur, fugit velut vmbra: Iob. 14. c.* Potest in-

super comparari vita nostra, illorum animalium vitæ, de quibus scriptum reliquit Aristoteles, quòd per diem tantum vnum vitam traducant, quo decurso, statim intereant, & quæ perueniunt ad solis occasum, dicantur ad decrepitam iam peruenisse ætatem. ἐφήμερον sine, diarium, huiuscemodi animal vocatur: De fugaci, ac transitoria vita præsenti, nos in Decadib. nostris plura diximus ad Euangel. Io. 7. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui misit me &c.* Fer. 2. post Dominicam in passione. Recurre ad Decadas. Item Homil. 1. ad hæc mystica verba: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* 1. Ibidem.

Huc facit, quod *Isa.* 54. scribitur: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus.* Pulchrè quadrat quod præsenti legitur Euangelio: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

*Aristot. Sac. Decad. Autores tom. posteriore fer. 2. post Dominicā in passione Miserunt Iudæi ministros. Adhuc modicum tempus &c. Et to. 1. Ho. 1. Memēto quia cinis es. Isa. 54. c. Ioan. 16. c.*

Obserua, ex Aristotele, lib. 5. de historia animalium ca. 19. sub finem c. Hypanis fluuius, apud Cymmerium bosphorum, sub solstitio defert veluti folliculos acinis maiores, quibus quadrupedes volucres erumpunt: quod genus animalis in post meridianum vsque diei tempus viuit, & volat: mox descendente sole macrescit, & languet, deinde occidente emoritur, vita non vltra vnum diem peracta: vnde Ephemerum, id est, diarium, (*viuant vn seul iour*, Gall.) appellatum est. Sic ille. Talis proculdubio est vita hominum breuis. Benè igitur Modicum.

*Aristot. l. 5. de hist. animalium c. 19. in calce.*

Cæterùm *Tristitia vestra, in gaudium vertetur*, sic expone, quòd Pij, sanctique viri, priùs atro vescuntur pane (*mangent leur pain bis*) & postea albo: priùs etiam celebrant vigiliam, seu ieiunium, deinde ipsum festum cum exultatione: Christi capitis nostri exemplo: Luc. 24. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Vnde Psal. 29. Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* E diuerso, iniusti, & reprobi, hîc florent prosperitate, & gaudent in hoc mundo, sequentes sua desideria, & prauas concupiscentias: sed eorum lætitia, aliquando etiam hîc, & semper post exitum vitæ huius, conuertitur in tristitiam, quæ nunquam desinet. Comedunt enim ipsi priùs suum album panem, & posteà coguntur atrum manducare; & sunt tanquam celebrantes festum ante vigiliam, cum ieiunio, sed deinde

*Luc. 24. c. Psal. 29.*

continuam agunt vigiliam, & ieiunium, quod nunquam finitur.

Patientes itaque nos esse conuenit scientes quia, *Omnes, qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* 2. Timoth. 3. cap. quod & in Exodo designatur, per filios Israel, qui in terram promissionis (quæ æternæ vitæ typum gerit) peruenire non potuerunt, nisi pertransito mari rubro, per annos quadraginta, graui labore, magnisque sudoribus, inhospita deserta perambulassent, nisi alienigenarum Gentium reges profligassent, quod & per Æneam Virgilius, per Vlyssem Homerus, & per Herculem Poëtæ omnes insinuant. Mali verò deliciis, & huius mundi oblectamentis perfruuntur.

*2. Timot. 3. ca*

Porrò, in huius parabolæ explicatione, *Mulier cum parit, tristitiam habet &c.* diutiùs immorari libet. Per mulierem animam cuiuslibet fidelis, quæ bona proposita concipit, & bonorum operum fructus edit atque parit, intellige. Quod Dominus clarè ostendit: subiungens: *Et vos quidem nunc tristitiam habetis. q. d.* Vos designaui per mulierem parientem. Amaritudinem autem radicis dulcedo pomi compensat: pericula maris spes portus alleniat, dolorem medicinæ spes salutis mitigat. Qui nucleum desiderat, nucem frangat: sic dolorem perturientis, alleniat natiuitas optatæ prolis. In partu gemitus, in filij natiuitate, ingens gaudium.

*Iud. Clicthoueus serm. 2. præsentis Dominicæ. Catonis ἀπόφθεγμα, seu, graue dictum.*

Idcirco, ait Clicthoueus, præsenti Dominica sermone 2. Porcium Catonem dicere solitum memoriæ proditum est, scientiarum radices amaras esse, fructus verò dulcissimos. Nostrum igitur animū semper subire debet illa Catonis ad suos milites admonitio: Siquid, inquit, per laborem rectè facitis, labor citò recedit, benè factum remanet: Siquid autem per voluptatem nequiter feceritis, voluptas citò abibit, turpiter autem factum perpetuò remanebit: Animus certè nobis datus est, mirum in modum suapte natura fœcundus, ad pariēdos optimos morum, ac disciplinarū fructus: Neque enim tantam fœcunditatem habet terra, ad ferēdas segetes, & omnigena semina, quantam animus ad honestatem, & cognitionem, Cauendum sanè nobis est, ne inueniamur steriles, sicut ficus illa, in qua Dominus fructum requirens, nihil præter frondes inuenit. *Matth. 21. c.* Vxorem fœcundam diligit maritus, quam ob sterilitatem, apud Romanos, repudiatam memorat Valerius Maximus lib. 2. c. 1. his verbis: Primus à condita vrbe Sp. Caruilius vxorem sterilitatis causa dimisit. Qui

*Matt. 21. c. Valerius Max. lib. 2. c. 1. de matrimoniorū ritu.*

quanquam tollerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorum, coniugali fidei præponi debuisse arbitrabantur. Sic ille.

Ne igitur repudium diuortiúmve à Domino patiamur, nūc pariamus in tristitia, vt postquàm pepererimus non meminerimus pressuræ, propter gaudiū. Quia natus est, ait Christus, homo in mundum. An non gaudendum est de nato infante? Quid enim quæso rationi videtur magis esse cōsentaneum, quàm diem illum, in quo homo θεοειδὴς, hoc est, ad Dei imaginem factus, & efformatus, ex tetro caliginósque illo vteri materni carcere, in iucundam hanc, lætámque lucem erupit, & mater tot, tantis, támque periculosis, gestationis, parturitionísque doloribus, atque cruciatibus liberata est, lætis, & gratulatoriis conuiuiis celebrare: quibus & Deo, pro tanto, támque admirabili beneficio gratiæ agantur, & parentes vnà cum tota familia, ex innumeris curis, sollicitudinibus, laboribus, atque terroribus recreentur, ac reficiantur?

Puerperalia conuiuia vulgò appellantur Repotia, Ausonio, epulæ nimirum, quæ æditis in lucem liberis adornantur (vt l. 1. Antiq. conuiuialium Gul. Stuckius, obseruant, c. 16.) Crediderim, ait ille, repotia celebrari solita liberis natis, & cū maritis noua quotannis soboles nascatur, vt renouanda sit epulatio: idcirco ea conuiuia repotia appellata. Sic ille. *Gul. Stukius l. 1. c. 16. Antiquitatum conuiuialium*

Obseruatione interim dignissimum sanè est, dies illos, quibus olim Martyres pro Christo mortem fortissimè oppetierunt, γενέθλια, hoc est natalia, seu, natalitia ipsorum fuisse vocatos; propterea quòd per mortem in Christo, ad vitā verè vitalem, hoc est, æternam, & immortalem, transirent, atque renascerentur. Vnde etiam cœlestis patria vocatur regio viuentium. Dies natiuitatis, cùm infans in lucem est editus, & iucundissimæ huius lucis vsurâ gaudere incipit, seu omnium angustiarum, ærumnarum, atque dolorum initium, & introitus, Dies mortis contrà, ceu consummatio, & dolorum omnium depositio, non abs re à sapiente reputatur, atque existimatur. Ideo *Ecclesiastes, c. 7. Melior est*, inquit, *dies mortis, die natiuitatis. Idem ca 4. Laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & fœliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.* *Ecclesi. 7. c. & c. 4.*

Thracum morem Archias eleganti carmine Græco, suprà citato, expressit. Quem etiā Valer. l. 2. c. 6. de externis institutis commemorat his verbis: Thraciæ illa natio, meritò *Archias poëta Græcus Valerius l. 2. c. 6. de externis institutis.*

ſibi ſapientiæ laudem vendicauerit, quæ natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebrat. Sic ibi. Solinus Polyhiſtor, *cap.* 16. ſimiliter meminit, ne laudem Herodotum hiſtoriæ patrem, ac Pomponium Melam, qui de Thracibus eadem conſcripſerunt.

*Solinus Polyhiſtor, c.* 16.
*Herodotus*
*Pomponius Mela.*

Sed tempus eſt huic concioni finem imponere, atque poſt partus dolores, vitæ præſentis ærumnas, poſt exanclatos multos labores, cum Dei ſpeciali adiutorio, ad verum illud æternúmque gaudium, aſpirare, ac tendere, *vt ſit Portio noſtra, in terra viuentium.* Sítque toti Eccleſiæ gaudium, non tantùm quia natus eſt homo in mundum, Sed multo magis, quia ad cœlum, de hac miſeriæ, & lacrymarum valle, peruenerit: ac in regeneratione illa, feliciſſimè aditum ſibi, per IESVM Chriſtum, ex hoc carcere, & carnis ergaſtulo egreſſus, inuenerit. Ipſi cum æterno Patre, & ſancto Spiritu, ex vtroque procedente, ſit honor, & gloria, per immenſa ſecula.

AMEN.

# DOMINICA QVARTA A PASCHATE.

## De Spiritus paracleti promiſſione, ac per eum mundi reprehenſione: *Ioan.16.cap.* *Ioan.16.*

*Vado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero mittam eum ad vos, &c. Vbi ſuprà.*



SPIRITVM ſanctum, doctorem veraciſſimum, Chriſti clarificatorem eximium, ac peccatorum reprehenſorem acerrimum eſſe, hôc loci demonſtrat ὁ θεόλογος, & ſacer Euangeliſta Ioannes. Erat verò opportunũ vt Spiritus ſãctus de Chriſto teſtimoniũ perhiberet. Pater ſiquidem de eo nõ ſemel teſtificatus fuerat; in Iordanis flumine, *Matth.3.* atque in monte Thabor, dicens: *Hic eſt filius meus Dilectus, in quo mihi benè complacui, Ipſum audite.* Ipſe etiam Chriſtus verbo & opere ſuã teſtatus fuerat diuinitatem: vt ex ſacri Euangelij decurſu, liquidò conſtat. Reſtabat Spiritus ſancti teſtimonium. Tres etenim ſunt, qui teſtimoniũ dant in cœlo. Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, ait *D. Ioannes, prima ſuæ Epiſtolæ cap.5. Necnon ſui Euangelij, 15.cap.* ſub finem. *Cum venerit paracletus*, inquit, *ille teſtimonium perhibebit de me.* Hoc rurſus loco: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* *Matth.3. & 17.* *1.Ioan.5. Ioan.15. & 16.*

Huius autem de Chriſto teſtimonium duplex deprehenditur. Vnum quidem ſenſibile, vt in die Pentecoſtes, quando factus eſt de cœlo ſonus. *Act.2.* Quando item ſuper baptizatos, ſub forma viſibili deſcendebat Spiritus ſanctus, *cap.10.* *Act.2. & 10.*
Alterum verò inuiſibile, atque ſub ſenſum non cadens. Cuius

Paulus, Rom. 8. his verbis meminit, dicens. *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, &c.*

Cæterùm, Maximum fuit diuinitatis Christi testimonium, quod ipse mitteret Spiritū sanctū super Apostolos. Enimuerò, à nullo potest mitti Deus, nisi à Deo. Atqui Spiritus sanctus Deus est. Non nisi ergo à Deo mitti potuit, aut debuit. Cùm ergo Christus ipsum miserit (suprà enim dixerat, *quē ego mittā*

*Ioan. 15. & 16.* *vobis à Patre, spiritum veritatis*, & hoc loci: *Si autem abiero, mittam eum ad vos*) Consequens vtique est, Christum verum Deum esse. Fatuum enim esset affirmare, quòd purus homo Deum mitteret. Consequitur quoque Spiritum sanctum (quod disertis verbis hîc asseritur: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*) ab ipso Christo (quatenus Deus est) procedere: Mittitur quippe solùm persona, quæ procedit, ab ea vnde procedit. Mittitur Spiritus sanctus à Christo: Ab illo. Itaque etiam procedit. Quod aduersus Græculorum errorem semel sit obseruatum. His iam prælibatis, ad ipsum contextum aggrediamur.

*Vado ad eum qui misit me, &c.* Ad patrem, nimirum, cœle-

*Ioan. 13.* stem. *Ioan. 13.* Sciens quia à Deo exiuit, &, ad Deum vadit.

*Ioan. 16.* Vado ad cœlestem patriam, inquam, *Ioan. 16. Exiui à patre, & veni in mundum: Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Vado per mortem, ad resurrectionem, pérque hæc media conscensurus sum ad cœlos. Consolatio non minima hæc est, quòd mors via est, seu transitus & commigratio ad Patrem.

*13. cap.* *Ioan. 13.* vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.

Quòd dicit, Vado, spontaneam suam mortem significat; *Nemo, ait, tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo, iterum sumendi eam.*

*10. cap.* *Ioan. 10. cap. Isa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit*, ait, Euangelicus

*Isa. 53.* Vates. Vnde voluntariè ad mortem processit. *Ioan. 18. Vado*

*Ioan. 18.* *ad eum, &c.* Consimile habetur. *Tobiæ 12. cap.* Raphaël Ange-

*Tobiæ 12.* lus dicebat: *Tempus est vt reuertar ad eum qui me misit vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.* Sic ille. Ad hunc modum Christus, magni consilij Angelus, suos nunc alloquitur. *Vado ad eum qui misit.*

*Nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?* Obiectio in prom-

*13. c. & 14.* ptu est, quandoquidem Petrus suprà *cap. 13.* dixerat ei: *Domine, quo vadis? Respondit IESVS, Quo ego vado, non potes me modò sequi, sequêris autem postea.* Et *cap. 14.* dicente Christo: *Quò ego vado scitis, & viam scitis.* Thomas respondisse fertur: *Domine, nescimus quò vadis: & quomodo possumus viam scire?*

Cur ergo nunc ait. *Nemo vestrum interrogat. Quo vadis?* Respondeo. Quoniam ex frequenti Christi sermone, satis didicisse potuerant, eum per mortem ad Patrem iturum, tristitiâ eam ob rem obruti, amodò interrogare illum desierunt, & (vt Poëtæ verbis vtar)

*Conticuere omnes, intentique ora tenebant.* *Virg. Æneid. 2. initio.*

Verùm hoc silentium ipsis indulgetur, quia (vt statim subditur) Christi verba mœrore atque tristitia corda eorum repleuerant. Prædixerant enim eos extra synagogas expellendos, atque interficiendos.

*Tristitia, ait, impleuit cor vestrum, &c.* Implendi verbo, vehementem animi mœstitiam significare voluit. Et quò illum impensiùs diligebant, spésque omnes suas in vno illo repositas habebant, eò grauiùs hisce Christi sermonibus sauciati sunt. *Ioan. 16. cap. Vos nunc quidem tristitiam habetis. Iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* *Ioan. 16.*

Mentione facta de proxima magistri passione & morte, consternati sunt supramodum discipuli. Sic, *Act.* 20. legimus quidpiam haud absimile, hoc modo: Dicente Paulo, *quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui, prædicans regnum Dei. Magnus fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, Dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam ampliùs faciem eius non essent visuri.* Hæc Diuus Lucas Actorum scriptor Apostolicorum.

*Expedit vobis, vt ego vadam, & cæt.* Sic *Ioan.* 11. Propheticè dictum legimus: *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo.* *11. cap.* Expediebat quoque abire Christum à Discipulorum familiari societate multis de causis (vt primò dicetur) Proficiscebatur enim, vt appareret vultui Dei pro nobis, ita ter maximo Paulo, *cap.* 9. *ad Hebræos* attestante. In ipsum cœlum IESVS introiuit, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. *Hebr. 9.* Proficiscebatur item vt Paracletum, id est, consolatorem monitorem, ac magistrum doctorémque veritatis. Apostolis ac credentibus è cœlo demitteret. An non igitur expediebat vt abiret? Recessum suum maximi fore solatij subindicat. Ex hoc enim Spiritus consolatur, in Discipulos erat venturus, eósque edocturus, ac confortaturus. Notandum siquidem, quod D. *Ioannes cap.* 7. scriptum reliquit, *Nondum erat*, inquiens, *Spiritus datus*, quia IESVS nondum erat glorificatus. Quod intellige *Ioan. 7.*

de tanta plenitudine, quanta post Christi in cœlos ascensum, Apostoli ac credentes cumulati sunt, vtpote cùm sub linguis igneis Spiritum sanctum receperunt. *Act.2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, &c.* Tunc datus fuit Spiritus vberrimè. Atque illa visibilis missio durauit ætate Ecclesiæ primitiuæ. Multiplicata verò fide hæc charismatum vbertas, ac copiæ cornu, quoad linguarum donum, & gratiā miraculorum, ac cæteras eiusmodi gratis datas gratias, restricta est. Verùm quoad gratiam gratum facientem & iustificantem, cuilibet ad vitam æternam necessariam, ad diem vsque iudicij permansurus est cum credentibus Spiritus sanctus. *Ioan.14.* Alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, &c. Huiusmodi verò spiritualium gratiarum affluētiam, non antè perfectam hominum cum Deo recōciliationem effundendam esse consentaneum erat. Erat quippe æquissimum homines non donari perfecta, cumulatáque Spiritus vbertate, donec perfecta esset hominis cum Deo reconciliatio. Nam perfectior amicitia vberiorem poscebat Spiritum. Fuit autem post Christi ascensum, isthæc perfecta reconciliatio. Quandoquidem, Conscendens Christus in cœlum, sanctorum Patrum, cateruam, secum in cœlestem introduxit patriam dicente Scriptura: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, Psal.67.& Ephes.4.* Id verò signum perfectæ reconciliationis erat non dubium aut æquiuocum. Quapropter hac celebrata perfecta reconciliatione, misit Christus Spiritum suum abundanter super credentes: quippe qui reseratam extunc habuerunt cœlestis ianuam regni. Amodò enim cœlorum fores per Christum patent fidelibus: vnde D. Stephanus exclamasse perhibetur: *Ecce video cælos apertos. Act.7.* Ad hæc Spiritussancti visibilis illa missio, celebrabatur atque ordinabatur ad docēda Christi mysteria: At Christi in cœlos ascensio, mysteria totius Oeconomiæ in terris, siue dispensationis, & administrationis in carne, hoc in mundo, adimpleuit, & veluti colophonem imposuit, atq; sigillum, operibus Christi pro hominis redemptione factis, dicente Apostolo expressè, *Ephes.4. Ipse est, qui ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia.* Debuit proinde visibilis illa missio, Domini ascensionem subsequi, vt tum completè hæc omnia Spiritus sanctus homines edoceret.

*Act.2.* *Ioan.14.* *Psal.67.& Ephes.4.* *Act.7.*

At dicet quispiam. Quamobrem expediebat abesse Christum, vt Spiritussanctus adesset? An visibilis Christi præsentia, impedimento erat, quo minus aduenire Spiritus sanctus? Respondeo.

Respondeo. Impedimento quidem fuisse corporalem ac visibilem Christi præsentiã, non Spiritu sancto, vt Sanctificanti, vel viuificanti. (Die quippe resurrectionis suæ, dedit Christus Spiritum sanctum sub flatus specie, dicens: *Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c. Ioan. 20. ca.* Ioan. 20.
Verùm, vt perficienti, & implenti mentes Apostolicas, vt scilicet doctores perfecti forent orbis terrarum, Christi præsentia Spiritus missioni, ipsiúsque collationi visibili; quodammodo obstabat. Apostoli siquidem, post Domini resurrectionem gaudio maximo perfundebãtur videtes Christum eos inuisentem, ac cum eis sermones miscentem. Gauisi sunt discipuli viso Domino, ait Sacer Euangelista. *Ioan.* 20. Quòd si Christus non se subduxisset ab eorum conspectu sublatus in cœlum, Apostoli nunquam leuarent sua desideria, ad inuisibilia, cœlestiáque bona: neque exoptarent alium paracletum, siue consolatorem, ac patronum inuisibilem, quippe qui contenti essent sibi familiari paracleto & consolatore visibili, Christo, in quo totum ipsorum solatium, ac securissimum refugium erat repositum. Quapropter non essent capaces Spiritus sancti plenitudinis, siquidem nunquam desiderassent maiora consequi & obtinere, quàm quæ viderent in Christo cum eis cõuersante. Ipsis enim sufficere videbatur corporalis Christi præsentia, ad omnia sibi paranda bona. Aliud verò Christus intendebat, Suorum nempe mentes, & corda, atque oculos, sursum erigere, ad cœlestia bona contemplanda, & iam degustanda, vt monet Apostolus, *Colloss.* 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite: vbi Christus est in dextera Dei sedens. quæ sursum sunt, sapite: non quæ super terram.* Coloss. 3.
Quamobrem se ab eorum, qui sic eum amabant, conspectu ac consortio subduxit, & in cœlos se contulit, vt Apostoli amorem visibilis Christi, in eiusdem non conspicui, sed in cœlo iam habitantis, & ad Patris dexteram sedentis dilectionem permutarent, & ita demùm cœlestia exoptarent, atque seipsos plenitudinis Spiritus sancti capaces redderent, vt eius scilicet consolatione gauderent.

Sed obiecerit aliquis, Nonne potuit Deus, Christo etiam in terris persistente Spiritum sanctum sub plenitudine mittere super Apostolos, sicuti Christo in cœlis agente, in die Pentecostes venit Spiritus sanctus, seditque super singulos eorum? Responsio in promptu est, Potuisse quidem Deum, si voluisset; Omnia quippe, quæcumque voluit fecit in cœlo & in terra. Noluisse autem; Siquidem *Dei sapientia disponit*

Sap. 8. *omnia suauiter, Sap. 8 cap.* Ad suauem autem dispositionem hoc pertinebat, vt prius Christus cœlos conscenderet, ad rapienda & subleuanda Apostolorum desideria, vbi ille ad dexteram Patris consideret in cœlestibus, Atque ita Spiritus sancti plenitudine digni & idonei efficerentur. Verissimè igitur dixit: *Expedit vobis vt ego vadam, nisi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero mittam eum.* Verè expediebat. Primùm quidem ex diuina Sapientia sic disponente. Deinde, eo saltem nomine, quia ægerrimè Apostoli à Christo diuellerentur ad prædicandum per totum mundum, si cum ipsis præsens semper fuisset conuersatus. At post subductam ab eorum conspectu præsentiam, quid restabat, nisi cœlestia vehementer desiderare habitacula, vbi Christus regnabat, vt ibi essent cum Christo, vnicè dilecto? Sicque desiderando cœlestia, facti sunt capaces plenitudinis Spiritus sancti, cuius antea non ita fuerant idonei,& habiles, vt pote, non satis ad tam eximia dona dispositi,ac præparati.

Aristoteles. Est autem axioma Philosophicum, Actus actiuorum non sunt,nisi in patiente disposito.

Simile. Atque quemadmodum, nisi lac, & tenera alimenta paruulis nutrix substraxerit, solidum cibum ipsi non esurient: Sic non nisi subducta Christi visibili præsentia, Apostoli tanquam paruuli, ad Spiritus sancti plenitudinem, & vbertatem, vnquam aspirassent. Carnaliter etenim Christo semper adhæsissent, nec ad cœlestia ardenter (provt oportuit) excitarentur. Ablactatos igitur eos, Spiritus donis cumulari. ac perfici conueniebat.

Expediebat quippe vt forma serui Apostolicis abstraheretur aspectibus; quatenus amor diuinitatis aptiùs illorum infigeretur mentibus. Ipsi siquidem more humano, Domino tantopere fuerunt affecti: atque in eius visibili consortio, & consolatione defixi, vt nihil aliud quærerent quia hoc vnum sibi sufficere credebant. Itaque sicut Petrus

Matth. 17. in monte gloriam Domini contemplatus, aiebat, *Matth 17. Domine; bonum est nos hic esse*, nihil aliud expetens, quàm quod tunc oculis vsurpabat: Ita Discipuli pulcherrimi illa Domini Saluatoris præsentiâ contenti nihil aliud sibi esse optandum putabant. Ideóque ab hoc lacte depellendi erant, quò solidiori diuinitatis eius cibo alerentur.

Hinc colligimus non expedire filiis, vt indulgentiùs apud parentes domi foueantur. Apostoli quidem semper

voluissent cum Christo familiariter agere, atque versari; Atqui hoc non erat expediens: Nam si ego non abiero, ait ille, paracletus non veniet ad vos.

Veritatem dico vobis, *Expedit, vt ego vadam* Q. d. Etsi non libenter auditis, quod dixerim me abiturum, dico tamen vobis veritatem: quod vobis vtile est, id loquor, nolens vos mendacio suauitatis traducere, vt faciunt adulatores, & qui placentia duntaxat loquuntur. Sequitur in contextu.

*Si autem abiero mittam eum ad vos, &c.* Quasi dicat: Post meum à vobis discessum, super vos Spiritus sancti eximia, & pretiosa charismata largissimè effundam. Tunc enim in viros perfectos euadetis, & adultis factis, iam magis expediet, lactis vsu seposito, fortior cibus: Nisi verò se Christus subduxisset, semper in eius visibili præsentia hæsissent Apostoli, neque vnquam ad altiora consurrexissent. Veritatem igitur dicebat illis, qui mentiri non potest, dum diceret: *Expedit vobis vt ego vadam.* Nec obiter aut perfunctoriè attingendum existimo, istud locutionis genus. Expedit vobis, non tantum mihi, sed vobis etiam profectio mea bona ac vtilis futura est, Imò vestra vtilitas me cogit abire. Expedit vobis, vt patiar: Sic enim satisfaciam pro peccato vestro. Expedit vobis, vt moriar, sic enim mors vestra abolebitur. Expedit vobis vt sanguinem fundam: Sic enim Patrem vobis repropitiabo, atque reconciliabo. Expedit vobis, vt ad Patrem redeam: Sic enim assistam vultui Dei pro vobis. Expedit vobis, vt Spiritum impetrem per mortem, ac passionem meam vobis, alioqui iterum excident, quæ dixi vobis. Expedit vobis, vt cœlum ascendam: Sic enim viam aperiam, qua sequi poteritis. Expedit denique vobis, vt corporalem ac visibilem præsentiam meam à vobis subtraham: Quandiu enim me vobiscum in carne versantem, ac commorantem videtis, omnes meas promissiones carnaliter & temporaliter implendas intelligitis. *Nos autem sperabamus*, aiebant duo ex Discipulis, *Lucæ vigesimoquarto capite. quòd ipse esset redempturus Israel.* Atque etiam ipso Ascensionis momento, & temporis articulo, interrogabant eum dicentes: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Actorum primo.* Adempta autem vobis visibili præsentiâ mea, intelligetis regnum meum non esse de hoc mundo. *quod habetur,*

Luc. 24.

Act. 1.

Ioan.18. *Ioan.18.cap.* Measque promissiones esse spirituales. vnde contemptis omnibus terrenis, ad cœlestia aspirabitis, & inhiabitis. Atque adeò carnalis vester erga me amor, in spiritualem commutabitur: & ab humanitate mea, vobis conspicua, ad inuisibilem diuinitatem meam facili negotio eleuabimini & in inuisibilium amorem rapiemini. Sicque ad Spiritus plenitudinem parati eritis.

Phil.1. Obserua sedulò, & confer cum istis, Diui Pauli verba *Philipp.1. Quid eligam ignoro*, inquit, *Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius. Permanere autem in carne, necessarium propter vos, ad profectum, & gaudium fidei.* Sic ille. Perinde ac si dixisset: Necessaria est vita mea, & præsentia, propter vtilitatem vestram. Hoc autem loco Dominus necessariam Apostolis dicit esse profectionem suam, & absentiam secundum carnem visibilem, & aspectabilem. Attende verò, quòd ex insigni ac egregia charitate erga proximorum salutem vterque (Magistrum ac discipulum intelligo) id pronunciauit. Christus quidem (vt repetam, quod supra dictum memini) discessum suum expedire asserit, non quod carnalis sua præsentia nihil profuerit, vel contulerit. Absit sed quod Apostoli in Christo quærebant, & expectabant temporale regnum. Paulus autem suam Philippensibus scribit vtilem esse præsentiam in carne, donec maiores in fide fecissent progressus, ac in ea altiores iecissent radices. Hoc modo, quælibet res suo tempore bona & vtilis est. Lac paruulis, & solidus cibus perfectis, & adultis.

Eccl.1. *Omnia tempus habent*, ait, *Ecclesiastes, cap.1.* Omnia similiter in commodum fidelium.

Non abs re Spiritus sancti manifestum aduentum, vsque post mortem suam Christus distulit, vt ex sequentibus facilè colligitur.

Primò, quia discipuli Christum aliquomodo sensualiter amore prosequebantur. Quantum autem affectio hominis habet de carnalitate, tantum impedit à Spiritus sancti larga, & copiosa receptione: Nisi enim spirituales efficiamur, Spiritus plenitudinis capaces non sumus.

Secundò, quia Christus tam eximia dona distribuere non debuit, donec pristinam suam maiestatem resumeret, & ad Patris dexteram assideret.

Tertiò, quia membra tanta gratia adornanda non erant nisi ipso capite glorificato. Postremo, Quoniam quamdiu

Christus erat cum eis, sufficienter illos consolabatur, ac in necessitatibus illos adiuuabat. *Psalm. 9. adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Et quia eo recedente, & in cœlos proficiscente multis tribulationibus exponendi erant, Ideo statim missus est illis alius consolator, & adiutor, de quo idem Christus: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Non relinquam vos orphanos. Ioan.14. Pater sancte, cum essem cum eis, Ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, cap.17.* *Psal.9.* *Ioan.14.& 17.*

Verùm enimuero, Ex hoc loco Sacramentarij suam hæresim stabilire nituntur. Si, inquiunt, expediebat, vt Christus corpore abiret, quomodo potest corpore præsens adesse in Eucharistia, vt asseuerant Catholici? Aut si præsens est corpore, Paracletus non est præsens. Hæc illi vafrè & Sophisticè. Quasi vero corpus Christi vsque adeo contrarium esset Spiritui sancto, vt simul esse non possint, sed vnum alteri cedere cogeretur. Caro Christi concepta de Spiritu sancto, nullo pacto potest illi esse aduersaria, & contraria. Igitur præsentia Christi realis, Spiritus sancti missioni minimè repugnabat. Nesciunt huiusmodi homines, aut se nescire fingunt, quomodo hinc Christus abierit. Non enim sic discessit vt planè non sit nobiscum, Siquidem, eo ipso assertore. *Ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi. Matth. vltimo cap.* etiam corporaliter, quamuis inuisibiliter, vt ex Græcorum Liturgia, ac Decretali constitutione, aliàs me scripsisse memini. Præterea, nesciunt hi homines cur Spiritus sanctus venerit. Non enim adeo venit, vt deinceps in Ecclesia nihil corporale sit, sed omnia spiritualia. Nec ideo venit, vt in Sacramento à nobis auferat corpus Christi, contra ipsius expressum verbum, apud Euangelistas: Hoc est corpus meum. Sed his de verbis iam dictum sit satis. Sequentia attingamus. *Matth.vlt.*

*Cum venerit ille arguet mundum, & cæt.* Cum primùm venerit, hoc est, primo statim suæ manifestationis die, admonitus mundus agnoscet se peccasse. Sic enim ipso Pentecostes die, Apostolorum Coriphæo Petro concionante, statim cœperunt auditores dicere: Quid faciemus viri fratres? Pœnitentiam agite, Respondit ille, & baptizetur vnusquique vestrum in nomine IESV Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus

sancti. Qui ergo receperunt sermonem eius baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia, Sic in Actis Apostolicis. Diuus Lucas scriptum reliquit, *cap.* 2. Cùm venerit, per publicationem promulgationémque Euangelij, tunc per vos simul etiam incipiet arguere mundum. Euangelium enim nulli parcit, sed omnes concludit sub peccato, vniuersósque conuincit esse peccatores. Iustitia enim Dei in eo reuelatur, ac iusta ipsius ira de cœlo, super omnem impietatem, & iniustitiam hominum. *Rom.* 1. *cap.*

*Act.* 2.

*Rom.* 1.

*Arguet mundum.* id est, euidentissime reuincet, vt nisi resipuerit, credens Euangelio, nullam sit prorsus habiturus excusationem. Quam namque prætexere poterunt, qui tot signis, portentis, ac prodigiis palàm exhibitis, renuerint credere? Illic nihil non gloriosum erit. *Marc. vlt. cap. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, Serpentes tollent, Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Apostoli autem profecti, prædicauerunt vbique, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Catholica enim fides* (vt Apostolus *ad Hebræos, cap.* 2. scribit) *ab iis, qui audierunt, in nos confirmata est: contestante Deo signis, & portentis, & virtutibus, & variis Spiritus sancti distributionibus, secundum suam voluntatem* Sic τετράμεγιστος *Doctor Gentium.* Nulla igitur non credentibus supererit excusatio.

*Marc. vlt. c.*

*Hebr.* 2.

De tribus autem dicet mundum arguendum. De peccato scilicet, Iustitia, & Iudicio. Tum quia (ait noster Ferus ad hunc locum) mundus plenus est peccatis, iniustitia, & temeritate, tum etiam quia Euangelium ostendit peccatum mundi, iustitiam Christi, & futurum iudicium, quo & peccatoribus & iustis vel præmium, vel pœna dabitur, secundum quod quisque gessit in corpore, siue bonum, siue malum, vt loquitur vas electionis *posterioris ad Corinth. cap.* 5. Generaliter arguet mundum de peccato, Ostendit enim omnes homines peccasse, & egere gloria Dei. *Rom.* 3. *cap.* Arguit item peccata, per internam illuminationem, ac inspirationem: Deinde, per externam prædicationem: Tum demùm, per exemplarem fidelium conuersationem. Opposita etenim iuxta se posita, magis elucescunt, vt asserunt Logici: Et quo pij sanctiùs viuunt, eò damnabiliùs apparent peccata mundi. Hinc, *Matth.* 12. *cap.* Christus, *viri Niniuitæ*, ait, *eò quòd pœnitentiam egerunt, surgent in Iudicio, & condemnabunt generationem istam.* Hoc est, meritò condemnandam ostendent.

*Ferus in Ioannem hoc loco.*

2. *Cor.* 5.

*Aristoteles.*

*Matth.* 12.

Expende, quòd arguere, opus sit Spiritussancti. Per prædicatores, ac Prophetas, quos Spiritus afflauerat, impios fuisse reprehensos legimus. Sic Moses arguit Pharaonem. Elyas reprehendit Iezabelem, Michæas Achab regem, vitium eius. Ioannes Baptista, Herodem, ac Phariseos, Apostoli Iudæos Christi interfectores redarguerunt, ex Actibus Apostolorum, cap. 3. *Vos*, dicebat in concione ter maximus Petrus, Apostolorum columen, ac vertex, *sanctum, & iustum negastis & petistis virum homicidam donari vobis, authorem verò vitæ interfecistis.* Paulus eius collega, & in passione socius Galatas acriter reprehendit. Qui denique Timotheum suum commonefacit, dicens: *Prædica verbum, insta opportunè, importune. Argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina* 2. Tim. 4. ad Titū itē, c. 2. *Hæc loquere*, inquit, *& exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.* Prædicatorum itaque Catholicorum munus, & officium est, in peccata detonare, & contra abusus inuehi, ac declamare, vt homines ad meliorem frugem sese recipiant, Et peccatores dignos agant pœnitentiæ fructus. *2. Tim. 4.*

*Arguet mundum de peccato*, Singulariter dictum est, non de peccatis. De peccato inquam, incredulitatis; Quia non crediderunt in me, exposuit cōtinuò Christus Omniū peccatorū radix est incredulitas, seu infidelitas, quēadmodū ex opposito bonorum omnium radix fides. Vnde *Ioan.* 8. ait Christus, *Nisi crediderītis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Rursus, cap. 3. Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Et iterum cap. 15. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent* (Incredulitatis nimirum, quæ grauissime Deum offendit) Nunc autem excusationem non habent de peccato. Quid igitur aliud restat, nisi certissima damnatio? Reprehendet itaque Spiritussanctus, per prædicationem, ac prodigia Apostolica, omnes mundanos homines de infidelitate, hoc est, conuincet, ostendétque esse peccatores ac impios eos, qui non credunt in me. Quippe tot & tantis signis demonstrabunt Apostoli, me esse verum Dei filium, doctrinámque meam fuisse veracem, & necessariam ad salutem æternam consequendam; quòd omnes non credentes relinquentur, & remanebunt tanquam impij, ac inexcusabiles. Ergo Agareni, seu Saraceni, Turcæ, Iudæi, ac Indi & aliæ barbaræ nationes, quæ hucusque in infidelitate cæcutiunt, ob hoc infidelitatis crimen, graues dabunt pœnas. *Ioan. 8. c.* *c. 3.* *c. 15.*

*Arguet mundum de Iustitia, quia ad Patrem vado. Et de Iudicio, quia Princeps huius mundi iam iudicatus est, &c.* Locus hic admodum difficilis est ad exponendum, propter redditiones causæ, vtrobique. Et quidem varij interpretes, ea de sententia, varia quoque scripserunt. Quidam sic. De iustitia, non mundi, sed Christi, nempe, quia irreprehensibiliter vixi, Signum cuius est, quia ad Patrem vado. Nam cum Iudæi frequenter accusarent Christum, quòd à Deo non esset. *Ioan.* 9. *Non est hic homo à Deo,* (dicebant æmuli eius Iudæi, ac Pharisæi) qui sabbathum non custodit. Et rursus, *Scimus, quia hic homo peccator est, &c.* Hinc omnis calumnia amouebitur, & dispelletur, quia ad patrem vado. Per hoc namque, quòd Christus ad Patrem ascendit, declarata est Iustitia eius, atque ita persecutores eius manifestè condemnantur. Eo ipso enim me iustum esse comprobo, quia ad patrem vado. Quandoquidem nullus iniustus, à Deo Patre admittitur. *Non Deus volens iniquitatem tu es. Psalm.* 5. Sed ego vado ad Patrem, & pater me recipiet, qui me miserat, Ego itaque tum in verbis, tum in factis iustus sum, & ab omni crimine alienus. Iusta igitur reprehensio hostes meos manet, qui me de iniustitia, transgressionéque, ac violatione legis insimulare voluerunt. Hunc esse sensum genuinum, germanámque expositionem huius loci iudico. Quamquam possit haud incommodè sic etiam accipi: Arguet mundum de Iustitia, scilicet per Christum in mundum inuecta, (Doctorem nimirum Iustitiæ. *Ioel.* 22. *cap.*) & ab hominibus improbis neglecta, quippe tantum bonum eis à Christo oblatum repudiantibus. Iustitiam hîc appellat, Diuinorum obedientiam mandatorum, quæ qui diligenter implet verè iustus est. 1. *Ioann* 3. *Qui facit iustitiam, iustus est.* Iustitiam nimirum fidei, & Euãgelij. *Daniel.* 9. *cap* Vt deleatur iniquitas & adducatur iustitia sempiterna (.in aduentu scilicet Christi, qui vt Psalmographus cecinit: *Psalm.* 97. *in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.*) Iustitiam item regni Dei, qua de Christus ipse, Apud *Matth. cap.* 6. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, &c.* Hæc est iustitia, quam per mortem suam Christus attulit in mundum, quia quicquid in veteri lege desiderabatur, cumulatissimè præstitit, vt iam nihil prorsus habeat ignauus homo, quo inertiam suam tueri possit. Quia ad patrem vado, ait, Ad Patrem ire, est mortem perpeti, ac subire, cuius merito, noua hæc iustitia in mundum importan-

*Ioann.* 9. *c.*

*Psal.* 97.

da erat. Arguet proinde mundum de iustitia Spiritussanctus, quam ego per mortem meam in mundum allaturus sum, & redemptionis opere in cruce consummato, ad patrem proficiscor, & iam non videbitis me. Iam omnia exhibita sunt promissa: nihilque superest expectandum. Quibus completis quid habent improbi, quod arguenti Deo respondere valeant, quidve amplius expectare queant?

Vel etiam, ex Apostoli verbis. *Rom. 4. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Cùm mors, & resurrectio, atque Ascensio Christi parauerint nobis sufficientem à peccatis nostris iustificationem, Arguet Sp.S. mũdum, & meritò, quia cum paratam habuisset à suis delictis iustificationẽ illam contempsit ac spreuit. Quia ad Patrem vado, id est, Hæc iustificatio hominũ est, quòd morior, & per mortem ad Patris gloriam transeo, vnde hominibus proueniet & iustificatio per mortẽ meã, & glorificabo per exaltationem & glorificationem meam. Sic Michael de Palacio Granatensis, doctis suis in Ioannem commentariis, hunc locum illustrauit. Itaque arguet mundum de iustitia in communi, quam neglexerunt. Verè enim reprehensione dignum est, non quærere iustitiam. Arguet etiam de iustitia hoc est, damnabit iustitiam Sapientum huius mundi, seu Philosophicam, necnon Pharisaicam. Pollicebantur quippe sibi Iudæi iustitiam ex operibus legis, Gentes verò ex virtutibus moralibus: At Spiritussanctus vtramque & Iudæorum, & Gentilium Iustitiam arguit, & damnat, Non quòd malum fuerit legi Mosaicæ, aut virtutibus moralibus inseruire, Sed quod neutrum nos coràm Deo iam iustificare possit, sed necessaria est iustitia Christi, nec sufficiunt Philosophicæ virtutes, aut iustitia Pharisæorum. *Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum, aut Pharisaeorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* *Mich. de Pal. in Ioan. 16. c.*

Verùm his de verbis, dabitur (Deo benè fauente) aliàs dicendi locus commodior. Nec lex nec natura, citra Christum, ad salutem sufficiunt, Alioqui nihil opus fuisset Christo, Si enim (vt scribit *Galatis capite secundo* Apostolus) per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est, &c.

*Quia ad Patrem vado.* Mea, inquit Christus, iustitia cœlum penetrare potest, & coram Deo consistere, non autem quæ-

cumque alia iustitia. Ostendit proinde SS. iustitiam mundi non sufficere ad salutem.

De iudicio autem, quia princeps huius Mundi iam iudicatus est, Signanter dictum puta de iudicio, quo diabolus princeps mundi iam iudicatus est.

Quamuis enim mundani homines & impij videant eum debilitatum, nec sic tamē ei resistunt, aut fugiunt, cum tamen clament sanctæ Scripturæ. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*

Ioan.4.&1. Pet.5. *Iac 4. Cui resistite fortes in fide.* 1. *Petri* 5. Et quidam Sanctus: Debilis est hostis, non vincit nisi volentem. *Nunc iudicium est mundi* (ait Christus *Ioann.* 12.) *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Quamuis tamen sciant dæmonem perpetuis deputatum ignibus, adhuc tamen vltrò spontéque ei adhærent. O magna cæcitas, dignissima (sanè) quæ reprehendatur. O præposterum de rebus iudicium in huius farinæ insensatis hominibus, relicto Deo, diabolo adhærere, cùm tamen regius Psaltes canat. *Psalm.* 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Meritò itaque conqueritur per Sanctificatum ex vtero vatem, dicens: *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Ierem.* 2. *cap.* Sic imprudens ille prodigus, deserto amantissimo patre, adhæsit vni ciuium regionis famis (Dæmones intellige) vt pasceret porcos. *Luc.* 15. *cap.* Vanitatem persequens, veris bonis neglectis. Ad hunc planè modum malè feriati homines cum morte, inferno, ac dæmone, inito pacto ac fœdere percusso, à clementissimo Deo abalienantur: quorum profectò damnatio iusta est, & rectum iudicium, quod in eos vindex malorum exercebit.

Psal.72.

Ierem.2.c.

Luc.15.c.

Cæterùm, quòd dicit principem mundi iam iudicatum esse, terret eos, qui etiamnum diabolo adhærent, Si enim princeps & caput damnatum est, iudicabūtur damnabunturque membra eius. Impij itaque, qui sunt ex parte eius, quique desideria diaboli perfecerunt, iustum Dei iudicium euadent minimè. Istorum verborum, hunc esse germanum sensum facilè crediderim. Quamquam hanc etiam admittant & recipiant expositionem: De Iudicio, quia princeps, &c. Cùm blasphemi dicant, quòd Dæmonium habeo, quòd sum seductor, quòd in Beelzebub principe dæmoniorum eiiciam dæmones. Omnia nihilominus eiuscemodi conuitia, ac maledicta, falsitatis

& mendacij reuincentur, & arguentur, ipſo rerum ſucceſſu ac euentu: Quia nimirum, vici dæmonem. Non enim illum ſuperaſſem, expugnaſſémve, ſi peccato forem obnoxius. Nunc autem dæmon & iudicatus eſt, & eiectus. Quam verè de Chriſto venturo præcinuerat ſanctus Vates. *Ierem. 2. cap. Faciet*, inquiens, *iudicium, & iuſtitiam in terra*, Hoſtis potentiam, ac tyrannidem frangendo, & onus legis (quod alioqui importabile erat) leuigando. Principem autem mundi huius, appellat diabolum, non legitimi dominij poteſtate, ſed praua ſe illi ſubiicientium voluntate, non iure, ſed tyrannica vſurpatione. Siquidem ante Chriſti aduentum in vniuerſo mundo (præterquàm in Iudææ anguſto) à cunctis regibus, & vniuerſo mortalium genere, colebatur, & adorabatur: fraudibus ſuis decipiebat vniuerſos, dementabat artibus magicis, viribus ſubigebat, ad inferos denique, regnum ſcilicet ſuum, illos pertrahebat. Chriſtus verò ab hac tam dura tyrannide mundum liberauit, Deſtruxit eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum. *Heb. 2.* ait Paulus Deiloquus. *Cum fortis armatus* (ait ipſe Chriſtus) *Matth. 12. & Luc. 11. cap. cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet: Si autem fortior illo ſuperuenerit, vniuerſa arma ipſius diripiet & ſpolia, alligabitq; fortem, &c.* Cùm ergo deuictus ſit, & damnatus princeps mundi arguet eos, qui dæmonis potentiam in improbitatis ſuæ excuſationem afferunt, quoniam iam eius vis baculo crucis contrita eſt. Ipſum (ſcilicet ſemen benedictum mulieris) *conteret caput tuum. Geneſ. 3. capite.* Confregit capita draconis. Sibi ergo homo perditionis ſuæ cauſam, imputet, ſe accuſet, qui ſuo ſe vitio illi ſubiecerit. Non illum fortitudo ſua, ſed ignauia noſtra potentem effecit. *Ierem. 23. c.* *Gen. 3. c.*

Tenebrarum princeps iam iudicatus eſt, Iam diaboli nequitia eiuſque aſtus & doli detecti ſunt, poſtquam per Euangelicam prædicationem diuiſa eſt lux à tenebris, & veritas Dei, à mendacio diaboli ſeparata, diſſitáque eſt. Iam iam auferentur omnia idola, veteréſque verſutiæ dæmonum patefient, ac impoſturæ, præſtigiæque retegentur: poſtquam Euangelij clariſſima lux, totum terrarum orbem colluſtrauerit, atque perfuderit. Quid plura?

Mundus de peccato arguetur infidelitatis, quod habet.

De iustitia Dei(quæ Christus est) quam non habet, & de iudicio, nimirum finali, quod subibit, quia peccato succumbens iustitiam, & sanctificationem non admisit.

Vel aliter, SS. arguet mundum de pecccato, quod dissimulat, de iustitia, quam non ordinat, dum sibi non Deo eam dat, & de iudicio, quod vsurpat, dum tam de se quàm de alijs temerè iudicat. Sic D. Bernardus in paruis sermonibus, serm. 21. interpretatur.

*D. Bern. serm. 21. in paruis sermonibus.*

Arguet mundum de peccato commisso. De iustitia neglecta, & iudicio iam facto, quo videlicet princeps huius mundi iudicatus est. Damnabuntur consimiliter, qui illi adhæserint: &c.

Porrò arguere aliquem, est ita illum obiurgare vt apertissimis etiam rationibus patrati sceleris conuincat. Sic per Apostolos. SS. mũdum arguet de peccato, quia talia per eos signa edet, vt quisquis incredulus fuerit, nullum incredulitatis suæ velamen obtendere valeat, aut prætexere quandoquidem, Ioan. 14. *Opera quæ ego facio, & ipse faciet, ac maiora his faciet. Act. 4. Quid faciemus hominibus istis?* dicebant in concilio suo Iudæi) *quoniam quidem notum signum factum est, omnibus habitantibus Ierusalem, manifestum est, & non possumus negare. & ca. 5. Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe. Iterum, c. 6.* disputantes cum Stephano, *non poterant resistere sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur.* Talibus signis ac portentis, mundum, id est, infideles incredulitatis arguet, qui veritatem diuinis operibus confirmatam recipere noluerunt. Arguet improbos de iustitia, quam ego iam per mortem meam in mundum allaturus sum. Hac morte vetus lex abolenda, regni ianua exulibus aperienda, & gratia iustificans hominibus cõferenda: princepísque mundi huius eijciendus est foras. quibus expletis, quid habent improbi, quod argenti Deo respõdere possint? Arguet item mundum de iudicio, quia, videlicet, cùm iam passionis Christi merito, ab hostis tyrannide erepti sunt; ipsi sponte sua, se illius vilissimę seruituti, voluptatis pretio subdiderunt, vnde illis meritò exclamandum sit cũ Lysimacho, quo de Plutarchus. to. 1. opusculorum in Apophtegmat. Ille in Thracia circumuentus, quum se exercitúmq; propter sitim in hostium potestatẽ tradidisset, postquam captiuus bibit; Proh Deûm fidem, inquit, quàm exiguæ voluptatis gratiâ, seruum me, de rege feci. Sic peccator voluptatis fœdissimæ causâ, in tyranni manus deditionem facit.

*Ioan. 14. c. Act. 4. & 5. c. ac. 6.*

*Plutarchus to. 1. opusc. Apophtegm. Impp.*

Sequentia iam videamus: *Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modò &c.* Hinc nullo negotio colligimus multa alia fuisse, quæ ex Spiritussancti traditione Apostoli didicerunt, quæ nondum à Christo Domino prolata fuerāt expositáve, quia post hæc verba, nihil ferè apud Euangelistas traditum ab eo inuenimus, quod ipse disertis testatur verbis. *Iam non multa,* inquiens, *loquar vobiscum. Ioan.* 14. Supererant ergo alia, quæ portare tunc discipuli minus poterant, quę tamen postea Spiritussancti Magisterio edoceri, eáque nobis tradere, viuæ vocis oraculo, quamuis non redigerentur omnia in scriptis, debuerunt. Hic De Traditionibus, quæ à SS. manarunt, se offert dicendi locus: qua de materia nos in Enneadibus nostris complusculа. Eò tibi recurrendum censeo (candide lector.) *Ioan.* 14. *c.* *Sac. Enneades authoris.*

*Multa adhuc habeo, &c* Quasi diceret. Debuissem vobis multa dicere, præterea, quæ Hactenus sum prosecutus, verùm nō estis capaces. Etenim tristitia, quæ vos afficit, vos minus idoneos ad audiendum reddit. Ideóque Spiritussanctus vos interius edocebit. Ad hunc modum D. Paulus. *Hebræis* scribens, c. 5. De Melchisedech *De quo,* ait, *nobis grandis sermo, & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbeciles facti estis ad audiendum. Facti, inquam, estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus: corum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni, ac mali* Hæc ille. *Heb.* 5. *c.*

Verùm enimuerò, contrarium huic videtur, quod suprà c. 15. dixerat. *Omnia, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis.* Quomodo igitur nunc dicit: *Multa adhuc habeo dicere*, si iam omnia illis exposuerat? Responsio. Vel præteritum accipitur pro futuro, more prophetico, propter certitudinem: nempe, quia futurum erat, vt ipse, Spiritus Magisterio ad plenum illos de omnibus ad salutem necessarijs edoceret. Atque etiam maxima ex parte per seipsum omnia eis nota faceret, quia nimirum, Euangelium ipse prædicauit, quod est fons omnis veritatis. *Ioan.* 15. *c.*

Necessarius autem ipsis erat SS. qui & oblita ad memoriā reuocaret, & non intellecta, elucidaret, obscurísque verum sensum redderet. Sed quare non poterant dicenda portare modo?

Respondeo, Primò, quia nōdum renouati erant per Spiritum sanctum, & noui homines facti: Doctrina autem Christi nouos homines requirit. Nemo enim mittit vinum nouum,

*Matth. 9. c.* in vtres veteres. *Matth.* 9. Deinde, modò tristitia impleti estis; at vehementes passiones, rationis vsum multum impediunt.
*Heb. 12. c.* Itaque modò non potestis portare. Sic D Apostolus. *Heb.* 12. de Israëlitis, in monte Sina excusauerũt se, inquit, ne eis fieret verbum. (Non enim portabant, quod dicebatur.) Expende verò illud, Modò. Est enim tempus tacendi, & tempus lo-
*Eccl c. 3.* quendi. *Eccle. cap.* 3. Attendant concionatores, quibus, & quo
*Eccl. 20. ca.* tempore quæque loquantur, nedum quid dicant. Vnde *Eccl.* 20. *ca. Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tem-*
*Plutarchus.* *pore suo*. Tempestiue ergo dicendum, ac prædicandum. Me-
*to. 1. in Apoph* morabile est, quod in Apophtegm. Laconicis retulit Plu-
*Laconicis.* tarchus, de Archidamida quodam, hoc modo.

Cuidam Hecatæum sophistam reprehendenti, quòd in conuictum ipsorum (quod Syssition vocant) receptus, nihil diceret: Ignorare mihi videris, dixit, quòd, qui dicere nouit, tempus etiam dicendi non ignorat, Videris, inquit, mihi nescire, quòd is, qui dicendi nouit artem, etiam dicendi norit opportunitatem. q. d. In senatu, in foro, in concionibus, in legationibus, alijsque reip. negotijs, locus est oratori, in conuiuijs autem temulentis, maiore cum laude filet eruditus, quàm loquitur.

Portare modo &c. 1. *Corinth.* 2. *Sapientiam,* ait Apostolus, *loquimur inter perfectos & eiusdem epistol. cap.* 3. *Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.*

*Cùm venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem, &c.* Docebit quidem, non externo verborum strepitu, sed interna inspiratione. Docebit autem veritatem, abolitis figuris, ac vmbris, & obscura ac dubia vobis enodabit, explicabitque. Non vnam verò aut alteram veritatem vobis inculcabit, reliquis, quæ non minus necessariæ sunt, prætermissis (quod faciunt seductores) sed omnem veritatem vos edocebit, nempe quid credendum, quid agendum, quid sperandum, quídve timendum. Nullum enim horum sine alijs sufficit. *Ille vos edocebit omnia, & suggeret vobis omnia,*
*Ioan. 14. c.* *quaecumque dixero vobis &c. Ioan.* 14. Neque verò id solùm, verùmetiam omnem veritatem necessariam ad salutem) vos docebit, & quæ vos docueram priùs, obliuioni tradita, in memoriam reuocabit, & alia omnia, quæ ad pascendam ac dirigendam Ecclesiam erunt necessaria, vobis demonstrabit.

Non autem simpliciter omnia & absolutè Apostolos edo-

cuit: vt pote non docuit Mathematicas, vel Physicas disciplinas aut cæteras liberales artes, & scientias: sed solùm ea, quæ spectabant ad regimen & moderationem Ecclesiæ, cui moderandæ præerant Apostoli, ex Christi authoritate. Etenim (ait Michael de Palacio hôc loci) post aduentum Spiritussancti, Apostoli didicerunt veterem legem non esse obligatoriam, sed cassatam esse, per mortem, & sanguinem Christi, quod tamen prius non cognoscebant. Et quod gratia Dei effundenda esset in Gentes, quod priùs Apostolos latebat. Et quod Iudæi essent explodendi à regno Dei, Gentes verò suscipiendas esse in eorum locum. Quæ quamuis Dominus non siluerat (vt sequentes loci non obscurè subindicant, *Ioan.* 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas me oportet adducere*, vbi Gentium vocatio præsignabatur. Et, *Matth.* 21. *Malos male perdet, ac vineam suam locabit alijs agricolis*. vbi Iudæorum reprobationem prænunciat, & adumbrat, Gentésque in eorum locum asciscendas insinuat.) Attamen quoniam Dominus ænigmaticè sæpè loquebatur, non apertè diuina hæc mysteria illis reserabantur, quia nondum venerat tempus.

*Michael de Palacio hoc loci.*

*Ioan.* 10. *ca.*
*Matth.* 21 *ca.*

Hæc igitur, & alia id genus, à Spiritu S. docet propalanda, & quæ ventura forent, edocenda. Hinc *prioris ad Timoth. cap.* 4. *Spiritus*, ait, *manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Manifestè inquit, dicit, id est, non per ænigmata, sed clarè prænunciat. *Act.* 15 *Visum est Spiritui sancto & nobis, &c.* Itaque quia multa in Dei Ecclesia contingerent in futurum dubia, & magni ponderis negotia, his omnibus decidendis, necessarium erat Spiritussancti nouum magisterium vt omnia illa resoluerent, Et quia defunctis Apostolis, & discipulis Domini multa quoque resultarunt dubia in vniuersali Ecclesia, ex importunitate hæreticorum Ecclesiæ Catholicę insultantium, ideo hoc Sp. S. magisteriũ, nunquam Catholicam deserit Ecclesiam, sed semper illi adest, quùm necessitatis articulus id exigit, & fidei causa id postulat. In gratiam enim vniuersalis Ecclesiæ, nedum singulorum Apostolorum, tantus doctor fuit donatus, & collatus. Vt maneat, ait Christus, vobiscum in æternum. *Ioan.* 14. Hactenus de Palacio.

1. *Timoth.* 4. *c*

*Act.* 15. *c.*

*Ioan.* 14. *c.*

*Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis &c.* Hoc addit (ait noster

*Ferus in Ioannem hoc loco.* Ferus ad hunc locum ne quis suspicetur propterea Spiritum sanctum maiorem esse filio, quòd maiora effectiuus sit in cordibus fidelium. Et vt comprobet ipsum esse Spiritum veritatis. Qui enim à seipso loquitur, spiritus est mendacij. Diabolus, cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur, quia mendax est, & mendacij pater, (ait *apud Ioannem.c.*8. Christus. *Ioan.8.c.* Omnia, quæ audiet, loquetur, hoc est, ea, quæ Pater vult nobis reuelari, reuelabit, & quæ in commoditatem cedent totius Ecclesiæ. Docebit etiam, quid in Ecclesia futurum sit, per prophetiæ donum: quemadmodum in Apocalypsi videtur.

*Ille me clarificabit,* nempe in cordibus fidelium, vt me verum agnoscant Saluatorem, verúmque Dei filium. Per vos Apostolos meos in orbe vniuerso annunciabit gloriosam meam victoriam super peccatum, mortem, diabolum, & mundum. Clarificabit me rursus, miraculis per nominis mei inuocationem fiendis, ex quibus omnes agnoscent, mihi datam esse potestatem in cœlo, & in terra. *Matthei postremo cap.* Sed operæ pretium est, quod subsequitur animaduertere, quia *Matth.28.ca.* de meo accipiet &c.

Ergo Spiritussanctus accepit à Christo, quatenus scilicet, est Deus. quę acceptio nō fuit, sicut per instructionē (vt prophetę instruuntur à Spiritusancto) sed per æternam à filio, quemadmodum, & a Patre, emanationem, originem, seu processionem. *Qui à patre filióque procedit.* Concinit in symbolo, sancta Romana, & Catholica Ecclesia) q d. procedit à me Deo ipse Deus. Iam suprà dixerat c.15. Spiritumsanctum à patre procedere. Nunc ostendit à se quoque procedere: De meo accipiet, inquiens, Didymus Alexandrinus lib.1. de SS. D. Hier. interprete, hæc verba, de Spiritussancti processione orthodoxè exponit. Cui adstipulatur immortali nomine dignissimus Athanasius, in suo symbolo. Spiritussanctus, ait, à patre & filio non factus, nec creatus, nec genitus sed procedens. Sic ille duę columnę, à quibus nunquā me patiar diuelli. Insignes ac eximij apud Græcos, scriptores verè orthodoxi qui Spiritumsanctum à filio, nedum à patre procedere præter recentem Græculorum morem, fideliter tradiderūt. Cum præsertim veteres omnes Græci in eam quoque sententiam certatim ieruit.

*Symbolum Ecclesiæ.*
*Ioan. 15 ,c.*
*Didymus.l.1. de SS.D.Hie. interprete symbolum D. Athanasij.*

Obserua, quòd processio tunc existit, propriè loquendo, cùm duo agūt æqualiter, per modum nempe amoris, vt hac in processione, in qua Pater, & filius æqualiter Spiritum emittunt.

mittunt. Vnde in Ancorato non longè à principio D. Epiph. Spiritussanctus, ait, à Patre procedēs, & a filio accipiens, deinde, non genitus nec creatus, sed ex eadem essentia Patris & Filij Spiritussanctus Spiritus enim Deus Paulò post. Ipse vnigenitus dicit, Spiritus Patris, &, qui ex patre procedit, &, De meo accipiet vt ne alienum putetur à patre & filio, sed eiusdem essentiæ, eiusdē deitatis. Spiritus veritatis, Spiritus patris, & Spiritus filij, ex patre, & filio. Sic ibi: ac rursus circa media, sic scribit: Si filium vocat eū (Catholicus) qui est ex patre, Spiritum verò Sanctum, qui ab vtrisque, & quæ ibi ponuntur Atq; hęc est, causa, cur Spiritus procedens dicatur, non genitus. D. Epiph. in Ancorató circa initia & paulò post media.

Hebræi Sp. sanctum, quem Ruáh Haccodes tam crebrò nominant, Ecclesiæ moderatorem, præfectúmque confitentur, ac vocant cognomento apud ipsos vulgatissimo Sechiná, quod ipse cū ea, præsertim cum Prophetis maneat. Liber Eliæ Iudæi, qui Thisbi inscribitur, è quo ista trāscripsimus, (inquit l. 2 de S. Trinitate Genebrardus) extat in omnium manibus. Iam Sp. sanctum, quoniam non à solo patre, verum etiam à filio, idque æqualiter, & secundum idem in principij genus, nactus est substantiam, inficiamur genitum, cōfitemur procedentem, id est inuisitato naturæ modo, à duobus æquè, communitérque spirantibus, & tanquā agentibus productū. Nam Pater & Filius Spiritum emittunt, producúntve, vna eadémq; spiratione, non quasi duo principia, sed quasi vnum, (sicut verè sunt vnum) mirabiliter effundunt. Hæc ille. G. Genebrard. l. 2. de S. Trinitate.

Cur verò dixerit, de meo accipiet, & non accipiet, Siquidem ab æterno habet Spiritussanctus & esse & Sapere à patre & filio? Respondeo sicut filius & est genitus, & generatur, & generabitur, quia æterna generatio omnes temporis differentias simul complectitur: Sic de Spiritus processione æstimare licet, quæ cum sit æterna, est, sanè, verum dicere, de meo accepit, & accipit, & accipiet. Interim Dominus nunc volens significare doctrinæ effectum, quē pollicetur Apostolis à Spiritusancto euenturum, dixit in futuro, de meo accipiet, id est, de meo vos docebit. Hic locus, De meo accipiet satis vrget græcos, probátque processionem Spiritus etiam à filio. Quāquam Græci conantur eludere, hunc locum interpretantes, quia diuinitas filij, est patris, Ideo aiunt, procedendo ex patris substantia Sp. sanctus, eatenus accipit, ex substantia filij: Sic proinde existimant, De meo accipiet, id est, de substantia patris mei, quæ mea est, vt statim subditur: Omnia quæcumque habet pater mea sunt. Verùm si hoc vnum insinuare do-

minus voluisset, nempe Spiritumsanctum à patre procedere, Cùm hoc iam expresſè dixerit ſuprà. Spiritus qui à patre procedit. Non fuit igitur nunc necesse, hanc Spiritusſancti à patre processionem, horum repetitione verborum, De meo accipiet &c. inculcare, quam ſuperiore verbo, tam clarè expreſſerat. Hęc igitur verba, De meo accipiet &c. etiam ab ipſo filio processionem Spiritus palàm indicant: Sed de his iam ſatis. Sequitur in fine.

*Omnia quæ habet pater mea ſunt.* Quoad essentialia, accipe, nō quoad notionalia (vt loquuntur Scholæ. Igitur, quæ habet pater ſunt filij, niſi vbi obuiat relationis oppoſitio: Paternitas enim patris eſt, & non eſt formaliter filij. Neque adeò rudis ſis, vt putes Spiritumſanctum, partem ex filij ſubſtantia accipere, quia ait, De meo accipiet. Diuina etenim ſubſtantia indiuiſibilis ac impartibilis eſt.

Vide autem, quàm pulchrè Trinitatem perſonarum cōiungat. Primò, ne Sp. Sanctus credatur à filio alienus, dixit: De meo accipiet. Deinde ne filius à patre extraneus exiſtimetur, addidit: Omnia quæ habet pater mea ſunt. Igitur ſi Spiritus vnum eſt cum filio, in eſſentia, nimirum, ſed alius in perſona, Tres ergo perſonæ æquales ſunt, nec Spiritusſanctus ideò minor eſt, quia vltimo loco, & ordine nominatur. Hæc eſt fides noſtra Catholica. *Et hi tres vnum ſunt.* 1. *Ioan.* 5. *cap.* Huic verò concioni colophonem imponere viſum eſt, in his ab Eccleſia in Litania vſitatis verbis: *Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.*

1. *Ioan.* 5. *cap.*

*Litania.*

*Amen.*

# DOMINICA QVINTA POST PASCHA.

## De rogando Patre in Filij nomine, ac orationibus nostris per illum exaudiendis.

*Amen Amen dico vobis, siquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis, Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis vt gaudium vestrum sit plenum.* Ioan. 16. c.



*Æc est fiducia, quam habemus ad Deum,* ait dilectus Deo discipulus. 1. *Ioan. 5. cap.* quia, *quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos, & scimus, quia audit nos quicquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo. Et quicquid petierimus, dixit suprà cap. 3. accipiemus ab eo.* Hinc exordiri placuit, Auditores, quoniam & ipse magister Christus, præsenti lectione, & quidem cum iuramento promisit dicens quæ hoc contextu habentur Et quid maius vel optare quidem posset homo? *Deuter. 4. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, Sicut Deus noster* adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ verba æquiore, sanè, iure de noua lege Euangelica, quàm de vetere Mosaica, de Christianis potiùs, quam de Iudæis accipienda & intelligenda veniunt, præsertim cùm in Deuteronomij volumine (quod iteratā legem seu secundam interpretamur ex Græco) contineantur. Quid his verbis dulcius? Si enim rex aliquis summa liberalitate erga quempiam vti vellet, quid illi ampliùs polliceri, præstaréve posset, quàm his ipsis eum compellare verbis? Siquid abs me postulaueris, dabo tibi: Vnde, *Matthei. decimo quarto capite.* Herodes tetrarcha, Herodiadis filiæ, quæ illi placuerat, cum iuramento pollicitus est, dare quodcumque postulasset ab eo, Et, *Marci sexto capite.* Rex ait puellæ,

*1. Ioan. 5. & 3. c.*

*Deut. 4. ca.*

*Simile.*

*Matt. 14. c.*

*Mar. 6. c.*

*Pete à me quid vis, & dabo tibi, & iurauit illi, quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Sic. *Esther cap.5.* à Monarcha regéque Asuero audiuit in conuiuio, quod ipsa regina parauerat: *Quid petis, vt detur tibi? Et pro qua re postulas? Etiamsi diuidiam regni mei partem petieris impetrabis.*

Esth.5.c.

Ad hunc quoque modum Dauid rex, (2. *Regum.* 19. *capite.* dixit Bersellai: *Ego faciam, quidquid tibi placuerit, & omne, quod petieris à me, impetrabis.* Et Dominus Salomonem, post magnificentissimam illam templi fabricam, post tam multorum pecudum sacrificia iussit, quicquid vellet ab ipso postulare. Ita enim illum affatus est. 3. *Regum.* 9. *Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me supra verò cap.* 3. *Apparuerat illi Dominus per somnium nocte in Gabaon, dicens. Postula quod vis vt dem tibi.* Idem rex Salomon. 3. *Regum.* 2. Beth-sabee charissimæ parenti dixisse memoratur.

3.Reg.9.c. & 3.ca.& 2.

*Pete mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciam tuam:* Helias consimiliter ex hoc sæculo migraturus dilectissimo discipulo ait: 4. *Regum.* 2. *Postula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te.* Hoc igitur, quod tam rarò inter homines contingit, præsenti Euangelio, non vini alicui amico, non dilectissimus discipulis solùm, sed omnibus in commune fidelibus Dominus exhibet, cum ait: *Amen amen dico vobis Si quid petietis &c.*

4.Reg.2.c.

Addidit. D. Ioannes in epistol. vbi suprà. *Si secundum voluntatem eius,* hoc est, si quæ bona, & sancta sunt, petamus. Nam voluntas eius bona & sancta est. Hanc ipsam autem fiduciam impetrandi à Deo, quæcumque petimus, iterum atque tertiò, quoque repetit, ad maiorem videlicet confirmationem. *Scimus,* inquiens, *quia audit nos, Et, Scimus, quoniam habemus petitiones &c.* Asseuerat autem hîc Christus, iuramento etiam interposito, *Amen Amen dico vobis,* vt promissionis suæ certitudinem ostenderet, & fidei nostræ imbecillitatem roboraret. Verè ita est, ait, Nostra itaque fiducia roboratur, & socordia reprehenditur. Vt enim D. Chrysologus alicubi scribit, petentis negligentia reprehenditur, vbi de dantis misericordia, ac liberalitate minimè dubitatur. *Luc.* 11. *capite.* *Ego* (ait Christus) *dico vobis: Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* Nunc ad textum aggrediamur.

D.Chrysologus. Luc.11.c.

*Siquid petieritis &c. suprà. c.* 14. dixerat: *Quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam vt glorificetur pater in filio, siquid petieritis me*

*in nomine meo hoc faciam.* Nunc, *Siquid petieritis*, inquit, quod intellige, si benè petierint, alioqui, *Iac. 4. Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis: vt in concupiscentijs vestris insinuatis*, &. Matth. 20. Duobus filijs Zebedæi ait Christus: *Nescitis, quid petatis.* Primò dixit petendum esse patrem in nomine ipsius, deinde ipsum quoque petendum asserit in nomine suo, æqualitatem suam ad patrem demonstrans. Priùs dicendo precandum esse patrem in nomine Christi, se mediatorem esse profitetur: ac humanam suam naturam, secundùm quam est mediator, & aduocatus noster, teste Ioanne Theologo, ostendit. Cùm verò se in nomine suo esse precandum affirmat, se esse verum Deum testatur. *Iac. 4. c.* *Matt. 20. ca.*

Si quid &c. Singula emphasim habent. Indicatur primò, quid petendum sit. Non scilicet quod malum est. Nam malum nihil est, potiùsquàm aliquid. Est enim boni priuatio. Bona tantùm petenda sunt, quod Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, citante Valerio, libro. 7. cap. 2. sapienter dixit: Nihil vltra petendum à dijs immortalibus, quàm vt bona tribuerent. Quia ij demum scirent quid vnicuique esset vtile: nos autem plerumq; id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Et qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possũt. Sic ille optimè arbitrabatur. Si quid, ait Christus, hoc est, si bonum aliquod & solidum, aut salutiferum petieritis. Ea enim sola petenda sunt. Non petit aliquid, qui diuitias, irritamenta malorum, petit: quia non tam bona sunt, quàm bonorum vmbræ. *Sapient 7. Diuitias nihil esse dixi &c. & capite 5.* impij serò sapientes id agnoscunt. *Quid*, inquiunt, *diuitiarum iactantia cõtulit nobis? Transierunt omnia illa, tanquam vmbra.* In diuitijs fallacibus, vitia insunt. *Valer. max. l. 7. c. 2. in externis.* *Sap. 7. c. & c. 5.*

Addit, *Patrem.* quo verbo adorandum nos excitat. *Luc. 11. Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester cœlestis, dabit petentibus se?* Patrem appellat. *1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus.* Patrem amore, Patrem beneficijs, Patrem singulari cura, ac prouidentia, Patrem omnibus paternæ charitatis officijs erga nos se exhibet. Nouit ipse necessitates nostras, quem nihil latere potest. Succurrere potest, qui nihil non potest. *Luc 1. non est impossibile apud Deum omne verbum.* Vult certè nobis benefacere, quia pater est. Tria hæc illi insunt, scire, posse, atque velle. Quid, amabo, requiris amplius? *Luc. 11. c.* *1. Ioan. 3.* *Luc. 1. c.*

In rebus aduersis sic te solaberis. Patrem habeo, qui omnia scit, omnia potest, & paterna charitate, quæ mea sunt, curat, mihique benè afficitur, cur ergo trepidarem? *Psalm. 39.*

*Psal. 39.* *Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus sollicitus est mei.*
*1. Pet. 5. ca.* *Item, prima Pet. 5 Omnem sollicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Hac confidentia prodigus, sistere se ausus est, ac in conspectu Patris, postquam dissipasset totam substantiam, comparere, quia Pater erat, *Surgam*, aiebat ille, *& ibo ad patrem, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te &c. Lucæ decimo*
*Luc. 15. c.* *quinto capite.* Nam, vt scribit Romanæ eloquentiæ pa-
*Cicero ad Atticum l. 7. ep. 2.* rens, & columen, Cicero, ad Atticum, libro 7. epistolà secunda. στοργὴν φυσικὴν, esse, *τὴν πρὸς τὰ τέκνα*, ita etiam haud dissimiliter lege septima Codice de curato-
*l. 7. C. de curat. fur. aut prod.* re furiosi, vel prodigi, ait Iustinianus Imperator. Quis talis affectus extraneus inueniatur, vt vincat paternum? Pater est, per creationem: *Deuteronomij trigesimo secundo*
*Deut. 32. c.* *capite. Nonne ipse est pater tuus, qui fecit & creauit te?* Pa-
*Ioan. 5. ca.* ter est, per conseruationem; *Ioannis quinto capite. Pater vsque modo operatur*: res à se conditas conseruando) Pa-
*Isa. 63. c.* ter est, per redemptionem. *Isayæ sexagesimo tertio capite. Tu Domine pater noster, & redemptor noster.* Pater est per
*Sap. 14. ca.* prouidentiam: *Sapientiæ decimo quarto capite: Tua Pater prouidentia, gubernat ab initio cuncta.* Pater item est,
*Matt. 25. c.* per hæreditatis præparationem. *Matthæi vigesimo quinto ca-*
*Luc. 12.* *pite Percipite paratum vobis regnum, à constitutione mundi &c. Lucæ duodecimo capite. Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*
*Psal. 54. c* Pater est denique, per curam circa singulos verè paternam. Gallicum est Prouerbium. *Est bien pere, qui nourrit. Psalm. 54. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Ecclesia
*Ecclesia in Missa.* verò in Missæ sacrificio ità orat: *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere: Pater noster qui es in cœlis &c.* Pater est misericordiarum, & Deus totius consolationis, ait Paulus, *posterioris, Cor. c. 1.* in Euan-
*2. Cor. 1. c.* gelio, qui olim dicebatur Deus vltionum Dominus in antiquo testamēto. *Ps. 93*; Siquid igitur petieritis, Patrem, adiecit,
*Psal. 93.* In nomine meo. Non enim in nomine nostro petere debemus, hoc est, propter merita, & benefacta nostra. *Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis*, dicebat *Daniel. cap. 9.* Et Christus,

*Luc. 7. Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Quod debuimus facere, fecimus. In nomine meo.* Diceret enim aliquis: vnde mihi, qui cinis, & vermis sum, tanta fiducia, vt omnia, quæ ab illo petiero, impetrare debeam? Terret me, non solum conditionis vilitas sed multò magis mea indignitas, & extrema meritorum egestas. Hinc scrupulo diffidētiæ, succurit nunc Christus dicens, In eius nomine esse petendum. Per meritum charissimi filij, in quo sibi benè complacuit pater, *Matth.* 17. O ius firmissimum! à Patre dilecti filij nomine postulare. Quid aliud proferamus aut producamus corā diuino throno, seu tribunali, quàm Per dominum nostrum IESVM Christum filium tuum, &c. veluti orationes suas concludere solet Ecclesia? Si enim proposuero Domino, in fauorem exaudiendæ orationis supplicationisq; meę, quia *Manus tuæ Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu, Iob* 10. *cap.* id in meam vergit condemnationem; quoniam aduersus creatorem meum impudentèr restiti: Si tuam imaginem animo meo impressam, insculptámve, pro titulo allegauero, pudet me illam tibi tot peccatorum sordibus, maculisque deformem, ostendere, ac fœdatam. Si verò panem tuum edisse me protulero, id nunquam certè merui. Nullum igitur aliud refugium mihi superest ad petendū, nisi per Dominum Iesum Christum, per propitiatorem, ac mediatorem illum inter te & nos. Hoc ius, coram te afferre potero.

Dan. 9. & Luc. 17.

Matth. 17.

Iob 10.

*Dabit vobis*, addit Christus, vbi promittit exauditionem. Hæc omnia ad orandum nos excitare debent *Psal.* 36. *subditus esto Domino, & ora eum. Matth.* 7. *Petite, & accipietis, &c. Luc.* 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Quid multis opus est! Petendum, quia Pater, quia per filium vnigenitum placatus, ac conciliatus, petendum tandem, quod est nobis salutare, Alioqui, Diuo pátre Augustino huius loci interprete, non petitur in nomine Saluatoris, quicquid contra rationem petitur salutis. Quamobrem quando ab eo petimus, non fragilitatem nostram, aut exigua merita; Sed Dei infinitam clementiam, & pietatem, ob oculos mentis nostræ proponamus. *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem IESVM. Hebr.* 12. *qui factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ: quique exauditus est, pro sua reuerentia, cap.* 5. *ibi.* Scribit Seneca lib. 2. de beneficiis, cap. 16. quomodo. Vrbem cuidam Alexander donabat væsanus, & qui nihil animo nisi grande conciperet. Cùm ille, cui donabatur, seipsum mensus, tanti muneris in-

Psal. 36.
Matth. 7.
Luc. 18.

D. August. in Ioan. hoc loco.

Hebr. 12. c. & cap. 5.

Seneca lib. 2. de benef. c. 16

uidiam refugisset, dicens, non conuenire fortunæ suæ: Non quæro, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare. Animosa vox videtur & regia, cum sit stultissima. Tumidissimum animal, si illum accipere hoc non decet, nec te dare. Habeatur personarum ac dignitatum ratio. Hæc Seneca. In homine quidem id postremum, verum sit, Non sic tamen in Deo liberalissimo, *qui dat omnibus affluenter & non improperat* Iac. 1. *qui, denique diues est in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Rom. 10. & Ioel 2. Non attendit ille quid nos accipere mereamur, Sed potius quid illum dare deceat. Magnificum quippe magnifica decent. 2. Petr. 1. per quem (Christum nimirum) maxima, & preciosa nobis promissa donauit, & cæt. Sequitur in textu.

Iac. 1.
Rom. 10. & Ioel. 2.
2. Petr. 1.

*Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis, & cæt.*

Obserua autem, quòd non simpliciter dicit: vsque modò nihil orastis, aut petistis: Quomodo enim Apostoli tam stupidi esse potuissent, vt non orarent, quum viderent Christum etiam totas noctes orantem? Imò apertè ex Euangelio illos orasse colligitur; Alioqui non dixissent, Luc. 11. *Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos. Et ait illis: Cùm oratis, dicite, Pater noster, &c.* Verùm enimuerò dicit, *Non petistis quicquam in nomine meo*, à Patre, nempe directò non postulabant in Christi nomine, sed adhuc toti pendebant à corporali Christi præsentia, & si quid deesset, ab ipso petebant, vt cùm dicerent, Matth. 8. *Domine, salua nos perimus. Item,* Luc. 17. Dixerunt Apostoli Domino, *Adauge nobis fidem. Et Petrus, cùm cœpisset mergi, clamauit dicens, Domine, saluum me fac.* Matth. 14 cap. Subducta, autem præsentia Christi, cogebantur oculos ad cœlum leuare, ac æternum patrem per filium inuocare Galat. 4 *Misit Deus Spiritum filii sui, in corda vestra clamantem: Abba, Pater,* Ecclesiast 51. Habetur oratio IESV filij Sirach. *Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, &c.* 1. Ioannis 2. *Aduocatum habemus apud Patrem IESVM Christum Iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.*

Luc. 11.
Matth. 8.
Luc. 17.
Matth. 14.
Gal. 4.
Eccles. 51.
1. Ioan. 2.

*Petite, & accipietis.* Notatione & animaduersione dignum est, hanc hebdomadam vocari Rogationum Septimanam, quæ à Diuo Mamerto Vienensi Episcopo pro depellendis in homines bestiis, primùm quidem institutæ, ab Ecclesia tan-

dem piè confirmatæ ſunt, & ad noſtra vſque tempora, in toto Chriſtiano orbe ſalutariter obſeruatæ ſunt. Atque vel hac maximè anni tempeſtate, qua (vt plurimùm) bella ſuboriri incipiunt,& peſtilentia, atque fames, fructibus denique terræ pericula maxima imminere. Quorum cauſa, hoc potiſſimùm verno tempore Litaniæ ſunt inſtitutæ, ſeu Rogationes, tum etiam, vt per eas humiliati, ac peccatorum ſarcina exonerati Chriſtum cœlos aſcendentem,ſequi poſſimus, Vbi haud dubiè, gaudium noſtrum erit plenum,omnibúſque numeris abſolutum. Vt etiam nos ad Spiritus paracleti aduentum præparemus; Apoſtolorum exemplo,qui circa hæc tempora promiſſum Spiritum ſanctum præſtolantes, *omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione, cum Mariâ matre Ieſu, Actor.1. capite.*

*Letaniæ, ſeu Rogationes.*

*Act.1.*

Hîc de Litaniis, obſeruatione digna quædam proferamus ex antiquis, claſſicíſque, ac probatis ſcriptoribus. Sanctus Mamertus Viennenſis Epiſcopus, ac Confeſſor (cuius in Martyrologiis, 5. Idus Maij, mentio habetur) imminente maximæ cladis, & peſtis periculo, ſolemnes triduanas Litanias inſtituit: Ita ferè in ſuo Martyrologio iuſſu Caroli Magni conſcripto, Vſuardus retulit & Ioannes Molanus Theologus Louanienſis, ea de re ſic ibi annotauit: Mamertus Claudianus inſtituit triduanam Litaniam,quæ etiam minor, & Gallicana nuncupatur, de qua digniſſima lectu ſcribunt Ado Viennenſis, annis 396. 452. & Gregorius Turonenſis, lib. 2. Hiſtoriæ Francorum, cap.34. Homilia autem de Rogationibus per Sanctum Epiſcopum Auitum habita, citatur ibidem à Gregorio, & excuſa extat in Orthodoxographis, Addo ex Petro Galeſinio, Protonotario Apoſtolico in Martyrologio, Albinum Flaccum, & Amalarium. Earundem Litaniarum etiam Sidonius Aruernorum Epiſcopus, duobus in locis meminit: nempe lib. quinto, Epiſt. decimoquarta ad Aprum, & lib. 7. Epiſt. 1. ad ipſum Mamertum Papam (Sic enim, ex vetere more, eum nuncupat) ſcripta: Quos omnes indicatos locos, ſi penſiculatiùs, ac per minutias exponere,atque expendere voluerimus, rem lectoribus ſtudioſis gratiſſimam, vtiliſſimámque nos facturos arbitramur.

*Martyrologium Vſuardi & aliorum. 5. Idus Maij.*

*Ioan. Molanus Theologus Louanienſis.*

*Petri Galeſinij Martyrolo. 5. Idus Maij.*

*Sidonius li.5. ep. 14. & lib. 7. ep.1. Domitiano Papæ,id eſt Patri,ac Pontifici Mamerto*

Age itaque & ſingulos authores, eo ordine quo citati ſunt, ſua verba reſonantes, audiamus. Ado in Chronico, anno Chriſti 396. Mamertus Viennenſis Epiſcopus, inquit, inſigniſſimus habetur; qui inter alia mirifica ob imminentem

*Adonis Chronic. ann. Chr. 396. & 452.*

cladem, ante Ascensionem Domini solemnes instituit Litanias. Idem ann. Christi 452. Hoc tempore, ait (nimirum Chlodoueo Francorum Rege recens baptizato) Beatissimus Mamertus Viennensis Episcopus, cladem imminentem lachrymis & precibus suis à Viennensium vrbe remouit. Siquidem incendia crebra, terræmotus assidui, nocturni sonitus cuidam totius vrbis funeri prodigiosum quiddam ac ferale minitantes, populosis hominum conuẽtibus domestica siluestrium ferarum species obuersabatur: lupi, vrsi, ac cerui, naturaliter pauidi, per angusta portarũ, vsque ad fori lata penetrabant. Quid multis? Imminente solẽnitate vigiliarũ, qua celebrari festum Dominicæ Resurrectionis, annua consuetudo poscebat, ædes publica, quam præcelso ciuitatis Viennẽsium vertici sublimitas in immensum fastigiata sustulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpollatur nunciis discriminis iocunditas sublimitatis, solemnitatis, pleno timoribus populo Ecclesia vacuatur. Omnes namque similem facultatibus, vel domibus propriis casum, de quadam præeminentis incendij arce metuebant. Perstitit tamen coram festiuis altaribus inuictus antistes. Sanctus Mamertus, & calorem fidei suæ accendens, flumine lachrymarum, permissam ignibus potestatem incendio abscedente compescuit. Desperatione deposita, reditur ad Ecclesiam, in eáque vigiliarum nocte Sancti Paschæ, concepit animo Rogationes, atque ibi cum Deo tacitus definiuit, quicquid hodie Psalmis, ac precibus mundus inclamat. Sic Ado. Greg. autem Turonensis, lib. 2. Histor. §. 34. de sancto Auito Episcopo Viennensi, expressè verba faciens, scribit hoc pacto: Refert in quadam Homilia, quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes, quas ante Ascensionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerto ipsius Viennensis vrbis Episcopo, cui & hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum vrbs illa multis terreretur prodigiis. Nam terræmotu frequenter quatiebatur, sed & ceruorum, atque luporum feritas, portas ingressa, per totam, vt scripsit vrbem, nihil metuens oberrabat. Cúmque hæc per anni circulum gererentur, aduenientibus Paschalis solemnitatis diebus expectabat misericordiam Dei plebs tota deuotè, vt vel hic magnæ solemnitatis dies huic terrori terminum daret. Sed in ipsa gloriosæ noctis vigilia, dum Missarum celebrarentur solemnia, subitò palatium regale intramuraneum diuino igne succenditur: pauore omnibus perterritis, & Ecclesiam egressis, credentibus, ne

Greg. Tur. l. 2. hist. Franc. §. 34.

aut hoc incendio vrbs tota consumeretur, aut certè, disrupta tellure dehisceret, sanctus sacerdos prostratus ante altare, cum gemitu & lachrymis, Domini misericordiam imprecatur. Quid plura? penetrauit excelsa poli oratio pontificis inclyti: restinxítque domus incendium, flumen profluentium lachymarum. Cúmque hæc agerentur, adpropinquante Ascensione, vt iam diximus, maiestatis Dominicæ, indixit populis ieiunium, instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Cessantibus quoque exinde terroribus, per cunctas prouincias dispersa facti fama, cunctos sacerdotes imitari commonuit, quod sacerdos fecit ex fide: quæ vsque nunc in Christi nomine, per omnes Ecclesias, in compunctione cordis, & contritione spiritus celebratur. Hactenus ille (sub.) Litania aut processio quam per edendi setiem intellectam voluit (meo quidem iudicio) q. d. procedendi seriem, & ordinem: Nam edere, est extra dare, seu foras emittere quidpiam. Hæc pro vocis subobscuræ (si librarij mendum non subsit) explicatione obiter dicta sunto.

*Tomus posterior Orthodoxographorū. Auiti Vienn. Arch. homil. de Rogat.*

Extat posteriore Orthodoxographorum tomo, Auiti Archiepiscopi Viennensis homilia, de festo Rogationum, & prima eius institutione. Incipit autem sic. Currit quidem tramite vitali, non per Gallias modò, sed penè per orbem totum, Rogationis obseruantiæ flumen irriguum, &c. Inter narrandum, iisdem vtitur verbis, quæ ab Adone in Chronico suo vsurpata fuisse, videre est. Prodigia igitur describens, quibus de supra actum est, subdidit: Interpellatur nuncio discriminis, iucunditas solemnitatis & emendare ex hoc liceat, quod apud Adonem ea de re legitur, Iucunditas sublimitatis, pro, solemnitatis positum. Deinde subditur. Prædecessor meus, & spiritualis mihi à baptismo pater, sanctus Mamertus Sacerdos, cui ante paucos annos pater carnis meæ accepto (sicut Deo visum est) sacerdotio in tempore successit, Rogationes animo concepit. Reuoluta ergo solemnitate Paschali, non iam quid, sed quandò, aut quomodo fieri debeat, secreta priùs collatione tractatur. Putabatur à quibusdam Viennensis senatus, cuius tunc numerosis illustribus curia florebat, inuentis non posse adduci, cùm vix acquiescerent legitimis inclinari: sed pius, ac sollicitus pastor, sapientiæ salibus largus, mansuefaciendarum omnium prius, orando animum, quàm perorando molliuit auditum.

Pandit igitur dispositionem, iudicij ordinem exponit: & viro tam religiosi, quam solertis ingenij, parum fuit, si obedientibus propositum tantummodo institutionis promeret, nisi inter initia etiam vinculum consuetudinis assignaret. Inspirante igitur compunctorum cordibus Deo, auditur à cunctis, confirmatur, attolitur: elegitur tempori, triduum præsens quod inter Ascensionis sacræ cultum, Diémque Dominicum quasi quodam opportunitatis propriæ limbo, circumpositis solemnitatibus, marginaretur. Atque ita ad præsentes dies vniuersalis obseruantiæ cura concessit. Porrò autem eo attinuit ista præfari, vt ad Rogationum nostrarum operosissimam festiuitatem vos accingatis, superiores, & infimi. Propter hanc discretionem in Euangelio Dominus ait: *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis* Petere enim docti est, quærere religiosi: Petit sciens, quærit nesciens. Cùm petis, vis accipere, quod intelligis: cùm quæris, adhuc conaris inuenire, quod petis. Ideò, qui iam superiores sunt, orando petant, qui infimi, laborando quærant. Porrò autem pulsare commune est, nullus quippe obstructum aditum vocibus pulsat: ad manus istud pertinet, & corporis actus est. Petat ergo scientia, quærat amor, pulset operatio maximè in obseruatione præsenti: Festiuitas siquidem est, cuius iucunditas tota est seria grauitas; cuius epulæ, lachrymę sunt, cuius pastus esuries est, cuius principium ex necessitate, perseuerantia in dilectione, actus in requie, requies in labore. Hucusque Sanctus Anitus præfatus.

*Cæsa. Epis. Arel. Homi. 33. Letania.* Eodem tomo Orthodoxogr. inter Cæsarij Episcopi Arelatensis homilias, extat etiam de Letania, Hom. 33. in ordine ad hunc modum. Ieiuniorum, vigiliarum, vel orationum arma, licet omni tempore necessaria esse probentur, præcipuè in istis tribus diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Ecclesia, nullus se à sancto conuentu subducat: nullus Ecclesiam, quasi cœlestis medici scholam, occupatus terrenis actibus derelinquat, nullus castra spiritualia deserat. Qualis est ille, qui terreni regis exercitum deserit, sine dubio talis iudicandus est & ille, qui in istis tribus diebus, Christi Ecclesiam derelinquit. Audite me fratres, rogantem, audite paterna pietate admonentem: & vobis Deus, & in hoc seculo sanitatem corporum, vbertatem fructuum, & peccatorum indulgentiam tribuat: & in futuro, ad æterna præmia feliciter peruenire concedat. Sic ibi.

Albinus Flaccus Alcuinus (qui Caroli Magni temporibus

floruit) lib. de diuinus officiis, sic de diebus rogationum, ait. Tres dies Rogationum, qui celebrantur, ante Ascensionem Domini, iuxta morem Gallicanæ Ecclesiæ constituit sanctus Mamertus Viennensis Episcopus, ob incursionem scilicet malarum bestiarum, quæ tunc temporis grauissimè afficiebant populum Dei. Nam cum exigentibus peccatis, Galliarum populi, luporum rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli aliquod remedium inueniretur, congregati tradūtur Galliarum Episcopi apud Viennam præcipuam Galliæ vrbem, qui in commune statuerunt, vt triduano ieiunio misericordiam Domini implorarent, antiquorum patrum vestigia sequentes. Cúmque ad eorum preces, oculus diuinæ pietatis respiciens, flagelli huius pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per Galliarum Prouincias ante Ascensionis diem celebrarentur; quæ consuetudo apud nos vsque hodie pro diuersis calamitatibus deuotissimè recolitur.

Nota, aliam Litaniam appellari Maiorem, ad huius differentiam, qua de idem author paulò sup. sic egit. Romana cōsuetudo vnum diem scilicet septimum Calendas Maij, interponit, quem vocat in Litania maiore, non in ieiunio. Litaniæ autem Græcè, Latinè deprecatio, vel Rogatio dicitur, indè & Rogationes. Potest enim serena mens, & aliena à voluntate mala, precari Dominum, quamuis manducet sobriè. Eo enim tempore .x. septimo Calendas Maij, solent inimici commouere bellum, aduersus vicina regna. Huic reor cautè hoc esse prouisum: Vel quia tunc omnia in quodam profectu sunt. Messes pullulant, arborei fructus ex flore prodeunt, vineæ, & oliuæ suis arboribus erumpunt. Animalia campos tondent. Quoniam nacessaria hæc sunt nostris vsibus, petendum est, vt à Domino conseruentur. Hæc ibi.

*De Litania maiore.*

Amalarius denique Episcopus Treuerensis, ad Ludouicum pium Imperatorem, de Ecclesiast officiis, lib. 1. c. 37. ex Gregorio Turonensi in gestis Francorum (sicut sup. retulimus.) Harū Rogationum, Mamertum authorem constituit, necnon ieiunij, per triduum indicti.

*Amalarius.*

Deinceps omnes Ecclesiæ Dei, ipsas triduanas Litanias vbique celebriter colunt. Quod dicit Greg. omnes Ecclesias Dei, non extra Gallias, ait Amalarius, possumus eas intelligere. Vbi erant hi, de quibus Ambrosius dixit, qui quotidiè statuissent carnem edendam, vsque in Pentecosten, ibi non fiebat ieiunium iuxta morem nostrum, neque vbi Hierony-

mus, neque vbi Augustinus erat. Quod si fieret, non tam apertè prædicarent relaxationem ieiunij infra quinquaginta dies. Hæc ille. Ego (vt de meo aliquid conferam) quæ in Italica, & Hispanica peregrinatione, obseruaui, liberè proferam. Rogationū, triduanarúmve Litaniarum diebus, vtrobique carnibus vesci, absque vllo scrupulo vidi Italos, in Lōbardia, & Hispanos in Castella. Et quamuis olim apud Nostrates Gallos, seruatus sit rigor ieiunij in diebus illis, Nostris tamen temporibus, à carnium vsu, & esu, abstinentia fit quidem, non tamen rigidè seruatur ieiunium, vt quondam primitùs fieri obtinuerat vsus. Sicque deferbuit in nobis, maiorum deuotio.

*Micrologus.* Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus (ante annos quingentos) de Litaniis c. 57. sic commemorat Maior Litania, à B. Gregorio Papa 1. pro pestilentia ipsius temporis, (sub) sedanda, instituta est, quia & Ioanni Episcopo Rauennati scribens, diem Litaniæ tempus cineris, & cilicij appellat. Triduanæ autem Litaniæ, ante Ascensionem Domini, non Romanæ, sed Gallicanæ sunt, quia illas Sanctus Mamertus Viennensis Episcopus, instituisse legitur; quas Sancti Patres, non equitando, non vestibus preciosis vtendo, sed in cinere, & cilicio, sicut & maiorem Litaniam, obseruari statuerunt. Hæc ibi.

*Sidonius.* Postremò, Sidonius Aruernorum Episcopus, lib. 5. Episto. 14. cap. His de Rogationibus ita Apro suo scribit. Quarum nobis solemnitatem primus Mamercus pater & pontifex reuerendissimo exemplo, vtilissimo experimento, inuenit, instituit, inuexit. Erant quidem prius (quod salua fidei pace sit dictum) vagæ, tepentes, infrequentésque vtque sic dixerim oscitabundæ supplicationes, quæ sæpè interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, maximè aut imbres, aut serenitatem deprecaturæ, ad quas (vt nihil amplius dicam) figulo pariter atque hortulano non oportuit conuenire. In his autem, quas suprafatus summus sacerdos, & protulit pariter & contulit, ieiunatur, oratur, psallitur, fletur. Libro item 7. Epist. 1. Domino Papæ Mamerco, sic scribit: Rumor est Gothos in Romanum solum castra mouisse. Huic semper irruptioni nos miseri Aruerni ianua sumus. Confidimus tamen (sub ope Christi, & solo inuectarum te autore Rogationum palpamur auxilio, quibus inchoandis, instituendísque, populus Aruernus, & si nō effectu pari affectu certè non impari cœpit initiari, & ob hoc circumfusis needum dat terga terrori-

bus. Non enim latet nostram oscitationem, primis temporibus harumce supplicationum institutarum, ciuitas cœlitus tibi credita per cuiusmodi prodigiorum terriculamenta vacuabatur: Nam modo, scenæ mœnium publicorum crebris terræ motibus concutiebantur: Nunc ignes sæpe flammati caducas culminum cristas superiecto fauillarum monte tumulabant: Nunc stupenda foro cubilia collocabat audacium pauenda mansuetudo ceruorum: cùm tu inter ista discessu primorum populariúmque statu vrbis exinanito, ad noua celer veterum Niniuitarum exempla decurristi, ne diuinæ admonitioni tua quoque desperatio conuitiaretur, & verè iam de Deo tu minimè poteras absque peccato post virtutum experimenta diffidere. Nam cum vice quadam ciuitas conflagrare cœpisset, fides tua in illo ardore plus caluit: & cùm in conspectu pauidæ plebis, obiectu solo tui corporis, ignis repercussus in tergum fugitiuis flexibus sinuaretur, miraculo terribili nouo, inusitato, affuit flammæ cedere per reuerentiam, cui sentiri debuit per naturam. Primum igitur & iis paucis nostri ordinis viris indicis ieiunia, interdicis flagitia, supplicia prædicis, remedia promittis, exponis omnibus nec pœnam longinquam esse, nec veniam, doces denunciatæ solitudinis minas orationum frequentia molliendas: mones assiduitatem furentis incendii, aqua potius oculorum, quàm fluminum posse restingui: mones minacem terræmotuum conflictationem, fidei stabilitate firmandam, cuius confestim sequax humilis turba consilij, maioribus quoque suis fuit incitamento, quos cùm non piguisset fugere, redire non puduit. Qua deuotione placatus inspector pectorum Deus, fecit esse obsecrationem vestram vobis saluti, cæteris inuitationi, vtrisque præsidio. Denique illic deinceps non fuere, vel damna calamitati, vel ostenta formidini. Quæ omnia sciens populus iste Viennensibus tuis, & accidisse prius, & non accessisse posterius, vestigia tam sacrosanctæ informationis amplectitur sedulò, petens vt conscientiæ tuæ beatitudo mittat orationum suarum suffragia, quibus exempla transmisit. Memor nostri esse dignare Domine Papa. Sic ille. (Hoc est, vulgato nomine, Domine Pontifex, seu, Episcope, ne quis hæreat.)

Atque de Antiquitate harum Rogationum hactenus. Sequitur in litera.

*Vt gaudium vestrum plenum sit, &c. Psalm. 102. Qui replet in bonis desiderium tuum.* Hoc nimirum, trui Deo (vt ait D. August. *Psa. 102. item 15. & 16.*

*Tunc satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Et, Adimplebis me lætitia cū vultu tuo Psal. 15. 16.* Inquietum est cor nostrum, Domine, donec quiescat in te, inquit præfatus Augustinus. In vita præsenti gaudium plenum non est, cùm teste Poëta, nihil sit ab omni parte beatum. Præsentis sæculi gaudium, vanum est. *Amos cap. 6.* Qui lætamini in nihilo, vel (vt habetur in contextu) nihili, indeclinabile. Ibi autem nostra fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia. Petite igitur non temporale aliquid, sed vt gaudium vestrum sit plenum. Incipit gaudium vestrum, cū pacem conscientiæ acquiritis: perficietur verò, & absoluetur in futura vita, cùm Deum videbitis, sicuti est, facie ad faciem. Ea igitur petere nos vult, quæ vel ad pacem conscientiæ, vel ad consequendam visionem Dei pertinent. Subindicat quoque hôc loci, nullum gaudium mundanum plenum esse, sed illud solùm, quod à Deo per Christum datur. *Gal. 5. c. Fructus spiritus est, charitas, gaudium, pax: &c. Et gaudium vestrum* (inquit hoc eodem capite Christus) *nemo tollet à vobis.* Pro huius quidem viæ statu, gaudium tunc plenum est, cùm nihil sibi homo pius ac timens Deum, conscius est. Nam, *Prouerb. 15. secura mens, quasi iuge conuiuium.*

D. Augustin.

Amos c. 6.

Vnde etiam Poëta cecinit:

*Hic murus aheneus esto,*
*Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

*Horatius li. 1. Epist. & ep. 1. ad Mecœnatē.*

Et dilectus Christi discipulus. 1. *Ioann. 3. Si cor nostrum,* inquit, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Verùm enimuerò, absolutè, loquēdo, & formaliter, Plenum gaudium nullum est, nisi in vita æterna, atque beata. Iam pergamus ad reliqua.

*Hæc in Prouerbiis locutus sum vobis. Venit hora, cùm iam non in Prouerbiis loquar vobis, sed palàm de patre meo annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis: Et non dico vobis, quia rogabo patrem de vobis.*

Multa in Parabolis, ac sub verborum inuolucro, fuerat locutus, &, paulò suprà parturientis mulieris parabolum illis proposuerat, Ideóque non abs re nunc dicit: Hæc in Prouerbiis locutus sum vobis: id est, obscurè, & non apertè. Prouerbia hoc loco, pro obscuris, & nondum reuelatis dictis accipit. Omnia verò Christi verba nondum spiritu donatis, erāt quasi prouerbia, & ænigmata. Idcirco crebrò in Euangelio reperias, Et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat autem verbum istud ab eis absconditum.

Venit

Venit hora, cum iam non in prouerbiis, &c. Non incongruè istud referetur ad diem Pentecostes quo missus est Spiritussanctus qui manifestat Euangelium, quo per Christum agnoscimus Deum patrem nostrum esse factum, nósque Dei filios. Itémque, quòd à Deo omnia bona expectare debeamus, hoc est palàm annunciare de Patre, quod etiam nunc, fit ad sæculi vsque consummationem.

*In illo die in nomine meo petetis, &c.* In illo die reuelatæ gratiæ, die salutis, & acceptabili tempore, quando Spiritus veritatis docebit vos, omnem veritatem: in nomine meo petetis. Sic legimus Apostolos, post acceptum Spiritumsanctum, frequẽter orationi vacasse. *Act.4.c. Et nunc Domine, da seruis tuis, cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri, per nomen sancti filij tui Iesu.* Sic vnanimiter orauerunt Apostoli, post Pentecosten.

Vel aliter, *In illo die in nomine meo petetis, &c.* die scilicet, æternæ beatitudinis, quando nimirum, nõ loquetur sanctis in prouerbiis, seu parabolis, & ænigmatibus, sed palàm, & (vt ita dixerim) facialiter, facie ad faciem, vt solet loqui amicus ad amicum. *Videmus nunc per speculum, in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 1.Cor.13.c.* Tunc Apostoli, atque adeò omnes sancti Dei, in Christi nomine petent, supplicationésque Deo offerent, non sibi, siue, in ipsorum commodum, quippe qui nullius boni laborent penuria, sed nobis viatoribus, & ipsorum suffragio ac ope indigentibus, postulabunt, ex maxima sanè, charitate, quæ nunquam excidit. *1.Cor.13.e.* In nomine verò Christi illic, sicut & dum hic viuerent, exaudiuntur sancti, Hinc Apostolorum vertex, *posterioris c. 1.* pollicetur se daturum operam post ipsius obitum. vt suorum verborum meminerint, quo de loco, aliâs me disseruisse recordor.

Fridericus Nauseas, Centuria 2. Hom. 46. Sic verba hæc interpretatur. Quis est ille dies, in quo petent? Est (inquam) sęculum futurum, quo de Apostolorum coryphæus. *2. Pet.3.* Vnũ hoc non lateat vos charissimi, quia vnus dies apud Dominum sicut mille anni, &c. In illo igitur die, & hora, in qua Dominus suis non loquitur in parabolis, sed palàm de suo patre annunciat, nimirum omni velamine retecto eis patrem manifestans; & ita non in prouerbiis, non in ænigmate, non velatè, sed palàm loquens, ac patrem demonstrans, quem nemo, qui viuit nisi fide videre potest, quem apertissimè Apostoli, cæteríque diui, faciè ad faciem vident. In eo itaque die, & sæculo Deus se apertè sanctis facie ad faciem monstrat, quorum ideò

*Fridericus Nauseas.*

cor gaudet gaudio pleno, & quod nemo ab eis tollet, quia firmum, æternum, solidum & verum est, quale hoc in mundo esse nequit.

Est ergo dies ille, in quo Apostoli petent, non aliud tempus (aut melius, non alia duratio) quàm æternitatis, in altero seculo.

Sed cui petent Apostoli in cœlo? Sibi? Nequaquam, quum ibi sint, & in eo beatitudinis statu, vbi, nulla re indigent, vbi plenum est gaudium, vera salus, & gloria, atque perfecta rerū omnium facietas. Nimirùm ibi *nulla est transmutatio, Iac.* 1. Vbi omnes sunt sicut Angeli. *Matth.* 22. *Non esurient, neque sitient amplius. Apoc.* 7. *&c,c.* 21. *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque dolor erit vltrà, quæ prima abierunt.* Ideò qui ibi sunt, sibi planè nihil petunt, quibus nihil deest: (nec pro se petere possunt, nisi suorum corporum resumptionem, ac glorificationem eorum: sicuti in Apocalypsi clamare referuntur sanctorū animæ.) Petunt itaque pro nobis, & tunc exaudiuntur, quippe cùm in eo beatitudinis statu, nihil petant, quod non sit exauditione dignum, sed omnia ad Dei honorem, & gloriam petuntur. Quin & ipsorum tanta est apud patrem gratia, vt non opus sit eos (si quid petere velint) vt filius pro eis intercedat, sed nullo mediatore petentes exaudiuntur, obtineántque. Id quod euidenter his verbis innuit Dominus: *Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, &c.* Quandoquidem quos rex aliquis amat, non opus sit eis, vt filius regis roget pro ipsis, vt à rege petita accipiant, obtineántve, & maximè, si tales sint, vt non nisi patris, & filij gloriam ac honorem intendant, neque aliquid aliud petere velint, aut possint. (Cuiusmodi sunt sancti in gloria, & gratia sic confirmati, vt inde excidere nequeant, atque sint omnino impeccabiles) Hucusque Fridericus, valde orthodoxè. Nos alibi plura de Sāctorum orationibus scripsimus.

Iac. 1. c.

*Non dico vobis, quod ego rogabo patrem de vobis, &c.* Contrarium supra dixisse videtur, *c.* 14. *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, &c.* Deinde, *c.* 17. *Ego* (ait Christus subleuatis in cœlum oculis) *pro eis rogo, non pro mundo rogo: sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: Cùm essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo, &c.*

Ioā. 14. & 17.

Respondeo, Non excludit Christus suam interpellationē pro Apostolis, sed distinguit tempora. Benè enim dixit alicubi

ſanctus Eccleſiæ doctor Auguſtinus. Diſtingue tempora, & concordabis ſcripturas. Rogabo patrem,&c. in carne viſibili vobiſcum conuerſans. D. Auguſtin.

Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis, nempe,in illo die,cùm a d dexterâ Patris ſedero,poſtquàm à vobis aſſumptus fuero, & vos in cœlis mecum manſionem facietis.

Ego in die humilitatis meæ rogabo pro vobis, & Spiritum ſanctum vobis impetrabo, In illo autem altero die reuelatæ gloriæ, non rogabo pro vobis. Non erit tunc opus vocali oratione,vt nunc non opus erit noua reconciliatione. Aſtabo quidem vultui Dei pro vobis,Verùm ibi non erit vocalis oratio,ſed tantùm repræſentatio paſſionis meæ. Hæc profectò expoſitio germana mihi videtur,ac literalis, Sic etiam exponi poterit, Michaele de Palacio huius loci interprete. Quod modo ait, ſe nō rogaturum patrem pro Apoſtolis intelligendum eſt,vt illis infundat fidem,& charitatem,quia iſtis donis iam potiti fuerant Apoſtoli. Verùm, quantum ad perſeuerantiam donorum infuſorum, & Dominus poſtquàm aſcendit in cœlum, etiam rogauit pro Apoſtolis,& quantum ad alia,quæ ſpectabant,& concernebant fructum Apoſtolicæ prædicationis. Michael de Palacio in hunc D. Ioan. locum.

At verò etiam ſi non dicat ſe rogaturum, cæterùm iam rogauerat Patrem, pro infuſione horum donorum: Vnde ait: *Luc.22.c. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, &c.* Sic ille.

Nec abludit à litera, ſenſus iſte, meâ quidem ſententia. Portò,(vt idem de Palacio,ſubiungit) aliter rogat Chriſtus modò,poſtquam in cœlis reſidet, & aliter cùm in terris, ageret. Siquidem agens apud mortales,rogabat Patrem proſtratus,& fundens vocales,& mentales preces. *Heb 5. Cum clamore valido, & lacrymis ſupplicationes offerens.* Nunc verò rogat ex opere Siquidem *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris 1 Ioann. 2.* Et ſua ſola reſidentia in cœlo oratio eſt pro nobis. Hæc ibi.

Cui Ioannes Molanus, aſtipulatur,lib de picturis,& imaginibus ſacris, cap. 21. his verbis. Erronea pictura eſt, & nimis craſſa, quæ exprimit Saluatorem nunc coram patre ſuo orantem genibus flexis, ſuper patibulum crucis. Contra, quod Gregorius Nazianzenus, de Theologia,oratione quarta Iacobo Billio interprete, vltra medium, ſic ſcripſit. Aduocatum habemus Ieſum, non vt noſtra causa ſeſe Ioan. Molanus D. Gregorius Nazianzenus

ad Patris pedes aduoluentem, seruilíque modo abiicientem. Procul sit ista seruilis sanè suspicio spiritúque indigna. Neque enim patris est hoc exposcere, aut filij pati, nec de Deo hoc cogitare pium, atque æquum est. Hæc Nazianzenus. Orat quidem Christus patrem (etiam nunc) & interpellat pro nobis, (vt D. Paulus ad Heb. sæpè loquitur) sed neque humiliãdo se, neque supplicando.

Verùm in cœlo apparet vultui Dei pro nobis, Ibíque sui corporis ostensione, flagitat, intercedit, interpellat, siue, postulat pro nobis. Vnde etiam Theophylactus in ca. 5 ad Heb. Christus, ait, etiamnum vnà cum corpore, pro nobis apud Deũ & patrem intercedit, hoc est, quas pro nobis pertulit afflictiones, magnúmque mœrorem, proponit etiam sine voce, reipsa nimirum, loquens: Pro humana natura filius tuus ego sustinui hæc, miserere igitur horum, pro quibus ego pati, & mori sustinui. Sic Theophylactus. Et quidem de Christi intercessione pro nobis in cœlis, hæc sufficiant. Vel sic expone prædictũ textum. Nõ dico modò, quòd ego rogabo Patrem pro vobis, vt antehac dicebã me rogaturum, quasi verò mea intercessio sit necessaria, vt scilicet pater vos amet: Imò adhoc, quòd vos pater amet, satis est si vos me amatis. Rogabo igitur pro aliis vobis donandis muneribus: At verò non est opus, vt rogem patrem vt vos amet, quia iam amat, quoniam vos me amatis. Et si iam amat, non est opus precibus, vt vos amet. Sic quoque de Palacio prænominatus.

*Theophylact.*

Vel denique de mente D. patris Augustini, tom. 9. tractatu. 102. in Ioan. versus finem, Christus, inquantum homo est, pro nobis interpellat patrem, inquantum autem Deus est, nos exaudit cum patre, quod eum significasse arbitror, vbi ait. Et nõ dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ad hoc quippe intuendum, quomodo non rogat patrem filius, sed simul exaudiunt rogantes pater, & filius, non nisi spiritalis oculus mentis ascendit. Hæc ibi.

*D. Augustin.*

*Non rogabo patrem de vobis,* hoc est, pro vobis. Beneuolentiam patris erga Apostolos Christus modò aperit, dicens, patrem esse iam adeò beneuolum atque propitium Apostolis, vt etiã si Christus non interueniret pro ipsis apud Patrem, nihilominus Apostoli impetrarent, quæ à patre peterent.

At dicet quis, Quomodo hæc duo quadrant, & quòd iubẽtur petere Apostoli in nomine Christi quicquid petierunt, & quòd non rogante Christo impetrabunt. Verũ aliud est, quòd oporteat petere in nomine Christi, aliud est, quòd oporteat

Christum exprimere orationem ad interueniendum pro Apostolis. Quod igitur modo ait, est: Etiamsi ego non formem expressam orationem ad patrem pro vobis, poteritis impetrare, quæ est beneuolentia patris ad vos. Cæterùm non negat quin sit semper orandum sub nomine suo. Sensus igitur est: Tãti facit pater, quòd me ametis, quòd hic solus vester amor, sit oratio coram patre, etiam me nihil petente expressè pro vobis.

Verùm quî intelligemus, Pauli, *Heb.* 9. verbũ, dicentis Christum apparere vultui Dei, vt pro nobis intercedat? Et, *D. Ioan.* 2. *Aduocatum habemus, apud Deum patrem Christum, &c.* Si igitur in cœlo existens Christus, pro Apostolis tunc orabat, & pro omnibus fidelibus nũc orat Ergo Christi oratio est necessaria, quia, *Ioan. Sine me nihil potestis facere.* Quòd si ipsa non foret necessaria sed erga Christũ sufficit amor, Quorsũ ergo orandi essent sancti, aut, mediatoribus ad Deum opus esset? Respõdeo, Non hoc quidem voluit Christus, intercessionem suam non esse necessariam, quippe qui apertè docet oportere nos orare in nomine suo. At vero, quando oramus sub nomine suo, tũc vtique ipse orat pro nobis. Nam quod per nomen interpositum Christi obtinemus, per ipsum obtinemus. *Heb.* 9. c.

Cæterùm, hoc est, quod modo Apostolis inquit: quia vos me amatis, Ideo pater adeo amat vos. Vt etiam si interim, nõ orem pro vobis, expressam Deo fundens orationem, vt eripiat vos ab omni malo, ipse, quo vos me prosequimini, amor, sufficiat vobis pro oratione. Hic amor tenebit locum orationis. Sed his de verbis dictum sit satis.

Ipse pater amat vos, &c. Magnum videtur amari à principibus: At longè felicior, quem Deus amat. Vnica autem causa huius amoris est, quod Christum amamus, & in eum credimus.

Habes igitur ex hoc loco, gratissimum cultum esse Deo Patri, si filium eius amamus, & in eum credimus Cæterùm, si propter hoc solùm nos amat Deus, consequitur, quòd qui Christum non amant, eos nec Deus diligat.

Sed insurgit dubitatio emergítque difficultas, *ex* 1. *Ioann. cap.* 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum,* inquit, *sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Cur ergo nunc, ait Christus, patrem amare Apostolos, quia illi amarent patrem? Respondeo, Amorem, Dei esse donum, & secundum Apostoli sententiam. *Rom.* 5. c. *Charitas Dei, diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus* *Rom.* 5. c.

*est nobis*. Atque ita prior diligit nos. Vult autem, atque à nobis exigit Deus, vt amantem redamemus, Eam obrē, nos ampliùs diligit, si vnicè charum sibi filium, dilexerimus. Sic Pater amat vos, quia me amastis, quia, causam dicit meritoriā. Qui enim accepta semel gratia & charitate, in eadem profecerit; iuxta illud. *Qui iustus est iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Apoc. 22.* Et psaltes regius. *Ibunt*, ait, *de virtute in virtutem*. Ille proculdubio ampliùs, à Deo diligi & amari promeretur.

*Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Duas vias transiit Christus; vnam è cœlo in mūdum, in qua eius immensa conspicitur charitas, Alteram è mundo ad Patrem, per crucis tormentum. In qua perfectissima eius perspicitur obedientia.

Exiui à Patre, in forma Dei ab æterno existens, Veni in mundum, formam serui accipiens. Iterùm relinquo mundum, per passionem mortis, mortalitatem exuens, & vado ad patrem accepturus gloriam, & honorem, atque immortalitatem. Ita autem D. Augustinus, vbi sup. interpretatur super Ioannem: Sic ad mundum veniens exiit à patre, vt non desereret patrem.

*D. Augustin.*

Et sic vadit ad patrem, relicto mundo, vt non deserat mundum. Exiit enim à patre, quia de patre est, & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de virgine assumpsit: Reliquit mundum corporali discessione, perrexit ad patrem, hominis ascensione, nec mundum deseruit, præsentię gubernatione. Sic ille, in fine tractat. centesimo secundo, in Ioann.

Non perfunctoriè pertranseunda sunt hæc: Ipse pater amat vos &c. his enim verbis Christus suæ reconciliationis, ac redemptionis gratiam, quanta fuerit, explicat. Dauid filio suo Absaloni, fratris sui cędem homicidiúmque precibus ac meditatione Ioab, pepercisse legitur. 2 *Reg.* 14. *c. ait rex ad Ioab, Ecce placatus feci verbum tuum. Vade ergo & reuoca puerum Absalon. Noluit tamen vt coram se appareret. Dixit enim rex. Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* Vnde duplicem reconciliationis modum esse deducimus, vnum, cùm delinquenti culpa condonatur tantummodò, Alterum verò, cùm ipsi delinquenti, non solùm remittitur crimen, sed etiam in pristinam gratiam, & amicitiam offensi, ita reuertitur, vt ab eo fauores postulare audeat, nec pertimescat. Ita autem Christus humani generis reparator nos æterno pa-

tri reconciliauit, vt filios eius chariſſimos fecerit: & vt beneficia ab eo poſtulare poſsimus. Idcirco Dominus ait *Petite. Ipſe enim pater amat vos. Matt. 18. Si duo ex vobis conſenſerint, de omni re, quacumque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis eſt.* Et Paulus, *Heb. 4. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Amicorum preces facile ſolemus exaudire, nec illos ſinimus pati repulſam. Hinc duobus in locis ſcribit Plutarchus tomo. 1. opuſculorum in Apophtegmat. Romanorum, tomo item 3. eorundem opuſculor. libro de ciuili inſtitutione: Alexandriâ capta, inquit, Cæſar Auguſtus victor ingreſſurus vrbem amici cuiuſdam cuius Alexandrini manum prehendit, atque cum eo honoris ergò familiariter confabulando introiit. Timentibus reliquis ciuibus extrema, & ne in direptionem militi darentur, próque eo peſtem huiuſmodi ſuppliciter deprecantibus, parcere ſe, inquit Auguſtus illis, & omne ius belli libenter condonare, cum vrbis magnitudinē miſeratū, tū verò conditoris Alexandri habita ratione, ad extremū in gratiā amici, familiariſq; ſui Arii. Quomodo igitur pater cœleſtis, deprecātibus Apoſtolis amicis ſuis, aliiſque Sanctis, de quibus ipſe Chriſtus nominatim, Ioann. 15. Vos amici mei eſtis, dixit, ſi feceritis, quæ præcipio vobis. Iam non dicam vos ſeruos, Vos autem dixi amicos &c. Eiuſmodi, inquam, amicis, quonam pacto aliquid denegaret?

*Matt. 18. e.*

*Heb. 4. e.*

*Plut. to. 1. opuſc. in Apop. Rom. item to. 3. lib. de ciuili inſtitutione.*

Non obruam ſilentio, hiſtoriam lectu ſanè dignisſimam, ab Appiano Alexandrino, l. 4. de bellis ciuilibus, ante media, deſcriptam, & relatam, in hunc modum: Metelli duo fuêre, pater & Filius Pater Actiaco bello dux Antonianarum partium captus fuit, nec agnitus, Filius & ipſe dux Cæſarem eodem bello ſecutus eſt. Sami cùm Cæſar captiuos aſpiceret, filius in eius conſeſſu ſederat, productus eſt ſenex promiſſa coma, & reliquis deformatus ſordibus. Vt verò ex ordine, quo inter captiuos ſtabat, per præconem nominatim citatus eſt, filius è conſeſſu proſilijt, vixque cognitum patrem cum lamento complexus eſt, cohibito deinde fletu, Tibi Cæſar, inquit, hic hoſtis fuit, Ego ſocius: (amicus, qui ſimul pugnat, ἐγὼ δὲ σύμμαχος Græcè id eſt, commilito, auxiliarius, pugnæ ſocius,) hic pœnam meretur, ego præmiū. Poſtulo igitur vt patrem propter me ſerues incolumen, aut propter illum me ſimul interimas. Cúmque omnibus moueſſet miſeratio, Cæſar ſeruari Metellum permiſit, quamuis

*Appianus Alexandrinus l. 4. de bellis ciuilibus ante medium.*

*Græcum exēplar.*

sibi infensissimum, qui nullis vnquam muneribus pellici potuerat, vt ad eum ab Antonio deficeret. Hactenus Appianus. Vides, quomodo amici preces, apud Cæsarem fuerint, quasi imperiosi exactores, & quod postulabatur, (quamquam difficillimum, atque grauissimum negotium, ad impetrandum) absque repulsa tamen ab illo extorserunt. Sic nunc Apostolis addit confidentiam Christus, dicens, Petite &c. ipse pater amat vos. Petendum iubet in suo nomine. Quid enim huic filio parens deneget? At suboritur leuis quædam dubitatio. Num in alicuius sancti nomine petere liceat, verbi gratiâ: In nomine D. Iacobi, aut alterius sancti? Respondeo, Licere quidem Christo attestante, *Matth. 10. qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, & qui potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli: Amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Licet igitur in nomine prophetæ, & in nomine iusti, & denique in nomine discipuli, postulare, atque non sine fructu, & mercede petita concedere, vt cumque autem Christianus oret sibi hoc, vel illud concedi, merito huius vel alterius sancti: non tamen nisi merito Saluatoris, quo merita aliorum sunt efficacia, nec aliter.

Matt. 10. c.

Dicunt ei discipuli: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus tibi vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo existi &c. Non adeò obscurè iam loquebatur Dominus, vt priùs, cùm diceret: *modicum, & iam non videbitis me &c. Et, Mulier cùm parit, tristitiam habet.* Etenim clariùs nunc agit dicens: *Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.* Quibus verbis, quendam veluti diuinum circulum describit. Siquidem principium sui exitus, fuit à patre, & medium, fuit mundus, finis autem exitus, fuit pater ipse. Ex patre namque venit in mundum, & ex mundo rursus regressus est ad patrem: Duo hic Dominus distinxit, & exitum à patre, quando verbum caro factum est. *Ioan.* 1. & aduentum in mundum, quando natus est ex Maria virgine, vt doceat exitum à Patre esse generationem verbi æternam, Aduentum verò eius in mundum, siue, incarnationem verbi, esse temporalem Spiritussancti opere, ex Virgine Deipara, Natiuitatem. Et quia hæc duo distinguebat modò Dominus, ideò Apostoli dicebant, Ecce palam loqueris, & prouerbium nullum dicis: quippe clariùs agebat modò Christus de sua à patre processione seu origine, eiúsque tempora-

Ioan. 1. c.

li in mundum acceſſu, quam priùs fuiſſet locutus.

Cæterùm, Obijci poterit aduerſus prædicta; *Hæc in prouerbijs locutus ſum vobis*, Item, *Ecce nunc prouerbium nullum dicis*, quia Christus, *Luc.* 8. Apoſtolis nominatim dixerit, *Vobis datum eſt noſſe myſteria, cæteris autem in parabolis.* Quomodo igitur ſub vitæ ſuæ extremum, imminentéque iam ſua ipſius paſsione, adhuc in prouerbijs Apoſtolos alloquebatur? pollicitus eis, ſe amodò, poſt ſuam ſcilicet reſurrectionem, citra ænigmata, & prouerbia manifeſtè illis vocaturum; quòd tunc potiſſimum contigit, quando *per dies 40. poſt reſurrectionem ſuam, manifeſtus illis apparuit, loquens de regno Dei. Act. 1. manifeſtè de patre ſuo illis annuncians, Tunc etiam aperuit ſenſum Apoſtolis, vt intelligerent ſcripturas. Luc. 24 c. Atque duobus ſuis diſcipulis in via, incipiens à Moyſe, & omnibus prophetis interpretabatur in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.* Ibidem. Reſpondendum. Chriſtum in more habuiſſe, plurima Apoſtolis interpretari ſeorſim à turba. Solebat enim familiariter ad rogata reſpondere, & ſuis obſcuriora elucidare. Quamuis ante Chriſti reſurrectionem, obſcuriùs illis loqui viſus ſit, propter ipſorum incapacitatem. Cum turbis autem agens, parabolicè multa proponebat, ne myſteria vileſcerent. Non enim profanis ſacra ſunt pandenda, quod à Baſilio verè magno, grauiſsimè, & βασιλικῶς. r. regiè dictum eſt, lib. de Spirituſancto: c. 27. Patres noſtri, ait, in ſilentio, quod curioſos, & otioſos ſubmonet, quædam ſeruarunt: pulchrè quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem ſilentio conſeruari. Nam quæ nec intueri fas eſt, non initiatis, quî conueniebat horum doctrinam publicitùs circumferri ſcripto? Aut quid tandem ſibi voluit magnus ille Moſes, qui non omnia, quæ erant in templo paſſus ſit omnibus eſſe peruia, ſed prophanos extra ſacros cancellos ſtatuit? Sed priora atria purioribus permittens, Leuitas ſolos dignos cenſuit nominis miniſterio. Mactationes autem, & holocauſtomatũ oblationes, reliquúmq; miniſteriũ ſacerdotibus aſſignauit, atq; vnũ ex omnibus ſelectũ in adyta recepit, ac ne id quidem ſemper, ſed vno tantùm die quotannis. Rurſus, & huius diei certam horam, qua fas eſſet ingredi præſtituit, quò propter nouitatem, & inſuetudinem, cum ſtupore intuerentur ſancta ſanctorum, probè ſciens, pro ſua ſapientia, res vſu tritas, & vndecumque parabiles, expoſitas eſſe contemptui. Cæterùm ei, quod ſepoſitum eſt, quódque rarum eſt, huic naturâ coniunctam eſſe ſummam admirationem, ac ſtudium. Ad eundem profectò modum, & qui in primor-

*Luc.* 8. c.

*Act.* 1. c.

*Luc.* 24. c4.

*D. Baſilius, li. de SS. c.* 27.

dijs Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & patres, in occulto silentióq; mysterijs suam seruauere dignitatem. Neque enim omninò mysterium est, quod ad populares, ac vulgares aures effertur. Hæc magnus ille Basilius. Prophanum, certè, vulgus, non potest penetrare arcana spiritus, vnde illi etiam, quæ sunt preciosa vilescunt. Sed de illis nos aliâs plura.

*Nunc scimus, quia scis omnia &c.* Et hoc in se verum est. Verè omnia scit Christus, Patris sapientia, quandoquidem nulla eum cogitatio latet. Apostolorum præueniebat interrogationes. *Ioan.16. Cognouit Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos quia dixi &c. Nunc credimus, quia à Deo existi. Modò creditis? ô tardi corde ad credendum*, dicebat duobus discipulis Christus, *Luc.24. in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. &, Ioan.14. Tanto tempore vobiscum sum*, dicebat idem Philippo *& non cognouistis me? Non credis, quia ego in Patre, & pater in me est.* Rursus, *Mar. vltimo. c. Exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis.*

*Ioan.16.c.*
*Luc.24.ca.*
*Ioan.15 c.*
*Mar. vltim. c.*

Superest igitur, vt *nos corde credamus ad iustitiam, & ore profiteamur ad salutem. Rom.10.* Christum ex patre æternaliter procedere, & ex matre perpetua virgine, temporaliter incarnatum fuisse, atque pro nostra salute, acerbissimam omniũ mortem perpessum fuisse. Iamdudum autem ad patris dexteram consedisse, venturum denique, vt iudicet orbem. In eius ergo nomine, peccatores quamuis simus, humiles fundimus preces, vt gratiam suam nunquidem nobis impertiat, tandem verò gloriam, vitámque largiatur beatam.

*Rom.10.*

*Amen.*

# DOMINICA INTRA OCTAVAS ASCENſionis.

## De mittendo Paracleto, ac doctore veritatis, Apoſtolis item è Synagogis expellendis, ac interficiendis pro Chriſti nomine. *Ioan.* 15. & 16. *cap.*

*Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre &c.*



VNQVAM non opus habemus conſolatione ex verbo Dei, maximè tamen afflictionis tempore, cùm aduerſa, tẽtationeſve ingruũt: Hinc Chriſtus paſſionis imminentis articulo, omnium dulciſſimum, ac copioſiſsimum ſermonem, (qui à cœna nomenclaturam retinet) ad diſcipulos habuit. Nec profectò abs re. Ipſe enim præuidebat magnitudinem inſtantis tempeſtatis, quæ tanta fuit, vt Apoſtolos etiam tam copioſa cõſolatione inſtructos, etſi non omninò deiecit, certè concuſsit. Quid igitur futurum erat, ſi non tantis conſolationibus præmuniti fuiſſent? Hæc locutus ſum vobis, inquit, vt non ſcandalizemini. Abſque ſynagogis facient vos, & quæ in contextu ſequuntur. Nẽpe, *quæcumque ſcripta ſunt*, ait Apoſtolus, *Rom.* 15. *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Ad doctrinã valet verbum Dei, contra ſcandala vitiorum, ad cõſolationẽ verò cõtra ſcandala afflictionũ vnde 1. *Mach.* 12. *habẽtes ſolatio ſãctos libros, qui ſunt in manibus noſtris, &c.* Rom. 15. cap. 1. Mach. 12.

Multa verò verba facit Chriſtus, hoc ſermone, de Spiritu paracleto; antehac autem nihil de eo dixerat, quia cum ipſis aſsiduè familiaritérque verſaretur, atque ſatis conſolationis ipſis ab illo erat, De futura conſimiliter Apoſtolorum perſecutione ab initio pauca dixerat, quia paruulis lacte opus

*Ioan 6.* est, non solido cibo: alioqui dixissent, *Ioan 6. Durus est hic sermo. Non possunt filij sponsi lugere, quandiu cum ipsis est sponsus. Venient autē dies cū auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt, Matth. 9.* *Matth. 9.* Et quoniam iuxta vulgatū illud prouerbium: Minus feriunt iacula, quæ præuidentur, & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per prouidentiæ clypeum munimur, Idcirco suis prædicit, quæ ventura essent ipsis aduersa nec dissimulat. Non præteribo Ciceronis lib. 1. de officiis post media, eam in rem, exemplum valdè elegans. Herculem Prodicus dicit (vt est apud Xenophontem) tum quum primùm pubesceret (quod tempus à natura ad deligendam, quam quisque viam viuendi sit ingressurus, datum est) exisse in solitudinem: atque ibi sedentem, diu secum, multúmque dubitasse, quum duas cerneret vias, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi melius esset? Sic ille. Voluptas quidem forma conspicua, blandóque sermone illi apparens, Omnia fausta, faciliáque ad vitæ solatia tendentia per otium, pollicebatur. Virtus autem vultu rigido, magnam constantiam præ se ferebat, nihil iucundum, nihil amœnum illi ostendens, sed mille pericula, laborésque immensos, terrâ maríque subeundos: Præmium tamē horum immortale. Ad extremum Herculem admonuit, vt se sequeretur, eúmque inter Deos se collocaturam repromisit, atque recepit. Vt D. Basilius, Homil. 24. ad Adolescentes, de legendis Gentilium libris, circa libri exordia, præclarè testatur in hæc verba: Quidam Sophista Chius in suis scriptis, in virtutem & vitium philosophatus est, cui profectò mens adhibenda, quum nequaquam vir despiciendus videatur. Narrat deinde ex Prodico, quæ iam commemorauimus. Eo pacto Christus, non mollia suis, at verò aspera prædicit, ac vaticinatur. Est enim virtutis iter durum, sed ducit, ad vitam. Huic cōsonat Poëta, Æneam suum introducens loquentem, ante media, lib. 1. Æneidos.

*Cicer. lib. 1. de offic. post media.*

*D. Basilius de legēdis Gentil. lib. circa exordia lib. Ex Prodico Chio, de Hercule.*

*Virgil. lib. 1. Æneid. ante media.*

*Per varios casus, per tot discrimina rerum.*
*Tendimus in Latium, sedes vbi fata quietas*
*Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.*
*Durate, & vosmet rebus seruate secundis.* Sic ille.

Sed quid est tendere in latium? nisi in patriam promissionis, in quā haud dubiè, per multas tribulationes intrare oportet? *Act. 14.* Siquidem ad æternam felicitatem via, angusta & arcta sit, Christo authore, *Matth. 7. cap.* qui, præsenti lectione, suos suscipiendæ ad veram vitam viæ rationem docturus, primò omnium proponit, quæ illi sint perpessuri, atque eos

*Act. 14.*
*Matth. 7.*

debere in tam duris perſeuerare monet, dicens: Abſque ſynagogis facient vos,&c. Sed iam ad literam.

*Cùm venerit paracletus,& cæt.* Verè à D. Ioanne Theologo, dictum est. 1. *Ioan.* 5. *Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.* Spiritus ſiquidem de Chriſto trifariam teſtatus eſt. I. Ioan. 5.
Primò, cùm ſuper ipſum apparuit in ſpecie columbæ, seditq; ſuper eum. *Matth.* 3. Vnde Ioannes Baptiſta certior effectus eſt, hunc eſſe Meſſiam. Secundò, cùm in Transfiguratione apparuit in forma nubis lucidæ *Matth.* 17. Tertiò, cùm ſuper discipulos in linguis igneis venit, ipſóſque ita accendit, vt publicè prędicarent Chriſtum verum eſſe mundi ſaluatorem. Matth. 3. & 17.
*Act.* 2. Accedit quod ſcribit, *Rom.* 1. Apoſtolus de eodem ſpiritu ſanctificationis. *Declaratus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum.* An non ingentia, & fide digna ſunt hæc teſtimonia? Adde quòd, *eodem corroborati ſpiritu*, vt *Act.* 4. habetur, *Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Meritò igitur nunc Chriſtus ait: *Cùm venerit paracletus & ille teſtimonium perhibebit de me. Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Verè, *teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis!* exclamat regius Vates. Teſtimonium certè, infallibilis veritatis fuit, quòd Chriſtus verus Deus erat ex eo quod Spiritū ſanctum, tam eximium nimirum, donum Apoſtolis contulerit, ac in die Pentecoſtes miſerit. Id præſignatum legimus. *Geneſ.* 45. *Cùm fratres Ioſeph patri ſuo Iacob nuntiarent dicentes, Ioſeph filius tuus viuit, & ipſe dominatur in omni terra Aegypti: Iacob quaſi de graui ſomno euigilans, tamen non credebat eis. Illi econtra referebant omnem ordinem rei. Cúmque vidiſſet plauſtra, & vniuerſa, quæ miſerat, (Siquidem plauſtra de terra Aegypti, ad ſubuectionem paruulorum, ac coniugum, atque ad tollendum patrem ſuum, necnon pretioſas veſtes, pecunias, ex omnibus item diuitiis Aegypti, ad patrem miſerat per fratres ſuos in terram Chanaam, ipſe Ioſeph) hæc, inquam, omnia videns Iacob, reuixit ſpiritus eius, & ait. Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit.* Sic ibi. Ex quibus patet ditiſſima dona, à ſancto Ioſeph miſſa, euidens fuiſſe teſtimonium, quòd ipſe in Ægypto princeps erat multíſque gentibus dominabatur. Atque ita poſtquam venerandæ ſenectutis vir, & duodecim patriarcharum pater Iacob, tanta, támque eximia dona, quæ Ioſeph miſerat, vidit; ſtatim filiorum dictis acquieuit. Ad hunc planè modum, ſumma veritas Chriſtus impræſentiarum dicit: Siquidem ego in mundum tam pretioſum donum (cuiuſmodi eſt Spiritus Paracletus) miſſurus ſum: id me verum Deum eſſe, teſti-

Act. 2. Rom. 1. Act. 4. Geneſ. 45.

monium est, omni exceptione maius, & euidentissimum. Quis enim alius, præter Deum, Spiritum sanctum mittere potest? Nulla enim pura simpléxque creatura, Spiritum sanctum creatorem (Hoc enim nomine eum compellat Catholica Ecclesia, eundem inuocans fideliter, in Hymno, qui incipit, Veni creator spiritus, mentes tuorum visita, & Psalmographus, Emitte, ait, Spiritum tuum & creabuntur) mittere valet. Porrò in figura Ioseph supra allegata, longiùs paulò immorari libet, ex Guerrici Abbatis Igniacensis, sermone 1. in die Resurrectionis Domini, eleganti collatione ipsius Ioseph, cum Christo Saluatore nostro. Quis in omnibus Patriarchis, & Prophetis, ait ille, manifestiùs, aut signantiùs, quàm Ioseph, figuram exprimit Saluatoris? & vt breuiter summam perstringam; secundum illud: *Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia*, si cum fide ac pietate, cogitemus interpretationem nominis eius, deinde, quod præ cæteris fratribus pulchra facie, & decorus aspectu: quòd Innocens actu, prudens intellectu, quòd venditus à suis, suos à morte redemit: quòd priùs humiliatus vsque ad ergastulum, & sic exaltatus vsque ad solium: quòd denique pro merito operis sui, nouo nomine appellatus est inter gentes, Saluator mundi, Si hæc omnia (inquam) piè, ac fideliter cogitemus, nonne incunctanter agnoscimus, quàm verè sit à Domino dictum, *In manibus prophetarum assimilatus sum? Osee 12. cap.* Iam verò, si veniamus ad verba illa, quæ de historia proposui, *Nunciauerunt*, inquit, Iacob, *dicentes, Ioseph viuit.* Quid aliud hîc intelligere possim, nisi, Nunciauerunt Apostolis, dicentes, IESVS viuit? Per Iacob namque, nihil aliud, quàm Apostolorum chorum intelligo, nec absurdè (vt arbitror) non solùm, quia de Iacob orti sunt, non solùm, quia de Iacob Israel facti sunt, cum de vita actiua, ad visionem, & requiem contemplatiuæ transierunt: sed etiam quia patres sunt multitudinis credentium, id est, verorum Israëlitarum, sicut ille carnalium. Sicut ille, sic isti suum Ioseph cùm putarent perisse, inconsolabiliter doluerunt: cùm audissent viuere, difficulter & tardè crediderunt, cùm cognouissent, ineffabiliter gauisi sunt. Nunciauerunt, inquit, Iacob dicentes, Ioseph viuit: quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis. Quasi aliis verbis mihi videtur dictum, quod in Euangelio legitur scriptum. *Vadens Maria Magdalene, nunciauit his, qui cum ea fuerant lugentibus, & flentibus, & illi audientes, quia viueret, &*

*Hymnus Ecclesiasticus.*

*D. Guerricus Abbas ser. 1. in die Resurrectionis.*

*Prouerb. 9.*

*Osee 12.*

*visus esset ab ea, non crediderunt. Posthæc ostensus est duobus in via, & illi exeuntes nunciauerunt cæteris, nec illis crediderunt, Marc. 16. Et apud Lucam, cap. 24. Regressæ à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus, & visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis*: nimirum, quia euigilabant de graui somno tædij & desperationis. *Cùm autem*, inquit, *vidisset Iacob vniuersa, quæ Ioseph miserat ei, reuixit spiritus eius, & ait: Sufficit mihi si Ioseph filius meus viuit.* Sic vtique in Apostolis parùm profecerunt verba, donec acceperunt munera. Nam & ipse IESVS, cùm se eis præsentem exhibuit, non tam persuasit ostensione corporis, quàm aspiratione muneris. Scitis, quia cùm venit ad eos ianuis clausis, & stetit in medio eorum, illi conturbati, & conterriti, existimabant se spiritum videre. Cùm autem insufflauit in eos, dicens, *Accipite Spiritum sanctum*: vel cùm cœlitus misit eundem Spiritum, sed aliud donum: hæc vtique dona, resurrectionis & vitæ indubitata testimonia fuerunt, & argumenta. Spiritus enim est, qui testificatur apud sanctorum corda, & per eorum ora, quoniam Christus est veritas, vera resurrectio & vita. Ideo & Apostoli, qui priùs dubitabant, etiam post intuitum corporis viuentis, post gustum spiritus viuificantis, virtute magna reddebant testimonium resurrectionis. Tunc ergo verè sicut de Iacob legitur: Reuixit eorum spiritus, qui iam propemodum luctu erat extinctus, imò desperatione sepultus. Tunc nisi fallor quisque eorum dicebat sibi: Sufficit mihi, quòd Ioseph meus viuit: quia viuere mihi Christus est, & mori lucrum, vt D. loquitur Apostolus. Hactenus Diuus Guerricus.

Marc. 16. & Luc. 24.

*Cùm venerit Paracletus, & cæt.* Sæpè Christus hoc in Sermone, Spiritus sancti mentionem ingessit, ad infinitam tanti doni excellentiam designandam, commendandámque: quatenus seipsos ad illud recipiendum efficacissimè præpararent atque disponerent. Vide autem, quàm sapienter loquatur æterna Dei sapientia. Primò enim personam describit Spiritus sancti, deinde testimonij ipsius meminit; ne quis leue putet ipsius testimonium. Si personam attendis, à Deo procedit & Deus est: si certitudinem requiris, Spiritus veritatis est, Et ipsa veritas mentiri & fallere non potest: Si virtutem testimonij ipsius quæris, & effectum. Paracletus est. Non in aurem loquitur, sed in cor. Non in nudo sermone est eius

testimonium, sed in virtute. Est & hoc diuinæ Sapientiæ signum, quod quasi singulis verbis futuras hæreses prosternit. Primò quippe cum dicit. Quem ego mittam, clarè ostendit; quòd non à solo Patre, sed etiam à filio Sp.S procedit, aduersus Græcorum errorem. Deinde quod addit. Mittam à Patre, clarè ostendit se vnius cum patre substantiæ esse (ὁμοούσιον Nicæni Patres Orthodoxi protulerunt) quandoquidem vnum Spiritum habent, Pater & Filius (qui & Spiritus Patris modò dicitur, & Spiritus filij modò etiam nuncupatur) Contra Arrium. Præterea, quod addit, Qui à patre procedit, ostendit Spiritum sanctum non creaturam esse sed Deum. aduersus Pneumatomachos, Spiritus impugnantes diuinitatem, quos sancta & Catholica damnauit Ecclesia. Quod enim ex Deo procedit Deus est. Creaturæ autem non ex substantia Dei procedunt: sed ex nihilo factæ sunt.

Ille testimonium perhibebit de me, &c. Quòd verè sim Christus Patribus promissus, Iamdudum ab illis expectatus, & verus Dei filius. Hoc primum credentium cordibus inscribit. Vos, item consolidabit. Vobis, qui nunc formidolosi estis inuincibilem fortitudinē dabit. Vobis, qui idiotæ estis, & absque literis, perfectam scripturarum omnium cognitionem conferet. Vobis, qui in vna tantùm lingua educati estis, linguarum omnium peritiam largietur: Vobis, qui homines estis, virtutē dabit, diuina patrandi miracula, atque prodigia. Hunc in modum toti mundo testimonium perhibebit de me, vt nemo dubitare possit, quum Dei opera sint hæc, neque verum illum Messiam esse. Agnoscent vniuersi tam stupenda videntes per Apostolorum manus fieri, quia digitus Dei est hîc. Obserua etiam, quoniam ingens est fidei nostræ testificatio, quòd filius hominis, in quem credimus, tam multa tàmque insignia testimonia habet. Pater per opera. Verbum, per Euangelica dicta, & Spiritus sanctus per varia Charismatum dona, inconfutabile reddunt testimonium. Securè igitur glorietur fides nostra, Spes erigatur, exultet charitas. Ea ipsa autem tam insignia Christi testimonia, omnem incredulis excusationem auferunt. Quid enim prætendere possunt? Verbum audiunt, opera vident, Spiritui, qui per Apostolos aliósque sanctos loquebatur, resistere non possunt. Vltra, Quomodo Ecclesia consistere in tot persecutionibus, & inter tam varias sectas & hæreses valeret, nisi Spiritu sancto fulciretur? Hæc pro maxima parte, Ferus nostri sodalitij Ecclesiastes egregius. Ipse Spiritus interno testimonio Christum

esse

esse Deum protestatur, Apostoli verò externo miraculorum testimonio idipsum profitentur. At, dicet aliquis. Quid necesse est homines perhibere testimonium. Si Deus ipse perhibet? Quid lucente radiantéque sole, in meridie, ipsius Lunæ, aut stellarum luce, opus est? Respondeo, Vtique perhibet, Deus testimonium, sed per homines. Ideóque perhibentibus Apostolis. Spiritus sanctus per illos perhibebat. Cæterùm, scias velim, quòd

Ad testem multa requiruntur. Primò, vt sciat certâ scientiâ, non opinetur. Secundò, vt veritatem constanter testetur. Tertiò, vt talis sit, qui non possit reiici, quod Iurisconsulti dicunt, omni exceptione maior. Sic igitur latenter Apostolos, submonet, vt diligenter attendant, quò certiùs dehinc testificari possint. Erant quippe oculati testes, non auriti tantùm. *Vos*, inquit, *eritis mihi testes in Iudæa, ac Samaria, & vsq; ad vltimum terræ* *Act* 1. Et hoc loco, *Testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis, de omnibus ad plenum edocti.* Deinde, vt quod sciunt intrepidè fateantur, nihil timentes, ne ipsam quidem mortem, quam pro veritatis testimonio subeuntes, ac patienter sustinentes, veri Martyres, id est, testes veraces esse conuincuntur. Demùm, vt ita viuant, ne testimonium eorum reiiciatur, propter malam vitam. Fuerunt autem Apostoli, absque crimine, & irreprehensibiles veritatis testes, qui post receptum Spiritum sanctum mortaliter non peccauerunt, & in gratia, per eundem Spiritum amodò confirmati sunt. Hæc & nobis, pro modulo nostro obseruanda sunt, maximè autem prædicatoribus. *Act.* 1. *Ioan.* 15.

*Ab initio mecum estis, &c.* Collige Apostolos ferè simul à Christo fuisse vocatos, etiamsi non legatur; quo tempore fuerint omnes vocati. Ab initio vocationis Apostolicæ cum Christo conuersati fuerunt: Atque ideò dicere potuerunt, 1. *Ioan.* 1. *cap. Quod audiuimus, quod vidimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ. Et Act.* 10. *Nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum, nos qui manducauimus, & bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare & testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Hinc etiam omnes Prophetæ testimonium perhibent, remißionem peccatorum accipere per nomen eius, &c.* Item 2 *Petr.* 1. *Non indoctas fabulas secuti, sed speculatores facti illius magnitudinis* (nempe in monte Thabor, quando transfiguratum Apostoli conspexerunt.) Quid plura? Testes, qui spiritu veritatis pleni sunt, quique ipsi veritati summæ testimonium perhibent (Quales *1. Ioan.* 1. *Act.* 10. *2. Petr.* 1.

profluí, & charitate feruidi: Missio inuisibilis est, cùm credentium pectoribus seu cordibus Spiritus sanctus illabitur, atque immittitur. de qua non est modo dicendi locus.

*Mittam vobis*, in die Pentecostes, nimirum, quandò *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis. Act. 2.* Duo dicuntur, Ignis & lingua, per visibiles formas inuisibiles species repræsentans. Ignis enim in arido viuit: Lingua manet in vnda. Et ignis quidem charitatem significat, lingua verò exprimit sapientiam. De charitatis ardore Salomon dicit *in Canticis, cap. 8. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* De humore sapientiæ idem loquitur *in Prouerbiis, cap. 18. Aqua profunda, verba ex ore viri, & torrens redundans fons Sapientiæ.* Et inter virtutes, præcipua, maximáque est charitas. 1. Corinth. 13. atque inter dona, prima est sapientia. *Isai. vndecima. Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, &c.* Charitas informat vitam, & Sapientia informat doctrinam. Quæ duo debent in prædicatione coniungi, vt non solùm verbo doceat, sed & exemplo. Nam cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur. eique improperetur, dicatúrque illud: *Luc quarto. Medice cura teipsum. & cap. sexto. Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.* Rursúsque illud, *Rom. 2. Qui prædicas non furandum, furaris? qui prædicas non mœchandum, mœcharis? Cœpit ergo IESVS facere & docere, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. 1. Petr. 2. qui peccatum non fecit, vt sit nobis honestas in vita. Nec inuentus est dolus in ore eius,* vt sit veritas in doctrina. Nam *qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Matth. quinto cap.* Vnde à veste sacerdotali dependebant mala granata, cum tintinabulis aureis. *Exod. 28.* Ardeat ergo prius ignis dilectionis in corde, vt postea sonet lingua prædicationis in ore. Hæc Innocentius 3. sermone primo, in festo Pentecostes de linguis igneis valdè apposite philosophatur, vel, melius, egregiè concionatur.

*Act. 2.* *Cant. 8.* *Prou. 18.* *1. Cor. 13.* *Isa. 11.* *Luc. 4. & 6.* *Rom. 2.* *1. Petr. 2.* *Matth. 5.* *Exod. 28.* *Innocent. 3. ser. 1. in festo Pentecostes.*

Cur Spiritus paracletus dicatur? expendendum. Paracletus consolator exponitur, quia fidelium corda, ne inter sæculi huius aduersa deficiant, cœlestis vitæ desiderio reficit, atque subleuat. Idcirco cognoscens Christus Discipulos suos, mœrore consternatos, grauitérque anxios de suo ab illis discessu, promisit eis spiritum consolatorem, dicens:

Ioan.15. *Cùm venerit paracletus*, & cætera, quæ hoc contextu Euangelico continentur. Quandoquidem oppressos Apostolos propter inundantes tribulationum fluctus, nihil nisi SS. releuare debuerat, nullus nisi paracletus, eos lætificare satis poterat, & ad omnia toleranda pro Christi nomine animare. Vnde *postquàm induti sunt virtute ex alto Apostoli, illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine IESV, contumeliam pati.*

Act.5. *Act.5.* Paracletus, est etiam idem, quod aduocatus seu patronus. SS. autem aduocatus

Rom.8. ideò dicitur, quia D.Paulo interprete, *Rom.8. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Hoc est, nos postulare facit. Ibidem, secundum Deum postulat pro sanctis quod eodem modo accipe, id est, postulare nos facit, & interna sua inspiratione edocet, quomodo inuocare Deum debeamus, vt preces nostræ exaudiantur. Rursus, vbi suprà. *accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater (Sic,*

Ioan.4. *Ioan.4. adoramus Patrē in Spiritu, & veritate,* quia, directore Spiritu sancto, & interno doctore, patrem inuocamus per Christum, qui est infallibilis veritas. Hunc consolatorem, & pa-

Prosa in die Pentec. tronum, pia mater inuocat Ecclesia; in quadam Prosa, seu, sequentia (quam vocant) *Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium, &c. O lux beatissima, Reple cordis intima, tuorum fidelium. Da tuis fidelibus, in te confidentibus, Sacrum septenarium.*

Consolatur nos in omni tribulatione nostra cœlestis Paracletus, & ad orandum in aduersitatibus præsertim, nos excitat, optimus iste patronus. quò enim grauiùs laboramus, eò studiosiùs ad orationes recurrere debemus, dicente Domino;

Psal.49. *Psal.49. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Prosperitatis tempore, ignis charitatis, dilectionísque Dei simul ac proximi, in nobis facilè extinguitur: Sed aduersitatis, & afflictionis tempore, magis magísq; accenditur. Veluti enim (referente. D.Patre Augustino, to.5. lib.21. de ciuitate Dei, cap...) Apud Garamantas quendam fontem (ferunt) tam frigidum diebus, vt non bibatur: tam feruidum noctibus, vt non tangatur. In Epiro alium fontem, in quo faces, non vt in cæteris, accenduntur extinctæ. Sic ille. Et Plinius lib. 2. naturalis historiæ, cap.103. Iouis Hammonis fons, inquit, interdiu frigidus, noctibus feruet. In Troglodytis fons Solis appellatur dulcis, circa meridiem maximè frigidus, mox paulatim tepescens, ad noctis media feruore & amaritudine infestatur. Hæc ibi. Veluti, inquam, Horum fontium

*Simile, ex D. Aug. tom.5. lib.21. de ciuitate Dei, cap.5. Et Plinio li.2. nat. hist. cap. 103.*

ingenium, vis, ac natura talis est, Ita, & prosperitatis die, facilè refrigescit multorum charitas, Sed aduersitatis nocte, accenditur, & efferuescit Dei, cœlestiúmque rerum amor, & scintillæ, facésve orationum, alioqui penè extinctæ, in prosperis, largis lacrymarum torrentibus, reaccenduntur in aduersis, quò amplius necessitatibus vrgemur, eò prolixiùs Spiritu sancto impulsore, orare solemus. Hęc omnia in nobis operatur. Spiritus ille Paracletus. Sed ad contextum regrediamur *Ex Ioan 6 cap. Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. &c.* Scandalizari, ad lapidem lædi est. De duplici scandalo, actiuo, & passiuo, non est necesse vt nunc dicamus. Tantum huius dicti sensum proponemus, qui est huiusmodi: Ne deficiatis in laboribus, quos passuri estis, propter Euangelium. Ne in eo, quòd mihi, vobísve in proximo continget offendamini. *Matth.11.* Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. Sed dices. Nonne Apostoli scandalizati sunt eadem nocte, qua Christus hæc illis loquebatur, eodem prædicente Christo: *Omnes vos scandalũ patiemini in me in ista nocte?* Quod rei probauit euētus, quia relicto eo omnes fugerunt. Responsio. Non hæc aiebat noctis illius intuitu, sed ad ventura tempora aspiciens, in quibus propter Euangelium, multa perpessuri erant, atque adeò interficiendi, ab hostibus fidei. Ne offendamini, inquit, Non est autem offensa, quando non est ruina. Pati ergo labores, Euangelij nomine, & causâ, non erat Apostolorum scandalum, sed si ex passionis timore, tyrannorúmque terrore, despon derent animum, à constantia exciderent, vel ab Euangelica functione desisterent, Iam tunc ruerent, quia in peccatum incurrerent, ac tum demùm scandalizarentur. Prędicit autem futura, quæ Apostolis impendebant mala, vt ad patientiam armentur, & ne securos, & alioqui imparatos, calamitates repentinæ, minimé que præuisæ, facilè obruant. Videntur enim, inquit Cicero, lib. 3. Tusculan. quæstionum, omnia repentina, grauiora. Ex hoc & illa iure laudantur. Ego, cum genui, tum moriturum sciui, & ei rei sustuli. Præterea ad Troiam cum misi ad defendendam Græciam, Sciebam me in mortiferum bellum, non in epulas mittere. Hæc igitur præmeditatio futurorum malorum, lenit eorum aduentum, quæ venientia longè antè videris. Itaque apud Euripidem à Theseo dicta laudātur. licet enim, vt sæpè facimus, in Latinum illa conuertere. Nam, qui hæc audita, à docto meminissem viro, Futuras mecum commentabar miserias: Aut mortem acerbam, aut exilij mœstam fugam, Aut

*Matth.11.& 26.*

ſemper aliquam molem meditabar mali: Vt ſi qua inuecta diritas caſu foret, Ne me imparatum cura laceraret repens. Quod autẽ Theſeus à docto viro ſe audiſſe dicit, id de ſeipſo loquitur Euripides: fuerat enim auditor Anaxagoræ: quem ferunt nuntiata morte filij dixiſſe, Sciebam me genuiſſe mortalem. Quæ vox declarat iis eſſe hæc acerba, à quibus non fuerint cogitata. Ergo id quidem non eſt dubium, quin omnia, quæ mala putantur, ſint improuiſa grauiora. Multum poteſt prouiſio animi, & præparatio ad minuendum dolorem. Hæc Cicero.

*Vt non ſcandalizemini,* ſimpliciter, & abſque additione dixit, non autem, ſicut paulò pòſt, cum reſtrictione, In iſta nocte ſcandalum patiemini: Aliud eſt enim, vna nocte ſcandalizari aliud ex toto ſcandalizari. Vt non deficiat fides tua.
Luc.22. *Luc 22. Non turbetur cor veſtrum. Ioan. 14. Abſque Synagogis*
Ioan.14. *facient vos, & cæt.* Hoc eſt, Alienos vos facient à ſacris, & communione, ac tanquam Ethnicos, à ſua vos eiicient ſocietate, ac participatione; qua de regius cecinit vates,
Pſal.118. *Pſalm. 118. Particeps ego ſum omnium timentium te, & cæt* Vos, vt apertiſſimè dicam, excommunicabunt. Sicut cæcum à
Ioan. 9. & natiuitate, hoc nomine de ſynagoga expulerunt. *Ioannis 9.*
12.c. *& cap. 12. Ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è Synagoga non eiicerentur.* Proſcriptiones, & è Synagoga eiectiones illos paſſuros eſſe prænunciat, qui-
Hebr.11. bus dignus ſanè, non erat mundus. *Hebr 11.* Iam ſicut in Eccleſia ſumma pœna habetur excõmunicatio, dicente Christo,
Matth.18. *Matth.18. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* i. à cõmunione, & corpore Eccleſiæ, omnino ſeparatus & abſciſſus. Sic apud Iudæos ſumma pœna erat è Synagoga eiici. Terribile namque ac horrendum eſt, è populo Dei expelli, atq; reſcindi. Conſolationem interim eis exhibet Chriſtus, dicens illos, non ex populo Dei, & Eccleſia ſanctorum; ſed è Synagoga diaboli, & Iudæorum, eiiciendos ac propulſandos. Eccleſiæ quidem Dei, & Sanctorum Communionem, ac Dei gratiã, mundus nobis auferre non poteſt. quòd autem ſuam nobis interdicit amicitiam, nihil profectò, obeſt, imò verò plurimùm prodeſt. Quo enim longiùs à mũdi cõſortio. & impiorũ amicitia recedimus, eò propiùs ad Deum accedimus. Arguit autem hoc verbum mundi malitiam, & cæcitatem. Malitiam quidem, quòd pios pati non poteſt, ſecúmque tolerare, ſed eiicit, ac perſequitur iniuſtè: Cæcitatem

verò, quòd eos eiicit, quorum beneficio viuit. Quod enim non statim Deus, in impios animaduertit, ideò fit, ne simul eradicetur & triticum. *Mat.13* Propter pios, qui in mundo sunt, mundo parcitur, quod ex Abrahami oratione, in Sodomitarū gratiam & fauorem, satis elucescit: *Gen. 8. Non delebo, ait Dominus, propter solos decem iustos (si ibi inuenti fuerint) Pentapolim, hoc est quinque ciuitates Sodomæorum, & circumuicinorum.* Postquàm autē boni à malis separati fuerint, ac segregati statim iudicium Dei in impios sæuit atque irrumpit.

Id quod videmus in Noë, Loth & Ægyptiis. Quamprimùm quippe Noë, ab impiis seiunctus est, in que arcam inclusus, diluuium omnes perdidit. Quando Loth à Sodomis eductus est, conflagrauit statim gens abominabilis & pessima. Israëlitis ab Ægyptiis secretis & separatis, submersi sunt tūc in mari rubro, populi Dei persecutores. vt ex Genesi atque Exodo satis liquere potest.

Ἀποσυνάγωγος, extra Synagogam, positus olim sic dicebatur, qui nunc excōmunicatus nuncupatur. Et eò quidem periculosiùs, quàm ἀποσυνάγωγος, quò maior est veritas, quàm vmbra, præstantiórque Ecclesia, quā vetus Synagoga. Sanè fuit Synagoga, eorum Iudæorum, qui in vnum Deum & Christum aliquando venturum, crediderunt, coadunatio, & congregatio. *Psalm. 73. Memor esto congregationis tuæ, quàm possedisti ab initio.* Ecclesia autem vocatur fidelium conuocatio qui Christum iam venisse profitentur, & Euangelium obseruant. Nec verò de nihilo est, quòd hoc nomen Ecclesiæ, familiariùs vsurpatum sit tempore noui Testamenti, cùm priùs Iudæorum, vnum Deum colentium multitudo, frequentiùs Synagoga diceretur. Vocatio enim (vnde Ecclesiæ vocabulum profluxit) ex Græco intelligentium est, propriè loquendo. *Vocabis me, & ego respondebo tibi. Iob. 14. cap.* At congregatio (vnde Synagoga nominatur) magis pecorum, & ratione expertium: in quibus etiam congregatis, greges propriè dicere consueuimus. *Psalm. 73.*

Filiorum ergo noui Testamenti societas, Ecclesia dicitur. Illa verò ex veteri Testamento, turba carnalium, accommodatiùs Synagoga vocata est, Accommodatiùs, dico, & aptius, quod alioqui non aduersa adeo putanda sit verbi significatio, quin & Synagoga possit Christi Ecclesia veraciter dici. 2. Par. 7. *Omnis Israël in templi dedicatione erat cum Salomone Ecclesia magna valdè, &c.* Nos in Decadibus nostris,

Sacra Decades authorū Hōmil de Excōmunicatione Euang. Si peccauerit in te frater tuus.

priore tomo, plura de excommunicatione ſcripſimus, ad Euāgelium, de correctione fraterna & excōmunicatione. Mat. 8. *Si peccauerit in te frater tuus.* Hinc repetere poterit, quæ in rem ipſius erūt, beneuolus Lector. Extra Synagogā olim, nō fuit Salus veluti neque nunc, Extra Eccleſiam, vlli ſalus contingit. Iā tum propter Iudæorum Apoſtolos Chriſti perſequentium incredulitatem, Dei ſynagoga eſſe deſierat, fierique cœpta, Synagoga Satanæ. *Apoc. 2.* Se dicunt Iudæos eſſe, & nō ſunt, ſed ſunt Synagoga Satanæ.

*Venit hora vt omnis, qui interficit vos, &c.* Iudæi ac Gentiles putabant ſe iuſtè Apoſtolos perſequi. Iudæi, vt Moyſi contrarios Gentiles, vt rerum nouatores, ac ſtatus Reip. perturbatores. Conſolatio nomen eſt, quod addit: Venit hora, Breui ſcilicet durabit impiorum potentia, atque tyrannis. *Non enim relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum. Pſ. 124.* Breui itē durabit Sanctorum afflictio, & ſuccedet æterna conſolatio.

Arbitretur obſequium ſe præſtare Deo, &c. Exiſtimabant infideles & pagani, Apoſtolorū interfectores, Deos ſuos nulla alia re, quàm ſanguine & morte ipſorum iuſtorū faciliùs poſſe placari, eóſque ſibi, vt ab ipſis beneficia accipiāt, propitios reddere, hoc ſacrificio cruento arbitrabantur. Iudæi verò, Apoſtolos mactantes, putabāt ſe Deo magnum gratúmque exhibere obſequium atque ſeruitium. Quādoquidem legis violatores, & impios, decernebant Apoſtolos, in multis ipſi obdurati. At quæret aliquis, nùm tales propter huiuſmodi non malam intentionem, & zelum legis, à peccato ſint immunes, & excuſabiles?

Reſpondeo, Bonam & piam intentionem (ſi ex fide, & verbo Dei proficiſcatur) Deo tum demum placere, Idque extra omnem diſputationis aleam eſſe debet. Vbi autem Verbo Dei contrauenitur, & contra veritatem, armatur impietas, non excuſat bona intentio, Alioqui Deo placuiſſet Apoſtolorum in cauſa fidei perſecutio. *Rom. 10.* de Iudæis ſcribit Apoſtolus. *Teſtimonium perhibeo illis, quòd æmulationem, ſeu, zelum Dei habent, ſed nō ſecūdū ſciētiam. Ignorantes enim iuſtitiā Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Finis enim legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti* Intentio veritati contraria, recta non eſt, ſed mera impietas. *Si me perſecuti ſunt,* aiebat ſuis diſcipulis *Chriſtus, & vos perſequentur. Ioan. 15. c.*

*Sed hæc facient vobis, &c.* Non ob crimen ſcilicet, non propter vlla veſtra maleficia, non propter ſcelera, quæ commiſeritis, ſed in nominis mei duntaxat odium, hæc facient vobis, quia

nimirum, non nouerunt patrem neque me, insuper, quia *odio habuerunt me gratis. Ioan. 15. ex Ps. 24.* Martyrem enim non pœna, sed causa facit, aiunt Patres, *Mat. 5. Beati, qui persecutionem propter iustitiam patiuntur, & 1. Pet 3. Si quid patimini propter iustitiam: beati. & c. 4. Nemo vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus: non erubescat, glorificet autem Dominum Deum in isto nomine.* Ibidem, *Si exprobramini* inquit, *in nomine Christi: beati eritis.* Consolatio piorum. Si Deum agnoscerent persecutores, Dei seruos non persequerētur, sed in summo haberent honore. Verùm ideò in omnia vitia ruunt quòd Deum non nouerunt. Qui enim Deum iudicem cogitaret, nunquàm peccaret: &, qui Deum Patrem cogitaret ad omne bonum promptus esset: quíque Deum cogitaret vindicē esse seruorum suorum, nunquam pios læderet: Semper enim illud propheticum timeret: *Qui tangit vos, tāgit pupillam oculi mei. Zach. 2.* Benè dixit Apostolus, *1. Cor. 2.* de huius seculi principibus. *Si Deum cognouissent, nunquam regem gloriæ crucifixissent.* Ergo non nouerūt Patrem, neque me, Deum, inquam, vt Christi patrem nescierunt Iudæi, neque Christum, vt eius filium consubstantialem: alioqui enim Christus ex vultu benè agnoscebant. Hæc autem ignorantia Iudaica (Cuius etiam D. Petrus Apostolorum caput. *Act. 3.* meminit, dicens: *Nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.*) non fuit inculpata, sed maximæ culpæ. Siquidem ex Christi verbis, & factis, potuissēt ipsi discere, Christum esse Messiam, ab illis expectatum, secūdū legem. Quamuis ergo nesciebant esse scelus ingens, quod admittebant, Dominum Christum crucifigendo, eodem attestāte. *Luc. 23. Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt,* attamen hæc ignorantia non fuit inuincibilis, sed culpabilis, duplici nomine, siue, ex duplici causa, ex *c. 15. Ioan. Si non venissem, ait Christus, & locutus eis non fuissem, & si opera non fecissem & peccatum non haberent. Verùm, excæcauit eos, malitia eorum. Sap. 2. c.*

*Ibidem rursus ex Ps. 24. c.*

*1. Cor. 2. c.*

*Hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorū reminiscamini, quia ergo dixi vobis, &c.* Apostolis Dominus ventura mala prædicebat, vt ne putarent horum euentum, ipsum latuisse, ac effugisse Imò itelligerent potiùs Christo nota fuisse omnia, quæ sibi suisque Apostolis ventura erant. *Ioan. 18. Sciens Iesus omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis. Quem quæritis?* Apostolis similiter prædixit, quia essent interficiendi, vt ex multis sacri Euangelij locis liquidò constat. Vt cum vt cum illi mala paterentur, ęquo animo illa ferrent, memoria repetentes Dominum, eos passuros talia, anteà vaticinatū. Itaque leuius ea su-

ſtinerent, quippe cùm cogitarẽt, diuini id eſſe conſilij, vt eiuſcemodi paterentur, & tolerarent. Iam, inquit, prædixi vobis, non eſſe meliorẽ, ſeu melioris cõditionis, diſcipulũ, Magiſtro ſuo, neque ſeruum præſtantiorem Domino ſuo. Si ergo ſpõtè me ſubieci paſſioni, in bonum veſtrum, nihil miremini, ſi vos patiamini propter me, ad gloriam tamen vtilitatémque veſtram. Poſſem equidem vos, ab omnibus huiuſmodi calamitatibus immunes, liberóſque reddere, nolui tamen, ad maius meritum veſtrum, & *vt configurati ſitis meæ paſſioni, atque vt patiẽtia veſtra, opus perfectum habeat. Iac.* 1. Nihil aliud efficacius conſolari nos poteſt in aduerſis, quàm vt cogitemus Chriſtũ eſſe Deum, qui futura præſcit, atque vt ex impletione eorum, quæ aduerſa ſunt, nõ dubitemus etiam implenda ea, quę bona prędixit, ac promiſit. Talem proinde habentes Dominum, qui omnia præſcit, omnia poteſt, & quicquid electis ſuis cõtigerit, totum id vertit ipſis in bonum, dicente Apoſtolo, *Rom.* 8. *Scimus, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Hæc, inquam, in memoriã reuocãtes, æquo animo pro Chriſto patiamur, ſicque magnos meritorum theſauros in cœlo reponemus, & recondemus.

Reliquum eſt, vt ad ventura feſta Spiritusſancti, nos præparemus, quo confirmati, pro Chriſti nomine patienter quæque aduerſa toleremus, vt in patientia noſtra poſſidere poſſimus animas noſtras, in vitam æternam illas cuſtodientes. Per Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum patre æterno, & eodem Spiritu paracleto, animarum conſolatore perbenigno, ab vtroque ex æquo procedente, viuit, & regnat per æterna ſæculorum ſæcula. *AMEN.*



# TESSARADECAS TERTIA

## IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

De Dei dilectione opere comprobata, & Spiritu sancto Ecclesiæ Doctore veracissimo, Pace denique non mundana, sed diuina, ac supercœlesti.

### IOAN. XIIII. CAP.

*Si quis diligit me, Sermonem meum seruabit. Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*
*vbi suprà.*

ODIE, quinquagesimus à Paschate dies celebratur (Pentecosten Græci vocant) olim per annum Iubilæum (qui erat quinquagesimus) designatus, in quo Pentecostes festo *Act.* 2. datus est Apostolis Spiritussanctus. Quoniam autem Spiritussanctus amor est (sub.) increatus, D. Ioanne dicente: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. *Ioan.* 4. Catholica

verò Ecclesia his diebus singulariter Spiritumsanctum adorat & veneratur, ideò nobis ea proponit Euangelia, quæ de dilectione, & dono expressam faciunt mentionem, veluti clarum est ex præsenti hodiernóque Euangelio. Si quis, ait Christus, diligit me & c. astino, sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret &c. Audis dilectionis, ac doni voces.

Quæ duo Spiritui sancto appropriantur. Idem Spiritussanctus etiam ignis appellatur, quo veluti feruentissimo amore ad diligendum Deum, homo ita accenditur, vt ad omnia alacri animo perpetienda mala, reddatur promptissimus, paratissimúsque: quo de igne Dominus, *Luc.* 12. *Ignem* inquit, *veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Quē sanè, ignem diuini amoris, hodie in discipulos misit, quibus *apparuerunt dispertitæ linguæ, tanquam ignis, Act.* 2. Obserua autem, quòd in linguis igneis collatus est Spiritussanctus, Primò, vt verba ignea proferrent, secundò, vt legem igneam prædicarent, De qua, *Deut.* 33. *in dextera eius ignea lex,* (hoc est, amoris feruentis.) Tertiò, vt omnes Spiritumsanctum (qui ignis est) per eos loqui cognoscerent, iuxta illud: *Non estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Matth.* 10. *c. Deut.* 4. *Deus* ait Moyses, *ignis consumens est* (nempe, peccata, & veterē scoriam, siue, Retrimentum, aut, quod Plinius, recrementum dicit hoc est sordes ex metallo reliquas, omnem denique spurcitiam, excoquens, atque repurgans.) *Psal.* 18. *Ignitum eloquium tuum. Prouer.* 30. *Omnis sermo Dei ignitus. Item, Ierem.* 23. *Nunquid non verba mea, sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* His certè, de causis, igni confertur Spiritussanctus. O admirabilem artificem! Doctore siquidem vtróque Gregorio, (Nazianzenum loquor, & Pontificem magnum, siue, Papam) Implet Spiritussanctus, aiunt illi, puerum cytharædum, & Psalmistam facit. Implet abstinentem puerum, (Danielem intellige) & iudicem senum facit. Implet pastorem armentarium (annosum vatem, ex duodecim minoribus prophetis, vnum accipe) & prophetam facit. Implet piscatorem, & principem Apostolorum facit. Implet persecutorem Saulum, & Paulum doctorem Gentium facit. Implet publicanū, (Matthæum subaudi) & Euangelistam facit. Sic illi. Implet hodierno festo, Christi Apostolos, & eloquentes ex Idiotis reddidit. Antea enim erant simplices, & idiotæ, ac sine literis. *Act.* 4. *Sed repleti sp. sancto coeperunt loqui varijs linguis, prout Spiritussanctus dabat eloqui illis. cap.* 2. Quod, vt plenius intelligatur, sequentia, animaduersione haudquaquam indigna, hôc loci

*Luc.* 12. *ca.*
*Act.* 2. *c.*
*Deut.* 33. *c.*
*Matt.* 10. *c. &*
*Deut.* 4. *c.*
*Psal.* 18. *&*
*Prou.* 30. *c.*
*Ierem.* 23. *ca.*
*D. Greg. Nazianzenus Orat. in sanctam Pentecosten, & D. Greg. magnus Hom.* 30.
*Act.* 4. *c.*
*&* 2. *c.*

commemorare libuit Quod latinus interpres transtulit, & vertit, varijs linguis, habetur Græcè, ἑτέραις γλώσσαις, alijs linguis, non autem, ποικίλαις, i. varijs. Alteras linguas vocat, *Mar. 6 ca.* quæ diuersæ essent ab ea, quæ Apostolis erat familiaris ac vernacula. Quas. Mar. 16. καιναῖς, nouas linguas dicit, *Linguis, inquit, loquentur nouis*, hoc est, peregrinis, quas nunquam *Act. 2. c.* antea nossent. Planiùs verò *Lucas. Act. 2.* ἑτέραις alias, & diuer- *Isa. 28. c.* sas appellat. Dixerat *Isaias c. 28. Lingua altera loquetur ad populum istum.* Hanc prophetiam impletam esse, vt admoneret sacer Euangelista, Apostolicæ scriptor historiæ, idem verbum, quod in propheta vidit, in historia ponere curauit. Sic autem tenendum existimo, multis linguis, ac varijs (prout necessitatis articulus exigebat, ac postulabat) Apostolos inter concionandum diuersis populis variarum linguarum, & idiomatum, vsos fuisse, quod comprobari posse videtur, ex officio huius solemnitatis Sic enim legitur: Vt in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum. Item, in Missarum solemnijs Diem Pentecostes celebrantes, quo SS. Apostolis, in linguis innumeris apparuit. &c.

In qua sententia fuit Gregor. Nazianzenus, cognomento Theologus oratione in Sanctam Pentecosten. Nimirum, *D. Greg. Nazianz. orat. in Sanctam Pentecosten.* quòd linguis extraneis, nec sibi vernaculis Apostoli loquerentur, quas minimè didicerant, loquentes videlicet, proprijs audientium linguis: qui sensus, ait ille, mihi magis arridet. Nam si diceremus, quòd vox quidem vna resonaret, cæterùm multæ audirentur; Eorum potius, qui audiebant, quàm qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit. Ergo loquebantur linguis Auditorum, id est, externis, quantùm ad eos, qui loquebantur. D. Chrysostomus in Act. 2. indicare videtur quòd *D. Chry. in c. 2. Actorũ Apost.* Parthicè fuerint locuti. Imò hæc linguarnm gratia, in Gentes diffusa est. Act. 10. De Cornelio, sociisque eius scribitur. Audiebant illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. *Act. 10. cap.*

Sunt aliqui vnam tantùm linguam vernaculam Apostolis concedentes, in qua loquentes Parthis, & Medis, possent, quod vellent illis significare. Cuius sententiæ videtur esse D. Cyprianus martyr serm. de Sp. sancto. Quorum, inquiens, erat cor vnum, & anima vna, vna erat & lingua, sed Euangelica doctrina, propria lingua prolata, ad omnium auditum, *D. Cypr. ser. de Sp. sancto.* eandem efficientiam obtinebat, ac si in eorum auribus sua idiomata resonarent Medi, & Elamitæ & Arabes: Dum Hebræa lingua Apostoli prædicarent, per Sp. sanctum inerat virtus, & gratia vt suam esse dicerent linguam, quam audié-

bant,nullo exponente interprete intelligebatur.

*Beda Venerabilis,retractationibus suis in Acta Apost.*

Venerabilis autem Beda, retractationibus suis in Acta, Vtramque opinionem probabilem esse dicit, & censet. Verùm sacer contextus diuersus esse euincit in Apostolis, ac Gentibus baptizatis. Vnusquisque audiebat lingua sua illos loquentes. Quorsum deceptos credas auditores? Si putabant esse,quæ non erant, vtique audientes Apostolicam loquelam seducebantur. Adde quòd fuisset tantùm miraculum in audientibus,non in Apostolis,circa quos maximè prædicatur miraculum.Loquebantur varijs linguis? Ingens profectò, miraculum, quòd vnam tantum linguam callentes, interiore Spiritus magisterio, in instanti, omnium linguarum peritissimi euaserint. Et quidē Ennius poëta,tres linguas callebat,quo de A. Gellius. Q. Ennius tria corda habere se dicebat,quòd loqui Græcè,& Oscè & Latinè sciret Sic ille.Sūt Osci Italiæ populi maritimi Campaniæ.Scribit Item D.Hieronymus,tomo .Apologiâ ad Ruffinum,quæ incipit, Lectis literis Prudentiæ &c. Ego trilinguis Hebræus, Græcus, & Latinus. Papa Epiphanius πενταγλωττος, quia quinque linguis loquitur. Hæc ibi Mithridatem regem Ponti, ferunt, duarum & viginti Gentium linguis locutum. Autores sunt A. Gellius,lib.17.c.17.Valerius,lib.8.c.7.de studio, & industria,in fine,Plinius de viris illustribus, §. 76 Eutropius denique lib.6.rerum Romanarum Mithridates,aiunt illi, Ponti,atque Bithiniæ rex,à Pōpeio bello superatus, viginti duarum Gentium, quas sub ditione habuit, linguas percalluit, quibus haudquaquam per interpretem locutus est, non minus scitè,quàm si eius gentis esset: At linguarum omniū peritiam habebant Apostoli, ac vsum, non quod studio indûstriáve humana, sibi hæc innumera comparassent Idiomata, temporis lapsu ac decursu,sed cum primùm aduenit Sp. sanctuseos tam disertos reddidit,vt omnium linguis,in concionibus,loqui valerent, sicque in viros alios mutati sunt,quippe qui cùm antea elingues,& penè balbutientes videri possent, effecti sunt postmodum linguarum omnium peritissimi .1.Reg. 10. *Insiliet in te Spiritus Dei*(dictum est Sauli) *& prophetabis,& mutaberis in virum alium.* Simile quiddam in Apostolis completum legimus, qui Spiritusancto afflati, *loquebantur varijs linguis magnalia Dei.Act.2.* His prælibatis, ad contextûs Euangelici expositionem accedamus.

*A.Gellius lib. 17.c.17.noctium Atticarum.*

*D.Hier.to.2. Apologiâ ad Ruffinū, quæ incipit. Lectis liter.s Prudentiæ &c.*

*A.Gellius, li. 17.c.17.*

*Valerius l. 8. c 7.*

*Plinius de viris illustribus. §.76.*

*Eutropius rerum Rom.l.6*

*1.Reg.10.ca.*

*Act.2.*

*Si quis diligit me &c.* Expendenda sunt,& ponderanda singula verba, Siquis,inquit,diligit &c. sanè paucitatem diligen-

tium insinuat, quasi apertè dicat. Siquis de numero plurimorum, me diligit, sermones meos seruet. Cæterùm, cõmunem omnibus sui amorem esse denunciat, si quis, ait, in cuiuslibet optione, & arbitrio id ponens, & voluntati singulorum relinquens. Quicumque vult, inquit. Hanc sui amoris communitatem insinuat dicens, *Ego flos campi, Cant. 2.* qui vtique nulli clauditur, nulli denegatur, Campus omnibus patet, flos cãpi omnibus transeuntibus, & viatoribus communis ex æquo est Omnes Christus ad se vocat, & inuitat, *Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis* & c. *Act. 10. In veritate cõperi, quia non est personarum acceptio apud Deum*, aiebat, Apostolorũm columen D. Petrus, Neminem cogit Deus, Non enim ei placent, vel, grata sunt, coacta seruitia: siquis igitur diligit ex electione, non coactione, *si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Isa. 1.* Et notanter adiungitur, *Me*, ad differentiam inordinati amoris. *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. Psalm. 4. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, Isa. 1. Omnes, quæ sua sunt, quærunt: non quæ Iesu Christi Philipp. 2. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ & c 1. Ioann. 2. capite. Sermonem meum seruabit.* Quandoquidem, vt Diuus Gregorius in Homilia, ait, Probatio dilectionis exhibitio est operis. & apud Ioannem, hic eodem cap. *Si diligitis me*, inquit Christus, *mandata mea seruate. Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. prima. Ioan. 5.* In consequentibus similiter Christus, *Qui non diligit me*, ait, *sermones meos non seruat*. Sermonem meum, ex integro seruabit, quia D. Dionysio authore, bonum est, ex integra causa.

Cant. 2. ca. | Matth. 11. | Act. 10. c. | Isa. 1. | Psal. 4. | Isa. 1. c. | Phil. 2. c. | 1. Ioan. 2. c. | D. Greg. Papa in Ho. præsenti. | Ioan. 14. c. | 1. Ioan 5. | D. Diony. Areop.

*Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus & c.* In quorundam corda venit, & mansionem non facit, quoniã ipsi in tẽpore tentationis ab amore Dei recedunt. Visitat Deus quandoq; superbos, sed ad modicum, & exiguum tẽpus durant in bono proposito, & à bono opere statim resiliũt. Felix homo, qui hunc hospitẽ recipere meretur, & apud quem mãsionẽ facit superbenedicta Trinitas. Est enim Deus Trinus, hospes valdè magnificus, nec venire solet vacuis manibus, nec sanè, mirum Abraham susceptis tantùm Angelis, ingenti dono, filio scilicet, quem diu concupierat, donatus est. Loth iisdẽ angelis hospitio receptis, è subuersione Sodomorũ ereptus est. Obededon tãtùm arcam Dei in domũ suã receperat,

Gen. 18. c. & 19. c. | 2. Reg. 6. c.

& ad breue tempus,& benedictionem meruit omnium, quæ habebat,Sareptana Vidua, Elyam suscepit, & tempore famis sustentata est, filium insuper mortuum viuum recepit Maria
3.Reg.17.c. ingressa domum Zachariæ,& ipse & Elizabet, imò & Ioan-
Luc.1. c. nes,nondum natus Spiritu sancto impleti sunt, & prophetauerunt. Quid igitur deesse poterit ei,apud quem tota Trinitas mansionem facit ? *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* ( æterna sapientia) Sap. 7. Quid plura? qui ipsum Deum
Sap.7.c. Trinum & vnum, omnium bonorum fontem longè vberrimum, recipit, apud quem Trinitas tota mansionem facit, quid quæso, ei deficit ?

Ioan. 14. *Pater meus diliget eum. Ioan c.14. Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. Ibidem si diligatis me mandata mea seruate.* Be-
Prou.8.ca. nè à sapientia dictum est, *Prouerb.8. Ego diligentes me diligo.* Liceat mihi hoc loco paulisper exspatiari,& excurrere, de mutuo ac reciproco amore;(ἀντέρωτα, Græci vocant) Obseruādum imprimis plerósque Latinorum falli, qui Anterota amori infensissimum numen existimauerunt, cùm ille potius amori respondeat, atque satisfaciat, quod diligenter annotauit
*Cælius Calcagninus Ferrariensis in Anterote, seu, de mutuo amore. Virgilius in Æneide & Seruius ibi.* Cælius Calcagninus, Ferrariensis, in Anterote, siue, de mutuo amore. Hoc est scilicet, inquiens, quod apud Vergilium, Dido, si quod non æquo fœdere amantes Curæ numen habet, iustúmque memórque precatur. Quo loco rectè ac eleganter Seruius Anterota inuocari scribit, sed non rectè, quis sit Anteros interpretatur. Eum enim numen Cupidini contrarium existimat, deditque subinde erroris occasionem grammatistis, existimantibus in hoc nomine præpositionem ἀντὶ, contrarietatem significare, & non æqualitatē, paritatémque potius: ceu apud Homerum ἀντίθεον πολύφημον, æqualem
Homerus. paremque Deis Polyphemum : quum hic vnus ex omnibus Dijs, Anteros, propugnator, defensórque atque vltor sit amoris, maximus: & idcirco aptissimè inuocetur ad eum plectendum, qui in amore gratus non fuerat, nec mutuas operas dederat. Adeò ut si quis paulò diligentius poëtæ sententiam introspiciat: & suo testimonio redargui Seruium, intelligat: & (vt ille ait) suis asciam cruribus impingere. Nam qui amorem abolebat, atque ex animis hominum incendia Cu-
Suidas, dict. ἀντέρως. pidinis expungebat, & non Anteros, sed Lethæus Cupido nuncupabatur, atque in templo Veneris Erycinæ colebatur facibus aquam infundens. Et nostræ quidem sententiæ minimè desunt testes : Sudamque subscripsisse animaduertimus,

mus, in dictione ἀντέρως. Huius sententia est, Apollonium Alexandrinum grammaticum, Romæ sub Claudio post Caium imperante, professum, Anterota nuncupatum fuisse. quod nomen etiam in generosis seruatum est, qui se amarent mutuò, Chariton enim, & Melanippus, in mutuum vtrinque amorem inciderunt erátque amator Chariton, sed nō minus Charitonis animū amabat Melanippus. pariq; amoris œstro vrgebat. Sic ille. Anterotis vim, & Natales elegantissimo Apologo Porphyrius complexus est, quem mihi subscribendum duxi, quod meç sententiæ album calculū, & (quod græci dicunt) κολοφῶνα, conferat. Ponit subinde ibi Calcagninus, Porphyri Græca, idemque ita conuertit latinè. Quo tempore Venus Cupidinem peperit, pulcher alioqui ac venustulus puer ille visebatur: vt qui nec tantillum à matre pulcherrima degeneraret. Cęterùm haudquaquam excrescebat in magnitudinem ac staturam, quæ pulchritudini responderet: sed manebat plurimum tempus eo habitu, quo natus erat. Anxia igitur eam ob rem atque inopos consilij mater affligebatur: nec minus Gratiæ infantis nutrices. Itaque oraculum Themidos adeuntes, (nondum enim Apollo Delphis præsederat) orabant supplices, vt ad insolitam ac nulla non admiratione dignam calamitatem, aliquod remedium inueniret. tum Themis. At ego vos, inquit, hac sollicitudine leuabo. Nec enim satis naturam, & ingenium infantis, videmini perspexisse. Nam tuus iste verus amor ô Venus nasci forsitan solus potest; crescere autem solus non potest. Quod si cupis vt adolescat, Anterotis opera opus est, qui reciproco amore, beniuolentiæ vices rependat. Erit autem ijs fratribus hoc ingenij, vt vicissim alter alteri mutuetur & largiatur incrementum: & si se mutuò intueantur, æquali propagine germinabunt. Sin verò alter deficiat, ambos pessum ire oportebit. Hoc vsa consilio Venus, Anterotem parit. quo vix dum edito in lucem, Cupido statim adolescere, enatásque repente pennas explicare cœpit, iam procero corpore incedere. Qui cum huic sorti obnoxius sit, miris plerumque, & inauditis conflictatur ærumnis. Nam interdum pullulat, interdum deflorescit: rursus augetur, ita tamen vt nunquam non præsentia fratris indigeat: quem si grandescere animaduerterit, longè grandior ipse effici contendit. Sin verò pusillum, exiguumque esse deprehenderit, sæpè vel inuitus elanguet: Sic Porphyrius, Calcagnino interprete. Quonam amabò, meliore modo, ac ratione

*Porphyri Apologus.*

aliquem ad te amandum pellexeris, quàm si te diligentes; diligas etiam ex animo? amantem, inquam, redames? sic pollicetur Christus, *Diligam eũ qui me diligit* ô fidelem amicum! Hîc obserua, quòd fidelitatis tria sunt experiméta. Nouitas, Prosperitas, & Aduersitas. Fidelis amicus, amicos veteres nouis superuenientibus, non excludit. Ille ex prosperitate non mutatur. Quamquam honores, (quod vulgò dici solet) mutent mores. Succedentibus prosperis, pincerna, Pharaonis, oblitus est Ioseph interpretis sui. *Gen.* 40. Deniq; in aduersitate nõ mutatur. Infidus enim, quos felices diligit, miseros nec agnoscit. *Iob. c.* 2. Cùm tres amici Iob, eleuassent procul oculos suos non cognouerunt eum, tantis deformatum calamitatibus, ac miseriis, Verùm *apud patrem luminum non est transmutatio. Iac.* 1. Eius sublimitas, & celsitudo, non reddit eũ nobis extraneum, nec nostra humilitas, siue, abiectio, nos illi efficit alienos, hinc regius Psaltes. *Excelsus Dominus, & humilia respicit &c. Ioan.* 20. fratres eos vocat post resurrectionem. *Dic fratribus meis, Ascendo ad patrem meum & Patrem vestrum.* Paulus item, *Heb.* 2. ex *Psal.* 21. Non confunditur fratres eos vocare, dicens, *Narrabo nomen tuum fratribus meis &c.* Meritò igitur dictum est, *Pater meus diliget eum. & Mansionem apud eum faciemus.* Venit Deus ad quosdam per fidem, sed in eis non facit mansionem, solo equidem ipsorum demerito, quoniam, *Matth* 13. *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Ad quosdam item venit, per peccati compunctionem, sed ipsi ad peccata relabuntur, sicut canis reuersus ad vomitum, iuxta Prouerbiũ, & sus lota, ad volutabrum luti: At in prædestinatis mãsionem Deus facit, quia quamuis peccent, resurgunt tamen, per pœnitentiam, & finaliter adhærent Deo & saluabuntur. *Ioan.* 10. *Oues meæ non peribunt in æternum: Ego vitam æternam do eis. Vocem meam audiunt, & non rapiet eas quisquam, nec rapere potest de manu patris mei, & de mea, quia Ego & Pater vnum sumus.* Quàm verè dictum est. *Ecce quomodo amabat eum. Ioan.* 11. *cap &, cap.* 13. *Cum dilexisset suos, vsque in finem dilexit eos.* Amicitia enim, quæ desinere potest, vera nunquam fuit, inquit Diuus Hieronymus, tomo. 1. epistola ad Ruffinum, in fine.

*Gen. 40. c. Iob. 2. ca. Iac. 1. c. Psal. Ioan. 20. c. Heb. 2. c. ex Psal. 21. c. Matth. 13. ca. Ioan. 10. c. & 11. c. item c. 13.*

Veræ amicitiæ typus, à quibusdam describitur, hunc in modum (Bernardino de Bustis, nostri ordinis, Secunda Rosarii parte ser. 5 declinando versus finem, sequẽtia referente,) Antiquitus apud Romanos amicitia depingebatur in forma iuuenis, discooperto capite, qui erat tunica rudi indutus, in cuius fimbria scribebatur, mors & vita, in fronte, æstas & hyeme

*D. Hiero. to. 1. epist. ad Ruffinũ in fine epi. Ber. de Bustis. 2. par. Rosarij ser. 5. circa finẽ*

habebátque latus apertum vſque ad cor, & brachium inclinatum,& digito cor oſtendebat, ibique ſcriptum erat,longè & propè.Iuuenis ſignificat ,quòd amicitia ſemper debet eſſe recens,& iuuenis,& nunquàm ſeneſcere.. Tunica rudis, vt oſtendat ſe præparatum,ad toleranda quælibet ardua pro amico. Diſcooperto capite,vt omnibus pateret: & nunquam verecundaretur amicum ſuum confiteri. Vita & mors,quia,qui verè diligit,vſque ad mortem amat:æſtas & hyems. quia tam in proſperis,quàm in aduerſis amicitiam ſeruat. Ex his ſidis amicis perpauci inueniuntur dicente Ouidio, *Ouidius,*

*Dum fueris felix,multos numerabis amicos ,*
*Tempora ſi fuerint nubila ſolus eris.*

Latus apertum deſignat, quia nihil amico abſcondit,celátve Brachium inclinatum , vt opus correſpondeat cordi , & verbis:nec diligendum eſſe verbo neque lingua,ſed opere,& veritate,dicente D. Ioanne.1.epiſto.c. 3. *filioli mei , non diligamus verbo,neque lingua,ſed opere , & veritate.* Longè & propè, quia loci diſtantia : non tollit amicitiam: corpora tantùm , non corda,animóſque ſeparat. Hæc de Buſtis. Nos etiam alibi hanc amicitiæ imaginem,iiſdem propè coloribus , eodē planè penicillo depingimus,& interpretamur, ex quorundā ſcriptorum ſententia,& relatione. *1.Ioan.3.*

*Manſionem faciemus* . Hæc verba Domini apertè docent, Deum non deſerturum ſuos amicos, quandiu in Dei amicitia perſiſtunt.q.d. Nunquam deſeremus eos, ſed apud ipſos ſēper erimus ſpeciali aſſiſtentia,eos manutenendo ; & conſeruando,niſi ipſi velint amicum Deum deſerere , Deus eos non deſeret,ſic,inquam,manſionem apud eos faciemus.

*Sermonem,quem audiſtis,non eſt meus.* Hic loquendi modus ne quis interpretem ſolœciſmi,aut incongruitatis arguat) apud Poëtam,(Virgilium intelligo)extat,ſic canentem

*Vrbem,quam ſtatuo,veſtra eſt.*

Et,Pſ.117.*Lapidem,quem reprobauerunt ædificantes,hic factus eſt in caput anguli:* ita habet ædito vulgata ab Eccleſia comprobata. *Virgilius. Pſal. 117.*

*Paracletus autem Spirituſſanctus, Ille vos docebit omnia &c.*

De Paracleto multa ſuperioribus cōcionibus iā diximus, quæ hoc loco repetere nō eſt opus.Quòd autē dicit,docebit vos omnia,&c nō ſimpliciter omnia intelligas,vt ſuprà quoque annotauimus , ſed omnia,ad ſalutē ſcilicet neceſſaria.Vt

sensus iste sit: Quæ ego hactenus locutus sum, ea vos carnaliter adhuc pro huius mundi captu intelligitis: spiritus verò adueniens, docebit vos diuinam in verbo meo sententiam, quandoquidem Apostolo teste: *litera occidit, spiritus autem viuificat*, & eodem Christo doctore, *verba, quæ loquor vobis, spiritus, & vita sunt Ioannis sexto capite. Suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis &c.* Non tantùm, inquit, non patietur vos quicquam ignorare, quod ad salutem pertinet sed etiam obliuiosis, in memoriam, quæ exciderunt, reducet ac reuocabit, deinceps quicquã vos patietur obliuisci. Insumma, ex tardis dociles, ex somnolentis vigiles, ex obliuiosis memores, ex mœstis hilares, ex terrestribus cœlestes, spiritualésque vos efficiet, & in alios viros commutabit admirabili sanè, Metamorphosi, ac diuina. Consentaneè autem Christus, hoc prædixit Spiritũ effecturum, alioqui discipulis maximè, quæ post cœnam dixit, omninò excidissent, quoniam cùm dicerentur, ea perfectè non intellexerunt, nec firmiter memoriæ mandauerunt, aut insculpserunt, varijs affectionibus præpediti, ac obruti, tristitia nempe, timore, & mentis perturbatione, vnde non semel Christus eis dixisse legitur. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Suggeret vobis &c quomodo enim Ioannes Euangelista, post 40. annos, potuisset omnium verborum Christi, quę in Euãgelio scripta reliquit, meminisse, nisi Sp. sanctus ei suggessisset? quippe cũ valdè labilis, nec satis tenax, sit quamplurium memoria.

*Ioan. 6.*

Nota Christum vtrumque de spiritu dixisse: Docebit vos omnia. Et, suggeret vobis omnia, quia, quædam Domini verba, & facta Apostoli non intelligebant, quoniam capacitatem eorum, magnitudo mysteriorum Christi longè superabat: alia verò ex perturbatione à memoria exciderant, idcirco spiritum eis pollicetur Doctorem eorum, quæ ipsi non intellexerant, suggestorem quoque hoc est admonitorem, & memorię excitatorem, qui eos cõmouefaceret de omnibus, quæ obliuione elapsa fuerant.

*Frid. Nauseas, Cen. 2. homil. 49. de tẽpore.*

Obserua etiam ex Friderico Nausea, Cent. 2. Homil de tempore 49. ad hæc verba: Quæcumque dixero vobis, quòd nonnulli hîc mallint verbum εἶπον, per dixi aut dixerim (preterito tẽpore) potiusquã per dixero (futuri temporis) transferre & vertere, quoniam paucissima, vel nulla prorsus superfuerint, à Christo ipsis dicenda: Non omninò probo, ait ille. quandoquidem Christus eisdem euidenter dixerit deinceps, nempe, *Ioan. 16. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis por-*

*Ioan. 16. cap.*

*tare modò Cùm autem venerit ſpiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis.* Sic Chriſtus. Rectè igitur habet vulgata editio, *Quæcumque dixero vobis.* Spiritu ſancto namque authore, vltra hæc, quæ Chriſtus ore docuit, Apoſtoli in Ieroſolymitano concilio edocti decreuerunt, *Act. 15. abſtinendum eſſe ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato.* Sic indubiè Paulus Spiritu ſancto ſuggeſtore quod Dominus non dixit, docet mulierem velato capite orare debere. 1 Cor. 11. c. Et rurſus, c. 7. Nam cæteris, ego dico, non Dominus, *ſiquis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo: non dimittat illam.* Et eius generis alia, quæ non leguntur à Chriſto dicta, Apoſtolis, adeóque ipſi Eccleſiæ à Spiritu ſancto creduntur tradita; reuelata, & ſuggeſta, quæ haud ſecus ſeruanda ſunt, quàm ſi a Domino viſibiliter præſente dicta fuiſſent. Quandoquidem, ait Apoſtolis: 1. Theſſ. 4. *Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritumſanctum in nobis.* Sic itaque exponendum mihi videtur. quæcumque dixero vobis, & amodò, ſiue, de cætero vſque ad meam comprehenſionem in horto, & quæcúmque deinceps, per 40. dies, à mea reſurrectione, ad Aſcenſionem vſque dixero vobis, *loquens vobiſcum de regno Dei.* Act. 1 Rurſus, quæcumque poſt meam in cœlis Aſcenſionem, interiore ſpiritus reuelatione, atque magiſterio, dixero vobis, deinde poſt obitum veſtrum, quæcumque Spiritus dixerit Eccleſijs (veluti in Apocalypſi crebrò proclamatur, frequentérque repetitur. *Qui habet aures audiendi, audiat. Quid ſpiritus dicat Eccleſijs, Apocalyp. 2. & 3. ca.*) Quæcumque, inquam dixero vobis, immediatè, aut mediatè, proprio ore, ſiue per Eccleſiam, *columnam, & firmamentum veritatis.* 1. Timoth. 3. Omnia ſuggeret vobis Spiritusſanctus, & interpretabitur, illuminans vos de omnibus. Nec enim propter Apoſtolos duntaxat, qui tum præſentes erant, ſed propter omnes Chriſtianos, quotquot eſſent futuri (quãdiu militat in terris Eccleſia) pollicitationem hanc hodie factam intelligimus, vt diſertis verbis dixerat Ioan. 14. *Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* Spiritum veritatis Propter quos, amabò, dictum eſt? Vtique non propter Apoſtolos ſolùm, qui dudum vita defuncti ſunt, ſed propter Eccleſiam, ab iis, ad finem mundi vſque, propagandam, inſtruen iam, informãdam, & conſummandam. Ad hoc igitur, quod ad conſummationẽ vſque ſeculi futurum eſt, Eccleſiæ Dei neceſſarium Chriſtus

Act. 15.
1. Cor. 11. c. & 7. ca.
1. Theſſ. 4.
Act. 1. c.
Apoc. 2. & 3. c.
1. Tim. 3. ca.
Ioan. 14. c.

Dominus Sp. sanctum misit: nimirum, qui vel hæresi aliqua vel necessitate cogente, ipsam Ecclesiā doceret omnia, omnémque veritatem, credendorum, & agendorum, ad rectam Ecclesiæ ædificationem. Hactenus Fridericus.

*Pacem meam do vobis.* Pacem gratiæ hîc nobis reliquit, pro pręcipuo dono, Verè enim magnum donum, pacem habere cum Deo. Pacem autem gloriæ in futuro dabit pro præmio.

Gal. 5. Pax proles est dilectionis, & amoris: vt bellum ex odio profluit, atque, vt Paulus, electum Sp. sancti organū *Gal. 5.* scribit, *fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, &c.*

D. Aug. to. 5. l. 9. de ciuit. Dei c. 11. Psal. Silius l. 11. D. Aug. tomo. 5. lib. 19. de ciuitate Dei cap. 11. Tantum est pacis bonum, inquit, vt etiam in rebus terrenis nihil gratiùs soleat audiri, nihil desiderabiliùs concupisci, nihil postremò possit meliùs inueniri. Vnde Psal. *Qui posuit fines tuos pacem &c.* & Ierusalem dicta est pacis visio. Conforme est, quod Silius poëta l. 11. cecinit.

*---- Pax optima rerum,*
*Quas homini nouisse datum est, pax vna triumphis,*
*Innumeris potior.*

Luc. 1. c. Cicero Philippica 2. & 13. Prou. 12. c. Ecquid ardentiùs inclamamus, postulamúsque, quàm, *Da pacem Domine, in diebus nostris? Vt nimirum, sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi: in sanctitate & iustitia, coram ipso, omnibus diebus nostris. Luc* I. Adstipulatur oratorum Phœnix, Cicero, Philippica. 2. & 13. Dulce, inquiens, nomen est pacis, res verò ipsa cum iucunda, tum salutaris. Iure igitur optimo, dixit Sapiens, *Prouerb.* 12. *Qui pacis meunt consilia, sequitur eos gaudium.* Gratia, & pax, salutandi formula est, Apostolis familiaris. Et apud Euangelicum

Isa. 32. c. Eccl. 45. vatem, c. 32. repromittitur. *Sedebit populus meus, in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* De Phinees, *Eccl.* 45. scribitur *statuit illi testamentum pacis.* Porrò, pax duplex est, sicut & amor bipartitus. Est enim diuinus amor, pacem efficiens diuinam, amor item mundanus, pacem gignens mundanam.

Matt. 5. Pax diuina rectè vocatur, per quam homo pacem habet cū Deo, quia idem volunt, & idem nolunt. Amantium enim est, idem velle, ac nolle, *Matth.* 5. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Pax illa, quam Deus cum homine, homóque cum Deo init, temporalia mala etiam admittit, cruces, persecutiones, flagella, & alias molestias. Non enim hæc pax est corporis, sed Spiritus. Non est sensibilis pax,

ſed intelligibilis : non videtur oculis, ſed ſolum mente cernitur. Et, vt concinnè loquitur Apoſtolus. *Philip.4. Pax Dei exuperat omnem ſenſum.* Amici Dei hæc ſuſtinent aduerſa corporis propter Deum, ſeruata ad Deum mentis pace. Imo ex aduerſis corporis, ſæpe nutritur pax mentis. Quippe quo magis ſancti aduerſa æquo animo ferunt, amiciores Deo redduntur; maiorémque cum Deo conciliant amicitiam, atque conſequenter maiorem pacem. *Philip.4.*

Pax autem mundana ea eſt, quæ ex amore mundanorum proficiſcitur. Qui enim bona corporis amat, hæc ſi poſſideat, & à malis corporis vacet, pacem habet mundanam. Hæc namque pax viſibilis eſt, quam homines huius ſeculi imprimis amant. Hæc non eſt ſicut pax Chriſti, quæ ſenſitiuam cognitionem, & intellectiuam naturalem, excedit. Non eſt enim pax ſenſus, ſed mentis, ſenſui repugnantis. Et ſub ſenſus, repugnantia, hæc Chriſti pax fouetur, & ſeruatur. At mundana pax illa eſt, qua de Eccleſiaſticus, *cap. quadrageſimo primo,* agit dicens, *O mors, quàm amara eſt memoria tua homini habenti pacem in ſubſtantiis ſuis, viro quieto, & cæt.* Ille ſane, pacem habet in ſubſtantiis ſuis, qui in viſibilibus, & terrenis, defixam habet ſpem ſuam, quemadmodum habebat ille, de quo, *Lucæ duodecimo cap.* qui dicebat animæ ſuæ. *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, Requieſce, comede, bibe, epulare.* Hic profectò, pacem habebat, cum ſubſtantiis ſuis, quia illas amabat, ſubſtantiis ſpiritualibus poſthabitis. Hæc igitur pax ſub perſecutione diſſoluitur. Namque hæc pax eſt vacare à ſeculi moleſtiis, & ſeculi voluptatibus perfrui. Hanc autem pacem non donat Chriſtus. Ideòque ait: Non quomodo mundus dat, ego do vobis, & cæt. Chriſtus enim ſuis aduerſa promittit, & cruces in hoc ſeculo, quæ ſane repugnant cum pace mundana. Sed pacem meam, inquit, do vobis. q.d. non terrenas diuitias, neque terrenos principatus, vobis relinquo in hæreditatem, quæ ego ſponte abdicaui, at aliquid omnibus terrenis bonis præſtantius vobis relinquo, pacem nimirum meam, nõ viſibilem, caducámve, quam mundani amant, ſed inuiſibilem, diuinámque pacem, quæ vos pacificos, & æternùm ſecuros faciet. Pacem vobis relinquo, vt idem ſapiatis, & non ſint in vobis ſchiſmata. Pacem meã rurſus do vobis, vt me diligẽtes & ego vos diligens, ſitis filij Dei patris, & ſitis fratres mei. Turbabunt vos inpendẽtia mala, ſed hæc non præualebũt à vobis tollere pacẽ, quam ego vobis do. *Eccl.41.* *Luc.12.*

Modica erit vestra turbatio, ex mea instante morte, & proxima, Postmodum autem gaudebitis lætitia inenarrabili, postquam videlicet, Surrexero à mortuis, & in cœlos conscendentem me vestris conspexeritis oculis. Pax mundana, quam in seculo habent homines, cum ipso seculo finitur, At verò pax diuina, consumpta vitâ corporis, absolutiùs perficitur. Mens quippe fidelis, dum in hoc seculo agit, non potest obtinere hanc diuinam pacem perfectè. Quia caro (quod ait Apostolus) concupiscit aduersus spiritum, & Spiritus aduersus carnem. In altero autem seculo, caro erit plenè subiecta Spiritui, & mens Deo prorsus subdetur, atque obediet ad nutum. Hac pace soli beati gaudent. Viatores verò tantùm sperant se illam habituros, qua in præsentia orbantur. Viatoribus nunc quidem sufficit, si diuina seruent mandata, vt pacem habeant cum Deo.

*Non quomodo mundus dat, & cat.* Pax mundi est simulata, *Psalm. vigesimoseptimo, loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Pax autem Christi vera est. Pax mundi est imperfecta, cùm sit tantum ad quietem exterioris hominis. *Non est pax impiis, dicit Dominus, per Isaiam, cap. quadragesimo octauo, & quinquagesimo septimo.* Sed pax Christi quietat interius, & exterius. *Psalm. 118. Pax multa diligentibus legem tuam, & cat. Quam mundus dare non potest pacem,* ait Sancta mater Ecclesia, Etiam pax mundi, hoc est, externa pax, à Christo datur. Nam donum Dei est non mediocre, pro quo & Paulus, *1. Timoth. secundo cap.* orare nos iubet, vt quietam & pacificam vitam agamus. Verùm de hac non loquitur Christus, neque promittit eam pacem, quàm mundus dat, nec eodem modo, nec ad eundem finem. Mundi pax est sanitate potiri, diuitiis abundare, hostibus carere, aut eos deuictos, habere. Hæc autem pax, non est vera pax, quia tantùm consistit in externis bonis. Non autem pacificat cor. Corde autem non pacificato, nihil prodest externa pax: Christi autem pax, est remissio peccatorum, amicitia cum Deo, ordinatus animus, & tranquillitas mentis. Hæc sunt, quæ verè pacificant hominem. Deinde mundi pax, & si donum Dei sit, interdum tamen solet occasio esse ingentium scelerum. Plerumque etenim mundani abutuntur pace. Pax autem Christi, omnis iustitiæ, pietatis, & sanctitatis fons & origo est. Non solùm enim reddit hominem pacatum, sed etiam patientem & pacificum, vt cum regio Psalte, tuta conscientia dicere valeat. *Cum his, qui oderunt pa-*

*Psal. 27.*

*Isa. 48. & 57.*

*Psal. 118.*

*1. Tim. 2.*

*cem, eram pacificus, & cat.* Et cum Diuo Apostolo, *Roman.12.* *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes:* Pręterea, pax mundi tollit quidem externa mala, sed non radicem malorum, peccatum scilicet. Radice autem permanente, etiamsi ramos succidas, repullulant: sic peccato permanente, non diu permanere potest, pax, & securitas. Et si enim ad tempus Deus dissimulat, non semper tamen. Christi autem pax omnium maximè radicem malorum aufert. Peccato autem ablato, tametsi adhuc externę afflictiones durent, non tamen diu perdurabunt, propterea quòd radix excisa sit. Ad hæc pax mundi, ad homines refertur: Pax autem Christi ad Deum, & conscientiam. Demùm pax mundi temporalis est, Pax verò Christi, æterna. Alio quoque modo pacem confert Christus. Mundus siquidem extrinsecus pacem adfert, intrinsecus turbam relinquit. Christus verò intrinsecus pacem donat, extrinsecus turbationem relinquit. Iuxta illud, *Ioan.16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem.* Memini in eam rem, ac propositum, me quandoque legisse, apud Plutarchum, in Pauli Æmilij vita, tom.1. circa principium, eius vitæ, ad hunc modum: Romanus quispiam nuntium vxori remiserat. Hic corripientibus eum amicis, quærentibúsque, Nonne casta, nonne formosa, nonne fœcunda est? prolato calceo, Nonne ornatus est, inquit, nonne nouitius? At nemo videt vestrûm, vbi pedem meum vrgeat. Hæc ibi. Quæ facilè accommodabuntur ad pacem huius mundi, Splendent quidem omnia externè, at omnia plena timoris, & turbarũ sunt in mente: conscientiæ terror, peccati aculeus, & stimulus mortis, gehennæ denique apprehensio. Et quid non malè sibi consciam animam, angit, pungit assiduè, atque miserè infestat? Mundus dat pacem, auferendo afflictiones, & turbam, à persona afflicta, & turbata, Christus verò dat pacem, auferendo personam turbatam ab afflictionibus, hoc est, relinquẽdo afflictiones in humeris incumbentes: sed interim conscientiam ita pacificando, vt glorietur etiam in afflictionibus. *Iacob.1. Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis, & cat. Roman. 5. Gloriamur in tribulationibus, Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, Probatio verò spem. Spes autem non confundit.* Videtur sibi vir patiens, in mediis malis paradisum inambulare. Demùm, ad alium finem Christus dat pacem. Mundus enim pacem dat, vt corpori benè sit; Christus autem, vt animæ sit benè. Hanc pacem

*Rom.12.* *Ioan.16.* *Plutar. to.1. vita, P. Æmilij circa initiũ.* *Iac.1.* *Rom.5.*

veram, stabilem, perpetuam, & cum Deo nobis promeruit Christus, eámque gratis omnibus offert. Miseri igitur filij Adam, qui tantum externam, & falsam pacem quærunt, atque procurant, hac neglecta. Item, quòd externam pacem, magnis laboribus, ac periculis quærunt, veram autem pacem, nec gratis oblatam accipere volunt. Hæc quidem pro maxima parte, Ferus nostri instituti, concionator eximius. Nos in Decadibus nostris, posteriore tomo, plura de pace, ad Euangelium, Pax vobis. conscripsimus, ad quem locum lectorem missum volumus.

*Ferus in Ioan. ad præsens Euang.*

*Sac. Decades authoris tom. posteriore.*

*Si diligeretis me gauderetis vtique, quia vado ad patrem.*

Hic alio signo vult probari suorum dilectionem, vt nimirum, bonis aliorum congaudeant. Charitatis siquidem opus ab Apostolo, *Roman. duodecimo*, describitur, *Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.* Igitur qui Christum diligit, gaudet vtique, quod ad Patrem abiit: id est, in gloriam suam: gaudet de gloria Christi, quòd sedet ad dexteram Patris, quòd omnia pedibus eius subiecta sunt, quòd propter passionem mortis, gloria & honore coronatus sit. *Hebraeor 2.* Quomodo non gauderet membrum, de gloria capitis? Quod si tanta præstitit Christus in infirmitate adhuc positus, quid non poterit præstare ad dexteram patris sublimatus? Eam ob rem regius vates cecinit, dicens, *Omnes gentes plaudite manibus, & cæt. ac rationem subdit, Ascendit Deus in iubilo, & cæt. Item, Psalm. 96. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ, & cæt.* Vera charitas, non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum. *1. Corinth. decimotertio.* Contristari non debetis, sed potius gaudere, de mea perfectione, quia vado ad exaltationem meam. Ire ad Patrem dicitur secundum humanam naturam, secundum diuinam enim est in sinu Patris: Ergo, quod subditur, Quia Pater maior me est, secundum humanam naturam exponendum est, secundum quam considerationem minor etiam Angelis dicitur, *Hebraeor. secundo. ex Psalm. octauo.* Eatenus quoque suis fuit subditus parentibus. *Lucæ secundo cap. Gauderetis vtique*, Naturæ humanæ gratulandum est, quòd sit ad Patris dexteram eleuata. *Vado, & venio ad vos*, Multifariam exponi potest, vno quidem modo sic: Vado, scilicet ad Patrem per mortem, & venio ad vos, per Resurrectionis gloriam, Si diligeretis me, gauderetis vtique de meo singulari bono, Quale est ire ad Patrem, hoc est, ad vitam immortalem, & vndequaque beatam. Alio modo, Sic. Vado, ascendam ni-

*Rom. 12.*

*Hebr. 2.*

*Psalm. 46. & 96.*

*1. Cor. 13.*

*Hebr. 2. c. ex Psal. 8.*

*Luc. 2.*

mirum, in cœlum: & venio ad vos, id est, reuertar ad vos in Spiritu sancto; per dona eius, quæ merito meo accipietis. Tertiò. Vado, ad Patris dexteram sessurus, & venio ad vos, In iudicio, vt reddam præmium labori vestro. Quia Pater maior me est, Hoc Catholice Athanasius magnus, in suo Symbolo interpretatus est, hoc modo: Æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Minor est Patre quidem, eatenus, quatenus ad Patrem vadit, inquantum enim Patri coæqualis, non vadit ad Patrem, sed semper est in sinu patris. Quod contra Arianos obseruandum est, qui hunc locum ad suam stabiliendam hæresim, & blasphemiam, detorquebant. Locus verò se sufficienter exponit, Scilicet ea ratione vado ad Patrem, quia maior est. Igitur solùm maior est pater filio, secundum humanitatem, secundum quam non semper fuit, cum Patre. Secundum diuinam autem, *Ioannis decimo cap.* dicitur, Ego & Pater vnum sumus.

*Symbolum Athanasium.*

*Ioan.10.*

*Venit Princeps mundi huius, & cæt.* Instabat iam captio Christi, ideóque ait: Iam non multa loquar vobiscum. Et quamuis post suam resurrectionem, multa eis dixerit, de regno Dei: vt *in Actibus, cap. 1.* scribitur, nihil tamen obest huic dicto, *Non multa loquar vobiscum*, nempe vt modò loquor in carne mortali. Alia enim deinceps locutus est, in carne gloriosa, vel, *Non multa*, id est, non multo tempore, Alioqui enim post hæc verba, multa alia protulit, omnia scilicet, quæ à Ioanne, ab hoc capite decimoquarto, ad decimum octauum vsque describuntur.

*Act.1.*

Principem mundi huius vocat diabolum. Sic Apostolus, *Ephes.6.* principes,& rectores mundi. tenebrarum harum, Est quidem princeps mundi, non legitimus, quia diabolus non est creator mundi, sed quia homo peccando, se illi subiecit, eiúsque mancipium effectus est. *Ioan.8. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* At verò nihil habuit in Christo, quippe qui peccatum non fecit, *nec inuentus est dolus in ore eius. 1.Petr.2.* Quod enim mortuus est Christus, hoc ideo, fuit, quia voluit se offerre in sacrificium,pro salute nostra, vt de peccato damnaret peccatũ. i. vt mors, quæ alioqui secũdum se, erat pœna peccati, in Christo esset antidotus peccatorum. Vnde assumpsit naturam mortalem, non ex debito culpæ (qua carebat) sed ex dispensatione gratiæ, quam homini exhibere intendebat. Vt scilicet moriens, mortem nostram destrueret. Vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Per Christum

*Ephes.6.*

*Ioan.8.*

*1.Petr.2.*

*D.Paulus.*

Dominum nostrum, Sic exponit Catholica Ecclesia, mater nostra præfatione de sancta Cruce.

*Præfatio de S. Cruce.*

*Venit princeps.* Q. d. in ianuis est, & pro foribus, Diabolus cum suis ministris, vt tradar ego morti. *At in me non habet quicquam.* i. Et si ego me permittam potestati ipsius, ac suorum, non est tamen in me, cur illi sim obnoxius. Nihil est in me vel culpæ, vel, quod illam resipiat. Tametsi enim mortuus fuerit, id sponte passus est, neque mors erat pœna peccati, vt nostra, quia stipendium peccati mors, ait Apostolus. Sed erat sacrificium pro peccato. Cæterùm, Christus impeccabilis erat, ἀναμάρτητος, in quem peccatum cadere nō potuit, inculpabilis, etiam quatenus homo erat: ex vnione nempe, sua, ad deitatem: & quia conceptis sine virili opere, originali labi, & maculæ, non subdebatur.

Neque mortalitas in eo erat peccati debitum, sed naturæ humanæ conditio, quæ ex se mortalis est Et quamquam condita fuerit à Deo, suo modo immortalis, ab extrinseco erat hæc immortalitas, ex primitiua nempe, iustitia & originali. Adamo concessa, non ab intrinseco, ex naturali proprietate. Omne quippe, ex quatuor qualitatibus mixtum, ac compositum, corruptioni, interituíque est obnoxium ex natura sua, ex placitis Physicorum: D. Gregorius Papa, Homil. 39. hæc verba: *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*, expendens, Cogitandum nobis, inquit, quàm rabidus, quàm terribilis, sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus princeps mundi veniat, si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæsiuit, in quo suum inuenire nihil potuit. Sic ille.

*D. Gregorius.*

*Venera. Beda.*

Venerabilis Beda in eandem conspirat sententiam, tom. 4. operum, expositione allegorica in Tobiā ad hæc verba: Cum Tobias lauaret pedes suos in fluuio, cui nomen Tigris, Ecce piscis immanis exiuit, ad deuorandum eum, &c Domino, ait, in Cruce passo, venit diabolus, qui eum crucifigi docuerat, quærens si quid fortè sceleris, in eius anima inueniret.

*Petrus Comestor.*

Idem planè Petrus Comestor, in Scholastica historia super Tobiam.

Huius item præcessit figura in Iesu sacerdote magno, apud Zachariam vatem, (ex 12. minoribus prophetis vnum) *ca. 3.* vbi dicitur: *Stabat satan, à dextris Iesu sacerdotis magni,* (subaudi, in cruce) vt aduersaretur ei. Sic ibi. Applicatio facilis est.

Item, Eusebius de demonstratione Euangelica. lib. 10. De-

monstratione 8. Cùm adhuc, inquit, Christi corpus in ligno esset suspensum, circa hunc aërem versantes incorporeæ potestates, circum ipsum, quasi crudioræ aues, & feræ aduoluebantur, & ad mortuum citò futurum corpus ipsius vndique confluebant dæmones circum terram in aëre volitantes. Et cætera, quæ fusiùs in Decadibus nostris, In expositione, & explicatione horum verborum. Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? Posteriore tomo, persecuti sumus.

*Sat. Decades auth. poste to. in explicat. Passionis.*

Dæmonem autem, adstare solitum, in morte Sanctorum virorum, ex illo loco conprobatur, & testimonio Seueri Sulpicij, lib 2 de obitu, ac transitu, B. Martini. Diabolum vidit B. Martinus, inquit ille, cùm morti esset vicinus propè assistere. Quid tu hîc, ait, astas, cruenta bestia? nihil in me funesti reperies. Abrahæ me sinus recipiet. Cum hac ergo voce spiritũ cœlo reddidit. Hæc ibi.

*Sulpitius Seuerus.*

Poterat & ille, ex Dei gratia, confidenter post Christum dicere. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.

Vt cùm factum fuerit credatis, &c. Quia scilicet, ego sum verus Dei filius, qui futura possum prædicere, quæque prædixi, opere complere. Vtrumque sanè, de Christo credere oportet.

Postquàm autem de humanitate locutus fuerat, hæc subiunxit de sua diuinitate.

Vide autem, amabò, qualem humanitatem sortitus sit, per naturam nempe (vt verba ipsius palàm ostendunt) impeccabilem. In me, inquit, non habet quicquam, quod noster Ferus, sic explicat: Tripliciter hoc exponi potest, inquit, Primò, Non habet in me quicquam suum, hoc est, vllum peccatum, quod quidem opus est diaboli. Nam mendax est ille, & pater mendacij. *Ioan.* 8. Quod autem fuerit Christus innocens, etiã aduersarij eius testantur, Iudas, cùm dicit: *Peccaui, tradens sanguinem iustum. Matth.* 27. Pilatus etiam sæpè est professus se nullam in eo causam mortis inuenire, Lauansque manus suas coram omnibus, exclamauit dicens, Innocens ego sum, à sanguine iusti huius vos videritis. Rursus, ipsius vxor, ad eũ miserat dicens, nihil tibi, & iusto illi. Herodes consimiliter innocentiam Christi denuncians, ac protestatus, ipsum remisit, indutum veste alba. Postremò. Cẽturio exclamauit statim post ipsius obitum. Verè hic homo iustus erat, Verè, In me nõ habet quicquam. Non enim potuit Christo inesse peccatum originale, qui de Spiritussancto conceptus erat. *Luc.* 1. *cap.* Nec

*Ferus in Ioan. ad hac verba: In me non habet quicquã.*

etiam actuale. Qui enim fieri potuit, vt superbia ei appropinquaret? *Qui semetipsum exinaniuit, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis?* Philipp. 2. Quomodo auaritia? Qui cùm diues esset, egenus propter nos factus est, vt illius inopia diuites essemus. 2. *Cor.* 8. Quomodo inuidia? qui etiam inimicos dilexit: Quomodo ira? qui cùm malediceretur, non maledi-
*Psalm.* 87. cebat. 1. *Pet.* 2. Quomodo luxuria: qui de perpetua Virgine natus erat. Quomodo gula? qui diebus quadraginta ieiunauit. *Matth.* 4. Quomodo acedia? qui in laboribus fuit à iuuentute sua. *Psalm.* 87.

Secundò, intelligitur, verbum hoc. *In me non habet quicquã.* hoc est, nullam potestatem in me vẽdicare sibi potest. Quod ex priori consequitur. Vbi enim non est peccatum, ibi nullam diabolus habet potestatem, aut ius. Solum namque peccatum, sicut morti stimulum præstat, sic diabolo dextram armat, & vires, ac ius dat contra hominem. Christus autem abs-
1. *Reg.* 17. que peccato fuit. Emphasim autem habet, quod dicit, In me, &c. Nam in omnes alios ius habuit aliquale. *Omnes enim peccauerunt.* Rom. 3. Securè itaque dæmon etiam contra sanctissimos gloriabatur cum Philisthæi. 1. *Reg.* 17. *Quid existis, ait, ad prælium? Nõne ego Philisthæus sum, princeps mundi, & vos serui Saul, filij scilicet Adam? Nescitis potentiam meam? Agedum, si quis inter vos fortem se putat, procedat in prælium contra me.* Hoc omnibus hominibus exprobrabat. Vnus Christus & solus per naturã impeccabilis, gloriari meritò potuit, & insultare aduersario, dicens, In me nõ habet quicquã (sub) potestatis. Et quia nullũ in Christo ius habuit diabolus, & tamen in eum irruit, atque occidit iure amisit omne prætẽsum ius, in omne hominum genus. Hoc igitur summè nos consolari debet, quoniam sumus nos membra Christi, & sub vmbra alarum ipsius speramus. Ergo nec in nos quicquam poterit, vnde Christus, *Matth.* 10. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt & apud Ioan. c.* 10. *Nemo poterit rapere oues meas, &c. item c.* 12. *Nunc princeps mundi huius eiicietur foras, &, omnia traham ad meipsum.*

Tertiò denique, sic intelligere possumus verbum hoc. *In me non habet quicquam.* Hoc est, non præualebit mihi, quantumcumque sæuiat. Conatur me occidere, sed resurgam. Cõsimiliter non potest diabolus, aduersus Christi mẽbra, quantumcumque excandescat, superior esse, ac rerum potiri. Contritum est ei caput, & si cauda adhuc sæuiat. Tentet quantumcumque vult, si in Christo manserimus, prævalebit numquam *Matt.* 16. *Portæ inferorum non præualebunt aduersus Ecclesiam: Cui re-*

*sistite fortes in fide*, ait Apostolorum columen. D. Petrus *prioris suæ Epist. c. postremo.*

*Sicut mundatum dedit mihi pater, sic facio.* Præoccupatione vtitur. Diceret namque quispiam. Cur ergo morieris, si non habes peccatum? Responsio, quia Pater mandauit mihi. *Et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.* Ideóque ad Passionem proficiscor, & mortem lubens subeo, vt cognoscant electi, quia reipsa diligo patrem, atque etiam meo exemplo discant, effectu & opere ipso, non nudis verbis, Deum diligere, eíque in omnibus parêre, & obedientiam præstare: Vt sic respondeant vltima primis. *Si quis diligit me*, dixerat ille prius, *sermonem meum seruabit: Nunc verò, Diligo Patrem, & sicut mandauit, sic facio, inquit*, Mandauit Pater, vt Christus humana natura moreretur, quod voluntariè, & ex maxima charitate, atque obedientia ipse præstitit. Vt sequenti Homilia satis liquidò constabit: ad quam nos accingentes, Huic finem optatum imponimus, cum matre Ecclesia suppliciter inuocantes, *Veni sancte spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.* *Ecclesia.*

*AMEN.*

# FERIA II. POST PENTECOSTEN.

## De Dei erga mundum immensa charitate: ac in eius vnigenitum syncera fide, bonísque operibus fidelium, contrà verò impiorum, tenebrosis.

### IOAN. III. CAP.

*Sic Deus dilexit mundum, vt suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, &c. vbi suprà.*



*Genes. 22. cap.* ATER fidei nostræ Abraham, (vt sacra Geneseos prodit Historia, ca. 22.) Filium suum vnicè dilectum Isaac, Deo obtulit, nec vnigenito suo pepercit, propter Deum. In typum autem Christi, hoc præcessit. Vnde arcanum mysteriúmque, idem Dominus hîc explicare dignatur: dicẽs, *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Mundum, humanum genus accipimus, *μετωνυμικῶς* continens pro contento, *μετωνυμικῶς*. *Non quasi dilexerimus Deum, sed, quoniam ipse prior dilexit nos. 1. Ioan. 4.* Commendat autem, ait Apostolus, *Rom. 5. Charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Vnde Euangelicus vates, *Isa. c. 49. Nũquid, ait, obliuisci potest mulier infantẽ suum, vt nõ misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamẽ nõ obliuiscar tui. Ecce in manib⁹. meis descripsi te.* Cõiunge, quæso, ac inter se compara, & confer ista, Deus, & mundus. *Sic, cum dilexit,* & ingens Dei *φιλανθρωπία*, facilè elucescet.

elucescit. Quid altius Deo? quid verò hominis demissius, abiectiusve, Deus est, quo maius excogitari non potest, homine autem nihil vilius, si corpus attendas, Puluis est, & in puluerem reuertetur.

Homo bulla, ait vulgatum prouerbium. Si animum consideres. *Ecce in iniquitatibus conceptus homo*, & vbi adoleuerit, in multis offendit: Et tamen Deus dilexit mundum.

*Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Psalm.* 8. Sic, mensuram non habet, Pari forma, *Amor nescit habere modum, ait Poëta.* Poëta.

*Dilexit*, est perfecti temporis. Quia perfecta est; omnibúsque suis numeris absoluta Dei erga homines dilectio, & charitas. *Sic igitur Deus dilexit mundum.* Quæ verba multam indicant amoris intensionem. Est enim multa, infinitáque distantia. Deus quippe immortalis, ac infinitus, eos, qui sunt ex terra, & cinere, innumeris peccatis refertos, eousque dilexit vt daret, non autem quasi debitum redderet, non, quasi aliquid vicissim pro filio recepturus, venderet, non accommodaret, quasi postmodum hunc ab illis ablaturus, repetiturúsque, sed merè gratis daret: (*sicut Isaias c. 9. loquitur*) *Filius quies, datus est nobis.* Daret, inquam, non angelum quemlibet, iuxta eumdem, capit. 63. ex tralatione, & versione 70. interpretum. Isa. 9. 6.

Non legatus, neque Angelus, sed ipse Dominus saluauit eos: sed filium suum vnigenitum daret, filium, non seruum, suum, non alienum, sed proprium, dicente Apostolo, *Rom.* 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum Quomodo non cum illo, etiam omnia nobis donauit*: Suum dico, non adoptiuum, sed naturalem, sibíque consubstantialem, non vnum ex pluribus, at vnigenitum. Hunc talem dedit in mortem vniuersis, vt illi viuant, imò vt mortui reuiuiscant. O incomparabilem Dei erga homines charitatem. Finiti nāque ad infinitum, nulla est proportio. Ergo, ἐμφατικωτέρως, dictum est, Sic. Sic, inquam, dulciter, vt amaritudinem iræ suæ, in dulcedinem conuerterit admirandæ misericordiæ suæ.

Sic rursus, tantáque cum dexteritate vt vi, & efficacia amoris sui, debellauerit infernum, & diabolum vicerit, superarítque. Sic sapienter, vt occulto, & arcano consilio miseriam in felicitatem commutauerit, ærumnas quoque in delicias, mortem denique in vitam.

Sic item misericorditer, vt potius innocentem filium voluerit mori, quàm mundum in suis culpis perire. Sic ardenter quod mundum suo sancto ardore impleuerit, vnde & dicit, *Ignem veni mittere, Et quid volo nisi vt accendatur? Luc. 12. cap.* Sic vtiliter, vt nihil, quod mundo commodare, prodesséque valeat, obmiserit vnquam. *Quid enim debui facere vineæ meæ, & non feci? Isa. 5. cap.* Sic diuinitùs, vt nos effecerit deos. *1. Ioann. 3. cap. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Ioan. 1. cap. Dabit eis potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius. Vt diuinæ efficiamur consortes naturæ 2. Pet. 1. cap.* Sic denique affectuosè, & ex intimis præcordiis, vt Pellicani instar, suo nos sanguine viuificauerit. *Ioann. 11. Ecce quomodo amabat eum.* Hinc D.

*D. Ignatius.* Ignatius, Amor meus, inquiebat, crucifixus est. ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. Quid plura? Perpulchrè profectò, dictum est, *Cant. 8. c. Fortis est vt mors dilectio, &, Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.*

*Dilexit Deus mundum, &c. Hierem. 31. In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans. Apocalypseos primo. Dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. O qualem charitatem! nimiam illam vocauit Apostolus. Ephes. 2. & supereminentem scientiæ, charitatem Christi, cap. 3. ibidem, hoc est, superantem humanum captum, & vincentem humanam intelligentiam, & scientiam, seu, cognitionem naturalem.* Legimus aliquot amicorum paria, in sacris, & prophanis etiam historiis, ac narrationibus Poëticis, Cuiusmodi sunt Damon, & Pythias, Pytagoræi apud Ciceronem, lib. 3. officiorum, Orestes, item & Pylades, apud eundem lib. de amicitia, atque Ouidium, lib. 3. de Ponto, Elegia. 2. Dauid, & Ionathas 1. Reg. 18. Verùm enimuerò, horum comparatione, Deus homines diligendo, infinitis, quod dicitur, parasangis, in amore excellit, & istorum amorē longissimo post se reliquit interuallo. Damonem & Pythiā Pythagoræos, ferunt, inquit Cicero in Officiis, vt suprà citatum est, hoc animo inter se fuisse, vt cùm eorum alteri Dionisius tyrannus diem necis destinauisset, & is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causâ, postulauisset, vas factus est alter eius sistendi, vt si ille non reuertisset ad diem, moriendum esset ipsi. Qui cùm ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus, petiuit, vt se in amicitiam tertium adscriberent. Idem rursus libro de amicitia, Cùm, inquit, ignorante Rege vter

*Cicero.*

*Ouidius.*

eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse dicebat, vt pro illo necaretur. Orestes autem, itavt erat, Orestem se esse perseuerauit, affirmare. Vnde Ouidius, vbi sup.

*Ire iubet Pylades charum periturus Orestem,*
*Hic negat, inq; vicem pugnat vterq; mori.*
*Extitit hoc vnum, quòd non conuenerat illis,*
*Cætera pars concors, & sine bile fuit.*

Dauidis autem & Ionathæ amorem indiuiduum, ex Sacris repetere licebit. Inierunt enim fœdus ambo, Dauid & Ionathas, Expoliauítque se Ionathas tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad baltheum. Diligebat nāque eum quasi animā suam. At amores omnes vincit, ἡ φιλανθρωπία τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ. Tit. 3. c. Erga homines beneuolentia, seu, amicitia Saluatoris nostri Dei. Magna certè est vtriusque parentis, erga liberos, & natos suos dilectio; adeò vt Dauid, pro filio suo Absalom, ingratissimo, mori voluerit *Tit. 3. cap.*
2. Reg. 18. *Sic enim flens loquebatur. Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat vt ego moriar pro te: Absalom fili mi fili mi Absalom?*

At longè excellentiùs Deus dilexit mundum, quippe qui filium suum vnigenitum in mortem dedit pro mundo. Mundi nomine, homines in vniuersum intellige, non enim ait. *Dilexit Deus Israelem*, vel, alium populum, sed mundum. Mundum dixit, à quo grauissimè offensus fuerat, quíve *totus in maligno positus est.* 1. Ioan. 5. c. Quoniā tamē factura Dei est: *Sap. 11. cap.* *Et, Sap. 11. Nihil Domine, odisti eorum, quæ fecisti, qui amas animas.* Deus dilexit mundum, hoc est, homines, non quia peccatores, sed quia homines sunt. *Vt filium suum daret vnigenitum*, quod ad auxesim, siue, amplificationem, & exaggerationem positum est. Miserat quippe olim Deus Noe, ante diluuium, Loth, ante conflagrationem Sodomorum, Mosem, ante submersionem Pharaonis, ac Ægyptiorum, Prophetas complures, ante captiuitatem Babylonicam, vt ad pœnitentiam peccatores mouerentur: Nouissimè autem filium suum misit in terras, vnigenitum illum, *in quo sibi benè complacuit.* Matth. 17. *Quémque constituit hæredem vniuersorum per quem fecit & secula.* Heb. 1. cap.

I ij

Flores dum magis teruntur manibus, suauiorem reddere solent odorem: Verba ista, haud dissimiliter, de Dei dilectione, diligentiùs excussa, & pensiculatiùs examinata, magis afficiunt. Concedatur itaque mihi, circa hoc argumentum longius immorari. Amor, quo ardebat Dalilam amicam suam Samson, ligauit ei manus ac pedes, priuauítque eum sua fortitudine, tum demum ludibrio exposuit illum hostibus suis Philisthæis. Iudic. 16. Amor vicissim, quo flagrabat Christus erga sponsam suam Ecclesiam, & singulas animas, eum adegit ad voluntariam, spontaneámque pro vniuerso hominum genere, necem, mortémque subeundam.

*Vt filium suum daret.* Iudæis quidem, vt esset finis legis, Gentibus autem, vt illuminaret eas. O qualem datorem! O quale donum! *Dilexit mundum* quamuis ingratum. *Ioan. 1. Et mundus eum non cognouit. Vt omnis, qui credit non pereat. 1. Timoth. c. 4.* Speramus in Deum viuum, qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium. Actu quidem saluator est fidelium: at potestate solùm, infidelium saluator est, quandoquidem ad fidem suam trahere illos potest, Illísque de remediis ad salutem consequendam sufficienter prouidit. Per eos tantùm stabit, si non saluentur: nempe, quia in sua persistunt perfidia. *Filium suum daret, &c.* Hoc loco reuocandum est, quod, *Act. 20. D. Paulus dixisse perhibetur. Meminisse oportet, inquiens, verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare, quàm accipere.* Ideo Dei magnifica liberalitas, in dando vnigenito filio suo, maximè commendatur, dũ dicitur, *vt filium vnigenitum daret.*

*1. Tim. 4. c.*

Inuentus est, in externa historia, quidam pater, qui pluris incolumitatem filij, quàm vitam suam propriam æstimauit & duxit. Cuius meminit Valerius Maximus, lib 5. cap. 7. de Patrum amore in liberos, ad hunc modum. Nescio an Octauius Baldus concitatioris & ardentioris erga filium beneuolentiæ fuerit. Proscriptus à triumuiris, cum domo postica clã esset egressus, Iámque fugæ expeditum initium haberet. (Gall. *Il eust commencé à fuyr estant sorty en cachette de sa maison, par l'huys de derriere, & à la desrobee*) postquàm intus filium trucidari, falsus clamore è vicinia, accepit, ei se neci, quam euaserat obtulit, occidendúmque militibus tradidit. Pluris nimirum, illud momentum, quo illi præter spem videre filium incolumem contigerat, quàm salutem suam æstimans. Sic ille.

*Valerius.*

Quanto quæso, amore nos prosequitur, quamuis indignos

ingratósque filios, cœlestis Parens noster, nostrique amantissimus, Vnigenitus Dei filius, qui pro ingratis filiis, mortem perpeti non detrectauit. Supra vires nostras est, pro rei magnitudine & dignitate, explicare illam immensam Dei Patris erga liberos, imò mancipia, & seruos inutiles, charitatem atque dilectionem. Vnde iure omnium optimo, hac in re, Salustianum illud mihi vsurpandum censeo, de Carthagine scriptum. de bello Iugurthino, hoc modo: De Carthagine silere meliùs putò, quàm parùm dicere. Ita & de hac Dei erga nos homines beneuolentia, tacere potius duxerim, quàm parùm scribere. Veniam ergo det mihi Lector beneuolus, si paulò fusiùs ex Michaële de Palacio, in hoc Euangelium, Christi tam suauia verba pertractauero. *Saluſt. de bello Iugurthino.* *Mich. de Pala. in Ioan. c. 3.*

Multa, & illa eximia quidem demonstrauit Deus homini, suæ dilectionis signa.

Creauit namque hominem ad imaginem, & similitudinem suam, & eundem in Paradiso voluptatis collocauit. Ad hæc, excellenti dominationis vniuersalis titulo, eundem nobilitauit.

Præfecit namque eum vniuersis animantibus. At verò, summæ fuit dilectionis irrefragabile argumẽtum, videlicet, quod redimendo homini filium suum vnigenitum misit. Et quidem parare tibi amicum ex beneficiis in eum collatis multis, dilectionis est argumentum, at verò inimicum, nouis afficere donis, muneribúsque, vt illius amicitiam tibi concilies, maiorẽ id testatur dilectionem. Verùm, quando alia beneficia non proficiunt, si sanguine vnici filii tui inimicitiam profligasses, & amicitiam veterem restaurasses, atque resarcisses, an non supremæ dilectionis solidum, ac inconcussum esset testimonium?

Sic Deus, vt testatissimam redderet hominibus, suam erga genus humanum dilectionem, misit filium, vt pro impiis etiã moreretur. *Rom. 5. Nam Christus pro impiis etiam mortuus est, ait Apostolus.* Hæc ille.

Nostrum etiam Philippum Diez, Hoc est, nostri ordinis concionatorem, natione Lusitanum tom. 5. suorum operum ad præsens Euangelium, sic egregiè obseruantem, audiamus. Ita enim concione 1. verba ista, Sic Deus dilexit mundum versat, & expendit. *Philippus Diez.*

Dic nobis Euangelista sancte, quid sibi vult τὸ, Sic? Respõderit ipse, & meritò dixerit.

Ampliùs dici non potest, quàm, *sic dilexit*. Ita dicen-

do, *sic*, infinitum Dei amorem explicat, Est enim Scripturæ sacræ Phrasis, mysterij fœcunditatem, hac particula *sic*, complecti. Ita nempe magnam nostri redemptoris fatigationem, & lassitudinem, supra puteum Iacob sedentis insinuans idem sacer Euangelista, ὁ ὁδόλεγος, c. 4. *dixit*, *Sedebat sic*. Deiparæ dolorem non vulgarem, cùm amisisset filium, significãs, D. *Lucas*, *c.* 2. ita loquutam fuisse illam commemorat, *Fili, quid fecisti nobis sic?* D. autem Marcus, modum, quo mundi redemptor expirauit, exagerans, scripsit in hunc modum. *c.* 15. *Videns Centurio, quia sic clamans, expirasset, ait, Verè hic homo, filius Dei erat.* Similiter hic magnam emphasim, & pondus habet illud, *sic*, Q. d. Sic tam verè, tam fideliter, tam sine termino, & modo. *Sic, inquam*, i. *tantopere dilexit Deus mundum.* Omni ex parte amor. Hic infinitus est, donum similiter infinitum, finis etiam, gratiâ cuius, datus est nobis filius, infinitus est, nempe, vt nobis vitam æternam, infinitæ durationis conferret. Idem conc. 2. Non verba hominum, non Angelorum linguæ sufficiunt, horum verborum singularitatem exprimere. Sunt quippe efficacissima, atque sufficientissima ad quodcumque cor emolliendum, & amoris igne accendendum. (Addam & istud, quòd Græcis ἔρως πανδαμάτωρ, dicitur, hoc est, omnia domans amor, atque vt Latinus Poëta expressit:

*Ouidius.* *Omnia vincit amor.*)

*Plato, in Symposio.* Primùm aduertendum est ex Diuo Platone, in Symposio, duas esse veneres, & totidem Cupidines; hæc antiquior & sine matre, cœlo nata, quam cœlestem venerem vocamus: Altera iunior, è Ioue & Dione progenita, vulgaris, & communis appellata. Eadem est ratio Cupidinis vtriusque. Horum enim alter honestas cupiditates animis ingerit: alter verò affectus voluptuosos, & terrestres inculcat. Prior ille, ἀντέρως est, quasi dicas, priori contrarius qui hominem attollit ad superiora, & cœlestia contemplanda, omnémque virtutem, & honestatem præstat. De vtroque isto amore, apud Platonem vbi supra Pausanias. Genuinum amorem, genuinámque venerem describens ita loquitur: Pandemum. i. vulgarem, communémque venerem, necnõ iuniorem, à cœlesti illa, & antiquiore apertissimè secerniens.

Theologi veteres amoris nomen Deo tribuerunt: Quod etiam posteriores Theologi summopere confirmarũt. Aristophanis laudatio apud præfatum Platonem, de amore hęc cõtinet: Est præ cæteris diis summóperè generi humano beneficus, curator, & tutor hominũ, atque medicus, quibus sanatis

summam genusnostrum felicitatem nancisceretur. Sic ille. O incomparabilem amoris benignitatem. Sunt qui diuinam potentiam sæpè audeant execrari, scelerum nostrorum fulminatricem. Nonnulli etiam sapientiam oderunt, nostrorum omnium exploratricem flagitioꝝ. Amorem verò diuinorum bonorum omnium largitorem, non amare nō possumus. Nos autem amorem hunc adeò nobis propitium ea mente colemus, vt veneremur: Sapientiam & potentiam admiremur, vt amore duce (Spiritumsanctum intelligo) totū, vt ita loquar, Deum habeamus propitium, ac totum amoris flagrantia diligentes, toto etiam Deo amore perpetuo perfruamur. Ad hunc modum, Marsilius Ficinus, Commētarium suum in Platonis conuiuium concludit, sicque perorauit. *Marsilius Ficinus commẽ. suo in conuiuium Platonis in fine.*

Cæterùm, ἀνέρωτα Proclus interpretatur amorē diuinum, animas à corporibus abstrahentem. Hæc, quoniam à proposito abludere minimè, sed valdè cōsentanea esse, existimaui: intermiscenda quoq; curaui. Ad Phil. Diez tractationē regredior. *Proclus.*

*Vt filium suum vnigenitum daret &c.* Cùm patriarcha Iacob plures liberos haberet, ægrè tamen ferebat, quòd filiū suum Beniamin tollerent, & pro redemptione fratris Symeon, qui captiuus remanserat in Ægypto, secum ducerent: At tu pater infinitæ misericordiæ, vnicum filium, quem habes morti exponis, vt nos ab hostibus eripias. *Sic Deus dilexit* mundum, adeò immundum, ac fœtidum, vt sanguine suo pretiosissimo, illum ablueret. *Genes. 43. e.*

Non posset equidem in festo amoris, magis amatorium Euangelium recitari in Ecclesia, quàm istud, *Sic Deus &c.* Hactenus prænominatus scriptor. *Dilexit*, inquam, perfectè, ac, vt ita dixerim, pro semper, cùm sit fidus amicus. *Omni autem tempore diligit, qui amicus est, ait Sapiens, Prouer. 17.* Cui consonat Aristoteles, lib. 2. Rhetoricorum, c. 20. citans hunc versum, *Pro 17. e. Arist. l. 2. Rheto. ca. 20.*

*Nemo est amans, qui sempiternè non amat.*

Id Euripides tragicus in Troadibus sic Græcè extulit: *Euripides in Troadibus.*

οὐκ ἔστ' ἐραστὴς, ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ. id est,

*Non est amicus, quisquis amare desit.* Accedit etiam, quòd.

Amicitias immortales debere esse, aiebat Q. Cæcilius Metellus, Censorinus; apud Liuium, hist. Rom lib. 40. Et apud dilectum Apostolum cap. 13. *De Christo scriptum est. Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, vsque in finem dilexit eos.* O fidelem amicum! Benè ab *Ecclesiastico, cap. 6.* scriptum est: *Amicus fi-* *Liuius hist. Rom. l. 40. Ioan. 13. c. Eccl. 6. e.*

*delis protectio fortis. Qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.* Alexander magnus, interrogatus, vbi thesauros haberet? amicos, ostendit, hoc est, veros thesauros in his, inquit, ille. Sic enim de illo, Maximus Monachus sermone .6. de amicis, scriptum reliquit. Vniuersi thesauri nostri, in vno Christo sanè, repositi sunt, qui sic nos diligit, *sic*, inquam, in quo verbo omnia continentur. Memini me apud Plutarchum, in Apophtegm. Imperatorum, de Poro rege sic legisse: Post prælium Porus ab Alexandro interrogatus, quomodo se vellet tractari? Respondit, Regiè, Rursumque interrogatus, Ecquid vellet præterea? Omnia in Regiè contineri, addidit. Ad hunc modum, In *sic*, particula, omnia contineri, non immeritò dixerim. *Sic quippe dilexit, vt filium suum vnigenitum daret*: nimirum, in redemptorem, in ἰατρόν, summum, ac supremum medicum in summa, vt esset nobis vnus instar omnium, per quē omne bonum nobis conferretur.

*Maximus Monachus ser. 6. de amicis. Plut. to. 1 opu. in Apopht. Impp. de Alexandro magno, & Poro.*

*Non enim misit Deus filium suum, vt iudicet mundum &c.* Iudicare in scripturis, ait Michaël De Palacio, hoc loco, varias sortitur acceptiones. Aliquando pro iudicio discretionis, quo boni à malis secernuntur, vt filij Israël, discreti erant ab Ægyptijs, *Vnde est illud Psalmographi, Iudica me Deus, & discerne causam meam* Secundò sumitur pro iudicio probationis, vt ibi. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia ingressus sum, deinde, Proba me &c.

*Michael de Palacio, in Ioan. hoc loco.*

*Psal.*

Tertiò, pro iudicio liberationis, quo boni à malis liberantur. *Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eÿcietur foras. Eccles. 35. Dominus iudicabit iustos, & faciet iudicium, hoc est, liberabit iustos à tyrannide impiorum.* Quartò pro iudicio discussionis *vt Daniel. 7. c. Iudicium sedit, & libri aperti sunt* id est, Iudex sedit in sede iudiciali, ad discutienda, examinandáque singulorum opera. Quintò, pro iudicio comparationis, *vt Matth. 12. Regina austri, & Niniuitæ, surgent in iudicio, & condemnabunt generationem istam.* quia nimirum, collatione facta inter Israëlitas impios, & Reginam Austri, atque Niniuitas istt, quia minus impij, condemnabunt impietatem Hebræorum. Sextò, pro iudicio approbationis. *Sap. 3. Iudicabunt (Sancti) nationes, & dominabuntur populis.* Iudicabunt, inquam, approbando summi iudicis sententiam, ac iudicium. Septimò, pro iudicio damnationis, *Psalm. 34. Iudica Domine, ne-*

*Ioan. 12. & Eccl. 35. c.*

*Daniel. 7. c.*

*Matt. 12. c.*

*Sap. 3. c.*

*Psal. 34.*

*centes me, expugna impugnantes me &c.*

Hac ratione intelliges locum præsentem. Non enim in primo aduentu venit Christus ad condẽnandos homines, sed ad saluandos eos à damnatione. Verba igitur hæc ad primum aduentum referas. *Sic Ioan. 12. Non veni*, ait, *idem Dominus noster, & iudicem mundum, sed vt saluificem mundum.* *Ioan. 12. & c. 9. itẽ. 16. ca.*

At verò obiicies, ex c. 9. *Ioann. dixisse Dominum, in iudicium ego in hunc mundum veni &c. Adhæc. cap. 16. Iam princeps huius mundi iudicatus est.* Consequens igitur est Christum priore suo aduentu, ad iudicandum venisse. Respondeo. Iudicium duplex esse, alterum visibile, aliud autem inuisibile, Visibile quidem exercebit veniens in consummatione seculi iudicaturus viuos & mortuos. Inuisibile verò quotidiè exercet, impias animas æternis adiudicans supplicijs ac pœnis, pias verò sanctásque animas æterius remunerans præmijs. Non venit ergo vt iudicet mundum, quantum ad visibile iudicium, quia hoc hactenus non exercuit Christus in homines. Quod autem ex cap. 12. Ioan. obiectum est, de iudicio occulto, ac inuisibili certè verum est. Hoc iudicium quippe exercuit Dominus contra peruicaces Iudæos, illos relinquens in cæcitate cordis, quam amauerunt, & iustè dimissi sunt in tenebris infidelitatis suæ, quia neque sermonibus Christi, neque miraculis acquieuerunt. Hæc autem Iudæorum pœna, spectat ad iudicium inuisibile. Rursus quod ex cap. 16. propositum est, sic accipi debet, eatenus scilicet, dixisse Christum Satanam esse iudicatum, quia prope erat tunc iudicium seu damnatio Satanæ. Quandoquidem ex Domini morte, vires eius erant confringendæ, principatúsque eius in homines euertendus. Secundum se sanè ab exordio sæculorum diabolus damnatus est, deturbatúsque à cęlo empyreo, ad tartareas sedes ipse & Angeli eius cum eo.

Cæterùm à Christo fuit iudicatus diabolus respectu imperij iniusti, quod gerebat in homines. Nam abstulit Christus per crucem suam diaboli imperium, seu potius tyrannidem. vt, Lucæ vndecimo insinuatur his verbis, *Cum fortis armatus custodit atrium suum, Si fortior eo superuenerit, vniuersa arma eius auferet &c.* Hoc autẽ iudicium exercuit Christus inuisibiliter, quia sensibus non patet, sed fide tantummodò tenetur. Hucúsque de Palacio. *Luc. 11. c.*

Ante eum Innocentius tertius, summus Pontifex, in sextum Pœnitentialem Psal. versic. Et non intres in iudicium *Innocentius 3. Papa in Psalm. 6. pænitentialem.*

&c. sic animaduerterat, ac distinxerat vocis huius ὁμωνυμίαν, seu, multiplicitatem. Est, inquit, iudicium autoritatis, quo iudicat tota Trinitas, iuxta quod legitur, Iudica Domine, nocentes me. Et iudicium manifestationis, vnde, Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. quia solus filius in iudicio apparebit. Iudicium discretionis, vnde, Ego in iudicium veni in hunc mundum. Et, Iudica me Deus, & discerne causam meam. Discussionis, vnde, si æquitas iudicij quæritur, nemo pro me audet dicere testimonium, *Iob.9 c.*

*Iob.9.c.* Ideóque Psaltes clamabat, *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

*1.Cor.11.c.* Correctionis, vnde. 1. *Cor.11. Dum iudicamur autem à Domino*

*1.Pet.4.c.* *corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur, & 1, Pet.4. Tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei &c.*

Excæcationis, vnde. *Qui non credit, iam iudicatus est*, ait præsenti Euangelio Christus.

Saluationis, vnde, non damnabit eum, ait Psalmista, cùm iudicabitur illi.

*Heb.13.c.* Damnationis, vnde, *Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus.*

*Luc.11.c.* *Hebr.* 13. Comparationis, vnde, *Regina Austri surget in iudicio,*

*Rom.14.c.* *&c. Luc* 11. Præsumptionis. vnde: *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Rom.* 14. Suspicionis. Vnde, Apostolus, *Mihi*

*Luc.6.* *autem pro minimo est, vt a vobis iudicer &c.* Item Christus, *Lucæ sexto. Nolite iudicare* (sub. temerario iudicio, & ex suspicione) *& non iudicabimini.* Hactenus Innocentius.

*Luc.12.c.* Vel etiam sic exponetur, non misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, vt accipiamus iudicare, pro, regnare, vt, *Luc.* 12. dicenti cuidam de turba Christo, Magister, *dic fratri meo,*

*Ioan 6. & 18.c.* *vt diuidat mecum hæreditatem.* Respondit, *Homo, quis me constituit, iudicem, aut diuisorem super vos? Ioan. 6. Cum cognouisset Iesus quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Rursus cap. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*, dixit ipse Pilato. 7. Non venit igitur in primo aduentu, vt regnet temporaliter: quod ipse hîc dicit, vt mundum iudicet. Non misit Deus filium suum, vt alterum Mosem, cum lege, quæ nihil ad perfectum adducebat,

*Ioan.1.c.* sed vt IESVM cum gratia, vt saluet, quia, *Lex per Mosem*

*Rom.1.c.* *data est, gratia & veritas per Christum facta est Ioa.1. Lex soli Iudæo, gratia omni credenti, Rom. 1. Euangelium, virtus Dei est, in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco.* Quotquot equidem saluantur per Christum saluantur, nullusque potest saluari, nisi per eum. Abel, Enoch, Noë, Abraham cæterique pa-

triatchæ, omnes denique iusti saluati sunt per Christum, nec est in aliquo alio salus. *Act 4. & capite decimo*. Hinc omnes Prophetæ testimonium perhibent testimonium peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. *Act. 4.e. 10. & e.*

*Qui credit in eum non iudicatur. Qui autem non credit iam iudicatus est &c. suprà. Omnis, qui credit in eum non pereat &c.* Obserua ex Diuo Patre Augustino, tomo. nono. De cognitione veræ vitæ lib. vno, cap. 37. Differt aliquid, ait, Credere Deum, & credere in Deum, imo multùm. Dæmones Deum & Pagani credunt, sed non credunt in Deum. Credunt quòd Deus est, qui omnia creauit, & super omnia potens sit. In Deum tantùm credunt, qui eum diligendo in eum tendunt. Sic ille. Fides sine operibus mortua esse affirmatur. *Iac. 2.* *D. Aug. to. 9 l. vno de cognitione vera vita c. 37.* *Iac. 2. e.*

Non sufficit credere, nisi benè credideris. Benè verò creditur, quando rectè credendo, iuxta rectam fidem operamur. Fides namque eò adest, vt per dilectionem Dei operetur. *Galat. 5.* Fides, quæ per charitatem operatur. Alioqui otiosa est fides, & illi dicet Dominus. *Quid hic stas tota die otiosa? Matth. 20.* Cùm ergo ait hôc loci Christus. Qui credit in eum, non iudicatur, sermo est de credente vt oportet credere scilicet, vt credendo diligamus Deum & proximum, & mandata Dei ac Ecclesię seruemus. *Gal. 5. e.* *Matt. 20. e.*

Nō igitur de inani otiosâq; fide glorientur Lutherani, Credunt vtique, sed non vt oportet credere: Non enim credunt, quæ Ecclesia proponit credenda, sed, quæ ipsi ex suo vacuo cerebro fingunt esse credenda. Quinimò doleant se esse iam iudicatos, ex Domini verbo: Qui nō credit, iā iudicatus est. Credere nempe, non vt oportet, non credere est. Ipsi ergo non credunt. Ideò à Christo iam iudicati sunt, extra Ecclesiam, scilicet, positi, iudicio inuisibili, & damnandi visibiliter in die iudicij. At verò Catholicus, qui contra Dei mandata agit, non credit vt oportet omninò, quia confitetur Deum confessione fidei, quem tamen factis negat. *Tit. 1.* Verùm huiusmodi non pronunciatur à Domino, quòd iam iudicatus est, siquidem de illo non desperandum est, quippe ex fide recta, quam habet, aliquando, diuina ope, ad pœnitentiam reuertetur. At infidelitas morbus est conclamatus, nihil habet spei, sed in quocumque est, damnatione premit habentem. Ideò Dominus, iam iudicatus est, ait, i. nullam infidelis habet spem salutis, quia extra Christum, & extra Ecclesiam, nemini salus obtingere potest, & certissimæ *Tit. 1. e.*

damnationi est obnoxius, nisi infidelitatem deposuerit, & eiurauerit, fidémque Catholicam professus fuerit. Qui verò credit vt oportet, quo ad fidei veritatem spectat, pertinétve, etiamsi non vt oportet quoad operũ integritatẽ, huiusmodi, quia ex fide docente sibi poterit per pœnitentiam subuenire (si à gremio Ecclesiæ non est alienus) idcirco non traditur iam iudicatus. Similitudinem valdè accommodam proponit author operis imperfecti, in Matth 7. Homil. 20. ad verba ista, facta est, eritque ruina eius magna. Quomodo magna? Sicut enim domus, quæ habet validum fundamentum, si pars aliqua parietis, vel tecti ceciderit, ruina eius magna non erit, quia potest fieri, vt iterum reparetur. Si autem fundamentum eius casum fuerit passum, tunc est ruina eius magna, quia tota venit deorsum: Sic & Christianus, si aut fornicatus fuerit, aut adulteratus aut homicidium fecerit, cecidit quidem, tamen ruina eius magna non est, quia iterum pœnitentiâ surgere potest, Sicut Dauid. Si autem de fundamento fidei aliquid fuerit passus: id est, si præuaricatus fuerit, & ad Gentiles aut hæreticos transierit, tunc est ruina eius magna, quia totus funditus ruit. Hæc ille.

*Author operis imperfecti, in Matth. 7. Homil. 20.*

*Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, &c.* Conditiones impiorum hìc describuntur, quæ sunt: Malè agere, Tenebras diligere, Lucem odisse. Contra verò Piorum conditiones, Veritatem facere, nedum audire, venire ad lucẽ, hoc est, aspirare ad gratiam, & opera sua in Deo facere. quibus de rebus sermo iam cõtexitur. Hoc est autem iudiciũ, inquit Christus, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines potius tenebras, &c. Causam iustæ damnationis infidelium explicat, Nempe, quia venit Christus vera lux in mundum, *Ioan. 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &c.* & dilexerunt mundani, & impij homines, magis infidelitatis tenebras, quàm veritatis diuinæ lucem.

*Ioan. 1.*

*Erant enim mala eorum opera, &c.* Iudæi quippe, ideò Christo infensi erant, quia eorum vitia redarguebat. *Luc. 16.* Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant eum. *Sap. 2. Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, &c.* Eo nomine Herodes, huius lucis præcursorem Ioannem Baptistam exosum habuit, *Marc. 6.* quia diceret, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Pessima erat Iudaicæ gentis incredulæ, ad mala opera affectio, atque peruicax. Gentes autem, quamuis pessimis imbutæ moribus, alienæque à Deo, non tamen pessimam ac contumacem

*Luc. 16.*
*Sap. 2.*
*Marc. 6.*

gesserunt erga Christi Euangelium affectionem, quia illi tandem cesserunt. Verùm Iudæi hucusque in obduratione suæ persistunt perfidiæ.

Dilexerunt igitur potius tenebras, quàm lucem, tenebras suorum errorũ, & peccatorum, quàm lucem diuinæ gratiæ, & veritatis, quia erant mala eorum opera. i. quia amantes mala, necessariò fastidire, & odio prosequi debebant bona. Naturâ etenim sic comparatum est, vt vniuscuiusque rei amor, sui pariat odium contrarij. Amans vitam necessariò odit mortem, & contrà, amator mortis, non potest non odisse vitam. Et qui tenebras peccatorum diligit, inuisibilem Dei lucem necessariò contemnet. Gloriantur hæretici, lucem, hoc est, Christi doctrinam præferre se, ac anteponere humanis doctrinis, seu, traditionibus. Quibus vicissim respondeo, eos non diligere Dei lucem, quin potius suarum hæreseõn, plusquam Cimmerias tenebras. Sunt enim eorum peruersa studia, moresque improbi, ac omnium corruptissimi, vt iam facilè sit, à fructibus eorum, eos nosse. *Matth.* 7. Ecclesiæ quidem iugum excusserunt, vt genio indulgerent, vota fregerunt monastica, desertores militiæ Christianæ, Apostatæ, & Ventricolæ effecti, quorum Deus venter est, vt scribit ad Philipp. 3. Apostolus. *Matth.* 7. *Philip.* 3.

*Omnis qui malè agit, odit lucem, &c.* Prôh pudor! Iam homines non fugiunt lucem, vt malè agant. Iam palàm, ac passim, & publicè peccasse se iactant, &, vt propheticis vtar verbis. *Isa.* 3. *peccatum suum, quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum, &c.* Adam, postquàm peccauit, abscondit se à facie Domini, atque verenda foliis ficus (prauæ nimirum defensionis) contexit. *Genes.* 3 *cap. Væ qui dicitis malum bonum & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum: Isa.* 5. *cap.* *Isa.* 3. *Genes.* 3. *Isa.* 5.

*Qui malè agit, odit lucem.* De talibus Sanctus, *Iob cap.* 24. disertè scribit, *Ipsi fuerunt rebelles lumini,* & subdit, *Oculus adulteri obseruat caliginem dicens, Non me videbit oculus: & operiet vultum suum.* Fures quoque intempestas noctes obseruare videmus, vt liberiùs furentur, vnde Dominus, *Si sciret Paterfamilias, qua hora* (noctis) *fur veniret, vigilaret vtique, &c.* & eius discipulus Paulus, *Sicut fur in nocte, &c.* Homines facinorosi lucem oderunt, tenebrásque expetunt, vt absque arbitris perpetrent scelera. Quod si obieceris, Iudæos, suum palàm profiteri Iudaismum, Turcas, Mahometismum, hæreticos, Lutheranismum, seu Caluinismum. Piratas denique interdiu, & publicè *Iob* 24.

grassari, suáque latrocinia exercere. Quomodò igitur, Omnis, qui malè agit odit lucem? Respondeo, Multa esse facinora, quæ vel ex superstitione, vel, ex errore, inueteratáque consuetudine creduntur esse bona opera, túmque publicitùs euulgantur, vt, verbi gratiâ, à Iudæis, Iudaismus, &c. Piratæ autem si possent latrocinia clam agere, certe peragerent, vt solent fures nocturni, At verò, quia non possunt deprædari viatores, sub noctis silentium, sed ad claram lucem: ideo piraticam interdiu, faciunt, quamuis noctu exercere præoptarent, præeligeréntque. Sæpè etiam contingit, vt laruati, seu, Personati homines (Gall. *masques*) interdiu facinus aliquod infame aggrediuntur, atque hoc pacto verum esse conuincitur quod hic ait Christus: *Omnis, qui malè agit, odit lucem.* ne videlicet malum, quod ipse facit reprehensioni pateat, ne honoris, faméque iacturam ipse faciat, néve pœnæ subiaceat, si fuerit aliquando deprehensus. Malè agentes, lucem odio prosequuntur: si non fidei lucem, qua de *apud*
*Ioan.* 12. *Ioannem, cap.* 12. *Dum lucem habetis,* ait Dominus, *credite in lucem, vt filij lucis sitis, &c.* tamen remordentem consciētiam, fideles, scelera contra bonos mores perpetrantes, verentur, obiurgantes item amicos, & concionatores contra scelera oblatrantes, ac declamantes, intonantésque, odio plusquam Vatiniano (vt dici solet) prosequuntur, adeò semper verum est illud: Omnis, qui malè agit, odio habet lucem, siue visibilem, siue inuisibilem. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem.

Diuus Augustinus, tom. 5. lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 18. Quidam Romani maximus author eloquij, ait; Omnia rectè facta, in luce se collocari volunt, id est, appetunt sciri. Scribit ille sic. Ciceronis illa sunt verba, in Tusculanarum quæstionum, lib. 2. sub finem. ita dicentis: Omnia benè facta, in luce se collocari volunt: Sed tamen nullum theatrum virtuti, conscientia maiùs est. Hæc ibi. Contrario-
*Aristoteles.* rum enim eadem est disciplina & ex Aristotele, Contrariorum contraria sunt consequentia. Facere autem veritatem is dicitur, qui, quod gratum Deo est, & acceptum, rectúmque, agit. Lex enim Dei veritas est. Qui ergo legem Dei implet, ille facit veritatem.

Sed dices, Sedulò monet Dominus, auram fugere po-
*Matth.* 6. pularem, inanem gloriam haudquaquam ambire. *Mat. sexto cap. Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis, &c.* Quomodo ergo factor boni operis, venit

ad lucem, vt manifestentur opera eius? Respondeo, in lucem venire, non suæ gloriæ ambitiosa cupiditate, sed, vel ex Dei, vel etiam ex proximi charitate & amore. Quandoque enim exigitur, vt opera bona prodantur, veniántque ad lucem, quia id postulat Dei gloria, aut proximorum vtilitas, vt bona opera ad aliorum exemplum manifestentur. Obserua, quòd clancularis, seu clandestina doctrina, & prædicatio, suspecta est de veritate. Nam, qui malè agit, odit lucem. Contrà verò, veritatis prædicator, venit ad lucem; vt omnibus pateat, & innotescat, eùm, sanam pronuntiare & proferre doctrinam. *Ego palam locutus sum mundo, aiebat Christus. Semper docui in Synagoga, & in templo, in quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil, Ioan. decimo octauo cap.* Fieri tamen potest (Si tyrannorum violentia timeretur, vt olim in primitiua Ecclesia timebatur) quòd clanculum prædicare verbum Dei, non esset malè docere. Siquidem, qui in occulto docet, quæ palàm fuisset docturus, nisi tyrannis impiorum obsisteret, is non odio habet, sed amat lucem, quantum quidem in se est. Esse autem opera in Deo facta, est, opera per Deum fieri. Operatur enim in nobis, vt scribit Apostolus, & velle & perficere, pro bona voluntate sua. *Sermonem Deo confirmante, sequentibus signis. Marc. decimo sexto cap.* Ioan 18. Marc. 16.

*Venit ad lucem.* Scribit Velleius paterculus, historiæ Romanæ posteriore volumine, quòd Liuius Drusus, vir sanctissimus, & clarissimus, cùm ædificaret domum in Palatio, promitterétque ei Architectus, ita se eam ædificaturum, vt libera à conspectu immunis ab omnibus arbitris esset, neque quisquam in eam despicere possit. Tu verò, inquit, siquid in te artis est, ita compone domum meam, vt quicquid agam, ab omnibus perspici possit. Sic ibi. Hoc motum eius fuit argumentum, quòd redargui non timuerit, nec lucem habuerit exosam (quod solent improbi.) *Velleius Paterculus, Roman. Histor. poster. Volum. de Liuio Druso.*

Reliquum est, Auditores, vt tantam Domini dignationem, & erga genus nostrum dilectionem, gratis animis expendentes, amantem nos, redamemus pretiosissima quæque nostra, in eius obsequium, ac seruitium exhibeamus, & impendamus, quippe qui vnigenitum suum, vnicè charum, pro pro nobis morti tradidit, vt nos è tenebris plusquàm Cimmeriis, Imò (vt ex sacris comparationem desumamus) ex palpabilibus horribilibúsque Ægyptiacis tenebris, in admi-

rabile lumen sui Euangelij, traduceret, & in veritatem fidei Catholicæ deduceret, *quam nisi quisque integram inuiolatámque seruauerit*, inquit in suo Symbolo Athanasius magnus, *absque dubio in æternum peribit. Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi IESV, Ipsi honor & gloria, cum æterno Patre, & Spiritu sancto, per æterna sæcula:* Tribus inquam, sit honor vnus.

*D. Athan. in suo Symbolo.*
*Posterioris ad Cor. 4.*
*Ecclesia.*

AMEN.

*Feria tertia Pentecostes, Euangelium legitur, Qui non intrat per ostium, in ouile ouium, sed ascendit aliunde, Ille fur est & latro. Ioannis 10. cap. Huius expositionem adiunctam inuenies ad Euangelium, Ego sum Pastor bonus, Ioannis item decimo cap. Require suprà Dominica à Paschate 2.*

IN DIE

# IN DIE FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

## De vniuersali Christi dominio; & baptizandis omnibus in Trinitatis nomine, atque seruandis Dei mandatis, Matth. vltimo cap. *Matth. 28.*

*Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis, & ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi,* Matt. 28. *seu vltimo cap.*



SANCTISSIMAE Trinitatis fidem, saltem sub ænigmate, & figurarum inuolucro, Abrahamum Patrem fidelium habuisse, ex sacra, *Genes. cap.* 8. constabit, si singula ponderentur. Sic namque ibi habetur: *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum: quos cum vidisset concurrit in occursum eorum, de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram.* Et dixit, *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: &c.* *Gen. 18.* Quo ex loco, sancta colligit Catholica Ecclesia, istud, ore omnium tritissimum *Tres vidit, & vnum adorauit.* *Ecclesia.* Singulari quippe numero, tres alloquutus est, ac veneratus, dicens, Domine, non autem, Domini mei: Quia magno Athanasio in Symbolo teste, *sicut sigillatim vnamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur, Ita tres Deos, aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.* *D. Athan. in Symbolo.* Hæc autem

præfari placuit, vt ad Triadis considerationem nos accingamus. Quanto, quæso, apparatu, hic sanctus, venerandæque senectutis Patriarcha, Deum, sub typo trium Angelorum, excepit. Longè quidem diuerso, ab eo apparatu, quo Reges & principes seculares suscipi solent. Nam, vt singulas expendamus circumstantias, Cùm Rex in aliquam venit ciuitatem, turres editioráque loca conscendunt homines, arborum fastigia, & montium cacumina petunt: vt inde conspicere valeant ingredientem cum pompa Regem. At verò, stabat Abraham in conualle Mambre, Cùm rex ingressus est ciuitatem, egrediuntur in eius occursum ciues, eíque honoris ergô obuiare pergunt, Abraham verò, stabat in limine ostij. Adueniente rege, satagunt omnes, ac ita sunt occupati, vt vix sedendi detur illis opportunitas. At verò, adueniente Deo, sedens Abraham describitur. Regem manè vel serò excipere homines solent, quia in æstu, & solis ardoribus, non decet regem iter agere, & incedere cum molestiâ. Abraham verò in feruore diei Dominum excepit. Aduentante rege, omnes in eum defixos habent oculos. Deo autem aduentante, Abraham oculos eleuauit. Quid noui hoc est? Patriarcha sancte, Quo ritu Deum, regem gloriæ, ad te venientem excipis? Non sine mysterio, id factum putemus. Nimirum, vt modum, quo sanctissimam Trinitatem excipere, uereri, & adorare debemus, edoceamur; tanti viri, tam illustri, præclaróque exemplo. Prima præparatio est, vt in valle humilitatis esse studeamus, demittamus ingenia nostra, in captiuitatem & obedientiam fidei redigentes intelligentias nostras, Alioqui enim, *nisi credideritis, non intelligetis*, ait Euangelicus *Vates, cap.* 7. hoc est, tantorum mysteriorum intelligentiam non habebitis, ex tralatione 70. Interpretum. In huius arcani inuestigatione, hebescit intellectus, humana cæcutit ratio, deficiunt vires, obtunditur ingenium, mentis acies, & ingenii acumen ad id penetrare ac pertingere non possunt, At sola fides capere potest hunc articulum. Secunda præparatio, vt tranquillitatem, & quietem mentis habere studeamus, & vt spiritus noster consideat, laboremus. Siquidem, ex Philosopho, anima sedens, fit sapientior, Idcirco Abraham sedens describitur. Apostoli consimiliter sedentes memorantur, quando in eos descendit superuenítque Spiritus sanctus. *Actor.* 2. *cap. Repleuit totam domum, vbi erant sedentes. Maria quoque ad pedes Domini sedens, audiebat verbum eius. Lucæ decimo cap.* Tertia præparatio, vt simus ad tabernaculi ostium. Qui ad ostium est,

*Isa. 7. cap. ex 70.*

*Philosophus.*

*Act. 2.*

*Luc. 10.*

& in eius limine, nec intus, nec foris propriè existere dicitur. Qua in re nobis significatur, nos ita debere animæ conformari, vt corporis non obliuiscamur, Itèmque corpori sic morem geramus, vt animæ non obliuiscamur: Sed Primùm omnium, quæramus regnum Dei, & iustitiam eius, deinde, quæ ad corpus pertinent, tandem curemus, De victu ac vestitu, tanquam de accessorio, postremò solliciti. Quarta præparatio vt simus in feruore diei, amorem feruidum, & singulare studium denotante, quo diuinæ maiestati nos debemus famulari, ac seruire. Quinta præparatio, & postrema est, oculos in cœlum leuare Peccatores quidem, deflexos in terram oculos habent, quibus de Psalmographus sermonem facit. *Psal. 16. Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Contrà verò iusti in cœlum oculos attollunt: dicentes cum eodem Psalte, *Psal. 122. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce sicut oculi seruorum, in manibus dominorum suorum. Et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.. Suspice cœlum*, dixit Dominus ad Abram. *Genes. 15. cap.* Vt itaque Trinitatis mysterium fide assequi valeamus, eo modo nos gerere conuenit, quem legimus, in tribus illis viris excipiendis (Diuinam Triadem repræsentantibus) Abrahamum Patrem nostrum obseruasse. In profunda nimirum, cordis humilitate, mentis tranquillitate & intellectus ad cœlestia eleuatione, ac contemplatione, in feruenti denique Dei amore & charitate.

*Matth. 6.*

*Psal. 16. & 122.*

*Gen. 15.*

Hoc de mysterio aliquid dicturi, non viribus nostris confisi, sed illius nixi ope, qui linguas infantium facit disertas, quæ sequuntur, antequam ad textus explicationem aggrediamur, præponenda duximus. Cicero, ex Timæo Platonis, de vniuerso, ita scriptum reliquit: Illum quidem, quasi parentem huius vniuersitatis, Inuenire difficile est, & cùm iam inueneris indicare in vulgus, nefas. Sic ille.

*Cicero, de vniuerso.*

Idem rursus lib. primo, de natura Deorum, circa media. Omnibus ferè in rebus, inquit, & maximè in Physicis, quid non sit, citius, quàm quid sit, dixerim. Roges me, quid, aut qualis sit Deus? auctore vtar Simonide, de quo cùm quæsiuisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causâ sibi vnum diem postulauit. Cùm idem ex eo postridie, quæreret biduum petiuit. Cùm sæpiùs duplicaret numerum dierum, admiránsq; Hiero quæreret, cur ita faceret? Quia, quanto, inquit, diutius

*Idem lib. 1. de natura Deorum, circa media.*

considero, tanto mihi res videtur obscurior. Sic ibi. Cui subscribit Diuus Pater Augustinus, to.8. in Psal.85. ad versum, Non est similis tui in diis Domine. Intendat inquiens, charitas vestra. Deus ineffabilis est. Faciliùs dicimus, quid non sit, quàm quid sit. Terram cogitas, non est hoc Deus. Mare cogitas, non est hoc Deus Omnia, quæ sunt in terra homines & animalia, non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in mari, quæ volant per aërem, Non est hoc Deus. Quicquid lucet in cœlo, stellæ, Sol, & Luna, non est hoc Deus. Ipsum cœlum, Non est hoc Deus. Angelos cogita, virtutes, potestates, Archangelos, thronos, dominationes, Non est hoc Deus. Et quid est hoc? Solum potui dicere, quid non sit: Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit? Quid quæris, vt ascendat in linguam, quod in cor non ascendit? Idem, tom.9. tractatu in Ioannem, 23. de cap.5. Nondum potes peruenire ad quid sit: perueni ad quid non sit. Non est Deus corpus, non terra, non cœlum, non Luna, non Sol, non stellæ, non corporalia ista: Si enim non cœlestia, quantò minus terrena? Tolle omne corpus. Adhuc audi aliud. Non est Deus mutabilis spiritus. Nam fateor, & fatendum est: Deus Spiritus est. Sed transi omnem mutabilem spiritum, transi spiritum, qui modò scit, modò nescit, modò meminit, modò obliuiscitur, vult quod nolebat, non vult, quod volebat: siue patiatur iam istas mutabilitates, siue pati posset, transi hæc omnia, non inuenies in Deo aliquid mutabilitatis, non aliquid, quod aliter nunc est, aliter paulò antè fuerit. Hactenus ille.

*D. Aug. to.8. in Ps.85. ad versum. Non est similis tui, & cæt.*

*Idem, tom.9. tract. 23. in Ioan. de ca.5.*

Deum vnum esse, multa persuadent. In vnitate quippe omnis natura consentit, vt Diuus Cyprianus, de idolorum vanitate, comprobat, ita scribens: Romanos geminos vnum non capit regnum. Rex vnus est apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus, multòmagis mundi vnus est rector. Adstipulatur Homerus, ἰλιαδ. β.

*D. Cypr. de idolorum vanitate.*

*Hom. Iliad. β.*

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω.
εἷς βασιλεὺς ----

Quod sic versu Latino efferas.

*Nec multos regnare bonum, Rex vnicus esto.*

Qui versus laudatus est à Philosophis. Ait quippe Aristoteles, lib.12. Metaphys. cap.vltimo. Rerum natura malè administrari non vult, & multorum dominatus, ac principatus non est vtilis, vnus ergo sit princeps. Sic ille, ex Homeri sententia Iliados secundo. Concinit & Lucanus, Latinus poëta,

*Arist.12. Metaph. c. vlt.*

*Lucanus lib.1. de bello ciuili.*

lib.1. de bello ciuili, ita scribens,

*------ Omnisque potestas.*

*Impatiens consortis erit -----*

*Fraterno primi maduerunt sanguine muri.*

Hoc ipsum, Alexandrum magnum Dario respondisse, Plutarchus to.1. Opusc. in Apophtegmat. meminit, his verbis: Neque terram duos soles, neque Asiam duos reges sustinere. Cui adstipulatur Q. Curtius, de vita Alexandri, lib.4. ita scribens. Legatis Darij, dixit Alexander, Ite nunciare regi vestro, Si secundus, & non par mihi vellet haberi, facerem forsitan, quæ petit. Cæterùm, Nec mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa regna, saluo statu terrarum, potest habere. Sic ibi. Colligere ex his haud difficile fuerit, vnum solum Deum esse, nec plures Deos esse possibiles.

*Plutarc. to.2. Opusc. in Apophtegm.*

*Q. Curtius, li. 4. de vita Alexandri.*

Cum vnitate, iest compossibilis personarum diuinarum indiuidua Trinitas, firmitérque tenenda. In eam rem Diui Bernardi, de consideratione ad Eugenium Papam, lib.5. verba subscribere oportunum mihi visum est. Est Deus vnus, inquit, Si dici potest, vnissimus est. Trinitas est tamen Deus. Dicimus Patrem, Filium, Spiritum sanctum, non tamen tres Deos, sed vnum Quæris, quomodo illud possit esse? Sufficiat tenere sic esse. Atque hoc non rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei persuasum. Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum. Quomodo pluralitas in vnitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc, temeritas est, credere pietas est, Nosse vita, & vita æterna est. Vnitas quidem (prosequitur ibidem Diuus Bernardus) multis modis dicitur. Est vnitas collectiua, cùm multi lapides faciũt aceruum vnum. Constitutiua, cùm multa membra vnum corpus, vel multæ partes vnum totum constituunt. Coniugatiua, qua fit vt duo, non iam duo sint, sed vna caro. Natiua, qua anima & caro vnus nascitur homo. Potestatiua, qua homo virtutis non instabilis, vnus sibimet semper nititur inueniri. Est consentanea, cùm per charitatem multorum hominum, est cor vnum, & anima vna. Est votiua, cùm anima votis omnibus adhærens Deo, vnus spiritus est. Est & dignatiua, qua limus noster à verbo Dei in vnam assumptus est personam. Verùm hæc omnia, quid ad illud vnicè vnum, vbi vnitatem consubstantialitas facit? Igitur inter omnia, quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, quia tres personæ vna substantia sunt. Secundo loco illa præcellit, qua econuerso tres substantiæ vna in Christo persona sunt.

*D. Bern. lib.5. de considera tione ad Eugenium Pap.*

Nec abducimur ab hac vnitatis professione, assertione trium, cùm in hac Trinitate, non recipiamus multiplicitatem, sicut nec solitudinem in vnitate. Quamobrem cùm dico vnum, non me Trinitatis turbat numerus, qui essentiam non multiplicat, non variat, nec partitur. Rursum cùm dico tria, non me arguit intuitus vnitatis, quæ illos tres, nec in confusionem cogit, nec in singularitatem redigit. Idem me sentire fateor, & de illa vnitate. Cui, secundum ab ista, inter cætera vna, honorem dedi. dico in Christo, Verbum, animam, & carnem, sine confusione essentiarum vnam esse personam: & item absque præiudicio personalis vnitatis, in sua numerositate manere. Ibi tres personæ, vna essentia, hîc contrà tres essentiæ, sunt vna persona. Hæc mellifluus Bernardus.

*Cœlius Calcagninus Ferrariensis, lib. 10.* Cœlius Calcagninus Ferrariensis, lib. 10 Epist. 1. Trinitatis, inquit, indaginem, incompertam atque adeò supra captum hominis eminere, apud omnes sacros scriptores in confesso est: vt ad eam agnoscendam, vetus illud præceptum sufficiat; πίστευσον πίστευσον, καὶ ἅπλωσον σεαυτόν. (quod sic interpretor: Crede, Crede, & explica teipsum, vel, simplicitatem tuam ingennè aperi) Et sanè in vniuersum de diuinis, illud Parmenidis

*Parmenides, apud Platonē.* apud Platonem, dici potest: οὐ γιγνώσκομεν τοῦ θεοῦ οὐδὲν τῇ ἡμετέρᾳ ἐπιστήμῃ. Latinè sic verti possit, nihil de diuinitate cognoscimus, propriâ scientiâ, seu, comprehēsione propria, viribúsque ingenij nostri) Hactenus Calcagninus. Diuina maiestas lucem habitat inaccessibilem, Helias vultum suum operuit

*3. Reg. 19.* pallio, Domino transeunte, 3. *Reg.* 19 professus videlicet. hoc opere, mentis nostræ aciem, ad supernam illam lucem intuendam caligare. *Iob* 36. Ecce Deus magnus vincens scientiam

*Iob 36.* nostram. Caro & sanguis, non reuelat hoc Trinitatis myste-

*Matth. 16. & 11. cap.* rium, dicente Christo ad Simonem Petrum, *Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi*: scilicet, quod sim Christus filius Dei viui) *sed, pater meus, qui in cœlis est.* Non est igitur Trinitas curiosa ratione peruestiganda, *Matth.* 11. *abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Torrens iste transuadari non potest, seu, traiici (Gall. *nest pas guayable,*) abyssus est

*Ioan. 4.* multa; *Puteus* certè, *altus est, Ioan.* 4. nec in quo haurias habes, ex te, scilicet, Non incommodè adaptari potest, quod

*Ezech. 47.* *Ezech. quadragesimo septimo.* scribitur. *Traduxit* me *vir* (sub. Angelus) *per aquam vsque ad talos, deinde vsque ad genua, postea vsque ad renes. Et mensus est torrentem, quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ torrētis, qui non potest transuadari. Et conuertit me ad ripam torrentis. Viuent omnia, ad quæ venerit torrens,*

Quid quæso, hoc significat? Torrens vitæ, est sacra scriptura vel, Trinitatis mysterium. Aquæ altitudo tam parua erat initio, vt talos non excederet, postea profunda erat, profundior, & tandem profundissima, non enim vadari poterat (Gall. *passer à gué.*) Ista est mysterij profunditas.

Quanto namque diutius consideramus, tantò profundior apparet, vt eleganter de Deo respondisse fertur Simonides, quemadmodum suprà citatum est. Aristoteles lib. 1. metaphys. breuiore, ex Perionio ca. 1. vt noctuarum oculi, ait, ad diurnum lumen affecti sunt, sic animi nostri mens, ad ea est, quæ natura clarissima sunt omnium Sic ibi. *Aristoteles,*

Quod si rerũ naturas vix assequi possumus, Inuisibilia ipsius Dei, quomodo capiemus?

Vnde 4. *Esdra.* 4. ad propositum legitur hoc modo: *Angelus Vriel missus est ad me dicens mihi, Excedens excessit cor tuum in sæculo hoc, & comprehendere cogitas viam altissimi. Dixi, Ita Domine. Respondit ille. Tres vias missus sum ostendere tibi, & tres similitudines proponere coram te, de quibus si renunciaueris mihi vnam ex his, ego demonstrabo viam tibi, quam desideras. Vade, pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut reuoca mihi diem, quæ præteriit. Respondi, Quis natorum poterit facere? Dixit ille mihi, Non interrogaui te, nisi de igne, & vento, & die, per quem transisti, & à quibus separari non potes, & non respondisti mihi de eis. Hæc non potes cognoscere, & quomodo poterit vas tuum capere altissimi viam?* Hæc valdè quadrant cum Ezechielis vaticinio sup. memorato, de 4. traiectionibus aquæ torrentis.

Sunt certè, cuncta Christianæ Ecclesiæ documenta seu fidei, seu morum, torrentes quidam vitales, torrentes, qui à cœlesti fonte suam petunt originem. Huius fontis prima traiectio, humiles aquas habet, Sunt quippe quædam Ecclesiæ documenta facillima captu, vt, verbi causâ, nulli nocere, proximis benefacere: Alia, quæ profundioribus turgent aquis vt, inimicos diligere: Alia, quæ maiore profunditate se obiiciunt, vt nemini citra confessionem culpam remitti, Neminem posse saluari, absque sacramentorum perceptione.

At verò Trinitatis fides, turgentissimas habet aquas. Hunc Ezechiel torrentem, ducente Angelo, transuehere, tranaréque nequit, quippe qui transuadari non possit, vt ibidem dicitur. Credamus ergo potiusquàm disputemus.

Hoc loco accõmodabimus illud Innocentij 3. li. 4. mysteriorũ missæ c. 8. dicẽtis: Credere iubemus, discutere prohibemur.

Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib.7.cap.138. De sancto Augustino Episcopo ac doctore ad hoc propositum perpulchram refert historiam, in hunc modum: Fertur de eo, quòd cùm librum de Trinitate compilare, seu, componere, cogitasset: transiens iuxta littus: vidit puerum, qui foueam paruam in littore fecerat, & cochleari aquam de mari haustam in foueam mittebat, Et cum Augustinus puerum interrogasset: quid faceret? Respondit puer: quod mare dispofuerat cochleari exsiccare, & in foueam illā mittere.

Nota obiter, ibi scriptum esse non, cochleare, & per Apocopen Cochlear, quod est instrumentum, quo esculenta vescendo sumuntur, aut etiam sorbentur (Gall. *vne cuilliere.*) sed, cochleam, Est autem, inter cæteras huius vocis acceptiones, Cochlea, haustorium organum, quod vulgò Pompam vocāt: (Gall. *vne pompe à puyser & tirer de l'eau des puys & fontaines*) Hæc de vocis significatione dicta sunto. Cúmque hoc Augustinus impossibile esse diceret: & simplicitatem pueri irrideret: Puer ille ei dixit; quòd possibiliùs sibi esset hoc perficere, quàm Augustino, minimam partem mysteriorum Trinitatis in libro suo explicare: Assimilans foueam codici: mare Trinitati: cochleam intellectui Augustini.

Quo dicto puer disparuit. Augustinus autem ex hoc se humiliauit: & librum de Trinitate: oratione præmissa: vtcumque potuit compilauit. Sic ibi.

Qua euidenter ostenditur Trinitatis mysterium esse ineffabile. Eadem habentur etiam in Speculo exemplorum, distinctione 5. §. 98. De D. Augustino. Credamus ergo simpliciter ac deuote, tanta mysteria, Et non disputemus de his contensiosè.

*Spec. Exempl. Dist. 5. §. 98.*

Etenim, si difficilè æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit? *Sap. 9. c.*

*D. Augustin.* Porrò eodem D. Augustino doctore to.3. li. 1 c.3. de Trinitate, Vbi quæritur vnitas Trinitatis, nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid inuenitur Sic ille.

Sanctæ Trinitatis fides, columen est totius Catholicæ fidei. Nam neque filij incarnationem, neque Spiritussancti aduentum, neque iudicium finale, cæterósque fidei articulos, quis crederet, nisi huius trinitatis mysterio prius esset imbutus. Nam qui carnem sibi copulauit filius est Dei, verbum est

*Ioan.*1. carnem assumens, qui hanc copulationem celebrauit Spiritussanctus est. *Spiritussanctus superueniet in te.Luc.*1.*cap. Qui conceptus est de Spiritussancto ex Maria virgine.* Qui misit filium, & Spiritumsanctum, Pater est. *Et hi tres vnum sunt.*1.*Ioan.*5.*cap.Et, Deut.*6.*Dominus Deus noster Dominus vnus est,* vbi cùm insinuat vnitatem, maximè significat Trinitatem, Ex fonte Hebraico: Iehoua Eloheim, Iehona ehhad. Rabbi Simeon filius Iohai, in lib.Zohhar.referente Galatino, Iehoua, ait, est Deus Pater Eloheim, filius, Iehoua, hic est Spiritussanctus. O Trinitas! O trium Vnitas!

Nec prætermittendum hoc loco putaui, Serapidis oraculum, Thuli (qui bello Troiano, in Ægypto regnauit) olim, ad hunc modum, redditum:

Πρῶτα Θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς
Σύμφυτα δὴ τρία, πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα.

Hoc responsum illi datum fuisse testantur Sudas, Georgius, Cedrenus, in compendio Historiæ, fol.16. Item Viues in 23. ca lib.10.D.August. de ciuitate Dei, qua de re me aliàs scripsisse memini. Latinè sic reddi potest, & carmine efferri.

*Sudas dictione Thulis Georgi' Cedrenus. fol.* 16. *Item Viues.*

*Principio Deus est, tum sermo, & Spiritus istis,*
*Additur, æquæua hæc sunt, & tendentia in vnum.*

Verùm enimuerò, Trium personarum vnitas ex sacris, diuinitúsque inspiratis literis liquidò innotescit. Ex vetere quidem instrumento, *Gen.* 1. *c. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, Ad imaginem Dei fecit illum,* ait Scriptura. Quod dicitur plurali numero, Faciamus, & imaginem nostrã nõ meam, pluralitatem euincit personarum. Quod autem dictum est, ad imaginem Dei creauit illum, ad maiorem certè declarationem dictum est, vt planum esset Deum esse vnum, dixerat quippe nostram, subiecit ideò continuò, Dei (singulariter) ne multos putares esse Deos. Mitto nunc multa similia, quæ ex lege, Prophetis, ac Psalmis desumi possunt in eã rẽ testimonia ne tædio lectorẽ afficiã. In nouo autẽ testamento, disertis verbis sancta Trinitas crebrò proponitur, Præsertim verò hodierno Euangelio, vbi Christus distinctè, & apertè Trinitatem, & vnitatem explicat, dicens. In nomine, non, in nominibus, Patris & Filij, & Spiritussancti. Quid clariùs expressiúsve dici potuit?

In Christi baptismo, eiúsque gloriosa transfiguratione, nonne tota Trinitas palàm manifestata est? Venerat hora, *quando veri adoratores, Patrem adorarent in Spiritu, & veritate*, sicut Samaritanæ dixerat Christus. *Ioann. 4. cap.* Hoc est, In filio manendo (qui est veritas. *Ioann. 14.*) Spiritu adoptionis accepto, vnum Deum & Patrem adorare, manifesta & explicita distinctione Personarum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum, colere venerari, ac inuocare.

*D. Athanasi. Symbolum.*

*Neque confundentes personas, neque substantiam separantes*, ait Magnus Athanasius. Et quidem Sabellius personas confundebat Arius verò, separabat consubstantialitatem, At Ecclesia Catholica, mater omnium credentium, mediâ viâ ambulat & graditur.

*Metamorphose In lib. 2.*

Ouidius, cecinit lib. 2. Metamorph.

*Inter vtrumque tene, Medio tutissimus ibis.*

Tres contra Sabellium profitetur, adoràtque hypostases realiter distinctas, vnam verò essentiam, & ὁμοούσιον τριάδα. i. Trinitatem consubstantialem, aduersus Arrium, credit, & confitetur. Fides enim Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur, ait immortali memoria dignus, iuxta nominis sui etymon, Athanasius magnus.

*D. Athanas. Symbolum.*

Hanc fidē professi sunt Imperatores Catholici, prout vt ex eorum legibus patere facilè potest. Leg. 1. Cod. de summa Trinitate, & fide Catholica, Secundum Apostolicam disciplinam Euangelicámque doctrinam, Patris, & filii & Spiritussancti vnam deitatem, sub pari maiestate, & sub pia Trinitate credamus. Et l. 6. C. eodem titulo. Incorruptæ Trinitatis indiuisa substantia, quæ Græco ὁμοουσία, rectè credentibus dicitur. Item, l. 6. C. eodem. Iustinianus ita, Credentes, inquit, in Patrem, Filium, & Spiritumsanctum, vnam essentiam in tribus hypostasibus, seu subsistentibus personis, adoramus vnam deitatem, vnam potestatem, Trinitatem consubstantialem, Græcè, τριάδα ὁμοούσιον. Et, l. 6. C. eodem, repetitur idē ad verbum. Quid plura? *Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritussancti. Sed Patris, & Filij, & Spiritussancti, vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas*, vt scribit in Symbolo D. Athanasius. Er, vt vno filo multa complectar.

*D. Athanasi. Symbolum.*

In personis proprietas, in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas: ex Præfatione missæ de sanctissima Tri-

nitate, quæ antiquissima est, & Gelasio Papæ, tribui à quibusdam solet. Trinitas, in proprietate: Vnitas, in maiestate attenditur. Trinitas in relationibus. Vnitas in natura absoluta. Trinitas per originem. Vnitas per simplicitatem. Trinitas distincta. Vnitas coniuncta. Trinitas non diuisa. Vnitas non composita. Personarum denique Trinitas, Essentiæ verò vnitas constituitur. *1. Ioan. 5. cap. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritussanctus. Et hi tres vnum sunt.* Eandem fidem, consignationis quotidianæ ipso vsu, & praxi catholica, valdéque pia nos profiteri declaramus, tribus digitis erectis nos consignantes, ad significandam Trinitatem, vel etiam tota manu, ad vnitatem designandam, dicentes. In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. *Prefa. missæ de sanctiss. Trini.*

In crucis signo, cuius quotidianus vsus est in Ecclesia, attendendum est mysterium.

Cùm enim dicis, In nomine Patris, vnum significas nomen, vnam virtutem, vnam diuinitatem sanctissimæ Trinitatis. Nomen Patris in fronte, significat hunc esse principium Trinitatis (Sic enim D. pater Augustinus, to. 3. lib. 4. de Trinit. ca. 20. loquitur.) *D. Augustin.*

Totius diuinitatis principium Pater est, inquiens, nunquam in has terras missum, à quo Filius generatur, & Spiritussanctus procedit. Filius collocatur circa ventrem: vt intelligamus, eius proprium esse in sancta Trinitate generari, eundémque à Patre missum, in vterum Virginis: & descendisse in vterum, seu, medium terræ.

Spiritussanctus medium obtinet locum, tanquam charitas Patris, & Filij, & is per quem filius, (qui sola diuina charitate motus, humanam naturam assumpsit) de cœlis venit in vterum Virginis, Postremo tamen loco nominatur Spiritussanctus, tanquam tertia persona in Deitate, à Patre, & Filio procedens. Iam crux ipsa non obscurè refert passionem Domini: Ea autem formatur vel tota manu, hoc est, quinque digitis, ad indicandum etiam quinque Christi vulnera: vel, vt vult Innocentius, tribus digitis, ob sanctissimam Trinitatem, quæ in passione Christi operata est humanā salutem. Vel duobus coniūctis digitis, ad indicandas duas in persona Christi naturas; contra Monophysitas qui Nicephoro. li. 18. Eccles Hist. c 53. referente, digito vno à læua dextram versus, seipsos cruce consignant, quippe qui vnicam in Christo docerent naturam: eamque hæresim vt exprimerent, hoc ritu vsi, vnico *D. Innoc. li. 2. Mysteriorum missæ c. 45.* *Nicephorus.*

digito hoc signum formari volebant. Nec alienum ab historia tibi videatur, crucem duobus coniunctis digitis fieri solitam, quandoquidem, vt Ioannes Molanus Louaniensis, l. de Picturis, & imaginibus sacris, c. 52 ex Ioanne Diacono, Vitę D. Gregorij magni, lib. 4. c. 83, scribit.

*Molanus l. de Picturis, c. 52 ex vita D. Greg. l. 4. c. 83*

Mater Gregorij sedens depicta est, duobus dexteræ digitis signaculo crucis se munire velle prætendens, cum subscriptione, Gregorius Siluiæ matri. Sic ibi. Quod verò à sinistro latere in dextram progrediamur, significat effectnm passionis Christi, quia ex latere sinistro, trãslati sumus ad dextrum, id est, ex hœdis facti oues: ex inimicis amici Dei: ex reis ęternæ damnationis, hæredes æternæ vitæ, & hactenus de mysterio, prout collegit Franciscus Costerus, Theologus societatis IESV, enchiridio controuersiarum præcipuarum nostri temporis de religione, c. 11. De sancta cruce, ex professo agens. Lubens adiecero Chaldaicum morem, eumque antiquissimum, in exprimende nomine Dei. Tribus Iodim Chaldaicè describitur Dei nomen ineffabile circulo vno conclusis, & vno Camets signatis: mysterium hoc magnum est, quod sic interpretamur, Tria Iodim sic depicta ״, & æqualia, tres insinuãt personas diuinas, quarũ nulla minor est alia, sed totę tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales, ait, D. Athanasius. Iod significat principiũ tres diuinæ personæ, non nisi vnum sunt principium rerum omnium conditarum. Includũtur tres illi characteres in circulo, seu, figura rotũda, omnium figurarum perfectissima, quæ nec principium habet, neque finem, vt significetur perfecta æternitas, est enim Deus, sphęra immobilis, cuius centrum vbique, circumferentia autem nusquam est. Signantur verò vno Camets, ָ quoniam trium vna est essentia. In Hebraico quidem idiomate nomen Dei τετραγεάμματον est, seu. 4. literarum, יהוה Iod, he, vau, he, sed ה duplicatur geminatúrque vt significetur duplex habitudo secundæ personæ, ad Patrem & Spiritumsanctum. quia respectu Patris, est productus, Spiritussancti autem respectu, est producens, & spirans cum patre Spiritum Sanctum, eodem attestante, *Ioan. 16. cap. Ille de meo accipiet*, id est, de natura diuina mea. Dispensatiuè sic legitur de Spiritusancto tanquã de nuntio, vel legato aliquo: Idcirco, accipiet, dixit licet ab æterno acceperit, quæcumque audiet loquetur, ait ille. Vel, ideò he geminum est, vt indicetur Filius incarnatus Deus, geminæ gigas substantiæ. Atque hoc modo, Sacer ternarius non violatur, dum tribus Iodim, vt suprà dictum est, no-

*Franciscus Costerus Enchiridio, de religione, c. 11. de sancta cruce.*

*Symbolum Athanasium.*

*Ioan. 16. c.*

men Dei Chaldaicè effigiatur. Verùm quid potest dici ea de re manifestius, quàm quòd Iehoua, quadriliterum, apud Hebræos, Sem Hammephoras, hoc est, nomen expositum, dictitatur? Tùm, quia per nomen duodecim literarum, tum etiam quia per 42. literarum nomen, ex Rabbenu heccados, apud nostrum Galatinum, l. 2. explicatur. Sic enim ille, cap. 10. Aduerte, inquit, nomen quatuor literarum, Sem Hammephoras dici, hoc est, per 12. literas expositum sic, Pater Filius & Spiritussanctus: quæ in lingua Hebraica. 12. literis scribuntur, hoc modo: אבבן ורוח הקדש. Ab ben Veruahh haccodes. Velhaecados. Pater Filius, & Spiritus sanctitatis, vel, sanctuarij, aut Spiritussanctus. Quoniam autem non inuenitur in Deo aliquid, quod non sit Deus, ex nomine. 12. literarum, emanat nomen 42. literarum, quod est, Pater Deus, Filius Deus, Spiritussanctus Deus, Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate. quæ in Hebraico sunt. 42. literæ, hoc modò: אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה: Ab Elohim Ben Elohim Ruahh Haceados, Elohim, Selosah beehhad, Ehhad beslosah. Pater Deus, Filius Deus, Spiritussanctus Deus, tres in vno, & vnus in tribus: vel, Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate: vbi duæ & quadraginta sunt literæ. Hæc Rabbenu ille Haccados. i. Magister noster Sanctus. Literæ huius nominis, etsi quoad numerum quidem quatuor sunt Iod, He, Vau, He; inveritate tamen non sunt nisi tres ו. ה. י Iod, He, Vau. Ex eo autem, quod secunda bis ponitur, secundo scilicet loco, & quarto, quatuor esse censentur. Tres igitur huius nominis literæ, tres diuinas designat hypostases.

*Petrus Galatinus, ordinis Minorum, lib. 2. de Arcanis Cath. veritatis c. 1. 11. 12. c. Ex Rableno Haccados.*

Nam prima quidem, scilicet, י Iod, quæ principium interpretatur, eò quòd omnium aliarum principium sit, cùm ab ea vnaquæque originem scripturæ habeat, ipsaque à nulla originem sumat, rectissimè patrem in diuinis insinuat, qui cùm à nullo sit, aliæque personæ ab eo emanent, principium sine principio dicitur, Secunda verò, scilicet, he, ה. quæ esse, vel, viuere significat, filium in diuinis aptissimè innuit, per quem omnia, quæ facta sunt, esse cœperunt, & quicquid factum est, *in ipso vita erat:* Tertia autem scilicet vau. ו. quæ copulatinam dictionem E T. denotat Spiritum sanctum optimè exprimit, qui cùm sit amor Patris, & filij, quo se vicissim amant, rectè copula, id est, nexus vtriusque nuncupatur. Nomen autem hoc τετραγεαμματον, idcireo, שם המפורש Sem Hammephoras, id est, expositum antiqui vocauerunt,

*Ioan. 1. 4.*

quia illud veteres Hebræorũ per nomina duodecim, & quadraginta duarum litterarum exposuerunt, De nomine duodecim literarum, agit Galat. cap. 11. libro 2.

Hęc, inquit, tria nomina Pater, Filius & Sp. sanctus, quæ apud Hebræos literis. 12. scribuntur, dicebantur vnum nomen, ad innuendum, quod tres personæ diuinæ, per tria illa nomina expressę sunt, vnum secundum naturam. i. vnus Deus. Hinc in contextu Euangelico.

*In nomine Patris & c.* non, in nominibus, Patris &c. *cap.* 12. agit de nomine Dei duarũ & quadraginta literarum. Nomen hoc, ait Galatinus, Dominus Iesus, verus Messias, Verúsque Dei filius, discipulos suos, qui Israëlitæ erant, perfectissimè docuit diuinę Trinitatis mysterium apertissimè reuelando, dum Matthæi. 28. præsenti nimirum Euangelio, *Data est*, inquit, *mihi, omnis potestas &c. Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti.* In hac forma, in qua baptizare iussit instructos, manifestè insinuauit, se iam discipulos suos arcanum Trinitatis, & vnitatis diuinæ, perdocuisse. Tria quippe nomina hęc, Pater, Filius, & Sp. sanctus diuinarum personarum exprimunt Trinitatem, in eo autem, quòd in nomine, & non, in nominibus dixit; euidenter ostendit, Patris, & Filij, & Sp sancti vnã essentiã esse, atque naturam. Et hęc proculdubiò est verissima, atq; distincta nominis Dei, 4. literarum expositio: quæ & in nomine. 12. literarum, & in nomine 42. explicitè continebatur. Cum his igitur nominibus. 12. scilicet atque 42. literarum Dominus noster Iesus Christus, nomen Dei tetragrammaton, discipulis suis perfectissimè exposuit: Quare & patrem alloquens. *Ioan.* 17. *Pater*, ait, *manifestaui nomen tuũ hominibus, quos dedisti mihi.* Et iterum inquit, *Hi cognouerunt, quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum.* Discipulorum verò Christi doctrinã, Athanasius secutus; ipsum nomen Dei tetragrammaton, primùm per nomẽ 12. literarum, quod est, Pater Filius & Sp. sanctus Deinde per nomen 42. optimè, atque perfectè exposuit, dicens: *Deus pater, Deus Filius, Deus Sp. sanctus. Et tamen non tres dij, sed vnus est Deus.* Ex quibus manifestè patet vnam & eandẽ fuisse veterum Hebræorum fidem, atque nostram. Hactenus Galat. v. s.

*Math.* 21. *c.*

*Ioan.* 17. *c.*

*D. Athanasius.*

*Ioan. Ludouicus Viualdus de monte Regali, ord. prædicatorum, de laudibus & triumphis triũ liliorum in opere regali.*

Præterea, Viualdus, à monte regali, peculiari dę triumphis trium liliorum, quæ in Scuto Regis Christianisimi figurantur, ad Christianissimum Francorum regem Ludouicũ duodecimum, Tractatu, q. 2. Tria, inquit, redolentia lilia, in Scuto Frãcorũ Regum: q. 2. figurata, odoramenta Catholicæ fidei in sanctissima Trinitate astruunt. Ibi enim Christiana religio,

vnum verum Deum, trinum quidē in personis, at in essentia vnum, adorat, Secundò, tria lilia, tres substantias in persona Christi denotāt Sicut enim in diuinis, est Trinitas personarū in vnitate essentiæ, ita in vna persona Christi, est Trinitas essentiarum, seu substantiarū, in vnitate personæ, scilicet, Deitas, anima, & caro. Et sicut in diuinis, per distinctas personas non distinguitur esse, sic in Christo, per diuersas, naturas non distinguitur persona. Agens consequenter de numeri ternarij mystica significatione multiplici, Omne nomen, ait, quod de Deo dicitur, aut essētiale, aut personale, aut notionale est: Nam quicquid in Deo est, aut de Deo dicitur, aut essentia, aut persona, aut notio est. Essentia quidem vna est, & indiuisibilis, quæ nec generat, nec generatur, nec distinguit, nec distinguitur. Personę autem tres sunt, Pater, Filius, & Sp sanctus Pater quidem à nullo est, Filius à patre est nascendo. Et Sp. S. à patre & filio procedendo. Notiones verò sunt innascibilitas pro patre, Generatio passiua, pro filio, cōmunis spiratio, Patri & filio cōueniens, & processio ab vtroq;, pro Sp. sancto. Quæ notiones à Theologis dicuntur, quia notificant personas aliquando etiam proprietates quia propriè insunt personis. itē, relationes appellantur, quia per ipsas ad se inuicem personæ referuntur. Tria sunt tempora, præsens, præteritum & futurum. Tres sunt leges, Naturæ, Scripturæ, & Gratiæ, in Grammaticis institutionibus, tres sunt personæ verborum, Prima, Secunda, & Tertia. In Rhetoricis, Tria sunt genera causarum, scilicet, demonstratiuum, deliberatiuum, & iudiciale. In Dialecticis, Definitio, Diuisio, Argumētatio, Tres figuræ etiā Syllogismorum.

In vnaquaque re perfecta, est principium, medium, & finis, nam de tribus dicitur omne, apud Aristotelem. In Arithmetica, impare Deus numero gaudet, vt cecinit vates, In Geometria, omne corpus in tribus consistit dimensionibus scilicet, longitudine, latitudine, ac profunditate. Omnis denique Philosophia in Naturalem, diuiditur, Rationalem, ac Moralem: Moralis, in Ethicam, Politicam, & Oeconomicam. In Sacra Theologia, quæ est scientia Scientiarum, vt pote, diuinitùs inspirata, multipliciter numeri tenarij dignitas demonstratur. Tres namque sunt Patriarchæ, Abraham, Isaac, & Iacob. Ter in anno apparebat omne masculinū, corā Dn̄o Deo suo, ex præscripto legis Mosaicæ. Vniuersū vetus testamētū, tribus constabat, iuxta Christi. *Luc.* 24. partitionē, lege, seu, Pentateucho Mosis, Prophetis, & Psalmis Dauidis Regis, Duo

*Aristotelis.*

*Luc.* 24.

*Isa.6.c.* Seraphin τρισάγιοι clamabant alternis, vicibus, hoc est, ter Sanctus concinebant. *Isa.6.* vbi Rabbi Simeon, apud Galatinum, Sanctus hic, inquit, est Pater, Sanctus Filius, Sanctus itē Spiritussanctus. Atque hoc modo tota Trinitas manifestè satis ostenditur: In Psalmis, trina Dei repetitione, Trinitas insinuatur, *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum. Psal 66.* Eum dixit, singulariter; non autem, eos, pluraliter, vt vna trium indicetur diuinitas, vna essentia, vna natura. Item ex fonte Hebraico. *Psal.50.* iuxta Hebraicam supputationem, fit trina Dei mentio: El Elohim, Iehouah dibber. i. fortis, Deus, Dominus locutus est, Loco cuius, vulgata editio sic habet, Deus Deorum Dominus locutus est. In lege verò, *Exo.20.c.* cùm lex ferretur, ita Dominus loquutus legitur: Anochi Iehouah Eloheca El kanna. quod ex Hebræo translatum, & in sermonem Latinum transfusum, ita sonat, *Ego Dominus Deus tuus, Deus Zelotes, Et Numer.6.* trina Dei inuocatione, benedictio pontificalis super populum fiebat, hoc stylo: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Nec prætermittendum duxi, quod lib.2. c.10. Galatinus nostri instituti, præclarè annotauit, obseruauítque ea de re, ex professo agens, hoc modo: Benedictio, inquit, cuius cap 6. Numerorum fit mentio, cum nomine Dei 4. literarum, יהוה cum tribus digitis ambarum palmarum erectis, & duobus depressis, fiebat; ad designandam diuinarum personarum Trinitatem, per ipsum nomen significatam, ipsa autem in Simeone iusto, qui Christum infantulū suscepit, in vlnis penitus defecit. Vt R. Moses attestatur his verbis. Ex quo mortuus fuit Symeon Iustus, cessauerunt fratres eius, sacerdotes, scilicet, cum nomine Dei. 4. litterarum, populo benedicere. Erant autem post ipsum cum nomine. 12. literarum benedicentes. Hæc ille.

*Galat.ex R. Simeone.* — *Psal.66.& 50.secundum Heb.* — *Exo.20.c.* — *Num.6.ca.* — *Galat.l.2.c.10* — *R.Moses.*

Hinc subscribit Renchlinus, lib.3. Cabalæ, vergendo, ac declinando circa finem: ita dicens, Postquàm crebro & frequenti prauorum hominum vsu, passim vilescebat nomen τετραγράμματον, antea, cum tanta cura & sollicitudine, cum tanta reuerentia, & tam prudenti moderamine idoneis, & electis tantùm sacerdotibus septimo quoque anno traditum, vt discerent per illud populo benedicere in sanctuario: tunc ad maiestatem huius nominis conseruandam, prohibitum fuit sacerdotibus eo imprecari, solisque summis pontificibus quotannis

*Ioa. Renchlinus l.3.Cabalæ declinando versus finem.*

quotannis permissa erat eius pronuntiatio, in diebus ieiuniorum,& propitiationis. Quare illius loco, Græci substituerunt nomen. 12. literarum, quod esset aliquantò sacratius, quàm nomen Adonai, & tamen ineffabili tetragrammato longè minus diuinum, quo Sacerdotes in benedictionibus vterentur. Consueuit autem. 4. his literis : הבח קה cum apicibus in capite cuiuslibet notariacè signatis, conscribi : & ita pronunciari : הקדוש ברוך הוא Haccados Baruc Hu. Id est, Sanctus benedictus ipse. Sunt autem (vt cernere ac numerare characteres Hebraicos licet) duodecim litteræ, in præfato nomine. Per quod benedictionem à Deo Numer. 6. mandatam, posteriores super populum loco nominis Tetragrammaton, ita proferebant: Benedicat te sanctus benedictus ipse, & custodiat te. Ostendat Sanctus benedictus ipse, faciem suam tibi, & misereatur tui. Leuet sanctus benedictus ipse, faciem suam ad te, & ponat tibi pacem. Mutatio autem hęc, inter benedicendum, facta est, ad honorem Tetragrammati, ne toties iteratum, neglectui tandem subiaceret. Hactenus ibi. Sic accipiendū existimo (saluo semper Doctiorum iudicio) quod R. Moseh suprà dixit, Sacerdotes post Symeonem iustum, cum nomine. 12. literarum, benedixisse populo Israëlis. Neque incommodè (mea quidem sententia) diceretur etiam, cum isto altero. 12. literarum nomine (de quo suprà. Ab ben Veruahh haccados) factam fuisse olim benedictionem. In nouo Testamento, si voluero cuncta percurrere in quibus numerus ternarius relucet, dies me potiùs, quàm sermo deficiet.

In summa, creata omnia in ternario numero disposita sunt, *in numero, pondere, & mensura. Sap. 11. c.* Omnis item creatura, aut est purè spiritualis, vt Angelus, aut purè corporalis, vt corpora cœlestia, & elementa, aut ex vtróq; composita, vt homo. Apud inferos, tres sūt distinctiones, scilicet, infernus, limbus, & purgatoriū. Hęc pro magna parte, Viualdus pręd icator. v. s. *Sap. 11. c.*

Vt verò pro ingeniorum nostrorum modulo, valeamus tanti mysterij cognitionem assequi qualemcumque: rudi saltem Minerua (vt dici solet) similitudines quasdam proponamus. Solis imprimis. Nam sicut in sole tria cernere licet, Solem videlicet ipsum, lucem à sole dimanantem, & calorem ab vtróque procedentem. Ita in Trinitate, Patrem tanquàm solem, & Filium, tanquam solis radium, atque Sp. sanctum ab vtróque emanantem, colimus. Deinde, sicut in anima rationis, ac immortalitatis participe, tres sunt potentiæ, seu, facultates,

intellectus nimirum, voluntas atque memoria, vna interim est & eadem animæ essentia, in tribus potentijs, sub actibus secundis ( vt aiunt Theologi Scholastici ) sic tres sunt personæ diuinæ; vna autem diuina essentia.

*D. Greg. Nazian. orat. 5. de Theologia.*

Denique sicut Gregorius Nazianzenus, cognomento ὁ θεόλογος, oratione quinta de Theologia, scriptum reliquit. Quemadmodum in fonte tria contemplamur, Oculum nempe, id est, primam fontis scaturginem. fontem ipsum profluentem, ac fluuium inde decurrentem: quæ tria vnum fontem integrum constituunt, sic Pater cum oculo, Filius, cum fonte, & Spiritussanctus cum fluuio proportione quadam conuenit.

*Ioan. Turpinus in hist. Caroli Magni. c. 17.*

Præterea, apud Ioannem Turpinum, in historia Caroli Magni, & Rolandi. c 17. extat Ferracuti gigantis, de genere Goliath, Agareni, & Rolandi concertatio quædam, seu, disputatio de fide, in qua, cum de Trinitate, & vnitate disseritur, sic habetur: Nos Sarraceni credimus, ait Ferracutus, quia creator cœli, & terræ, vnus est Deus, nec filium habuit nec Patrem. Sed sicut à nullo generatus est, ita neminem genuit, Ergo vnus est Deus, non trinus, Verum quidem dicis, inquit Rolandus, quia vnus est, Sed cum dicis Trinus non est, in fide claudicas. Si credis in Patrem, crede in filium eius, & Spiritumsanctum. Ipse enim Deus, Pater est, Filius, & Spiritussanctus est. Vnus Deus permanens in tribus personis. Si patrem, infit Ferracutus, dicis esse Deum, Filium Deum, Spiritumsanctum Deum, ergo tres Dij sunt, quod absit, & non vnus Deus, Nequaquam, inquit Rolandus, sed, vnum Deum, & trinũ prædico tibi. Et vnus est, & trinus est. Totæ tres personæ, coæternæ sibi sũt, & coæquales, in personis est proprietas, in essentia vnitas, & in maiestate adoratur æqualitas. Trinum Deum, & vnum Angeli adorant in cœlis ( Ter Sanctum collaudantes. Et Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Hoc ostende, ait Gigas, qualiter tria vnum sint. Ostendam etiam tibi, inquit Rolandus Christianus, per creaturas ( Extat quippe in omni re creata, Trinitatis quoddam vestigium ) Sicut in cithara, cum sonat, tria sunt: Ars scilicet, chordæ, & manus, & hæc tria, vna est cithara. Sic in Deo Pater, Filius, & Spiritussanctus vnus est Deus. Et sicut in amigdala tria sunt, corium scilicet, nucleus, & testa, Vna tamen amigdala est. Sic tres personæ in Deo sunt, & vnus Deus est. In sole tria sunt, candor, splendor, & calor, & tamen vnus sol est, in rota plaustri tria sunt, medium scilicet, ( Gall. appellamus, *le mi-*

*lieu, où est l'essueil de charrette*) brachia, & circulus, & tamen vna rota est. In temetipso, tria sunt, corpus scilicet, membra, & anima, & tamen vnus homo es. Sic in Deo, & vnitas, & Trinitas esse perhibetur. Nunc, Ferracutus, inquit, trinum Deum, & vnum esse intelligo. Hactenus ibi Dialogus Saraceni, & Christiani. Ex quo superficialiter saltem Trinitatis cum vnitate compossibilitas, elucescit. Similitudines autem, ac comparationes, ex creatis quibuscumque rebus desumptæ, quamquàm omnes sint imperfectæ, & diminutæ: (quandoquidem finiti ad infinitum, nulla sit proportio) tamen quæ suprà commemoratæ sunt, de sole, fonte, & anima rationali, imaginem Dei in se habente; ad propositum, præ alijs, facere magis videntur. Quamobrem in similibus, delectus erit habendus, concionanti ad populum, pro captu rudiorum, vt quod expedire videbitur, ad plebis ædificationem, & instructionem, ille in publicum proferat (prout Sp. sanctus illi suggesserit.)

Narrat Sigebertus in Chronicis, ad Annum. D.453. quomodo intra Gallias Arriana hæresi grassante, quæ inæquales dicebat personas, Filium videlicet, minorem Patre, & Spiritumsanctum vtróque inferiorem: Dominus tunc temporis miraculo ostendit, Deum in tribus personis, æqualis esse substantiæ, Quippe Vasatensi vrbe ab Hunnorum obsidione, diuino auxilio liberata, cùm Episcopus pro gratiarum actione missam populo celebraret, respiciens sursum, vidit desuper altare, quasi de camera templi cadere æqualiter tres guttas, æqualis magnitudinis, crystallo clariores, quæ simul defluentes, & in vnum coniunctæ, quasi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt: quam cùm in medio crucis aureæ, & gemmatæ posuissent, aliæ gemmæ ceciderunt, seorsum verò posita, infirmis dabat sanitatem. *Sigebert. Chronicis ad annũ Domini. 453.*

Adorantibus verò imaginem sanctæ crucis, augebat deuotionem, quia piis & mundis clara, & immundis obscura videbatur. Eadem de re Gregorius Turonensis, libro. primò de miraculis. §. 13. disertis verbis testatur, Dum Sacerdos, inquiens, missarum agit festa, pro liberatione vrbis suæ ac populi Vahatensis (Gallicè, *Bazas, en Gascoigne*) respiciens sursum vidit super altare, quasi de camera templi, (Gallicè, *de la voulte de l'Eglise*) cadere tres guttas; æquales magnitudine, claritate & candore crystallum vincentes. *D. Greg. Turonensis. l. 1. de miraculis. §. 13.*

Tunc Petrus quidam presbyter, qui magni meriti erat, exhibita argentea patena, guttas colligere nititur: quæ dum per altare vago cursu rotatur, defluentes in ipsam patenam, statim in se coniunctæ, quasi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt: patuitque euidenti ratione, contra iniquā, & Deo odibilem hæresim Arrianam, quæ eo tēpore pullulabat, hæc acta. Agnitúmque est, sanctā Trinitatem in vna omnipotentiæ æqualitate connexam, nullis garrulationibus posse disiungi. Tunc gauisus populus, crucem fecit in qua hanc gemmam statuit. Sed protinus, omnes reliquæ gemmæ, hac accedente ceciderunt. Tunc Pontifex intelligens non esse consortium cœlestibus, cum terrenis fabricata cruce, ex auro purissimo, eam gemmam, media intercapedine locat, & populo adorandam præbet.

Nec mora, fugato hoste, ciuitas liberata est. Iam ex hoc multi infirmi, hausto vino, vel aqua, in qua gemma abluitur, protinus sanitati redduntur. Denique cùm adorata fuerit, si à peccato est homo immunis, & ipsa apparet clara: Cæterùm, si, vt plerumque adsolet humanæ fragilitati, aliquid detulerit criminis, tota ei videtur obscura: mirámque præbet discretionem, inter innocentem, & noxium, cùm vni atra, alteri monstretur splendida. Hæc ibi. VViduerus quidam medicus, ex Iudaismo ad fidem Christianam conuersus, expendit istud, quod Iosue, c. 22. scribitur in fonte Hebraico, Filij Gad, & filij Rubē dixerunt, El, Elohim, Iehouah. El, Elohim, Iehouah. Fortissimus Deus Dominus ipse nouit: fortissimus Deus Dominus. Quòd si roges, Quare bis repetitur, fortissimus Deus Dominus? Respondent Thalmudistæ. Primò ter dixerunt, quia per hos tres creatus est mundus.

*VViduerus medicus ex Iudaismo ad fidem conuersus.*

*Ios. 22. c.*

Secundò verò, quia per hos tres quoque data est lex. Figuratur autem Trinitas *Daniel.* 5. in tribus digitis vnius manus, scribentis in pariete, coram Balthazar: Quando quidem tres digiti, tres sunt personæ. de quibus, Quis appendit molem terræ, tribus digitis? *Isa.* 40. *capite* hoc est, sustentat mundum virtute trium personarum: quæ sunt vnus Deus vna manus, & virtus diuina in essentia. Legitur quoque in Chronico Eusebij, quòd circa Augusti tempora, Romæ tres soles exorti, paulatim in eundem orbem coïerunt: Quo adumbrabatur, quòd vnius & trini Dei notitia, tunc mundo oriebatur. Non prætermittam istud *Ecclesiastæ capite.* 4. *Funiculus triplex difficile rumpitur*, vel, sicut ex Hebraico habetur: *Et filum trinum, non citò rumpitur.* Sensus eius

*Dan. 5. c.*

*Isa. 40. c.*

*Eusebij Chronicon.*

*Eccl. 4. c. Galatinus l. 2. c. 4. in fine.*

esse videtur, vt ponit lib. 2. c. 4. noster Galatinus, in fine capitis, quòd mysterium trini & vnius Dei, non facilè, nec citò discutitur. Sic ibi.

Vt autem pateat omnibus, immissum à Trinitate Sanctissima, & omnipotente Deo, aduersus eos, qui illam blasphemârint, iustum supplicium. Relegatur historia, De Olympio Episcopo Arriano; quam Ioannes Damascenus oratione. 3. de Imaginibus Petro Francisco Zino, Veronensi interprete, post media, sic ex historiæ Ecclesiasticæ Theodoreti tom. 4. recitat: Olympius quidam nomine in balneis, quosdam, qui lauabantur, ὁμυσίν, hoc est, eiusdem essentiæ vocem de filio dici comprobantes, conspicatus, istiusmodi verbis eos compellauit. quid enim est, inquiens, Trinitas? aut quo non in pariete inscripta est? Membrisque corporis necessarijs apprehensis. Ecce, inquit, & ego Trinitatem habeo. Quare, qui illic aderant, commoti illum erant interfecturi: sed in valli ambitu, prohibiti sunt à quodam, Magno Sanctorum Apostolorum presbytero, viro admirando, Deique studioso, qui sic eos est allocutus: Iustitiæ non latet oculum, cuncta spectantis, & punientis. quùm igitur hominis veneratione quieuissent, surrexit Olympius, & calidarum aquarum balneo lotus, vt fit, ad illud quod frigidas continebat egreditur. In quod cum descendisset, confestim egressus est, clamans, Miseremini. Et carnes suas vnguibus dilanians ab ossibus diuellebat. Hunc illi, qui circum aderant, comprehensum, linteo inuoluerunt, & præ frigore animo deficientem reclinarunt. Rogantibus autem, quidnam illi contigisset? Respondit, Olympius: Hominem vidi candidis indutum vestimentis, qui tres mihi calidæ siclas iufudit. ne maledixeris, inquiês. Qui igitur erant illi necessitudine coniuncti, sublatum in aliud balneum, quod Arrianorum hærebat Ecclesiæ, gestarunt. Verùm, cùm ex linteo vellet illum eximere, omnes illius carnes dilacerarunt, atque ita moriens, animam efflauit. Quæ quidem res per totum ferè peruagata regnum est. Hîc obiter obseruabis, ex Adonis Chronico, f. 178. Apud Carthaginem, hunc Olympium Arrianum, in balneis Sanctam Trinitatem blasphemantem, ignis iaculo visibiliter fuisse cōbustū. Prodiderunt autem quidam Olympium, cui id contigerat, quodam tempore, ab eorum, qui filium ὁμυσίον, hoc est, eiusdem essentiæ cum Patre fatebantur, cœtu, ad Afrij partes defecisse. Verùm, cùm ad aures regias peruenisset (erat autem Rex Anastasius) iussit miraculum in tabula coloribus expressum,

*D. Ioan. Damas. orat. 3. de imaginibus Zino interpre te. post media.*

ad Nerophorum (locum quendam intelligit) collocari: Hęc ibi de Ariano combusto, Annotatiumculæ in prædictam orationem Iacobi Billij extant, ad verba illa: Membrisque necessarijs apprehensis & vbi sic ille animaduertit. Recte sanè Zinus, hæc verba reddidit: καὶ χερτηθὰς τῶν ἀναγκαίων. τὰ ἀναγκαῖα enim, hoc loco idem est, quod αἰδοῖα, i. pudenda. Quodquidem cùm parum animaduerteret alter interpres, ad hunc modum vertit: Cúmque superior euasisset, sibi familiariter notis dixit &c. Atque ita transferendo, id quod in hac historia præcipui, ad impij Ariani blasphemiam declarandam, momenti erat, prorsus obscurauit. Nefarium enim illud hominis monstrum, ac verè diaboli organum, arrepto obscœno membro, in eo dicebat adiunctis testiculis, Trinitatem esse.

*Iac. Billius in præcedentem orat.*
*Zinus.*

Quam quidem immanem, ac plusquàm sacrilegam impietatem, æquo pede subsecuta pœna est. Hæc Billius bonæ memoriæ pientissimus & eruditissimus Abbas. quod autem ad eam rem pertinet meminime quandoque cum doctiss. viro Antecessore Aurelianensi, Gulielmo Fornerio, nuper defuncto, eo de loco contulisse. Ille, vt multæ ac variæ lectionis vir erat: probabat præfati Billij sententiam, quam ex Iuris prudentia etiam confirmabat, asserebátque, Iurisconsultos, per partem necessariam, pudenda ipsa intelligere vt pote ad gignendum necessaria membra. Legis, non recordor nunc quidem, Iuris studiosi viderint, satis sit præmonuisse. Quod dicit, siclas calidę tres, fateor, quid sibi velit interpres me non capere, nec satis assequi τρεῖς σίκλας θερμάς. i. tres in aures Lupini, Interpretatus fuerat, Godefridus Tilmannus, Carthusiensis, valdè obscurè. Existimo enim voluisse significare huius historiæ scriptorem, quòd tres mensuras, vel situlas calidæ in blasphemum cœlestis vindex proiecerit, quasi tria iacula ignita; quibus Arianus ille ictus, tanquàm fulminibus consumptus sit, Anno Domini. 510. vt scribunt concorditer Paulus Diaconus, lib. 15. in Anastasio, Matheus Palmerinus, in Chronico, Sigebertus item in Chronic. Sabellicus Enneade. 8. lib. 2. Marullus libro. 2. capite vndecimo Fulgosus, libro primo capite sexto. Platina, in Anastasio 2. Nauclerus volumine 2. Chronographiæ Generatione. 17. Martinus Polonus in Chronico, in Anastasio Imperatore Bernardus de Luxemburgo, lib. 2. in Olipio Arriano Episcopo, (vbi tribus igneis fulminibus visibiliter missis exustum illum fuisse tradit) Itē Ado in Chronico: Ætate. 6. f. 178.

*Godefridus Tilmanus.*
*Paulus Diaconus l. 15.*
*Matthæus Palmerinus in Chro. Sige. in Chronic.*
*Sabel. Ennea. 8. l. 2. Marul. l. 2. c. 11. Fulg. l. 1 c. 6. Pla. in Anast. 2.*
*Naucl. vol. 2. Gener. 17.*
*Mart. Poloni Chr Ber. de Lux. l. 2. Adonis Chr. f. 178*

Rectè tot ictibus ab Angelo visibiliter percussus, scelestus ille interiit, quot in Deo personas offenderat, quarum Trinitatem vnius esse substantiæ, vnus percussor declarauit. Hactenus de Siclis dictum sit, aquæ calidæ. Quid si siclos, pro σίκλας substitueris, supposuerisve? Est autem Siclus, σίκλος, apud Hebræos numisma. 4. drachmas valens Atticas, qua de voce, Bened. Arias Montanus, volumine 3. de siclo, in apparatu sacrorum Bibliorum, ita ait, Sekel (siclus) Antiquissima omnium est monetarũ, à verbo Sakal, quod ponderare Latinè dicere possumus; & Sekel, ipsum pondus non incócinnè interpretari. Hinc olim appēdebatur pecunia in statera, Affirmat autem, R. Moses Gerundensis nummũ illum (Siclum Israëlis, scilicet) sibi in statera pensum, dimidiæ argenti vnciæ pondus reddidisse. R. Salomon Iarhhi, qui ante illum in Gallia scripserat, in illa fuerat sententia, asserens, Siclum esse dimidiam argenti vnciam. Arias ait, se numisma habere argenteum, Sicli inscriptione, quod ad stateram examinatum, quatuor integras argēti drachmas, hoc est dimidiam vnciam reddit, non vulgaris vnciæ dimidium, sed eius, cuius Pharmacopæis, in medica materia expendenda, vsus est: quam semunciam Atticam, antiqui dixere: atque ita verissimum esse comprobatur, quod Iosephus in lib. antiquitatum docet, Siclum Atticè tetradrachmi pondus fuisse. Est igitur huius nummi pondus, quantum ferè 4 Hispanorum regalium nummorum. Quartæ partis Sicli moneta fuit in vsu, hoc est, drachma integra, quantus noster regalis dictus nummus est (Gall. *vn real d'Espagne valant 5. sols tz.*) Hæc de Siclo, ex Aria prædicto. Possent igitur per tres Siclos, in genere, tres mensuræ aquæ calidæ, consimilis ponderis intelligi: hoc est, Vnciam semis, vt Pharmacopolæ dictitant, vel, fortassis, in maiore quantitate. Coniecturam meám exposui, atque animi mei æstum circa id aperui candido Lectori Docti iudicent. Fuit Denterius quidam Arrianorum Episcopus, qui Bizantij baptizans virum Barbam nomine, dicebat: Baptizo te in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto minorem Patre, Filium, & Spiritum sanctum assere cupiens. Statim verò aqua, quæ ad baptizandum allata fuerat, nusquam comparuit. Baptizandus autem ad Catholicam Ecclesiam fugiens, iuxta morem fidei baptizatur in Catholica, & notum fecit miraculum, prout Paulus Diaconus, testatur, vbisupra. Ado Viennensis, Martinus Polonus, & Nauclerus locis suprácitatis. Ado tamen baptizantem, Barbam nominat. Sed Paulus Diaconus de gestis

*Bened. Arias Montan. vol. 3. de Siclo in apparatu Sac.*

*R. Moses Gerund. ante annos 400. in Catalonia floruit, & ante illum, in Gallia scripserat R. Salomoh Iarhhæus.*

*Iosephus, in Antiquit.*

*Paul. Diacon. vbi sup. Ado Viennensis. Martin. Polonus & Nauclerus vbi sup.*

Roman. lib. 15. in Anastasio Imp. Deuterium vocat, & Baptizandum, Barbam nuncupat. Sed hæc de solo nomine controuersia, rei gestæ veritatem nihil imminuit. Sed de his hactenus sit dictum. Iam ad contextum aggrediamur.

*Data est mihi potestas, &c.* Prima fronte emergit quæstio non contemnenda Quare non dixerit, data est mihi omnis sapientia, vel, bonitas, sicut dixit, Omnis potestas? Respondeo,
Luc. 24. Eius sapientiam satis fuisse perspectam, & cognitam *Luc. 24. Fuit vir propheta, potens in opere, & sermone* Imò infensissimi ho-
Ioan. 7. stes, suo calculo id comprobantes, dicebant, *Ioan. 7. Nunquam sic homo locutus est.* Bonitas quoque ipsius, vel ex eo satis innotuerat, quia animam suam voluntariè, boni pastoris more,
Ioan. 10. pro suis ouibus posuerat. *Ioan. 10.* Atque adeò seipsum in cibum, & potum præbuerat. Sed potentia eiusdem, quandoquidem in infirmitate depressa videbatur; Ideò illam ostendit, à
Hebr. 2. mortuis resurgens, seque cœli, ac terræ, Dominum esse demonstrat, his verbis visus; *Data est mihi omnis potestas. Hebr. 2.*
Philip. 2. Videmus IESVM, propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum. *Philipp. 2. c Propter quod & Deus, exaltauit illum, & dedit ei nomẽ, quod est super omne nomen.* Verùm, dicat aliquis. Quomodo nunc sibi datam, ait, potestatem omnem, cum ab æterno illam habuerit? Dicet fortè quispiam, secundum humanitatem id intelligẽdum fore, Sed in promptu est replica. Nonne etiam ab instanti conceptionis Christus omnem habuit potestatem? Responsio. Habuit quidem extunc quoque authoritatiuè (vt sic explicandæ rei ergò dixerim) at post resurrectionem, maximè innotuit, in prædicatione per totum mundum in Ascensione eius, in Spiritus sancti missione, sicq; executiuè, non nisi post suam resurrectionem, omnem in omnibus, plenam potestatem habuisse dicitur, quoad perfectam nimirum executionem; Alioqui voluit ipse passibilitati subiectus esse, propter nostram redemptionem Et quidem, ante resurrectionem, habebat potestatem gratis, seu ex mera gratia, & dono liberali: at verò, ex iustitia, illi propter obedientiam suam, ac meritum passionis, data est omnimoda potestas. Cuius rei typus, ac Figura, in Ioseph Patriarcha præ-
Genes. 41. cesserat, *Genes. 41. cap.* Dixit enim Pharao, ad Ioseph. Absque tuo imperio, non mouebit quisquam manum, aut pedem, in omni terra Ægypti. Fecitque eum ascendere super currum suum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent,
Psal. 104. & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti. *Psal. 104. Constituit eum Dominũ domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.*

Sic Patre iubente, absq; Christi, regis gloriæ, imperio, nullus angelorum, aut hominum, in vniuerso mundo manum mouebit, aut pedem. Ipse enim portat in fœmore suo scriptum. Rex regum, & Dominus dominantium, vt non semel in Apocalypsi scriptum legimus. Verum enimuerò, cum, *Philipp.* 2. dicatur, *Omne genu flectatur in nomine IESV, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & in Apoc. quæ sunt in cœlo, & in terra, ac subtus terram, &c.* Cur hoc loci de inferno est silentium? Respondeo, id satis notum fuisse, per ipsius à mortuis resurrectionem, quia nisi potestatem super inferna habuisset, victor ab inferis non resurrexisset. Adde quod terræ nomine, Infernus quoque comprehenditur, quippe qui, velut in centro terræ constituitur. Vnde cum *Genes.* 1. scribitur, *In principio creauit Deus cœlum & terram.* & in fidei articulo cum profitemur nos credere in Deum *creatorem cœli, & terræ, Matthæi, item* 11.*cap. cum* Dominus cœli & terræ appellatur, Illis in locis, terræ nuncupatione, etiam infernus debet subintelligi. *Igitur data est mihi potestas, In cœlo, & in terra, &c.* In cœlo quidem, vt ad vestrum subsidium mittam vobis Angelorum legiones, si opus fuerit, *Hebr.* 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? In terra verò, vt nihil, quod in ea creatum est vincere vos queat, ac superare. In cœlo, vnde propediem mittam vobis Paracletum, ac consolatorem. In terra, in qua vos constituam etiam principes, iuxta illud, *Psal.* 44. *Constitues eos principes super omnem terram.* quod de Apostolis dictum esse, nemo ambigit; quia regendis, & moderandis populis, Christus Apostolos præposuerit.

*Philip.* 2. & *in Apocalypsi*

*Gen.* 1.

*Matth.* 11.

*Hebr.* 1.

*Psal.* 44.

*Euntes ergo docete omnes gentes, &c.* Q. d. Si rerum omnium, imperiū, & monarchia penes me est, Iure ergo mihi obedire tenentur. Docete igitur omnes gentes; habeant fidem, Sacramentum fidei, ac bona opera. Tria enim hæc, ordine se consequuntur: Nam *sine fide, Impossibile est placere Deo. Hebr.* 11. *Et nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto nō introibit in regnum Dei. Ioan.* 3.*cap. Fides denique, sine operibus mortua est. Iac.* 2.*cap.* Docete proinde, Baptizantes eos, docentésque seruare omnia, quæcumque mandaui vobis. De baptizandis paruulis, hic est oportunus dicendi locus. qua de re F. Ambrosius Catharinus, Archiepiscopus Compsanus, suis in opusculis, speciali, de baptismo paruulorum, tractatu, ita habet: Baptismum paruulorum esse baptismum perfectum, iam non debet Catholicus dubitare, cum hoc & à Patribus sit creditum, &

*Heb.* 11.

*Ioan.* 3.

*Iac.* 2.

*F. Ambrosius Cathar. prædicator, in opusc. De baptismo paruulorum.*

in Symbolo, vbi, Vnum baptisma confitetur Ecclesia, conclusum, & in sanctis quoque Synodis confirmatum. Et cùm istud ita sit manifestum, prodierunt tamen hæretici Anabaptistæ, & alij quidam, qui secus prædicare non sunt veriti. Sic ille. Detorquent præfati hæretici verba ista: Docete, deinde,
*Marc.16.* baptizantes in nomine Pat. Fil. & Spir. sancti, & Marc.16. seu postremo omnium capite, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit.* Sed, aiunt illi, Paruuli, nondum rationis vsum habentes, credere non possunt, actuali fide, neque doctrinæ sunt capaces, non est ergo pædobaptismus approbandus, seu paruulorũ baptismus. Respondeo, locis præcitatis, Christum de adultis quidem verba facere, non autem de paruulis, vt verba ipsa satis declarant, veruntamen statutũ est omnibus ex æquo,
*Ioan.3.* absque vlla, ætatis, vel sexus, exceptione. *Ioan.3.* impositum à Christo dicente: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. sancto, &c.* Quod verò obiicitur, paruulos non credere, diluitur facilè, ac soluitur, non actualiter quidem, & fide acquisita, paruulos credere; sed bene habitualiter, & fide infusa. Accedit, quod baptizantur in fide Ecclesiæ, & parentum. Docentur autem, &, (vt verbo antiquissimo, & Ecclesiastico vtar) catechisantur, per medios susceptores, (Patrinos, seu, Patres spirituales vocant) qui eos, cum ad annos discretionis peruenerint, atque vbi adoleuerint, recipiunt, pollicentúrque edocturos fidei
*S. Dionysius Areopag. sub finem lib. de Ecclesiastica Hierarchia. Ioachimo Perionio interprete.* Catholicæ articulos, prout magnus ille Dionysius Areopagita, Franciæ Apostolus, disertis verbis, circa finem, lib. de Ecclesiastica Hierarchia. Ioachimo Perionio interprete, testatur, his verbis: Pueros verò etiam, qui nondum diuina mysteria intelligere possunt, diuini ortus participes fieri, sanctissimorúmque diuinæ societatis signorum; videtur quidem vt ais (Timotheum presbyterum alloquitur) non sanctis hominibus, & à religione nostra abhorrentibus, meritò risu dignissimum, si eos, qui audire non possunt, diuina Pontifices docent, & non intelligentibus frustrâ ea, quæ sanctè tradita acceperunt, traduut: quódque magis ridiculum est, quasi pro se aliis abrenunciationes dicunt, sanctásque professiones. Pontificia autem sapientia tua, iis qui in errore versantur, succensere non debet, sed religiosè pariter, ac eorum illustrationis, doctrinæque causâ, amanter respondere ad ea quæ obiiciunt, hoc etiam ex sancto instituto addens, non nostra scientia, diuina omnia circumscribi, multáque eorum, quæ à nobis ignorantur, causas habere Deo dignissimas,

quas nos quidem ignoremus; cognitas autem habeant nobis superiores ordines: multa etiam summæ illæ naturæ ignorant, & soli sapientissimæ, sapientiæque auctori, diuinitati planè sunt cognita. Tametsi hoc quoque de hac re dicimus, quòd diuini nostri Pontifices, à veteribus acceptum, nobis tradiderunt. Aiunt enim id, quod etiam verum est, pueros si in sancto instituto ac lege instituantur, ad sanctam animi constitutionem peruenturos esse, ab omni errore solutos, ac liberos, & sine vllo impuræ vitæ periculo. Hoc cùm in mentem venisset, diuinis nostris præceptoribus, placuit admitti pueros, hoc sancto modo, vt naturales pueri, qui introfertur, parentes, tradant filium alicui eorum, qui initiati sunt, bono puerorum, in diuinis rebus informatori: ac deinceps ei puer det operam, vt diuino patri, sponsorique sanctæ salutis. Ab hoc igitur, qui puerum, in sancta vita instituturum se esse pollicetur, exigit pontifex, vt ita dicam, abrenunciationum professionem, sanctásque professiones: non quòd, vt illi ridentes dicunt, alium pro alio diuinis sacris initiet. Non enim hoc ait, Ego pro puero abrenuncio, aut promitto, sed, puer abrenunciat, & profitetur. Id est, profiteor me huic puero suasurum, cùm intelligere sacra per ætatem poterit, diuinis meis institutionibus, vt & nunciũ remittat aduersariis, atque ab eis deficiat, & profiteatur exoluátq; diuina promissa. Non ergo, vt opinor, absurdum est, si puer diuinæ vitæ instituatur, cùm ducem, sponsorémque habeat, qui eum, & diuinarum rerum scientia imbuat, & ab aduersariis tutum custodiat. Participem verò facit puerum sacrorum mysteriorum pontifex, vt in eis educetur, nec agat vitam aliam, nisi eam, quæ diuina spectat semper, corúmque socia est in Sanctis progressionibus, & sanctum in eis habitum habet, eóque à diuino sponsore deducitur. Hactenus Dionysius sanctus. Quod autem de sancta Communione Eucharistiæ, meminit: sic accipe, quòd tunc ad sanctam Communionem est applicandus puer baptizatus, quando competenter, vel saltem aliqualiter capax est rationis, & informationis, atque deuotionis, vt à teneris annis assuescat rebus diuinis, *Adeò à teneris assuescere, magnum, multúmque est:* vt cecinit Poëta. Nam & Salomon, Prouerbium, ait, est. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Prouerb. vigesimo secundo cap.* Nec parùm refert, sic, vel, sic assuescere, inquit Aristoteles, Propterea verbum commune est: *Prouerb. 22.*

huius corporis participes efficimur, cogitemus, quòd illum sursum sedentem, qui ab Angelis adoratur, hunc degustamus. Item eodem tomo, lib. 3. de Sacerdotio, ô miraculum! ô Dei benignitatem! Qui cùm Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur.

Venerabilis Beda, tom. 8 lib. Quæstionum. quæst. 15. Per partes, ait, manducatur, & manet integer, totus in cœlo, manet item integer totus in corde tuo. Quibus ex Dictis, pater, Christi verum corpus realiter, præsentialitérque, vt ita dicam, in Ecclesia, sub Sacramento contineri, nobiscúmque in finem vsque mundi, permansurum. Atque, vt in Liturgia Græcorum habetur: Qui cùm Patre sursum sedet, & hîc nobiscum inuisibiliter coëxistit, atque versatur (in Eucharistia.) Hoc omnium clarissimè ostendit Vrbanus 4. Pontifex summus, de Petri Cathedra ita decernens, vt extat in Clementinis de reliquiis, & veneratione Sanctorum, cap. vnico: Hoc est, ait ille, memoriale dulcissimum, in quo profectò proficimus ipsius corporali præsentia Saluatoris. Alia namque, quorum memoriam agimus, spiritu, mentéque complectimur, Sed non propter hoc, realem eorum, præsentiam obtinemus. Venera. Beda.

In hac verò Sacramétali Christi commemoratione, Christus Iesus præsens, sub alia quidem forma, in propria verò substantia, est nobiscum. Ascensurus enim in cœlum dixit Apostolis, & eorum Sequacibus: *Ecce ego vobiscum sum, &c.* Benigna ipsos promissione confortans, quòd remaneret, & esset cũ eis, etiã præsentia corporali. Sic ille pontificaliter decreuit, ac ex Petri Cathedra declarauit. Consentit etiam D. Thomas Aquinas, in officio de hoc sanctissimo Sacramento. Hoc Sacramentum, ait, Christus instituit, tanquàm passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletiuum, miraculorum ab ipso factorum maximum. Et de sua contristatis absentia, solatium singulare. Sic ille. D. Thomas Aquinas.

Patet itaque, simul & semel Christum esse præsentem realiter in cœlo, & in terra (super altare) ô miraculum! Captiuandus est humanus noster intellectus, *in obsequium fidei. 2. Corinth. 10. cap. Præstet fides supplementum, sensuum defectui,* ait D. Thomas, in Hymno. Diuus autem Augustinus, tom. 10. Sermone 131. super Credo in Deum, &c. Dominus noster, inquit, non nos iubet discutere diuina, sed credere, nec rationem requirere, sed fidem simpliciter, & immobiliter exhibere. Non nobis veniat in cogitationem, quomodo hoc, aut illud potuit fieri, qui omnipotentem præcipimur cõfiteri. D. Augustin.

Idem rurſus Epiſt. 3. ad Voluſianum. In talibus rebus, tota ratio facti eſt potentia facientis. Epheſ. 3. Potens eſt Deus facere, ſupra id, quod petimus, aut, intelligimus. Vnde & Nazianzenus, Orat. 1. in Iulianum Apoſtatam. Quod, inquit, Pythagoræis fuit αὐτὸς ἔφα. Ipſe dixit, Nobis Chriſtianis eſt πίστευσον. i. Crede. Credere iubemur, dixit ſupra Innocentius, diſcutere prohibemur. *Niſi enim credideritis*, ait, *Iſaias ca. 7. non intelligetis.*

*D. Gregorius. Nazianzenus*

Vobiſcum ſum, inquam, ſecundum maieſtatem, ſecundum prouidentiam, ſecundum gratiam, ſecundum ſpecialem aſſiſtentiam, vt pote in concilio œcumenico legitimè in eo nomine, in Spirituſſancto congregato. *Act. 15. Viſum eſt Sp ſancto, & nobis, &c.* dicunt Apoſtoli, & ſeniores, in Synodo.

Vnde 1. *Timoth. 3. Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis Luc. 22. Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua. Eccl.* 40. Fides in ſeculum ſtabit. *&, Matth. 16. Portæ inferorum, non præualebunt aduerſus Eccleſiam meam*, repromittit pollicetúrque, ipſiſſima Veritas, Chriſtus. *Vobiſcum ſum etiam*, ſecundum veri corporis mei in Sacramento auguſtiſſimo, realem præſentiam, licet inuiſibilem, de qua Dominus. *Matth. 26.* dicebat: *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me non ſemper habebitis.*

*Ioan. Heſſe. in hunc locum Matthæi.*

Ego, magnam habet Emphaſim, ait Ioannes Heſſelius Louanienſis in Matth. 28. c. Q. d. Ego Deus, & homo, Dominus cœli & terræ, vt ſup. Ego, qui pro vobis miſer homo fieri, & per crucem mori volui: Ego, qui nunc ago vitam immortalem, vobiſcum ſum, ſcilicet, cum vobis vndecim, & omnibus diſcipulis meis, qui ſequuntur fidem veſtram.

Vobiſcum, id eſt, cum mea Eccleſia. Loquitur enim omnibus fidelibus, tanquàm vni corpori, Omnes enim vnum corpus ſunt, vnitate continuæ ſucceſſionis, ſicut ciuitas multis ſeculis vna permanet, etſi homo nullus ſit in ea, qui fuit, cum fundaretur. Sic dicit etiam apud Marcum cap. 13 Saluator Apoſtolis loquens: *Quod vobis dico omnibus dicò: Vigilate.* Nam ipſi Apoſtoli, non erant permanſuri, vſque ad conſummationem ſæculi: & de animabus Apoſtolorum non videtur eſſe Chriſtus ſollicitus, Nam etſi ſtatim Apoſtoli fuiſſent mortui, & multi fideles fuiſſent ſubſecuti, potuiſſent dicere, quòd cũ animabus eorum eſſet futurus, vſque ad conſummationem ſæculi, hoc autem non vult: ſed, ſentit perpetuò vſque ad diem iudicii extremi, futuros, qui credent in eum, & feruenter diligent, Q. d. Benè confidite vos facturos in Gentibus, nec vobis metuatis, in hoc periculoſo ſæculo, propter meam cor-

poralem, absentiam, quia ego vestræ progeniei, quam per Euangelium gignetis, adero, vt non deficiat. *Vsque ad consummationem sæculi.* Hoc dicit, non quòd postea non sit futurus cum illis, sed, quod minus verissimile videbatur explicat, vt muniat eos, ac roboret, contra pericula, quæ in hoc sæculo imminent, non in futuro. Nobiscum est Dominus Christus, non secundum propriam speciem humanæ naturæ (hoc est, visibili forma) sed secundum diuinitatem suam, & corporalem præsentiam in Sacramento Eucharistiæ. Nobiscum, inquam, est, tanquàm rex, & gubernator, & protector electorum suorum, qui eos à peccatis præseruat, & peccatorum concupiscentias vincere facit: tanquàm propitiator, peccatis eorum ignoscens, precésque misericorditer exaudiens.

Vnde Moses. *Deut.* 4. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Ex his dictis manifestum euadit, in quantis versentur tenebris Lutherani, & Caluinistæ (Húgnosticos, Galli hac tempestate appellant) asserentes Christianos plus mille annis in religione Christiana errasse, ac nūc primùm verum scripturæ sensum, sibi reuelatum esse. Cæci certè sunt, & cæcorum duces Nam si ita esset, Christus hic mentitus esset, aut etiam in religione errasset, nequaquàm enim, vsque ad consummationem sæculi suis adesset, imò neque vsque ad hæc nostra sæcula. Aut si ipsi, eius discipuli esse volunt, & hanc promissionem sibi arrogant, & attribuūt, ostendant doctores suos, qui suum Lutheranismum, aut Caluinismum, ad hæc vsque nostra tempora docuerunt, continuā successione, & fideles eos esse demōstrent, qui eis crediderūt. Hactenus Hesselius.

Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi, &c. Paulus de Palacio ad hunc locum, sic annotauit: Non sicut cùm Lucifero fuerat in cœlo, neque sicut cum Adam fuerat in Paradiso, neque sicut cum Moyse in Synagoga: cum his non fuit in finem sæculi. Fuit cum illis quidem, sed non vsque in finem perseuerauit: at sicut humanitatem, quam semel assumpsit, nunquàm dimittet, ita & Christianitatem.

*Paul. de Pala. ad hoc Euang. in Matt.*

De Iudæorum Synagoga dixit Christus, *Matt.* 23. *ca. Relinquetur vobis domus vestra deserta: Et, Ioan.* 14. *c. Surgite, eamus hinc,* At verò, Ecclesiæ vnicæ suæ sponsæ perpetuam promisit præsentiam.

Deinde subiungit de Palacio. Atqui taceri nullatenus debet, quòd cum illud, Ego, sit pronomen personæ primæ, Christum hîc denotans loquẽtem, (non solùm vt Deum, sed etiam vt hominem: Christus enim non solùm Deus est, sed, Deus, & homo:) fit necessariò, vt in rigore veritatis, Christus nobiscũ sit perpetuo: non, vt Deus solùm, sed etiam vt homo. Alioqui non se, sed Patrem suum nobiscum futurum polliceretur. At verò Christus (vt Deus, & homo) In Eucharistia duntaxat esse nobiscum potest: Igitur Christus perpetuò, nobiscum, in Eucharistia conclusus versabitur. Vbi ergo sunt mendaces hæretici, qui Christum in Eucharistia, esse, & contineri negant? Profectò, si in Eucharistia non est: nobiscum vt Deus, & homo non est. Mendacem igitur isti pestilentissimi, Christum faciunt, qua ratione se nobiscum futurum pollicebatur, qua nos eum in Eucharistia esse confitemur. Sic ille.

*Ioann. Gropp.* Ioannes Gropperus, consimiliter, tractatu de Eucharistia, Articulo. 1. c. 27. sub c. finem. Accuratè, inquit, nobis attendẽda venit, illa vel maximè consolatoria Domini nostri Christi promissio: ista nimirum, Ecce ego vobiscum sum, &c. Quæ sanè non debent de illius sola diuinitate accipi, quæ alioqui vbique est, & semper vbique fuit, quod etiam discipulos minimè latebat: sed quia id temporis malè illos habuit, quod Christus, non quidem diuinitatis suæ præsentiam, sed visibilem corporis sui speciem ipsis esset subducturus, consolatus est eos Dominus, quod deinceps perpetuo apud illos futurus & permansurus, nec eos vsque ad supremum mundi diem relicturus esset: hoc ipso nimirum, aliam quãdam magis familiarem illis pollicens suæ personæ præsentiam, quàm per solã diuinitatem. Hanc verò præsentiam Christiani in celsissimo hoc Sacramento, certò experiuntur, confirmati ipsius Christi verbis luculentis. *Hoc est corpus meum, &c.* Hæc Gropperus.

*Lyranus.* Concludam, si Liranum nostrum, in hunc locum produxero, sic scribentem: Vobiscum sum, &c. Asistendo, videlicet, cum illis ad miraculorum operationem, quibus confirmatur doctrina, *Marc. 16. Sermonem Domino confirmante, sequentibus signis, &c.* Et etiam est nobiscum, in Eucharistia, & per occultos instinctus. Sic ibi.

Rogemus D. O. M. humillimè, vt ipse semper nobiscum maneat, dicentes, cum duobus illis discipu-

lis,

lis, *Luc. 24. cap. Mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit*: ac cum Psalmographo: *Psalm. 50. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Fiat fiat.

*AMEN.*

# EODEM DIE, DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

## Quòd Patris cœlestis instar, misericordes esse oportet, ac de hypocritarum ingenio, & moribus.

## LVC. VI. CAP.

*Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini, &c.*



VCERE exordium, à Nazianzeno, Oratione de pauperum amore, oportunum censui. Est quidem, inquit, haud amodum promptum, & facile, in tanto virtutũ numero eam, quæ cæteris præstet, inuenire, eique primas honoris partes, laudisque palmam dare: nec minus vtique arduum, quàm in prato quodam plurimis, suauissimisque floribus ornato, florem omnium præstantissimũ, fragrantissimũmque reperire, alio nimirum, aliàs olfactum prospectũmque ad se retrahente, nósque primùm ad sui collectionem inuitante. Quantum tamen ipse assequi possum, ita res distinguenda, atque consideranda est. Præclara virtus est Fides, Spes, Charitas, tria hæc, ac fidei quidem testis est Abrahã *D. Gregorius Nazianzenus*

qui iustitiæ laudem, ob fidem consecutus est: Spei Enos, qui primus spe adductus est, vt Domini nomen inuocaret, Iustique etiam omnes, qui propter spem, afflictiones, & ærumnas ferũt: Charitatis D. Paulus, eo audaciæ progressus, vt Israelis causâ, sibi grauius aliquid imprecaretur, Deúsque etiam ipse, qui charitatis nomine appellatur. Præclara virtus est, hospitũ amor, testimonio est, si de iustis agamus, Loth Sodomita, moribus tamen nequaquam Sodomita: si autem de sceleratis, & flagitiosis, Raab meretrix, non tamen animo & voluntate meretrix, cui benè de hospitibus merendi studium, & laudi fuit, & saluti. Præclara virtus fraternus amor: eiusque rei locupletẽ testẽ habemus Iesum, qui non modò frater noster vocari, sed etiam salutis nostræ causâ, supplicio affici sustinuit. Præclara virtus est lenitas, & æquanimitas, quemadmodum Christus ipse nobis abundè testatur, vt qui, non solùm Angelorum legiones, ad eorum, qui violento, & barbaro impetu, in eum insurrexerunt, oppressionem recusauit: nec Petro solùm ob sublatum gladium succensuit: verùm ei quoque, cui vulnus inflictum fuerat, aurem in integrum restituit. Quo etiam in genere, Stephani deinde Christi discipuli virtus enituit: cùm pro iis, à quibus lapides in ipsum iactabantur, preces fudit. Præclara virtus est clementia. Testes prodeant Moses, & Dauid, quibus præ cæteris virtutum ornamentis, ea laus Scripturæ testimonio tributa est: prodeat etiam horum magister, non contendens, nec clamans, nec in plateis vocẽ emittens, nec iis, à quibus ad necem ducebatur obluctans. Præclara virtus est Zelus, testis Phinees: qui Madianitidem & Israelitam, vno eodémque ictu transfixit, vt Israelis filios à probro, & dedecore vindicaret, atque ex animi instituto nomen traxit. (Zelotes enim ob eam causam vocatus est) Testes etiam post eum illi, qui his verbis vtebantur. Zelo zelatus sum pro Domino omnipotente. Et, Zelotypus sum erga vos, Dei Zelo. Et, Zelus domus tuæ comedit me, &c. nec solùm hoc dicunt, sed etiam sentiunt. Præclara est corporis castigatio, Id tibi Paulus persuadeat, seipsum adhuc coercens, Castigo, inquiebat ille, corpus meum, & in seruitutem redigo, atque adeò Iesus ipse ieiunans atque tentatus, tentatorémque superans. Præclara res est oratio, & vigilia, cuius rei tibi fidem faciat Iesus sub passionis tempus, somno bellum indicens, precibúsque incumbens. Præclara res est castimonia, & virginitas. Fidem at-

toga Paulo, his de rebus leges instituenti, & matrimonii, ac virginitatis causam iustè, incorruptéque disceptanti. Ipsique etiam Iesu ex virgine nascenti, vt & procreationem honore afficiat, & virginitatem honore præferat. Præclara res est solitudo, & vita ab hominnm cœtu, commerciόque semota: Idque nunc docet Eliæ Carmelus, Ioannis desertum, ac mons denique ille, ad quem sæpenumero Iesus secessisse, secúmque per otium versatus esse perspicitur. Præclara res humilitas, animique demissio: eiúsque multa exempla passim habemus, ac præ cæteris mortalium omnium Seruatorē acDominū qui nonmodò seipsum ad formam vsque seruilē deiecit, sputorūque probro, contumeliæque faciē supposuit, &cū sceleratis reputatus est, is, inquā, qui mūdum à peccati labe purgabat: sed etiam discipulorum pedes, seruili specie abluit. Atque, vt cōpēdiosius de his rebus agam, præclara est cōrēplat o, præclara item actio illa hinc assurgens, atque in sancta sanctorum cōtendens, mentémque nostram, ad id, quod ipsi cognitum est, reuehens: Hæc verò Christum hospitio excipiens, officioséque colens, ac vita ipsa & moribus, vim sui erga eum amoris, testificans. Præclara virtus est obedientia, de qua diuinus vates Samuel. 1.*Reg*.15. *Melior est*, ait, *obediendia, quam victimæ*, testis prodeat ipse Dominus, *Factus Patri obediens, vsque ad mortem crucis. Philipp*. 2. qui & teste Euangelio. *Luc*. 2. *Subditus erat parentibus suis*. Quis, quæso, non laudaret castitatem matrimonialem vidualem, atque virginalem integritatem? Cùm voluerit idem Dominus Deus noster, nasci de perpetua ac illibara virgine semper intacta, atque immaculata. Et habere testimonium ab Anna vidua prophetissa: atque pro honorandis nuptiis, primū ibi facere miraculum, conuersa in vinum optimum, aqua, in Cana Galileæ? 1.*Reg*.15.

Si tamen ex Prophetarum, atque ipsius etiam Christi sententia, & authoritate, misericordiam, vt legis, & Prophetarum caput, spectemus, & consideremus, hanc cæteris præferendam virtutibus, non abs re æstimauerimus Oseas siquidem, vnus ex 12. quos minores prophetas appellant:) cap. 6. ita scriptum reliquit.. *Misericordiam volui, & non sacrificiū*. Quod & Christus ipse, suo calculo comprobauit, dicēs murmurātibus Pharisæis: *Euntes discite quid est· Misericordiam volo, & non sacrificium. Matth*. 9. *& 12. cap. Item cap*. 23. Pharisæis exprobrat, etiam cum imprecatione, quòd, quæ grauiora sunt legis, reliquissent: Iudicium nimirum, & misericordiam, & fidem, hæc oportuit facere, ait ille, & illa non omittere.

Verùm quid clariùs produci poteſt,ad huius confirmationem quàm, omni exceptione maius,Chriſti,hoc Euangelio,fidele teſtimonium, dicentis: *Luc.6.cap. Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt.* Ac rurſus,*Matth.25.cap.* Miſericordiæ opera,vitæ æternæ præmio compenſaturum ſe repromittit, Venite,inquiens,benedicti Patris mei,percipite regnum, &c. Eſuriui enim,Sitiui,& mihi ſubueniſtis. *Matthæi item cap.5.* Beatos prædicat in monte, miſericordes,quoniam *ipſi miſericordiam conſequentur?*

Quid plura? Nulla omninò res eſt, ait præfatus Theologus Nazianzenus,vbi ſuprà,quæ Dei beneuolentiam perinde conciliet,ac miſericordia (quandoquidem nec quicquam eſt, quod Deo congruentiùs offerri poſſit,vt pote, quem miſericordia & veritas antecedant, eíque miſericordia ante iudiciũ offerenda ſit) nec vlli alij rei potius,quàm humanitati,& commiſerationi,commiſeratio, & humanitas ab eo rependi ſolet, qui ſumma æquitate quemque remuneratur, atque in lance & menſura, miſericordiam conſtituit. Sic ille.

*Cicero.* Subſcribit & adſtipulatur Romanæ parens eloquentiæ Cicero,orat. pro Q. Ligario,ad Cæſarem ſic vertens ſermonem. Nulla de virtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt. Homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm ſalute hominibus danda. Vnde etiam *Claudianus, Panegyri.* Claudianus, Panegiri 7. de 4. Honorij conſulatu, ita cecinit:

*------ Quum vincamur in omni*
*Munere, Sola Deos æquat clementia nobis.*

Conſentit & Imperator,leg. finali Cod. de donationibus inter virum, & vxorem. Nihil, inquiens, tam peculiare eſſe Imperialis maieſtatis,quàm humanitatem,per quam ſolã Dei ſeruatur imitatio. Neque opus eſt hoc loco repetere multa *Pauſanias.* de ara miſericordiæ,apud Athenienſes,qua de Pauſanias lib.1. *Plutarchus.* Plutarchus to.1. opuſ. de ſuperſtitione,& Statius Papinius,lib. *Statius poeta.* 12. Thebaidos.

*Et miſeri fecere ſacram, ſine ſupplice numquam*
*Illa nouo, nulla damnauit vota repulſa*
*Auditi quicumque rogant, noctéq;, dieſq;*
*Ire datum.*

*Eſtote* proinde *miſericordes, ſicut & pater veſter, &c.* Non vult, vt eum potentia referamus: Ideò enim cecidit Lucifer, quia dixit, *Aſcendam, ſimilis Deo altiſſimo*, Non in Sapientia, vt voluit

Eua: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*, dixit Seductor, *Genes.* 3. Hinc mali labes. Non vt in miraculis edendis, faciendísque illum imitemur. Nec etiã in creatione, aut gubernatione mundi, sed, *Mat.* 11. *Discite à me*, ait Christus, *quia mitis sum, & humilis corde*, In misericordia igitur est à nobis cœlestis Pater imitandus. Quãdoquidẽ Deus dicitur, *Pater misericordiarũ* 2. *Cor.* 1. *Ephes.* 2. *Diues in misericordia. Thren.* 3. *Misericordia Domini*, ait ex vtero sanctus vates, *quia non sumus cõsumpti, quia nõ defecerunt miserationes eius.* Verùm de immensa Dei erga nos miseros peccatores, misericordia, aliàs (Deo benè propitio) plura. 2. Cor. 1. c.

Obserua autem, quòd tria mouere nos debent ad faciendam misericordiam, videlicet, necessitas, vtilitas, & congruitas. Necessitas quidem, quia *Iac.* 2. *c. Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam.* Vtilitas autem, quia *Matth.* 5. *c. Misericordes, misericordiam consequentur.*

Denique, congruum est, vt cùm homo indigeat misericordia, in alios etiam misericors existat. *Prou.* 9. *c. Homo indigens, misericors est.* Qui indiget misericordia, aliis debet misericordiã exhibere. Vnde apud Poëtam quædam sic ait:

*Non ignara mali, miseris succurrere disco,*

Qui enim perpessi sunt ærumnas, faciliùs ad misericordiã incitantur, prouocantúrque. *Heb.* 2. *c. Debuit Christus, per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret.* In eo enim, in quo passus est, potens est eis, qui tentantur auxiliari. Fortasse permisit Deus Petrum labi & in peccatum ruere, vt inde disceret misericordiam facere peccatoribus, agnoscens, ac recolens, misericordiã se etiam indiguisse. Contrà verò, de quibusdam per prophetam *Amos c.* 6. dicitur, *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Ioseph.* i. non compatiebantur super destructione populi Israel, vt Lyranus noster, ibidem interpretatur. De impiis scripsit Sapiens. *Prou.* 12. *viscera impiorum crudelia.* At verò, *Eccles.* 44. de piis hominibus dicitur: *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defecerunt. Iac.* 7. *c. Hæc ait Dominus exercituum. Iudicium verum iudicate, misericordiam & miserationes facite, vnusquisque cum fratre suo. Et* 1. *Ioann.* 3. *c. Qui habuerit substantiam, viderit q; fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei est in eo?* Distinct. 83. c. Pasce, ex D. Ambrosio. Pasce fame morientem, si non paueris, fame occidisti. Hoc ipsum virtualiter dixit Iurisconsultus. l. necare, seu, digestis, de agnoscendis, & alendis liberis. Necare videtur, qui alimonia (in neutro genere, & Lyranus. D. Ambros.

pluraliter) denegat. Hoc habent etiam Apostolorum sacri Canones, siquis Episcopus; inquit, canon 58. Clerico egeno necessaria non suppeditauerit, deponatur: vt qui fratrē suum interfecerit (Græcè sic: ὡς φονεύσας τ̃ ἀδελφὸν αὐτ̃.)

*Sicut Pater vester*, &c. *Estote imitatores Dei, sicut filij charißimi*, clamat Apostolus, *Ephes. 5. ca. Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. Matt. 5. Vt sitis filij Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: Pluitq; super iustos & iniustos.* Probi filii patrem imitantur. Patrem enim sequitur sua proles. *Si filij Abrahæ estis*, ait Christus Iudæis, *Ioann. 8. c opera Abrahæ facite.*

Virgi. Æneid. 1. Vnde Æneas apud Poetam, Æneid. 1. Ascanium filium sic affatur:

*Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem,*
*Et Pater Æneas, & auunculus excitet Hector.*

D. Augustin. In imitatione potissimum, verus Dei cultus consistit, Diuo Augustino (cui hæc dies sacra est) docto. to. 1. li. 8. de ciuit. Dei, c. 17. Summa religionis est, inquit ille, imitari, quem colis. Ante quē Seneca li. 5. epist 96. ep. Satis Deos coluit, dixerat, quisquis imitatus est. *(margin: Seneca.)*

*Estote igitur misericordes, sicut & Pater vester*, &c. Alioqui degeneres estis, & adulterini, non filij legitimi. Crudeles nāque & minimè misericordes, indigni sunt tam honorifica appellatione Filiorum Dei, seu, verorum Christianorum: Quinimo annulo fidei priuari demerentur. Scribit Valerius, li. 3. c. 5. de Cneo Scipione, Africani maioris filio, quem cùm degenerantem conspicerent propinqui, è manu eius annulum, in quo caput Africani, sculptum erat, detraxerunt. Sic honore filiationis diuinæ & adoptione tam honorifica, planè priuandi sunt, tanquàm indigni, qui misereri aliorum dedignantur, ac negligunt. Quibus iure, istud, Alexandri, ad quendam sibi æquiuocum, & timidum, verbum asperum, quadrabit. Adolescens, inquit ille, aut nomen, aut mores mutato. Sic Maximus, monachus, Ser. 4. de fortitudine retulit. *(margin: Valerius.)*

Animaduerte, Hominem, à Deo conditum esse, ad ipsius imaginem, ac similitudinem, Genes. 1. cap. Similem ergo hominem esse oportet Deo, in misericordia præsertim, quæ Deo præcipuè conuenit. Ita enim Catholica orat Ecclesia: *Deus, cui propriū est misereri semper, & parcere.* Nobilissima cōditio Dei est, liberaliter omnibus dare, iuxta verbum Domini. *Act. 20. Beatius est dare, quàm accipere.* Deus omnibus dat, & à nemine accipit. Vnde, qui aliis hominibus misericordem se præbet, *(margin: Ecclesia.)*

exhibétque,Deo efficitur fimilior.Magna certè,laus, & egregia,hominem Deo affimilari: Exiftimare proinde debemus excellentifsimam hanc effe virtutem,nempe,mifericordiam, quando hominem fimillimum Deo efficit. Dicebat olim feductor mulieri.*Genef.3. Eritis ficut Dij fcientes bonum,& malum* Quæ mendacibus verbis ferpentis nimium, heu!credula feducta fuit. Veritas autem ipfa, Chriftus, veraciffimè pollicetur,nos Deo fore fimillimos, fi mifericordes erga alios fuerimus,ficut & Pater nofter cœleftis mifericors eft. Sed, proh dolor! *homo cum in honore effet non intellexit*, ait regius Pfaltes, *comparatus eft iumentis infipientibus, & fimilis factus eft illis.* Quid enim truces, crudeléfque hominum venatores, ( vt erat Nembrod tyrannus, fortis, ac robuftus venator coram Domino, *Genef.* 10 ) quid(inquam) aliud funt, quam immanes, ferocéfque belluæ, Leones, tygrides, pardi, vrfi, & lupi rapicesſ? à quibus bellum, κατ' ἀντίφρασιν dictū, quod minimè bellum fit, nomenclaturam deduxiffe dicitur, Autore Pompeio Fefto. Bellum enim, ait ille, à belluis dicitur, quia belluarum fit perniciofa diffenfio. Sic ille. Pugnaces igitur homines, nihílque aliud, quàm, bella, cædes, & fanguinem fpirantes, pacífque ofores, & à mifericordia omninò auerfi alienatíque, nōne fimiles funt beftijs? Hominem fiquidem à natura ita comparatum videre eft, vt, ex Plinio, fcribit Luidanus, in Epiftola, Panopliæ Euangelicæ, dedicatoria: non vt bello gerendo fit idoneus, fed perpetuus vt pacis cuftos, concordiam tam corporum, quàm animorum colat. Cùm enim varijs animātium generibus, varia quafi inftrumentorum bellicorum, fic membrorum armà dederit, quibus fe aut ad abarcendas, propulfandáfve iniurias tueantur, aut hoftem, ipfis alioqui vel infidiantem, vel machinantem vlcifcantur: at vni tamen homini hæc in vniuerfum omnia negauit. Siquidē Elephāto fuā largitur probofcida(Gall. *la trompe de l'Elephāt*) dentéfq; immanes, quibus fuæ gētis hoftes, aut arceat, aut faucios propellat. Aquilam vnguibus armauit aduncis, roftróque hamofo, vt fuā falutem à Draconis iniuria fibi afferat. Turturi fuum exacuit roftellum quo fuā fibi innocētiam, ab Ignaria hofte vindicet. Araneum videas fuo armatū aculeo, ne à ftellione deuoretur impunè. Leonem denique, ceu quendam animalium omnium regem, omnibus terribilem, toruo finxit vultu, oculis igne micantibus, pedibus vngue adunco ceu harpagone horridis, roftro ferratis dētibus formidabili, rugitu etiā horribili, qui fua occulta vi, tantum cęteris incutit trepidi metus, vt timore

*Genef. 3. c.*

*Pfal.*

*Genef. 10. c.*

*Pompeius Feftus.*

*Luidanus Ep. nuncupatoria Panopliæ Euang.*

exanimati vel sæui lupi sese leuare, nedum loco mouere non sustineant, quem ille sua, veluti circino, (Gall. *vng compas*) aut sceptro potiùs regio, cauda circumscripserit. Hæc atque id genus innumera, cùm illis donasset natura, vni inter animantes omnes tamen negauit homini, quo eum pacis (vt ita dixerim) mancipium, & concordiæ custodem, humanitatis quoque omnis cultorem, ac misericordiæ amantissimum, creatum esse admoneret. Vnde ei nec acuminatum caput, quod ictus facilè decuteret inflictos, nec globosum dorsum, quod ictus eluderet; nec manus vngulatas quæ aduersarium læderent: nec cutem denique aut setis hirtam, aut corio duram, nec villis hirsutam, nec squamis contextam, ac quasi ferruminatam dedit, quæ ad pugnam animaret, vel inferendam, vel etiam illatam sustinendam. Hactenus ille.

*Plin. l. 7. Proæmio.* Ea de re sic Plinius, l. 7. Proœmio, Historię naturalis: Non est satis, inquit, æstimare, parens melior homini, an tristior nouerca fuerit natura. Ante omnia vnum animantium cunctorum, alienis velat opibus: cæteris variè tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera. Truncos etiam arboresque cortice, interdum gemino, à frigoribus, & calore tutata est. Hominem tantùm nudum, & in nuda humo, natali die abijcit, ad vagitus statim, & ploratum, nullúmque tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus vitæ initio, principióque. Hęc ibi. An non hæc omnia considerata penitus, & quod dici solet, intus, & in cute, probè expensa, nos ad misericordiam excitare debent, vt similes Deo, belluis autem dissimiles videamur? Sed de his Hactenus, ad reliqua pergamus.

*Nolite iudicare, & non iudicabimini &c.* Ostendit nunc, in quo misericordia consistat, nempe; si proximos haudquaquam iudicauerimus temerè. Charitas quippe, non cogitat malum,

*I. Cor. 13.* ait Apostolus. 1. *Cor.* 13. *cap.* nec de fratre sinistre suspicatur. Oculi Adami innocentis nuditatem non videbant, sed post admissum scelus, deperditámque innocentiam, nuditatem perceperunt, & se esse nudum parens noster exhorruit. In innocentia Oculi ipsius solùm nouerant bonum, post delictum verò, sciuit Adam per experientiam bonū, & malum: & potiùs malum, quàm bonum. Vetat autem misericordia, ne quid sinistri de proximis suspicemur, néve fratres nostros temerariè iudicemus: Quinimò omnia potiùs, in meliorem partem interpretemur, & æqui, bonique omnia consulamus.

Aduerte autem, quod hîc non agitur de eo iudicio, quod ad iudicem, vel prætorem spectat: sed de iudicio, quo mali quidpiam de proximis, ex leuibus coniecturis, suspicamur, illos temere iudicantes esse peccatores, quale erat supercilium pharisæorum, qui omnia sinistrè, inque partem deteriorem interpretari in more habuerunt, leuissima quæque exaggerantes, perinde ac si grauissima fuissent crimina, veluti non lauare inter manducandum manus, spicas sabbathis colligere, cum publicanis mensæ recumbere, quæ omnia in Christo, ipsiúsque Apostolis, reprehendebant, vt atrocia, & ingentia scelera.

Porrò, Obserua, quòd si signa sunt euidentia, liceat quidem tunc iudicare. Si enim aliquem blasphemantem audiero, iudicare possum, quòd ille blasphemus sit, quia de eius constat blasphemia. Ex vehementibus quoq; coniecturis, licet quandoque iudicium ferre, ac sententiam, vt si suspectum de fornicatione, cum muliere similiter fornicaria deprehenderis, in loco huic turpitudini apto, & conuenienti, an non vtrumque huius criminis reum statim iudicabis, nec sanè iniuria, & abs re? Veruntamen ex leuibus signis, non conuenit sinistrè iudicare. Vehementissimus quidem est naturæ affectus, vnde. 3. Reg. 3. ex eo iudicauit Salomon, quænã fuerit vera ac germana mater infantis viui. *Date, inquit, hunc infantem viuum. Hæc est enim mater eius.* 7. At ex leui suspicione, nemo bonus ac probus vir, vnquã iudicauerit: aut in re dubia, temerè diffinierit. quilibet namque præsumi debet bonus, donec constiterit de opposito. Et quod veluti regula Iuris vulgo circumfertur: Dubia semper in meliorem partem, interpretanda sunt. Beda Venerabilis, in Homilijs, super D. Lucam, & habet extra, de regulis Iuris, cap. 2. *Estote misericordes &c.* Hoc loco, ait, nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est (Matth. 7.) *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*: de manifestis dictum est, quę non possunt bono animo fieri: vt stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietates, & similia, de quibus nobis permittitur iudicare. Sic ibi. Nota, inquit in eum locum Glossa, dubia in meliorem partẽ interpretanda esse, quia potius debemus præsumere bonum, quàm malũ. Benigniorem quippe interpretationem sequi debemus in re dubia, quemadmodum Marcellus. I.c. respondit l. 3. Proximè Dig. De his, quæ in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur? In re dubia, ait, benigniorem interpretationem sequi, nõ minus

3. Reg. 3 c.

*Extra de regulis Iuris. ca. Estote misericordes.*

*Matth. 7. c.*

*Glossa in Decretalib.*

*l. 3. Proximè. ff. de his, quæ in testam. delentur &c.*

iustius est, quàm tutius, vel, non minus iustū est, quàm tutum.
D.Th.2.2.q. Sic ibi. Ad hæc D.Thomas.2.2.qu.60.ar.4.quærit examinát-
q.art.4. que, vtrum dubia sint in meliorem partem interpretāda? Ci-
Rom.14.ca. tat Glossam super illud, *Rom. 14. Qui non manducat, manducantem non iudicet* ita dicentem: dubia in meliorem partem sunt interpretanda. Addo, idem sentire, ac dicere. D. Augustinum, to.4.l.2.de ser.n. Domini in monte. post medium: Nolite iu-
Matth.7.c. dicare, ait Dominus, Matth.7. ne iudicetur de vobis &c. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi, vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiāt in meliorem partem interpretemur: Et cętera, quę supra ex Beda, produximus, D. Thom. vbi
Idem Thomas, suprà. Vbi, inquit, non apparent manifesta iudicia de malitia
art.3. vbi su. alicuius, debemus eum vt bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est. Idem, articulo.3. inquirit, Vtrum iudicium ex suspicione procedens, sit licitum? Respōdet autem, quòd sicut Tullius dicit, suspicio importat opinionem mali, quando ex leuibus iudicijs procedit. Et contingit ex tribus: Vno quidem modo, ex hoc, quòd aliquis ex seipso malus est, & ex hoc ipso, quasi conscius suæ malitiæ, fa-
Eccle.10.c. ciliter de aliis malum opinatur, secundum illud *Eccl. 10. cap. In via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Alio modo prouenit ex hoc, quòd aliquis malè afficitur ad alterū; Cū enim aliquis contēnit vel odit aliquē, aut irascitur, vel inuidet ei, ex leuibus signis opinatur mala de ipso: quia vnusquisq; faciliter credit, quod appetit. Tertio modo, prouenit ex longa experientia. Vnde Philosophus in 2.Rhet. dicit, quòd senes sūt maximè suspiciosi, quia multoties experti sūt aliorū defectus. Verba ipsius Arist.to.1.l.2.Rhetor.ca. 13. hæc
Arist.to.1.l. sūt, circa principiū ca. At verò senes, & qui iam grandes natu
2.Rheth.c.13 sunt, ingenio prauo, morosóque sunt. Est enim cacoëthia, vi-
circa c.exord. tiū, cū in deteriorē partē omnia capiuntur. Et suspiciosi sunt, eò quòd nemini credant: Credunt autem nemini, propter experientiam, & vsum. Hæc ille. Primæ autem duæ suspicionis causę, manifestè pertinent, ad peruersitatem affectus, Tertia verò causa diminuit rationem suspicionis, inquantum experientia ad certitudinem proficit, quæ est contra rationem suspicionis. Et ideò suspicio vitium quoddam importat, & quantò magis procedit suspicio, tantò magis suspicari est vitiosum. Est autem, prosequitur ibidē D. Thomas, triplex gradus suspicionis, Primus quidem, vt homo ex leuibus iudicijs de bonitate alicuius dubitare incipiat. Et hoc est veniale, & leue peccatum, pertinet enim ad tentationem humanam, sine

qua vita ista non ducitur, transfigitúrve, vt habetur in Glossa super illud. 1. *Cor.* 4 *nolite ante tempus iudicare &c.* Secundus gradus est, cùm aliquis pro certo maliriam alrerius æstimat ex leuibus indicijs, Et hoc si sir de aliquo graui, est peccarum mortale, quatenus non est sine contemptu proximi. Vnde Glossa ibidem subdir: Si ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen.i. diffinitiuas, firmasque sentenrias continere debemus. Tertius gradus est, cùm aliquis iudex ex suspicione procedit, ad aliquem cōdemnandum, & hoc directè ad iniustitiam pertinet: vnde est peccatum mortale. *1.Cor.4.c.*

Hucúsque D. Thomas. Nolite ergo iudicare, temerario iudicio, & ex animi amaritudine atque maleuolētia. Etenim, Doctore D. Augustino. l. 2. de sermone Domini in monte. v. s. Duo sunt, in quibus temerarium iudicium cauere debemus: Cum incertū est, quo animo, quidque factum fuerit, vel, cum incertum sit, qualis futurus sit, qui nuncvel bonus, vel malus apparet. Si ergo quispiam, verbi gratiâ, conquestus de stomacho, ieiunare noluit, & tu non credens, edacitatis id vitio tribueris, remerè iudicabis. Item si manifestam ebriositatem cognoueris, & ita reprehenderis, quasi nunquàm illa possit corrigi, nihilominus temerè iudicabis. Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus, quo animo fianr: neque ita reprehendamus, quæ manifesta sunr, vt desperemus sanitatē. Ergo de temerario & iniquo iudicio, hoc loco Dominus monet, ait ibi. D August. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? In quo enim alium iudicas (inquit Paulus, electum Sp. sancti organum) teipsum condemnas. Adeò siquidem deprauata est quorundam, imò penè omnium nostrûm, consuetudo, vt faciles simus vniuersi, ad temerè iudicandum de proximis: adeò excreuit hominum malitia, quam vt coërceat, refrenétque Dominus, seuerè prohibet, vetárque, ne alios iudicemus, néve, quod Deo proprium est, impiè nobis vendicemus, & arrogemus. Homines quippe vident ea, quæ parēr, Dominus autem, intuetur cor. 1. *Reg.* 16. Cur ergo Dei officium tibi vsurpare conrendis, cùm ipse interiores hominum intentiones nouerit, iudicétque. *D. Aug. l. 2. de ser. Domini in monte vbi suprà.* *1.Reg.16.c.*

Et nō iudicabimini, nempe, de hoc peccato iudicij temerarij: Nam de alijs sine dubio iudicabitur, ait nosterSrella in hunc locum, Commenrarijs suis in D. Lucam, Nam quamuis aliquis non iudicer alios, nec aliquid mali commiserit circa hanc Christi prohitionem, si aliàs sit vsurarius, forni- *Didacus Stella minor his Ioan. com. in Luc. 6. c.*

cator, vel alio quouis modo sceleratus, Iudicium vtique Domini experietur, & damnabitur propter huiusmodi scelera.

Nolite condemnare, &c. Hæc verba consequentia sunt, ad superiorem doctrinam; Nam condemnatio iudicium sequitur, ergo iniusta interdicitur aliorum condemnatio. Et non condamnabimini, nempe, propter peccatum condemnationis iniustæ proximi sui, quamuis pro aliis damnabitur: etiamsi ab hoc immunis sit, & exhors. Hæc Stella, nostri instituti, *Dimittite, & Dimittemini, &c.* Misericordia etiam consistit, in remittenda offensa, seu, Iniuriæ, Q.d. Dimittite iniurias, vobis illatas, & dimittetur vobis peccatum à Deo, quem mille flagitiis semper offendistis. *Marc. 11. Cùm stabitis*

Marc. 11. *ad orandum, ait Dominus, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem; vt & Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quòd si vos non dimiseritis: nec pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.* Ideóq; orare nos docuit, *Matth. 6. Dimitte nobis debita*

Matth. 6. Coloss. 3. *nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et *Col. 3.* Apostolus: *Supportantes inuicem: & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam. Sicut & Dominus donauit vobis: Ita & vos.* Verum de reconciliatione fraterna, atque inimicorum dilectione, nos in Decadibus nostris plura protulimus, ad quas

Sac Decades authoris. remissos cupimus beneuolos lectores.

*Date & dabitur vobis.* Date pauperibus, bona temporalia, Dabítque vobis Dominus, pro illis æterna. Nihil vnquam defuturum est, ex necessariis, &, qui pauperis miserebitur sicuti viduæ mulieri, quæ Eliam excepit hospitio, contigit: cui farina, & oleum non defuit, insigni, profectò, memorandóque miraculo. *3. Reg. 17. c. Luc. 11. Date eleemosynam, & ecce*

3. Reg. 17. & Luc. 11. c. item 16. ac 19. *omnia mũda sunt vobis, c. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Item, c. 19.* Proponitur Zachæi, memorabile exẽplum, dimidium bonorum suorũ, in pauperibus alẽdis, erogãtis. In cuius verbis obseruandæ sunt cõditiones requisitę ad tribuendã eleemosynã. Exigitur nimirum, vt sit prompta, *Ecce,* inquit ille: vt sit item larga, *Dimidium:* vt etiam de bonis sit, non corruptis, nullíusque pretij, aut valoris, ac momenti, rebus: Idcirco addit, *Bonorum,* vt sit propria, siue, de propriis facultatibus, non de rapto, aut alienis bonis. Ideò inquit, *Meorum.* Requiritur insuper, vt sit gratuita, & liberalis. *Do,* Sit prætereà, discreta, vnde subditur, Pauperibus, Denique, vt sit ordinata in debitum finem, nempe, propter Deum. Idcirco dixit, *Domine.* Salus huic domui facta est, respondit Dominus, eò quòd, &

ipse, Zachæus nimirum, sit filius Abrahæ.

Legitur in promptuario exemplorum discipuli litera, E. exemplo 12. quod Abbas quidam hospitalis erat, & circa pauperes multùm misericors. Quantóque ampliùs opera charitatis pauperibus exhibuit, tantò illi, ac domui eius, Dominus benedixit. Post cuius mortem successor eius, auaritiâ stimulatus, hospitalitatem exclusit, consuetáque erga pauperes subsidia, subtraxit. Charitate igitur exclusa, ac relegata, proficere non potuit monasterij substantia: Imò breui tempore ad tantam paupertatem deuenerunt Monachi, vt vix haberent, quod manducarent. Die verò quadam, vir quidam venerandæ ætatis, venit ad ostiarium, quæsiuítq; hospitium. Quem quidem ille clàm collegit, ac hospitalitatis officium illi impendit: hoc etiam adiiciens. Nulla te capiat admiratio, bone vir, quòd tam negligenter, & parcè tibi procuro; quandoquidem necessitas, & magna rerum penuria in causa est. Aliquando talem vidi monasterij statum, vt si aduenisset Episcopus, cum maxima charitate, ac rerum omnium copia, & abundantia fuisset receptus. Respondit ille senex dicens: Duo fratres expulsi sunt de monasterio isto: nisi illi reducantur, fuerintque reuersi, nunquã bonus monasterij huius, futurus est status. Horum fratrum vnus, vocatur *Date*, alter verò *dabitur*; Sicque ab oculis eius recessit. Aliquem puto fuisse Angelum, per quem Dominus illorum Monachorum emendare voluit charitatis defectum. Q. d. Sicut Angelo Ecclesiæ Ephesi. *Apoc.* 2. dictum legimus: *Habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Sic ibi. Ostiarius autem cùm esset Laïcus, nomina eadem considerauit, & Abbati, fratribúsque audita recitauit. Resumpta est itaque hospitalitas, & cœpit monasterium, vt priùs reflorescere, benedicẽte illis Domino, Cæterùm, In omni religione, in qua isti duo fratres scilicet, Date, & dabitur, fuerint, nunquàm necessaria deficient, sicut legimus de sanctis Patribus, quomodo ita charitatim erant, quòd etiam sanctos Angelos hospitio exceperunt. Hactenus ex Promptuario exemplorum.

*Promptuariũ exemplorum discipuli. ord. prædic. litera E. exemp. 12.*

*Apoc. 2.*

Subiiciam & in eam rem aliam, lepidam sanè, historiam, quam ab Alano Copo Londinensi, in Dialogo. 6. contra Centuriones Magdeburgensis, cap. 32. mutuatus sum. Sic proinde ille scribit. Fuit aliquando Robertus, Monasterij

*Alanus Copus Dialog. 6. c. 32. aduersus Magdeb.*

(quod ab Asello nomen habet) præfectus, homo sordidus, parcus, tenax. In foribus verò monasterij, inscriptus erat ab antiquo ille versus:

*Porta patens esto, nulli claudaris honesto.*

Vnde quasi propter hospitalitatis, quandam tesseram, pauperes, & peregrini eò frequentes conuolabant: atque illius hospitalitatis nomine, fuit illud monasterium celebre. Robertus cùm videret, eam frequentiam suæ auaritiæ obstare, quam eò, versus ille, proliciebat, non ausus eum abolere, seu, expungere, ac inducere, deleréve, calidè tamen cæsura, manentibus ad hunc modum verbis,

*Porta patens est onulli, claudaris honesto:*

Sensum, & antiquam hospitalitatis gratiam aboleuit. Auctoritate enim ipsius versus, aduentantibus hospitium se renunciare dicebat. Qua querela ad Episcopum delata, Episcopus à præfectura hominem amouit. Atque ita quidem Robertus, quamuis ab Asello, non tamen ab asinis ad boues, quod prouerbio dicitur, transiuit. Vnde versus iste iactari cœpit.

*Ob solum punctum, caruit Robertus Asello.* Hæc ibi.

Nos Gallico prouerbio efferre solemus: *Pour vn seul poinct, Martin perdit son asne.* Rursus, in Promptuario, Exẽpl. 13. scriptũ quòd, cum quidam Episcopus prædicaret inter Sarracenos, legimus, quendã eorũ conuertit, & baptizauit. Postea autem, cùm suaderet ei, quòd faceret opera misericordię: dicẽte Domino in Euangelio, Centuplum accipietis, Et vitam æternam possidebitis. Ille venditis omnibus dedit pauperibus, & obdormiuit in Domino. Cùm autem filij eius, traherent Episcopum, ad iudicium Sarracenorum, litémque Episcopo intentarent, super hoc, quòd Patri centuplum promisisset, neque tamen promissis stetisset, quandoquidem exhæredes eos reliquisset, Episcopus respondisse fertur. Deum in alia vita fuisse illum patrem remuneratum. Adductúsque ad defuncti tumulum, mortuum adiurauit in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt diceret, Vtrum sibi benè fuerit de promisso persolutum? Respondítque, cunctis audientibus, defunctus. Centuplum accepi, & vitam æternam possideo. Et de hoc literæ inuentæ sunt in manibus defuncti: Hæc Arnoldus. Sic quidem in promptuario. Paulò autem secus, me legisse memini, apud Georgium Cedrenum in compendio historiarum, fol. 315. Sub Iustiniano magno Imp. Alexandriæ. porrò, ait ibi, talis res accidit. Episcopus quidam admodùm religiosus, vicinum habebat quendam Philosophum, Euagrium nomine, Græcæ

*Promptuariũ Exempl. 13.*

*Cedrenus fol. 315. in Græco Latino exemplari.*

ſuperſtitioni addictum, qui in ſchola ſodalis Epiſcopo fuerat: Hunc Epiſcopus a vætano falſorum numinum cultu, ad fidem Chriſtianam traducere cupiens, identidem prouocabat, cúmque eo diſputabat. Sed Philoſophus, neque concedebat, & magis magiſq; veræ religioni infenſius reddebatur. Quodam die fertur Epiſcopum in hæc verba allocutus: Profectò, Epiſcope, præter alia, & hoc mihi improbatur, quòd mundi finem fore vos Chriſtiani, dicitis, corpora reſurrectura de mortuis, & pro acta vita cuique mercedem redditum iri. tùm qui pauperi miſericordiâ motus, largiatur, eum ſua apud Deum in fauore ponere, recepturúmque centuplum, cum vita æterna. Epiſcopo, nihil vanitatis aut ludibrij ineſſe Chriſtianæ doctrinæ, ſummopere affirmante, ita diſceſſit Euagrius. vt qui animi valdè dubius eſſet. Aliquanto poſt tempore, Deo Epiſcopi doctrinam adiuuante, credidit, & baptizatus eſt: vtque erat prædiues, attulit ad Epiſcópum 300. auri libras, quas ille pauperibus diſtribueret: data ſibi cautione (Gall *vne obligation ou ſcedule de ſa main*) manu propria ſcripta, Deũ iſtã redditurũ, Epiſcopus pecuniam accepit, eámque datâ Syngraphâ, inter egenos diuiſit. Philoſophus autẽ aliquos adhuc annos cũ piè vixiſſet magnáq; virtutum opera edidiſſet, moriturus ſuis liberis præcepit, vt ſibi in manum insererẽt ſyngrapham iſtam, atque ſic ſepelirent. His itaq; factis, tertio pòſt die Epiſcopo in ſomnis viſus eſt Euagrius, ita alloquens: Accede ad ſepulchrum meum Epiſcope, & recipe ſyngrapham tuam (Gall. *ton obligation ſignee de ta main, ou bien ta quittance*) Redditum eſt enim mihi debiti centuplum, neque habeo, quòd à te exigam, ſed & quò pleniùs tibi caueretur, manu mea ſubſcripſi. Diluculo Epiſcopus Philoſophi filios ad ſe vocauit, cúmque ex iis reſciuiſſet chyrographum cum Euagrio fuiſſe ſepultum, cum clero vrbis ad ſepulchrũ acceſſit. quo aperto inuenerunt Philoſophũ ſedentem, manúmq; cum charta protendentẽ. quam cum vellent clerici eximere, nemini eorũ conceſſit: Epiſcopo autem manũ explicante, eã ſtatim dimiſit ac recubuit. Epiſcopus charta in conſpectu omnium aperta inuenit recens manu Philoſophi ſubſcriptũ ita: *Euagrius Philoſophus, ſanctiſſimo Epiſcopo Domino meo Syneſio S. Scias pater*, me centuplum debiti recepiſſe, neq; eo nomine habere, quod abs te exigã. Hoc audito, cùm oẽs vehemẽter attoniti, aliquandiu vociferati eſſent, *Miſerere Domine*; Iuſſit Epiſcopus, Philoſophi manu ſcriptam ſchedã, in armario aſſeruari. *Hæc Cedrenus.* Progrediamur ad cætera, Menſurã bonam, & confertã, & coagitatam, & ſupereffluẽtem

dabunt in sinum vestrum, ait Dominus. Mensuram quippe bonam. i. Iustam retribuet, quia erit secundum exigentiam
*Psal. 61.* meritorum, iuxta illud, *Psal. 61. Reddes vnicuique secundum opera sua.* Confertam, quia supra condignum erit, sicut D. Paulus
*Rom. 2.* ait, *Rom. 8. Non sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Coagitabam. i. Supra id, quod
*Ephes. 3.* desiderari potest: secundum illud Apostoli, *Ephes 3.* Potens est facere, superabundanter, quàm petimus. Supereffluen-
*Isa. 64.* tem. i. supra id, quod humana cogitatio attingere valet, sicut *Isa. cap. 64. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Ex quo diuinus Paulus illud accipit: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit*
*1. Cor. 2.* *Deus, iis, qui diligunt illum. 1. Cor. 2. cap.* Hac autem περιφράσει, ac verborum circumlocutione, & circuitu, vult exprimere Dominus, quàm maxima illa retributio erit: quæquidem humanum intellectum longo superat interuallo. Itaque vt nobis commendet maximum illud præmium, vberémque retributionem, quam Dominus reddet misericordibus erga pauperes, hac verborum ambage vtitur. Obserua autem, quod quamuis hæc mensura tribuatur ab vno Deo, tamen numero plurali, Christus loquitur, Dabunt, inquiens, pauperes scilicet, quibus opera pietatis impenditis: in sinum vestrum, quia ipsis intercedetibus, datur hæc merces. In sinum, inquam, non tunicæ, sed animæ. Nam, qui in sinum pauperis abscondit eleemosynam; iustum est, quòd Deus in ipsius sinum eleemosynam quoque suam recondat. vt Ecclesiasticus
*Eccl. 29.* ait, *cap. 29. Conclude eleemosynam in sinu, seu, in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Rursus obseruandum, quòd quadruplex bonum donatur à Deo, propter pietatis opera. Bona videlicet, fortunæ, quæ sunt diuitiæ, Ideo ait mensuram bonam; Alia sunt bona naturæ, ad quæ refertur mensura conferta; Tertia bona sunt gratiæ, ad quæ mensura coagitata spectat. Vltima sunt bona gloriæ, ad quæ respicit mensura supereffluens. Hæc proinde sunt misericordiæ amplissima præmia intantùm vt emptor supra hanc mensuram nihil habeat, quod vlteriùs desiderare possit, Tale enim misericordiæ præmium futurum est, vt vir misericors nihil ampliùs
*Psal. 18.* optare queat, quàm, quod à Domino illi dabitur. *Psal. 18. In custodiendis illis retributio multa, vnde. Genes. 15. Dominus ad Abraham, Ego, inquit, protector tuus sum, & merces tua magna nimis.*

*Didacus Stella in Luc. 6.* *Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis remetietur vobis.* Hoc, inquit Didacus Stella. In Luc. 6. cap. referri potest, ad suprà dicta,

dicta de malo proximis non inferendo, vel etiam ad consequentia verba, de largienda egenis eleemosyna; Date & dabitur. Q. d. Si iudicaueritis, Iudicabimini, Si condemnaueritis, condemnabimini, Si dederitis, dabitur vobis. Si parùm, parùm, Si multùm, multùm. Et sicut cum aliis egeritis, Sic quoque vobiscum agetur. Ac denique quemadmodum vultis vobis fieri, ita aliis facite. Nam *iudicium sine misericordia fiet. Iac.2. ei, qui non fecerit misericordiam.* Sic impius Achab, & eius vxor Iezabel, interficientes Naboth iniustè, iuxta Eliæ vaticinium, eodem in loco, in quo linxerunt canes sanguinem insontis viri, linxerunt etiam sanguinem Achab. 3. *Reg.* 21. Ad hunc modum, quia Pharao Tyrannus suffocabat in aquis Israëlitas, seu, Hebræos, & ipse pariter suffocatus in mari rubro, cum curribus suis, interiit, vt sacra Exodi, circa exordia, refert historia. Atque *Iudic.* 1.*cap.* Dixit Adombezech: *Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus* (Hunc quippe comprehensum, Israëlitæ, cæsis manuum, pedúmque summitatibus, adduxerunt in Ierusalem, & ibi mortuus est) Sic in *Deuter.* 25. *pro mensura delicti, erit & plagarum modus.* Et *Apoc.* 18. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum, & luctum.* Proinde. Quale iudicium fecerimus de proximo, tale iudicium faciet Deus de nobis. Discrimen in hoc est interim, quia iudiciū nostrum prauum, peruersúmque est; at Dei de nobis iudicium, æquum, & iustum est. Sic ille. Vt quæ aliis fecit, patiatur æquum est. Enimuerò, Si quis patiatur, quæ aliis fecerit, iusta pœna fuerit. Ab alio, igitur expectes, vt habet vulgatum Adagium, alteri quod feceris. Boëthius (quid enim verear adducere auctorem tam bonum?) de consolatione Philosophiæ lib. 2. Prosa 6. Quid est, inquit, quod in alium quisquam possit facere, quod sustinere ab alio ipse non possit? Busiridem accepimus necare hospites solitum, ab Hercule hospite fuisse mactatum. Regulus plures Pœnorum bello captos, in vincula coniecerat, sed mox ipse vinctorum catenis manus præbuit. Vllámne igitur eius hominis potentiam putas, qui, quod ipse in aliū potest, ne id in se alter valeat efficere non possit? Hæc ille. Vt Sementem feceris, ita & metes. dicit enim Apostolus. 2 *Cor.* 9.*cap.* *Qui parcè seminat, parcè & metet: Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Isa.* 27. *In mensura, contra mensuram, iudicabit eam.* De vinea Domini, sermo est. Sensus verò est iste: Hectore Pinto Lusitano Hieronymiano inter-

*Iac.* 2.
*3. Reg.* 21.
*Exod.* 1. & 14. c.
*Iud.* 1.
*Deuter* 25.
*Apoc.* 18.
*Boëthius, li.* 2. *de consolat. Phil. Prosa* 6.
2. *Cor.* 9.
*Isa.* 27.
*Hector Pintus, in Isa. ib.*

prete, ac commentatore, Punies quidem vineam tuam, & electos tuos in quadam mensura. Sed non iuxta eam mensuram, qua punies eos, qui ipsos electos tuos afflixerunt, sed multo molliori brachio. Sic ille. Non tamen vllo modo hæc, Christi sententiæ reluctantur, repugnántve, si quis exactè perpendat. Consentit verò, & istud. *Matth. 26. Qui percusserit gladio, gladio similiter peribit.* Quod ergo tibi fieri nolles, alteri ne feceris. Huc quidē videtur pertinere titulus Pandectarum Iuris, iste nimirum: Quod quisque iuris in alium statuerit, eodem iure vtatur. Planus est igitur sensus horum verborum. *Qua mensura &c. Remetietur vobis*, à Deo, subaudi, quia si benè fecerimus, bona recipiemus ab eo, mala verò, si malè egerimus. sicut dictum fuit ad Cain. *Genes. 4.* Non prætermittam elegantes ea de re historias. Scribit namque Pausanias in Corinthiacis, lib. 2. circa principium. In prima Isthmi fronte locus est, vbi Sinis latro, curuatis ad terram diuersarum piceatum ramis (Gall. *arbres de Pin*) ad eos, quos pugnando vicisset, arctis vtrinque vinculis alligabat, vt cùm in suam naturam arbores redissent, miserabilem illi in modum distraherentur: Quo ipse postea supplicij genere, à Theseo affectus est: Totam enim eam viam, quæ Athenas à Troezene ducit, Theseus à latrociniis perpurgauit. Hæc ibi: Addo & Plutarchum, to. 1. Opusc. In Parallelis circa finem: Busiris, ait ille, prætereuntes simulata hospitalitate exceptos mactabat. Sed in eum mactatorum vltio vindicauit. Hercules enim, insidias sentiens, claua eum peremit. (Gall. *de sa massuë*) Ex Agathone Samio. Hercules item Geryonis boues per Italiam agens, hospitio vsus est Fauni regis; qui Mercurij fuit filius, ac Patri immolare hospites solebat. Is aggressus Herculem, ab ipso est trucidatus. Deocyllus tertio Italicorum. Ibidem Phalaris Agrigentinorum Tyrannus crudelis, hospites torquebat, & excruciabat. Perillus Faber ærarius, Æream buculam confecit, tyrannóque obtulit, vt in ea peregrinos viuos cremaret. Phalaris, tùm duntaxat iustus, ipsum iniecit, videbatur autem mugitum edere bucula. E secundo libro quæstionum, siue causarum. Insuper Ægestæ, quæ Siciliæ vrbs est, sæuus quidam fuit tyrannus Æmilius Censorinus, donis eos afficiens, qui noua inuenissent tormenta. Erat quidam Arnutius Paterculus, qui equum æreum fabricatus, dono dedit Tyranno, vt in eum coniiceret cruciandos. Tyrannus tunc primùm ius sequutus, ipsum tormenti authorem, in equum coniecit: vt quos aliis parauerat

*Matth. 26.*

*Digestor. quidam titulus.*

*Genes. 4.*

*Pausanias in Corinth. li. 2. circa initia.*

*Plutarc. to. 1. Opusc. In Parallelis, sub finem.*

cruciatus; ipse primus experiretur, Et videntur, qui crudeliter imperant, ab illo dicti Æmilij Aristides quarto Italicorum. Hactenus Plutarchus, vbi supra. Pausaniam rursum in Messenicis li.4. citabimus, ad nostrum institutum, valdè accommodatū scriptorem. Cùm ad Hercæi Iouis Aram, Neoptolemus Priamū ingulasset, ipsi postea accidit, vt ad Apollonis Delphici aram interimeretur. Venit inde in prouerbij consuetudinē; vt quoties, qua quis alterum affecisset iniuria, eam ipse passus esset, Neoptolemea vltio, seu, pœna, diceretur: Hæc ibi. Narrat Consimiliter Eutropius rerum Romanarū li.6.fo.74. quomodo Phariaces filius Mithridatis, exēplo fratrum parricidio trucidatorum, ab eodem Mithridate, territus: exercitum, ad persequendum se missum, sibi conciliauit; & mox aduersus patrē duxit. Iusto iudicio, quia ille aduersus patrem suum de regni iure certauit. Interea Mithridates diu ex altissimo muro filium frustra precatus, vbi inexorabilem vidit; moriturus exclamasse fertur: Quoniam Pharnaces, inquit, mori iubet, vos, si estis, patrij Dij, precor, vt quandoque, & ipse hanc vicem à filiis suis audiat. Ille Mithridates, duarum & viginti gentium linguis, quas sub regno habuit, locutus est: Itaut nunquam legationes sub interpretibus audiret. Hactenus ille. Idem planè refert, recensétque Paulus Orosius, li.6. cap.5. de Pharnace Mithridatis filio. At verò Valerius Max. lib.9.cap.11. de improbe dictis, & scelerate factis. Mithridates, ait, cum ipso patre bellum, de dominatione gessit: in quo, qui aut homines vllos adiutores inuenerit, aut Deos inuocare ausus sit, præ admiratione hæreo. Et, vt tandem concludamus, Narrat Herodotus Pater historiæ vocitatus, lib.8. post medium, in hunc modum: Hermotimo vltio contigit acceptæ iniuriæ. Siquidem eum captum ab hostibus, ac venalem mercatus est Panionius vir Chius, ex hoc impurissimo quæstu, quem factitabat, vitam ducens. Nam quos pueros forma præditos coëmerat, eos castrabat: ductósque, ἐς Σάρδις, Sardis, aut Ephesum, magna pecunia venundabat. Apud Barbaros enim pretiosiores Enuchi sunt, quàm, qui non sunt castrati, Quacumque in re fidere ipsis aliquis velit. Cæterùm vt alios permultos. Ita hunc quoque Panionius execuit, vt qui ex hac re vitam toleraret. Sed non vsquequaque infelix Hermotinus, è Sardibus ad regem, cum aliis muneribus deductus est, progressúque temporis, ex omnibus Eunuchis, maximo in honore apud regem Xerxem, est habitus. Hermotinus cuiusdam negotij gratia, in agrum Mysum,

*Paus. in Messenicis li.4.*

*Eutrop. rerum Rom. lib.6. fol. 74.*

*Paul. Orosius li.6. c.5.*

*Valer. lib.9. c.11. de improbè dictis, & scelerate factis*

*Herod. lib. 8. post media.*

qui à Chiis incolitur, venit: Ibi inuentum Panionium, atque agnitum allocutus est, & multis & comibus verbis, primum recensens ei, quot per illum esset assecutus bona, deinde pollicens, quam gratiam illius meritis foret relaturus, si homo cum suis domesticis illuc commigrasset. Ea oratione libenter audita. Panionius, contulit se illuc cum vxore, & liberis. Quem posteaquam, cum omni re familiari adeptus est Hermotimus, his verbis affatus est: O omnium post homines natos, scelestissimum! qui ex nefandissima negotiatione quæstum facis: quid aut ipse ego, aut meorum quispiam vel tibi, vel tuorum cuipiam mali fecit, quòd ex viro me neutrum reddidisti? (Hic animaduerte obiter, quòd Eunuchus, nec vir, nec fœmina, est, propriè loquendo) Putabásne fore, vt quæ tunc machinabaris, laterent Deos? qui iusta lege vtentes, te infandorum opificem, tradiderũt in manus meas, vt de pœna à me tibi irroganda queri non possis. Hæc vbi exprobrauit homini, filiis in conspectum eius adductis, qui quatuor erant, coëgit patrem genitalia eorũ recidere, seu, rescindere; Quod cùm coactus fecisset, filij sui adacti sũt, eius virilia abscindere, Ita supplicium ab Hermotimo, in Panionium rediit. Sic Herodotus. Rectè itaque Ouidius, lib. 1. de arte amandi cecinit:

*Ouid. lib. 1. de arte post media.*

*Dicitur Aegyptus caruisse iuuantibus arua*
*Imbribus: atque annis sicca fuisse nouem:*
*Cùm Thrasius Busirin adit: monstrátque piari*
*Hospitis effuso sanguine posse Iouem:*
*Illi, Busiris, fies Iouis hostia primus,*
*Inquit; & Aegypto tu dabis hospes aquam.*
*Et Phalaris tauro violenti membra Perilli,*
*Torruit: infelix imbuit auctor opus.*
*Iustus vterque fuit; Neque enim lex æquior vlla est:*
*Quàm necis artifices, arte perire sua.* Sic ille.

*Arist. lib. 5. Ethicõn, c. 5.* Subscribit hinc apud Aristotelem, ac concinit alter Poëta, sic inquiens:

*Versus.* *Si quod quisque facit, idem patiatur, erit ius.*

*Hesiodus.* ἀυτῷ τῷ μέτρῳ. 1. Eadem mẽsurâ, Prouerbio etiam dicitur, ex Hesiodo. Nunc ad reliqua: *Nunquid potest cæcus cæcum ducere, Nonne ambo in foueã cadunt?* Simile quidpiam, *Matth.* 15. legitur. Nostras ea de re Decades consulere poteris, homil. postremâ prioris Tomi. Sequitur in contextu.

*Matth. 15.*

*Sac. Decades authoris to. 1. homil. vlt.*

*Plutarc. to. 2. opusc. lib. de curiositate.*

Quid vides festucam in oculo fratris tui, &c. Cæci sumus in propriis erratis aliena acutè cernẽtes. vt perbellè Plutarchus, tom. 2. Opusc. lib. de Curiositate docet, his verbis: Fabulæ

narrant Lamiam domi quidem canere cæcam, oculos habentem in vasculo quodam repositos, verùm vbi prodit foras, reponere, ac tum oculatam esse: Ita quisque nostrûm foris, & in rebus aliorum sibi curiositatem velut oculum reponit: In nostris autem ipsorum erratis, ac malis frequenter labimur præ ignorantia, ad hæc nec oculos habētes, nec lucem. Idem to. 2. Opusc. li. de tranquillitate animi. In hominē olim curiosum, dictum est, aliena ad se nihil pertinentia perscrutantem: Quid (malum) homo maleuolentissime, aliena vitia miluinis oculis cernis, tua verò trāsmittis, noctuinis, & conniuentibus? Hæc Plutarch. Huc pertinet, quod Æsopus vnumquemque nostrûm duas ferre, aiebat, peras: alteram ante nos, alteram à tergo. Et in anteriorem quidem alienos errores condere, in posteriorem verò nostros, Ideóq; non videri à nobis. Narrat quippe Stobæus, serm. 23. de amore sui, Æsopum id dixisse. Subscribit & Galenus, libris extra ordinem classium, operę, de cognoscendis, curandísque animi morbis, cap. 2. sic referens, Duplicem nauticam (vt Æsopus aiebat) è collo suspensam gerimus, Alteram ante pectus, alienorum: alteram verò, à tergo nostrorum. Ex quo fit, vt aliena spectemus semper, propria autem nūquam intueri possimus. Sic Galenus, ἀρχίατρος. His adstipulatur Catullus, qui sic cecinit.

*Idem tom. 2. Opusc. lib. de tranquillitat. animi.*

*Stob. ser. 23. de amore sui, & Gale. libris extra ordinem classium, li. de cognoscendis curandisque animi morbis cap. 2.*

*Nos non videmus manticæ, quid in tergo est.*

*Catull. Poëta.*

Alludit ad illud Persius. Satyra 4.

*Vt nemo in sese tentat descendere, nemo,*
*Sed præcedenti spectatur mantica tergo.*

*Persius Satyra 4.*

Horatius, consimiliter li. 1. serm. Satyra 3. scribit:

*Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis*
*Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum*
*Quàm aut Aquila, aut serpens Epidaurius?——*

*Horat. lib. 1. serm. Saty. 3*

Legitur quoque in vitis Patrum, citatúrque in Speculo exemplorum distinct. 2. §. 131. ad hunc modum: Loquebātur Patres in eremo, de quodam fratre culpabili. Abbas Pior tacebat, & tollens saccum impleuit eum arena, & portabat in humeris suis, & mittens in sportellam modicum, portabat à parte anteriore. Interrogatus, quorsum istud faceret? Respondisse memoratur hoc pacto. Saccus, qui multā arenam habet, mea peccata sunt, & quia multa sunt, posui retrò, ne doleā & plorem pro ipsis. Arena verò modica, peccata sunt illius fratris, & sunt ante faciem meā, & in ipsis exerceor iudicās fratrem. Quod non debet ita fieri, sed mea magis peccata, ante me debent esse, & de ipsis rogare Dominum, vt ignoscat. Patres di-

*Speculū exemplorum, ex Vitis Patrum, dist. 2. §. 131.*

xerunt: Verè hæc est via salutis Sic ibi. Simonis Pharisæi temerarium erat Iudicium, atque iniquum, de Magdalena, quia peccatrix esset, *Luc.7 cap.*

*Luc.7.*

Non igitur de fratribus temerè iudicare debemus, quod perpulchrâ, ex vitis Patrum, historiâ, edocetur, refertúrque in speculo exemp. distinctio. octaua. §. 44. De sancto Ioanne eleemosynario, Non esse temerè iudicandum suadebat vir sanctus, tali proposito exẽplo. Quidam sanctus transiens per ciuitatem, vt iret in monasterium, clamabat vna fornicaria dicens: Salua me Pater, vt Christus meretricem. Ille confusionem hominum non curans, dixit ei. Sequere me. Sic exiit de ciuitate, omnibus aspicientibus. Fama volauit, quòd Abbas accepit dominam Porphyriam mulierem; Pergentibus vt mitteret eam in monasterium, Inuenit ea puerum in terra proiectũ, & sustulit, vt nutriret illum. Quidam autem post annum venerũt, vbi erat Abbas, & Porphyria cum puero, dicunt ei: Bonum Abbati pullum(à puellus, vt quidã putant, nomen deductum, per Syncopen, atque elementi, seu, literæ, e, elisionem, & expunctionem) pullum, inquit, genuisti. Euntes itaque Tyrum, diffamauerunt, quia genuit de Abbate Porphyria, & nos vidimus puerulum. Cognoscens Abbas obitum suum, dixit Nonnæ Pelagiæ(Nonni. i. casti, nonnæ verò castæ, apud Ægyptios olim dicebatur, Et Gallicum idioma vocat, *Les Nonnains ou Nonnes, les Religieuses.* Virgines sanctimoniales, Deo in Monasteriis consecratas, cœlibatúmque professas. Hac de voce, legisse memini Arnobium, in Psal.140. ita scribentem ad versum: Oleum peccatoris non impinguet caput meum, &c. Væ mihi, & meis similibus, quia inuicem nobis oleo capita impinguamus, & adulantes nobis inuicem, in præsenti positi, Sanctos nos vocamus, & Nonnos. Sic Arnobius. Et Hieronym. to.1. ad Eustochium, de custodia virginitatis: Quia, inquit, maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur & Nonnæ. Sic ille. Vbi Erasmus sic annotauit: Ita nunc quoque vulgò vocantur Monachæ Virgines. Apparet hoc verbi ab Ægyptiis in vulgi sermonem venisse: Quorum lingua puto Monachos & sanctos Nonnos fuisse vocatos, Monachas, & Virgines Nonnas. Nam meminit Suidas Nonni cuiusdam Ægyptij, qui Parthenium Theologum, versibus, sit interpretatus. Et parthenos Græcè virginem sonat, quasi virgo scripserit in virginem. Hæc Erasmus. Dixit igitur Abbas Pelagiæ (Sic enim mutauit nomen eius, quando tradidit ei habitum) Eamus Tyrum,

*Speculũ exemplorum, Dist. 8.44. Ex vitis Patrum.*

*Arnobius, in Psal.140.*

*D. Hierony. epist. ad Eust. de custodia virginitatis, ante media. to.1.ep.*

*lib ... ute.*

Illa secuta est: Et venerunt ambo, habentes puerulum. Septennem. Venerunt autem circiter centum homines, ad visitãdum sanctum Abbatem, in infirmitate. Dixitque Abbas: Afferte prunas. Tulitque eas in vestimentum suum, & adiecit dicens: Sicut custodiuit Deus rubum incombustum, & hæc tunica mea incombusta est. Ita nec ego cognoui peccatum mulieris huius. Tunc omnes mirati sunt, quomodo non ardebat vestimentum ab igne. Atque ex occasione Nonnæ Pelagiæ, & aliæ fornicatrices sequutæ sunt: abrenunciantes mundo, pergentésque in monasterium eius. Ideò dico vobis. ne præcipites sitis ad iudicandos alios. Sic ibi.

Quod ex Simeone Metaphraste, in vita S. Ioannis Eleemosynarij, Archiepiscopi Alexandriæ, apud Surium, to. 1. de probatis Sanctorum vitis, Ianuarij, 23. desumptum videtur Sic namque ibi disertis verbis dicitur: Ego, inquit S. Ioan. Archiep. aliquando legens vitam cuiusdam magni ex Patribus, incidi in talem narrationem, plenam vtilitate. Sic autem habebat: In Tyrum ciuitatem venerant duo Monachi, aliquo fungentes ministerio. Alterum vero eorum, cùm venisset in quendam locum, quædam meretrix, cui nomen erat Porphyria, sequebatur clamans: Venerande Pater, serua me, sicut olim Iesus Christus meretricem. Ille autem humanarum rerum nihil reputans, eam manu acceptam, multis videntibus, egreditur per mediam ciuitatem. Manauit itaque fama in omnes partes quod ille monachus in vxorem accepisset Porphyriam. Cum ipso autem obiẽs meretrix vrbes, & vicos, incidit in infantem humi iacentem: Quem quidem cùm benignè sustulisset, vt aleret, secum eum portabat. Cum aliquo autem tempore venissent Tyrij in eum locum, vbi versabantur, & meretricem vidissent in vlnis tenere infantem: veluti irridentes, & egregium hunc virum ludificantes, Reuera, ei dicebant, à scopo non aberrasti. Pulcher enim tibi filius natus est ex monacho. Qui etiam Tyrum reuersi, eam rem vbique disseminarunt, quod ea ex monacho peperisset filium, qui illius expressam conseruauit effigiem. Ita ferè sunt homines prompti, ad credendum suspicionibus, & maximè, qui sunt mali, & flagitiosi, & à se habent acceptam credendi occasionem. Statim enim tanquàm è propinquo seipsos testes accipientes, alios accusant facilè: simul quidem se volentes explere deliciis talium cogitationũ, & verborum, & cupientes esse alios similiter improbos, & sic studentes vitare plagas, quæ inferuntur eis à conscientia. Surius.

Monachus autem cùm totondiſſet Porphyriam, & ei monaſticum impoſuiſſet habitum, vocat eam Pelagiam, & concedit ei, vt in monaſterio virginum agat ſilentium. Cùm verò præciniſſet diem ſui deceſſus, illa quoque accepta, redit Tyrum. Eam autem puer ſequebatur, quoque, iam ſeptem annos natus. Ad omnes verò peruenit fama, eorum aduentus, quòd ſcilicet reuertitur Porphyria cũ monacho ſuo coniuge. Deinde cùm ægrotaſſet monachus, & ad mortẽ iam ſpectaret, plurimi ad eum acceſſerunt, ex habitatoribus, eius viſitandi gratia. In quorum cõſpectu, cùm iuſſiſſet afferri thuribulum, plenum candentibus carbonibus, accipit eos carbones, & infundit in ſinum, & omnibus audientibus, Benedictus, inquit, Dominus, qui olim rubum ſeruauit incombuſtum, Is mihi fuerit teſtis fidelis, quòd quomodo, meas veſtes nõ attigit hæc, quæ eſt in igne, vrendi vis, ita nec ego attigi mulierem toto tempore vitæ meæ. His auditis, omnes obſtupuerunt. Deo cantes gloriam, qui eos, qui ipſum in occulto colunt, ſcit apertè glorificare. Hæc cùm feciſſet, & dixiſſet monachus, in manus Dei deponit animam. Propterea vobis omnibus ſuadeo (ô filij ſpirituales,) non eſſe promptos ad condemnationem. Contingit enim nonnumquàm, vt eius quidem, qui eſt fornicatus, aut aliquid aliud deliquit, peccatum apertè factum ſciamus: in occulto autem factam ignoremus pœnitentiam, Oportet autem Dominicam quoque timere vocem, quæ dicit. *Matth.* 17. *& Luc.* 16. *Nolite iudicare, & non iudicabimini. In quo enim iudicio iudicatis, iudicabimini.* Hæc ibi.

Reliqua videamus.

*Eiice primum trabem de oculo tuo, &c.* Vnde haudquaquàm inconcinnè Poëta cecinit:

*Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus*
*Quis tulerit Gracchos, de ſeditione querentes?*
*Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo*
*Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni?*
*Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum?*

*Iuuenalis.* Sic Iuuenalis, Satyra 2.

*Ennius.* Fuit Cethegus orator facundiſſimus, quem Ennius ſuadæ medullam vocauit, vt eſt, (ſi benè memini,) apud Quintilianum. Fuit verò, vnus ex principibus Catilinariæ coniurationis.

Eiice ergo primùm trabem, de oculo tuo. Siquidem Carere debet omni vitio, & crimine, qui in alterum paratus eſt

dicere. Si verè iustus esse cupis primùm eiice trabem ex oculo tuo. Nam *Prou.* 18. dicitur: *Iustus in principio accusator est sui.* Charitas enim ordinata esse debet, vt homo priùs curam sui ipsius habeat, deinde proximi etiam. Meritò igitur hypocritam Dominus appellat, qui vult peccata arguere proximorum, eóque nomine (cum vitiis ipse scateat) bonus, & iustus haberi.

Autore siquidem Cicerone lib. 3. Tuscul. quæstionum, sub finem, Proprium stultitiæ est, aliorum vitia cernere, obliuisci suorum. Sic ille.

Et hæc quidem sufficere possent, ad huius explanationem contextus. Verùm, antequam receptui canamus, ex nostro Ioanne Royardo, quædam præclarè animaduersa, seligamus. Sic igitur ille, Si à formica, inquit, prudētiam discere iubetur piger, quis à Deo misericordiam discere recuset? Excluduntur autem à numero, magis verò à merito, filiorum Dei, qui hunc operibus misericordiæ nolunt imitari. *Ierem.* 3. *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis. Ephes.* 5. *Estote ergo imitatores Dei. sicut filij charissimi.* *F. Ioa. Royardus.*

Est verò cœlestis patris misericordia, in multis, nobis imitanda. Primùm, in eo, quod pecccantem hominem longanimiter expectat, patientérque sustinet. *Peccamus enim, & ipse dissimulat hominum peccata propter pœnitentiam. Sap.* 11. *cap.* non cōtinemus à sceleribus, & ipse abstinet à verberibus, multo tempore prolongamus iniquitatem, & ipse benignus dilatat pietatem. Vnde cæterorum caput Apostolorum, totiúsque dominici gregis pastor, & rector, Petrus, 2. *Pet.* 2. *Patienter*, inquit, *agit Deus, propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Magna planè Dei misericordia, ait mellifluus Bernardus, in expectatione est. Non enim peccantem Angelum expectauit, sed præcipitauit, primum hominem peccantem non distulit, sed protinus expulit à paradiso. Nunc autem, pleròsque sustinet, dissimmulat, & patienter vsque in senectam expectat, & senium. Hæc est enim gratia Christi, & virtus crucis ipsius. *D. Bernard.*

Secundò, Domini misericordia, in eo elucescit, quòd auersum à se peccatorem, & in suam ipsius perniciem, & perditionem spontè properantem, multipliciter reuocat. In eo denique quod ingrato peccatori, ad vsum vitæ creaturarum suarū indulget adminicula. Non enim dignus est peccator, quo vescitur, pane. Magna proinde est Dei erga ingratos clementia qua beneficia sua largiri non desinit, quamuis indignis. Quin

& in eo mira Dei relucet misericordia, quòd peccatorem, vel serò redeuntem, paterna recipit benignitate, vt *Luc.* 15. prodigum filium, pater indulgentissimus, misericordiâ motus obuiis vlnis excepit, cum osculo. Magnum profectò, misericordiæ præconium!

Reddit quippe hæc virtus, nos Deo conformes, & quasi quædam signa sublimis naturæ, nostris imprimit animabus. Est autem triplex erga proximum exercenda misericordia, videlicet, fraternæ supportationis, benignæ condonationis, & temporalis subuentionis.

Prima notatur his in verbis: *Nolite iudicare, & nolite condemnare, &c.* Quibus consentit Apostolus, *Gal.* 6 *c. Alter alterius onera portate*, inquiens, *& sic adimplebitis legem Christi. Ephes.* 4. *Supportantes inuicem in charitate, & Coloss.* 3. *supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, &c.* Cùm verò dicitur, *Nolite iudicare, &c.* nequaquam prohibetur iudicium iustitiæ, quo malefici legibus plectuntur, & insontes absoluuntur, dicente Domino: *Ioan.* 7. *c. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* & per Psaltem regium dicitur: *Iudicate egeno, & pupillo, &c.* sed temerarium tantùm nobis iudicium prohibetur.

*Dimittite, &c.* de benigna condonatione dicitur. *Date & dabitur, &c.* hoc de temporali subuentione intelligitur. *Mensuram bonam, &c.* inquit, Siquidem æternæ beatitudinis præmium, cuncta in se complectitur bona. Est quippe, finitore Boetio, Beatitudo, status omnium bonorum aggregatione perfectus: quo, quis adepto, nihil vlteriùs desiderare queat. Et confertam, id est, plenam. Ita enim beatitudo animam explebit, vt nihil mentis, aut intellectus, aut sensuum, à gloria futurum sit vacuum. Inebriabuntur, ait Psalmographus, *ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et iterùm. Replebimur, inquit, in bonis domus tuæ. Et coagitatam, id est, firmam. Quæ enim firma esse volumus, coagitamus. Beatitudinis verò præmium stabilitum erit, & securum, ac firmum, D. Prospero Aquitanico, lib. 1. de vita contemplatiua, cap. 2. authore. Ergo, inquit, futura vita creditur beatè sempiterna, & sempiternè beata: vbi est certa securitas, & secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, fœlix æternitas, æterna felicitas: vbi est amor perfectus, nullus timor, dies æternus, alacer motus, & vnus omnium spiritus de contemplatione Dei sui, ac de sua cum illo permansione securus: vbi æterna salus exuberat, veritas regnat, vnde nullus eiicitur, quò nullus miser admittitur. Sci ille.

Boetius.

Psalmograph.

D. Prospero.

Vides, quòd non parcè remetietur Dominus, sed opulentè. Sicut enim mensurus farinam, accumulas, concutis, exundaréque facis (siquidem absque parsimonia metiri vis) ita & Dominus, mensuram magnam, & exundantem dabit. Et supereffluentem, &c. Supereffluens dicitur, quia merita excedit. Dedimus temporanea pro æternis, mundana pro diuinis, terrena pro cœlestibus. Vel ideo supereffluens, quia plenitudo beatitudinis animæ etiam in ipsum redundabit corpus: non quidem beatitudo, quæ intelligentis, & fruentis est propria, sed incorruptionis vigor. Dabunt in sinum vestrum. nempe Pauperes, quia per illorum merita, quibus vel calicem aquæ frigidæ, in nomine discipuli, dederunt, mercedem cœlestem recipere merebuntur. Dicitur autem hæc mensura in sinum dari, quòd ea, quæ in sinu habemus, possidemus securi. Nihil verò, securius, atque amabilius est eo, quod in sinu collocamus. En, beatitudinis secura possessio. Eadem quippe mensura &c. Sed dicat aliquis, Non videtur secundum eandem mensuram, malum puniri perpetratum, Non enim nisi temporariè homo peccat, æternùm autem punitur. Responsio in promptu est. Peccatum temporaliter quidem admissum, post hanc vitam, sine fine, iustę puniendum fore, quia hoc per temporalem delere pœnitentiam peccator contempsit. Rursus, quia homo finaliter impœnitentens, (quantum in se est) æternaliter peccat, qui, si posset, sine fine viuere, eligeret & sine fine peccare. Et quoniam Deus in operum retributione, voluntatē magis pensat, quàm facultatem: Ideò iure æternaliter punitur, qui si potuisset, voluisset vtique æternaliter peccare. Ad hæc quia infinitum, æternúmque bonum peccando contempsit, hoc bono iure priuatus, perpetuis malis, & suppliciis additur. Sequitur. Nunquid cæcus potest cæcum ducere?

Continuatio est, sententiæ, cum superioribus, hunc in modum: Alterum iudicans temerè, & ipse eadem peccans, comparatus est cæco, cæcum ducenti. Nam si alium condemnas, & ipse in eadem incidis peccata, cæci ambo estis: & videris quidem illi dux esse ad bonum, eo quod condemnas: Non es autem ipsi dux. Quomodo enim ille, abs te ad bonum inducetur, quùm & tu labaris? *Non est discipulus super magistrum.* Si igitur tu, qui doctor videris esse, & dux laberis, omnino cadet etiam, qui docetur, ac ducitur. Perfectus enim, elaboratúsque erit discipulus, si sit sicut magister eius.

Et hactenus quidem Royardus, in cuius verbis finem imponimus, huic concioni.

Mundemus itaque (Deo benè adiuuãte, imò verò ad veram pœnitentiã nos trahente) conscientias nostras, & de cordibus nostris, iniurias alijs remittentes, (quod spiritualis misericordiæ genus quoddam est) Eleemosynas quoque proximis indigentibus temporales, pro nostrarum modulo facultatum, ex charitate non ficta, erogemus, vt tandem amplissimam in cœlis mercedem consequamur.

*Amen.*

---

# DOMINICA A PENTECOSTE SECVNDA.

## De inuitatis ad cœnam magnam, recusantibus illò venire, & alijs, in eorum locum subrogatis. *Luc.* 14.

*Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Misítque seruum suum, hora cœnæ, dicere inuitatis, vt venirent, quia parata sunt omnia.* Luc. 14.

*Luc. 14. ca. 1*



HVIVS tàm magnificæ cœnæ typus, in Assueri conuiuio præsignatus est. *Hest.* 1. Is enim monarcha præpotens, *regnauit super centum viginti septem prouincias. Et tertio imperij sui anno, fecit grande conuiuium, cunctis principibus Persarum, & Medorum inclytis, præfectisque prouinciarum, in quo omnes aureis poculis, & stratis sericis, ac purpureis vtebantur.* Quem quæso iste tàm potens Monarcha, qui latissimè regnauit, alium adumbrat, quàm eum, de quo vaticinium extat. *Psalm.* 71. *Dominabitur à mari, vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum?* Et rursus, *Psal.* 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos &c.* Christus itaque per Assuerum

*Esth. c. 1.*

*Psal. 71. & 2. Ps.*

præfiguratus, decurso tempore legis naturæ, tempore item legis scriptæ, in tempore noui testamenti, videlicet tempore gratiæ, quasi tertio impetij sui anno, æternæ beatitudinis conuiuium præparans, ac instruens, æternitatis nobis aditum, deuicta morte, reserauit, deuictóque mortis aculeo, credentibus regna cœlorum aperuit. Vnde, *Apoc. 19. c. Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni, vocati sunt, meritò prædicantur*, Et quidam, *Luc. 14.* dixisse recolitur. *Beatus, qui manducabit panem, in regno Dei.* Hacque occasione, istam Christus proposuit similitudinem, dicens: *Homo quidam fecit cœnam magnam &c.* Idcirco etiam, nō prandium, sed cœna nominatur, quia post prandium, superest adhuc cœna. Post cœnam verò, conuiuium nullum restat. Iure itaque optimo, æternum Dei conuiuium fidelibus in extremo præparatum, nōn prandium, sed cœna, hôc loci appellatur. Sicut autem Regina Vasthi, recusauit comparere in conuiuio Assueri, cùm fuisset vocata; *Esth. 1. c.* Ideóque à regia dignitate, depulsa est, illíque humilis Esther substituta: cap. 2. Sic etiam hodierno Euangelio tria hominum genera, à cœna, se friuolis quibusdam prætensionibus, & excusationibus, subducere nituntur: atque ob id tanto priuantur beneficio, & conuiuio, quorum in locum subrogantur alij, qui paratis delicijs perfruantur in cœlis. Sunt enim quidam, qui siliquijs, cum prodigo, & porcis, saturari malint, quàm hoc paterno frui conuiuio. Quamobrem illis minatur Dominus, apud Psalmographum. *Quibus*, inquit, *iuraui in ira mea: Si introibunt in requiem meam. &c.* Sic Israëlitæ in deserto, pepones, & allia Ægypti, Mannæ præferebant, cibo vtique angelico, & cœlitus demisso, iuxta illud, eiusdem vatis: *Panem cœli, dedit eis; Panem angelorum manducauit homo, &c, Sap. 16. Omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Si autem tantoperè excauduit, & iratus est Assuerus quòd Vasthi, eius conuiuium recusârit, adeò, vt nuntium remiserit vxori, illámque repudiarit, atque ex prudentum cōsilio, ac regni procerum, ex augusto deposuerit imperio, An non Deus, contra ipsius cœnam negligentes, ac contemnētes, iustè succendebit, & excandescet? Obseruat ad præsentem locum, Didacus Stella, In Lucam: non esse eandem parabolam, quæ ponitur à Matthæo, c. 22. & istam, Luc. 14. cap. quia non est idem ordo, nec deducitur ad eundem finem. In Matthæo, vocatur conuiuium, hîc, vocatur cœna. Illic, vocatur Rex, hîc, homo quidam. Illic, inuitati noluerunt venire, hîc se excusauerunt. Illic, intrauit Rex, vt videret discumbentes,

*Apoc. 19. c. Luc. 14. c.*

*Esth. 1. & 2. capp.*

*Psal.*

*Ps. 77. & Sap. 16.*

*Didacus Stella, in Lucam. Matth. 22. & Luc. 14. c.*

hic verò, nihil tale dicitur. Huiusmodi differentes circumstantiæ, diuersam etiam arguunt esse Parabolam, hîc, & illic: Cùm hanc parabolam Christus, Pharisæis proponeret, accûbebat assidebâtque mensæ, in domo cuiusdam principis Pharisæorum, sabbatho, panem manducans. Et pulchrè, de corporali cibo, atque conuiuio, ad spirituale, & æternum conuiuium sermonem conuertit, Apud Ioannem. c. 6. similiter, cùm quinque hominum millia satiasset, mox de spirituali cibo locutus est, De Augustissimo nimirum, corporis sui, & sanguinis, Sacramento. Operamini, ait, non cibum, qui perit, sed, qui permanet in vitam æternam. Simili modo hic agit. Tota enim hæc parabola eò respicit, vt illi, qui dixerat: Beatus, qui panem manducabit, in regno Dei, congruenter responderet Dominus, aptéque & apposité, non extra rem, diceret. Hac quippe similitudine, ostendit Christus, Deum, morte vnigeniti, iam conuiuium instruxisse æternum, & apparasse lautissimas epulas, omnibus ac singulis: quandoquidem omnes inuitauit, & per seipsum, suósque Apostolos, & discipulos, vniuersos vocauit, Sed non poterat cibo vesci cœlesti, nectar & ambrosiam Deorum (vt est in Poëticis fabulis) degustare, qui vocationi nôn responderet, & Dei mandatis non obediret. Quòd si multi non capiunt cibum in regno, ipsi sanè, sunt in culpa, quia propter huius sæculi cupiditates, & terrenorum amorem, ad cœnam agni venire fastidiunt, bonáque æterna negligunt. Excusationes autem prætexunt, vbi nulla est legitima excusatio, quærentes excusationes in peccatis, vt ait Vates regius. Quoniam verò multi ex Iudæis vocati, noluerunt accedere: Eam ob rem prædixit Christus hac in Parabola, vocationem Gentium. Misit enim Deus vocatum claudos, & cæcos, nempe, Gentiles, qui in via veritatis cæcutiebant, & claudicabant. De Iudæis autem subditur. Nemo illorum, qui vocati fuerant, & non venerunt (Populum incredulum Iudaïcum intellige) gustabit cœnam meam: Imò insuper, pœnas luet æternas. Verùm enimuerò, vt Synagoga Iudæorum, nullam habeat excusationem, experitur Dominus priùs omnia media quibus illam retineat, antequàm penitus alienet, Ideò in hac similitudine primùm agit de vocatione Iudæorum: & quoniam ipsi venire noluerunt, agitur consequenter de vocatione gentium. Sic Paulus & Barnabas eis dixisse feruntur: *Act. 13. cap. Vobisquidem oportebat primùm loqui ver-*

*Ioan. 6 c.*

*Psal.*

*Act. 13. c.*

*bum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos, vos indicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes*. Sic enim præcepit nobis Dominus. Hoc ipsum est, quòd hic dicitur. Dico autem vobis, quòd nemo illorum virorum, qui vocati sunt gustabit cœna meā. Qua tremenda profectò sententia, abdicantur, excluduntúrque Iudæi aduersus quos etiam, *Matth.21. capite* dictum est, à Domino: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et iterum capite. 8. Multi venient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cœlorum. Filij autem regni, eijcientur in tenebras exteriores &c.* Matth. 21. & c. 8.

Atque hæc est summa, totiúsque præsentis parabolæ status, & scopus. Verùm singula, per minutias, expendamus.

*Homo quidam fecit cœnam magnam &c.* Volens scriptura diuinitùs inspirata, Dei benignitatem ostendere, eum homini comparat Homo itaque, hic vocatur Deus, quia benignè & misericorditer, nos, ad vitæ æternæ epulum, pellicit, & dulciter inuitat, dicens: *Matth. 11. cap. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris*. Cœnam appellat, quia conuiuium, siue, epulum meridianum, propriè prandium, at verò Cœna, epulum est vespertinum, & prandio sæpè opponitur. Cœnas porrò, apud antiquos liberaliores fuisse prandijs, ex scriptoribus constat. Cœnam vero appellauit œconomiam istam, quoniam extremis temporibus, & ferè sub occasum sæculi, Christus venit, & ad vesperum, siue, in fine seculorum, hæ nuptiæ perfectè apparuerunt: Matthæi autem. 22. cap. Prandium dicitur, Ecce: inquit, prandium meum paraui &c. quia prioribus quoque temporibus, licet obscurius, hoc mysterium fuit patefactum. vt Theophylactus exponit ἀλληγορικῶς. Cœna porrò, (quæ sæpè generatim pro quouis conuiuio accipitur) dicta est, teste Plutarcho, quasi κοινὴ, ἀπὸ τῆς κοινωνίας, hoc est, communionis, à communione vescentium: κοινὸν, quippe Græci cōmune vocant: vnde & communicantes, quòd cōmuniter, id est, pariter conueniāt. In sero diei opere perfecto, lautius, largiúsve, se accipiebāt, tū vberiore epularū apparatu, tum familiarium, atque affinium societate. Idcirco cœna dicta, quia κοινῇ vescerentur, non priuato dimenso diurno. Plinius in suis Epistolis testatur, Pliniū naturalis historiæ scriptorem, cibū sumpsisse interdiu leuem, & facilem veterū more, vt pran diū Matt. 11. Theoph. Plut. Pli. in epist.

esset parcus, cœna copiosior. Parcè admodum prandebant veteres, at cœnabant liberalius. Cœna autem apud Iudæos, vt etiam apud Romanos, & Græcos, vesperi sub noctem, circa horam ferè nonam pomeridianam (quæ nobis est, quarta, vergens in quintam à meridie) agebatur. Sic Gulielmus Stukius, Tigurinus, in Antiquitatibus conuiuialibus, De cœna, & hora cœnandi, ex quo longè plurima, si liber, hauries: Nūc cætera perscrutemur. Fecit cœnam Magnam &c.

*Gul. Stukius, in Antiq. conuiuialib.*

Multis nominibus profectò, cœna ista magna appellatur, Imprimis, quia magnus Dominus illam apparauit adornauítque: Deinde, quòd multa, & pretiosa fercula, in ea proponuntur electis: quandoquidem, *In domo patris mei, mansiones multæ sunt. Ioann. 14. c.* Tertiò, magna est propterea quòd, multi ad eam inuitantur, adeò vt numerus electorum recēseri nequear, *Matth. 8. Multi venient &c.* vt suprà. Et in Apocalypsi, *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus Gentibus &c.* Ab ipso mundi exordio, ad hunc vsque diem, conuiuas vocare non cessat Deus, vocabítque ad sęculi vsque consummationem. Quartò, magna vocatur, quia in sempiternum est duratura. *Vitam æternam, Amen,* ex symbolo Apostolorum, & *Matth. 25. Iusti autem ibunt in vitam æternam,* quia, apud Ioannem, *Gaudium vestrum,* ait Christus, *nemo tollet à vobis.* Quintò, magnam dicit, tùm, quia magnis impensis, hoc est, Christi morte, præparatur, tùm, quia conuiuæ omnes, magni sunt, nempe, Reges. *Matth. 25. c. Possidete paratum vobis regnum, à constitutione mundi. Sap. 5. Accipient regnum decoris, & diadema speciei, de manu Domini. Apocal. 4. Seniores 24. coronas aureas in capitibus gestantes visi sunt, atque Deum adorantes, mittebant coronas suas, ante thronum Dei: & c. 5. Seniores 24. cantabant, dicentes fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram.*

*Ioan. 14. c.* *Matth. 8. c.* *Symbolum Apostol.* *Matt. 25. c.* *Sap. 5. c.* *Apo. 4. c. & 5.*

Obserua autem, ait Didacus Stella, vbi suprà quòd mundus ad prandiū inuitat, non autē ad cœnam: Solet enim in hac vita suis amatoribus delicias præparare, sed horâ cœnæ, hoc est, serò, & hora mortis eorum, deserit eos, ac desolatos relinquit, atque adeò non iniuriâ, dicere potest illud, *Baruch. 4. cap. Nutriui illos cum iucunditate: dimisi autem illos, cum fletu & luctu.* Sic ibi. Propriè autem, veteres vocarunt prandium, omnium militum cibum, ante pugnam: Inde est illud ducum alloquium, Prandeamus, tanquàm ad inferos cœnaturi. Quod & Leonidas, ille dux dixisse fertur, apud Ciceronem, lib. I. Tusculanruam quæstionum sub finem lib. Pergite,

*Didacus Stella, in Luc. 14.* *Baruch. 4. ca.* *Cic. l. 1. Tusc. q. sub finem.*

gite, inquiebat suis militibus, animo forti Lacedæmonij: hodie apud inferos fortasse cœnabimus. Sic ille. Hoc etiam suis dicere iure potest mundus. Prandete, hîc epulamini, genio indulgete & ex animi sententia omnia agite, sed in fine, fame peribitis: cùm in morte, nec caro, nec mundus, nec deliciæ, quicquam sint profuturæ, Sed vili operientur cadauera vestra sindone, vermibúsque cedent in escam: animę verò, in æternum cruciabuntur in inferno. Verùm aliter Christus, qui nos ad famem, & sitim nunc quidem inuitat, at opulentissimam dabit cœnam suis, in fine. *In finem quippe, dilexit suos, Ioan.* 13.c. tribuens, nimirum, eis cœnam illam æternam in gloria. Ideò hoc tam splendidum, & opiparum conuiuium, cœna, & non prandium dicitur. Sequitur in contextu. *Ioan.* 13.

*Et vocauit multos &c.* Vocat quidem Deus, multis modis, nempe, per Angelos, prophetas, Apostolos, & Ecclesiæ pastores, atque concionatores. Vocat per beneficia, per flagella, per miracula, vocat denique per interiora mentis hortamenta, ac externas prædicatorum declamationes, Neminem præteriit dicente scriptura: *Iob. 25. cap. Super quem, non fulget lumen illius: nec est qui se abscondat à calore eius. Psal. 18. Vult omnes homines saluos fieri. 1. Timoth. 2. ca.* Omnes etiam vocat dicens: *Matth. 11 Venite ad me omnes &c. Multi quidem sunt vocati, pauci verò electi*, ait Euangelium. *Iob.* 25. *Psal.* 18. *1. Tim. 2. ca.* *Matt* 11. *t.*

Misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia parata sunt omnia &c. Per seruum illum, prædicatorum vniuersitas designatur. Vocandis inuitatis, nullo vnquam tempore huiuscemodi seruus defuit. Primùm enim Patriarchas misit in lege naturæ: Deinde, Mosen, ac Prophetas, in lege, Post hos tandem, filium suum vnigenitum destinauit: in tempore gratię. Ille verò duodecim Apostolos suos, & discipulos septuaginta duos; & ad finem vsque sæculi, mittuntur concionatores, à Pastoribus, ad prædicandum. *Rom.* 10 *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* De falsis siquidem prophetis, per Sanctum vatem, Dominus loquitur dicens: *non mittebam prophetas, & ipsi currebant. Iere. 23. c.* *Rom.* 10. *Iere.* 23. *c.*

In eo, quod hic dicitur, *Misit seruum suum*, duo considera, vnum, quòd sit Dei seruus, id est, catholicus, uam hæretici, & schismatici, non Dei serui, sed diaboli sunt mancipia. Alterum est, quòd legitimè mittatur ex parte Dei, Nam *Heb.* 5. *nec quisquam sumit sibi honorem, sed, qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aaron.* Quamuis enim sit Catholicus, non tamen proprio amore, aut passione aliqua impulsus, prædicare debet: *Heb.* 5.

ſed propter Deum,ad populi ædificationem,& Dei gloriam, miniſterio ſuo fungens.

Dicere inuitatis &c. Ad cibum vocare, inuitare dicitur, Proprie autem de conuiuijs vſurpatur, quaſi in,ſiue ad vitam vocare,vnde etiam conuiuia Latinis videntur dicta, à conuiuendo, quòd tunc maximè ſimul viuatur. Inuitari autem à magnis viris, honorificum exiſtimatur,Quanto(amabo)honore ſe affectum iudicauit Aman,quia inuitatus eſſet ad conuiuium,quod parauerat Eſther? vnde & dicebat amicis ſuis;

Eſth. 5. *Regina Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege, præter me apud quam etiam cras cum rege pranſurus ſum. Eſther capite quinto*. Ab Imperatoribus,regibuſve,ac principibus, ad menſam admitti, valdè honorificum reputabatur, Apud Iudæos præſertim,ſi principes menſæ ſuæ nonnullos adhiberent,id ſummi honoris loco ducebatur.Sic Dauid victo,atque proſtrato Goliath gigante,id honoris,atque premij à Saule rege conſecutus eſt,vt Calendis,ſiue,nouiluniis die,cum illo in conuiuio

1.Reg.20.c. accumberet:1.*Reg.20.c.Ecce Calendæ ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſoleo iuxta regem ad veſcendum*: Dicebat Dauid ad Ionatham. Idem Dauid poſtea Miphiboſetho, Ionathæ filio, Saulis nepoti,eundem honorem conceſsit. 2.*Regum.9. Ait ei Dauid: fa-*

2.Reg.19.c. *ciam in te miſericordiam, propter Ionatham patrem tuum, & reſtituam tibi omnes agros Saul Patris tui, & tu comedes in menſa mea ſemper.* Eodem honore Berzellaum quoque Galaaditem, pro magnis eius, in ſe exulem, beneficijs afficere voluit: quem cùm ille recuſaſſet, eum in illius filium tranſtulit, ſicut apertè. 2.

& 19.c. Reg.19.c. ſcriptum legimus, hoc pacto.

*Erat Berzellai Galaadites octogenarius, & ipſe præbuit alimenta Regi, cùm moraretur in caſtris: fuit quippe vir diues nimis. Dixit itaque Rex ad Berzellai. Veni mecum, vt requieſcas ſecurus mecum in IERVSALEM, & ait Berzellai: Octogenarius ſum hodie. Nunquid vigent ſenſus mei,ad diſcernendum ſuaue,aut amarū? aut delectare poteſt ſeruum tuum cibus,aut potus? quare ſeruus tuus ſit oneri, Domino meo regi? Non indigeo hac viciſsitudine. Eſt autē ſeruus tuus Chamam* (Erat is,prædicti filius) *Ipſe vadat tecum, Domine mi rex, & fac ei, quicquid tibi bonum videtur. Dixit itaque ei rex. Mecum tranſeat Chanaam, & ego faciam ei,quicquid tibi placuerit: & omne quod petieris à me,impetrabis.* Hæc ibi.Sic Guilmerodach,rex Baby-

4.Reg.25.c. lonis,Ioachim regem Iuda captiuum, menſæ ſuæ adhibuit, Babylone. *Poſuit*, ait Scriptura,4. *Regum. 25.c.thronum eius,ſuper thronum regum,qui erant cum eo in Babylone, & mutauit veſtes eius, quas habuerat in carcere, & comedebat panem ſemper in conſpectu*

*Guilmerodach, cunctis diebus vitæ suæ.* Et Hactenus quidem, ex sacris literis.

Nunc ad prophanos authores, & historicos accedendum. Idem namque mos Romanorum quoque Imperatorum fuit, à quibus ad mensam admitti, perhonorificum existimabatur, Vnde, referẽte Suetonio, in Vespasiano Aug. §. 2. egit ille gratias Caio, apud amplissimum ordinem, quòd se honore cœnæ dignatus esset. Valerius Maximus consimiliter narrat lib. 5. cap. 1. de humanitate, & clementia adhunc modum. L. etiam Paulli, in tali genere laudis memoria apprehendenda est. qui cùm Persen, parui temporis momento captiuum ex rege, ad se adduci audisset: occurrit ei, Romani imperij decoratus ornamentis: conatúsque ad genua procũbere, dextra manu alleuauit, introductum etiam in tabernaculum, lateri suo proximum in concilio sedere iussit: nec honore mẽsæ indignum iudicauit. Sic ille. Adhuc porrò, regum, atque principum, honoris ergò, quosdam ad mẽsas suas adhibendi morem, Christus quoque alludit, *Luc. 22. c.* *Ego,* inquiens, *dispono vobis, sicut disposuit mihi pater regnum, vt edatis, & bibatis, super mensam meam, in regno meo*, hoc est, sitis felicitatis, & omnium bonorum particeps, in altera vita. Inuitamus autem vel per nosipsos ἀμέσως, immediatè, & sine medio, vel ἐμμέσως, mediatè, nempe) per ministros atque nuntios. Inuitationis ἀμέσου illustre exemplum habemus in Esthera regina, Assuerum regem, atque Hamanum inuitante. cap. 5. Serui autem, quorum operá olim ad inuitandum homines vtebantur, à Græcis κλήτορες, à Latinis, vocatores appellantur. Vnde Plinius, lib. 35. naturalis historiæ, cap. 10. sic de Apelle scriptum reliquit. Non fuerat ei gratia in comitatu Alexandri, cum Ptolemæo, quo regnante, Alexandriam vi tempestatis expulsus, subornato fraude æmulorum, plano regio (hoc est, impostore quodam, (Gallicè, *vng affronteur, ou pipeur*) inuitatus, ad regis cœnam venit: indignantéque Ptolemæo, & vocatores suos ostendenti, vt diceret, à quo eorum inuitatus esset? arrepto carbone extincto è foculo, imaginem in pariete delineauit, agnoscente vultum plani rege, ex inchoato protinus. Hæc ibi. Sic & præsenti Euangelio, conuiuator iste, seruo mandat, vt ad conuiuium homines vocet, dicátq; inuitatis vt veniant, quia parata sunt omnia &c. *Matthæi. 22. capite. Venite ad nuptias, nam omnia sunt parata. Vt venirent*, ait contextus, quod sedulò obseruandum existimo. Debet enim inuitatio esse nõ simulata, lãguida, & remissa, sed seria, & acris,

*Suetonius in Vesp. Imp.*
*Valerius, l. 5. c. 1. exemp. 8*
*Luc 22. c.*
*Esth. 5. c.*
*Pli. l. 35. nat. hist.*
*Luc. 14. c. & Matth. 22.*

Ita vt is, qui inuitat, serio rem, & ex animo agere, non ludere videatur. Huiusmodi fuerunt Estheræ Reginæ, Abrahami, atque Lothi inuitationes, erga Angelos, humanitatis, officijque plenissimæ, & duorum Christi discipulorum, eum ad conuiuium inuitantium summis precibus, & (vt ita dixerim) ardentibus votis, eundem compellentium, dicétiúmque: *Mane nobiscum quoniam aduesperascit. Luc. 24. c*

Luc. 24. c. Mirum, simulatúmque inuitationis genus fuit, quo viri Triumphales olim apud Romanos, vsi fuerunt, illi namque (vt testis est Plutarchus) consules ad epulum triumphale inuitabant, sed postea illos rogabant, ne accederent: Idque ob eam causam, vt post epulum, honoris ergo à populo Romano deduci possent: qui honos præsentibus Cõsulibus non poterat, ex populi Romani moribus, ac institutis, Imperatoribus tribui. Eadem de re sic scribit Valerius Maximus libr. secundo capite octo. De iure triumphandi. Moris erat, ab Imperatore triumphum ducturo, Coss. inuitari ad cœnam, deinde rogari, vt venire supersedeant; ne quis eo die, quo ille triumpharit, maioris in eodem conuiuio sit imperij. Sic ille. At vero non ita Dominus agit cum inuitatis: Imo mittit seruum suum, vt dicat inuitatis, quòd veniant, quia parata sunt omnia. Mundus, instar triumphantium, ludit, & deludit, quos inuitat (*les contremandant*, vt vernaculè diceremus) sed Deus, ex animo, ac serio inuitatos vult, iubétque accedere ad conuiuium, & epulari. quia parata sunt omnia ait, Ideo enim non stabit, quo minus fruantur, gaudeántque adornatis, instructisque epulis cœlestibus.

*Plut. Prob. &*

*Vale. l. 2. c. 8. de iure triumph. cx. 6.*

Psal. 22. c. *Parata omnia*, dixit, *Psalm. 22. Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.* O quanto gaudio Patres antiqui afficerentur, si hoc illis contigisset. Vocabantur quidem illi: sed nondum omnia parata erant, quia passio Christi, nondum exhibita erat: sed tamen sperabant futuris temporibus paratum iri conuiuium. O felix eorum hominum ætas! in qua prædicatores dicere possunt: Iam parata sunt omnia. Iam Christus pro vobis mortuus est, Iam suo sanguine cœlum aperuit, iam cœlos conscendit, & præparauit vobis mansiones, in æterna beatitudine. Venite ergo ad cœnam, quia omnia parata sunt. Ideircò Christus Apostolis dixisse memoratur: *Luc. 10. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, Beati*, inquam, quia iam præparatam cœnam inuenitis. Patres ex hoc decedentes sæculo, in lymbum descendebant, & Abrahæ sinu excipiebantur, non autem cœlos ipsos pene-

Luc. 10.

trabant donec Christus ascendisset: extunc autem, Aperti sunt probis hominibus cœli dicente protomartyre Stephano: *Ecce video cœlos apertos, & IESVM stantem à dextris virtutis Dei &c. Hodie mecum eris in Paradiso*, dicebat bono latroni idem Christus persoluto quippe pretio, aperta est ianua. *Paratus est locus. Ioan. 14. cap. Vado parare vobis locum, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis*. Vitulus saginatus, (typus Christi, pro nobis immolati) iam occisus est. *Luc. 15. capite*. In summa, ex parte Dei omnia sunt parata, sed ex nostra parte, cuncta deficiunt. In veteri testamento nequaquàm erant omnia peccata, Dicente Apostolo: *Hebr. 10. cap. Vmbram habens lex futurorum bonorum*, non ipsam rerum imaginem, hoc est, veritatem. *capite septimo. Nihil enim ad perfectum adduxit lex*. Rursus, *capite decimo. Impossibile est sanguine hircorum deleri peccata. Ioannis primo capite. Gratia, & veritas, per Christum facta est*. In Euangelio itaque omnia sunt parata.

*c. 23.* *Ioan. 14. ca.* *Luc. 15. c.* *Heb. 10. c. & 7.* *Ioan. 1. c.*

Sed (heu) hominum ingratitudinem: *Et cœperunt*, ait contextus consequenter, *simul omnes excusare*. Omnes, dixit, nedum aliquos: *Omnes* quippe, *quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Iesu Christi. Philipp. 2. c.* A minore quoque, vsque ad maiorem, omnes auaritiæ student. *Ier. 6. c.* O tempora, ô mores. Quanto, quæso, gaudio, Aman profectus est ad conuiuium Reginæ Estheræ (quo de suprà) & suam gloriam nũtiauit amicis, vxorique suę? At vero, hæc cœna multo pretiosior est, conuiuio Reginæ, aut etiam Assueri regis. Si rex pauperem inuitaret, festinaret vtique ad conuiuium. Nos contrà, ad cœnam Dei inuitati, excusationes prætendimus, & diuinum conuiuium adire contemnimus. Mirùm profectò: vocat Deus ad cœnã, & venire vocati recusant. Si ad labores vocaret intolerabiles, non mirum, si nollent venire: Sed vocantur ad cœnam: & tamen venire negligunt. Vocat mundus ad labores, & omnes sequuntur illum, Omnis populus secutus est Sebam, filiũ Bochri: Pauci autem sequebantur Dauid. *2. Reg. 20. c.* Vocat mũdus, vt decipiat, Diabolus, vt torqueat, Caro vero, vt illudat, & omnes hos sequuntur infensissimos hostes; Christus autem vocat ad cœnam, vt gaudeas, & cœnes cum eo, ac lęteris perpetuo, & pauci admodum, sequuntur illum. Christus reficit. *Matth. 11. Ego*, inquit, *reficiam vos. Tollite iugum meum super vos*. Mũdus autem deficit, Transit mundus, ait Apostolus, & concupiscentia eius Rogabat Dominum regius Psaltes, *Ps. 140.* dicens: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusa-*

*Philip. 2. c.* *Iere. 6. c.* *2. Reg. 20. c.* *Psal. 140.*

*tiones in peccatis.* Malū quidē est peccare, peius in peccato perseuerare, pessimum verò, peccatum excusare, grauissimū autem omnium est, in Deum crimen ipsum retorquere, quod Adam parens noster, fecisse memoratur: *Genes. 3. Mulier*, inquiēs, *quam dedisti mihi, decepit me &c.* q d. Tu in culpa es, qui talē mihi dedisti coniugem. Mulier ipsa quoque serpenti vicissim peccatum imposuit, dicens: Serpēs decepit me: Saul similiter, à Samuele reprehēsus, eò quòd accepisset de spolijs Amalech: sub prætextu, sacrificij, inobedientiæ crimen nisus est excusare, ac defēdere. Excusatio in peccatis, ad superbos pertinet.

*Genes. 3. c.*

Obserua interim, communem dicendi modum, cùm plures significare volumus, omnes dicere. Sic *Matth. 3. Exibat ad Ioannem, omnis Iudæa, & omnis regio, circa Iordanem* cùm vtiq; plures domi resident.

*Matth. 3. c.*

*Villam emi, & necesse habeo &c.* Quæ ad cœnam ire prohibēt, non sunt de se mala, lege prohibita, vetitáque: (cuiusmodi sunt furta, adulteria, homicidia) sed communiter ab omnibus bona reputantur. Quia tamen non moderatè illis vtimur, nos à cœna excludunt. Primus dixit: Villam emi &c. In villa empta, dominatio notatur: Ergo superbia castigatur: vitium certè, pessimum. Siquidem, Scriptura teste, initium omnis peccati, superbia est. Qui villam emit, hominibus appetit præesse, ac dominari, quod ex radice superbiæ procedit. q. d. Malo dominari in terris, quàm venire ad vitam ęternam: Ambitio, malum est, quo non nocentius vllum. & sequenti proditur exemplo, Ex Cicerone, lib. 3. Tusculanarum quæst. Dionysius quidem tyrannus, ait ille, Syracusis expulsus, Corinthi pueros docebat: vsque eò imperio carere non poterat. Sic ibi.

*Matth 16. ca.*

Expende etiam, quòd non dicit ciuitatem emi, aut castrum, seu regnum, sed villam exprimit, vt significet tantam esse ambitionem, adeóque cæcam in iudicando, vt pro re vilissima, maximum negligat bonum, quod tamen, nec pro mundo dare deberet vniuerso. Quid enim proderit homini, si vniuersum mundum lucretur, ait in Euangelio Dominus, animæ verò suę detrimentum patiatur? aut, quam commutationem dabit homo, pro anima sua? Habebant Iudæi, dominationem, & imperium, quòd ne ipsi amitterēt, Christum in lege promissum, respuerunt, & aspernati sunt: Insuper etiam crucifixerunt, vnde dicebant: *Ioan. 11. cap. Quid facimus si dimittimus eum sic, omnes credent in eū, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Sequitur in textu.

*Necesse habeo.* Ambitione cogente, *Exire*, ab æternorum contemplatione, & à mei ipsius cognitione, ac cõsideratione. Omnis namque superbus, extra se est, quia supra se extollitur. *Psal. 130. Domine*, aiebat Dauid, *non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* *Psal. 130.*

*Et videre illam, &c.* Hoc est, totum studium ad eam applicare. Omnem etenim lapidem mouent Ambitiosi, & superbi, vt dominari possint. Perpende etiam hominis stultitiam. Fructus quippe eius rei, quam tam carè emit, alius non est, quàm videre illam. *Quem fructum habuistis*, rogat Apostolus, *Rom. 6. in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* In eam rem accommodabitur, quod aliorsum, alicubi: Diuus scripsit Augustinus. Visio, inquiens, est tota merces. Non dicit, gaudebo de empta villa, vel eam possidebo, sed, necesse habeo videre illam. Non satiant opes, non quietant fallaces diuitiæ animum, nec appetentiam, aut sitim explent, sed magis cupiditatem incendunt. Quid prosunt multis diuitibus facultates tam multæ, nisi quòd cernunt eas oculis suis? non tàm profectò, possidentes eas, quàm possessi ab illis: titulo tenus Domini, at reipsâ pecuniarum suarum miserabilia mancipia. Cuiusmodi erat Ptolemæus ille Cypriorum rex, (Cuius Valer. Maxim. lib. 9. cap. quarto, de auaritia, meminit) Proculdubio hic non possedit diuitias, ait ille, sed à diuitiis possessus est: titulo rex insulæ; animo pecuniæ miserabile mancipium. Tales Psalmographus, non ineleganter, viros diuitiarum nominauit: cùm debuissent esse virorum diuitiæ. Valdè apposite tales, qui diuitiis non vtuntur, sed ad videndum tantùm, eas multis sudoribus, & labore improbo, sibi procurant, Tantalo comparantur, de quo lib. 1. Sermonum, Satyra 1. Horatius cecinit, dicens: *Rom. 6.* *D. August.* *Valer. Max. li. 9. c. 4. de auaritia.* *Psalm.* *Horat. lib. 1. Ser. Saty. 1.*

*Tantalus à labris sitiens, fugientia captat*
*Flumina. Quid rides? mutato nomine de te*
*Fabula narratur.* -----

Tu Tantalus es, ô diues improbe, qui in medio diuitiarum siti peris.

Obserua etiam istius stultitiam, non solùm in eo, quod rem sibi inutilem tanti emit, verum etiam in eo, quod, antequam eum vidisset, emit. Priùs siquidem villam emit. Et postea exiuit, vt videret illam: quod aliter fieri oportuit, veluti de muliere forti; Sapiens scriptum reliquit. *Prouerb. 31. cap. Con-* *Prou. 31.*

*ſiderauit agrum,& emit eum. Vidit enim quia bonus erat, & ideo emit illum. Et Matth.* 13. Euangelicus negotiator, priùs inuenit theſaurum : & poſteà vendidit vniuerſa , quæ habuit , emitque agrum illum,in quo erat theſaurus reconditus. Videre eam. Quomodo (amabo) vllam emeret,ſi priùs vidiſſet?Si honores mundi,priùs benè perſpectos,cognitóſque haberemus,nullo modo illos emeremus. Aduerte igitur,vt antequam res mundi emas, diligenter inſpicias, ac conſideres , quales ſint : Id enim ſi feceris , nunquam res huiuſmodi comparabis. Quin potiùs,cùm Demoſthene oratore, prudentiùs tibi conſulas : Scribit in noctibus Atticis, lib. 1.c.8. A.Gellius,ex Phocione philoſopho Peripatetico,in ſuo cornu copiæ. In eo,inquam, libro, ſuper Demoſthene Rhetore, & Laide meretrice hiſtoria hæc ſcripta eſt : Lais , inquit, Corinthia, ob elegantiam, venuſtatémque formæ, grandem pecuniam demerebat,conuentúſque ad eam ditiorum hominum ex omni Græcia,celebres erant : neque admittebatur , niſi , qui dabat , quod popoſcerat : Poſcebat autem illa nimiam quantitatem. Hinc ait natum eſſe illud frequens apud Græcos adagium : *ὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς*, id eſt, ſi Latinè vertas,Non cuiuſque viri eſt, Corinthum petere,& nauigare: quòd fruſtrà iret Corinthum ad Laidem, qui non quiret dare, quod poſceretur. Ad hanc ille Demoſthenes, clanculum adit, & vt ſibi ſui copiam faceret, petit. Ait Lais *μυρίας δραχμὰς, ἢ τάλαντον*, hoc eſt, decem drachmarum millia,vel, talentum, popoſcit. Tali petulantia mulieris , atque pecuniæ magnitudine ictus; expauidúſque Demoſthenes,auertit iter : & diſcedens, Ego, inquit , pœnitere tanti non emo. Sed Græca ipſa, quæ fertur dixiſſe, lepidiora ſunt. *ὐκ ὠνοῦμαι*, inquit, *μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν*. Non emo, ait, decem drachmarum millibus pœnitentiam. Sic A. Gellius. Adhunc planè modum,Si benè perſpexeris mulieris pulchritudinem , apud temetipſum dicito : Quanti emitur carnis delectatio , & modico tempore durabilis voluptas carnis ? Num talento argenti, vel auri ? Imò verò, ignis gehennæ ſeu, Inferni, æterno ſupplicio, Inferni ? Proh dolor! Tanti pœnitere nō emo. Quin potius inſeruiam Deo,non carni;aut mundo.Etenim ſeruire Deo, regnare eſt. At ſeruire carnis voluptatibus , illiſque indulgere, certiſſima eſt damnatio,niſi dignos peregerim pœnitentiæ fructus. Voluptas breuis,pœna perpetua. Videre illam,&c. Proferam, quod ſuper re ſimili, Macrobius lib. 1. Saturnaliorum,ca. 11. ſcripſit, hoc verborum filo,& tenore. Quemadmodū ſtultus

*Matth.* 13.

*A. Gell. lib.* 1. *c.* 8. *Noctium Atticarum.*

*Macrob. lib.* 1. *Saturn, c.* 11.

est, qui empturus equum, non ipsum inspicit, sed stratum eius, ac frænos: sic stultissimus est, qui hominem, aut ex veste aut ex conditione, quæ modo vestis nobis circumdata est, æstimandum putat. Consimiliter insanus iudicandus, qui merces carnis & mundi, externa tantùm facie considerat, conspicitque, interiora verò eius minimè contemplatur. Ex hoc proinde loco, disce, quæ mundi sunt, priùs diligenter videre, quàm emere, priúsque sedulo ea examinare, quàm iis te totum, dedere, ac mancipare. Gallicum est prouerbium, ad hoc propositum. *Il ne faut achepter chat en poche.* Prius ergo videre oportet, quàm emas villam, aut aliud id genus. *Rogo te habe me excusatum.* In verborum superficie, ostendit humilitatem, ac ciuilitatem, seu, vrbanitatem quandam, verum, per superbiam venire contemnit. Humilitas sonat quidem in voce, sed superbia in actione. *Vox quidem, vox Iacob est, manus autem, manus sunt Esau. Genes.* 27. Sic Ioab, osculatus Amasam, dixit: *Salue mi frater.* 2.*Reg.*20. & Iudas, Domino, *Aue Rabbi,* ait, *Matth.*26. Sed alter Amasam interfecit, alter verò Christum prodidit, Fuerúntque amborum verba specietenus, siue, secundum apparentiam (quod dicitur) pacifica, Actio autem vtriusque perfida, & proditoria fuit. Perperàm iste se humiliauit, cum interiora eius plena essent dolo. Quales nō pauci, heu! hodie reperiuntur, de quibus scriptum est à Sapiente. *Est,* inquit ille, *qui nequiter se humiliat, & cuius interiora plena sunt dolo. Sed non est mentitus hominibus, sed Deo. Act.* 5. Iam alium se excusantem audiamus.

*Genes.* 27. *2.Reg.* 20. *Matth.* 26. *Eccles.* 19. *Act.* 5.

*Iuga boum emi quinque, &c.* Hæc secunda est excusatio, quæ spectat ad concupiscentiam oculorum, qua de D. Ioannes, *sua Epistolæ primæ, cap.* 2. *Omne,* inquit, *quod est in mundo concupiscentia carnis est: Deinde, concupiscentia oculorum. Denique, Superbia vitæ.* Tria illa, in his tribus, spectanda sunt. Superbia enim in primo designatur, Concupiscentia oculorum, in isto secundo, qui iuga quinque, sibi comparauerat. At concupiscentia carnis cernitur in tertio, qui vxorem duxerat. Non quòd in istis tribus, Villa empta, iugis boum quinq;, similiter emptis, ac coniugio celebrato, seu nuptiis, crimen iussit. Absit. Non enim res ipsæ, Sed abusus rerum in crimine est. Nempe, cum immoderato amore hæc diliguntur, crimen est. A cœna siquidem nos excludunt tria, quæ sequenti versu continentur.

*1.Ioan.* 2.

*Ambitiosus honos, & opes, & amica voluptas.*

Meritò autem auaritia, quæ ligat, & illaqueat animas, sicut iugum animalia constringit, & deuincta retinet, per quinque

1.Tim.6. Iuga boum exprimitur, dicente Apostolo. 1.*Timot.6.cap. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli.* Auarus, funibus auaritiæ detinetur, Ideóque iuga, quæ boues ligant, emisse dicitur, pretio animæ suæ, quam mammonæ tradidit. Quinque autem iuga idcircò nominantur, quia quinque sunt exteriores sensus, cum binis organis, verbi gratiâ, binis oculis, binis auribus, binis naribus, linguâ, & palato, ac denique tactu voluptatis, tàm extrinsecùs, quàm intrinsecùs. De his, intelligitur sermo propheticus, *Ierem.9 cap. Ascendit mors per fenestras nostras ingressa est domos nostras.* Adde, quòd boues versant terrã, per quos animales, ac terreni adumbrantur, qui non credunt, nisi (Thomæ instar) vtantur, nedum oculis, verùmetiam tactu: *Nisi videro, nisi tetigero, non credam,* dicebat ille incredulus, *Ioã.20.*

Ierem.9.

Ioan.20.

Non dicit iste; vado vt pascam illa, Sed vado probare illa. Tantum enim tales credere volunt, quod tangunt, & sensu corporis quinque partito probant. Quinq; illis, iugis boum, à cœna impedimur. Probare illa, dixit, Aliquando verò, ad curiositatem pertinere solet probatio. Curiosorum namque est, discutere, tentare, probare, experiríque velle omnia quod sanè vitium, ex prima generis nostri parente Eua, sortimur, haurimúsque, quæ curiositate ducta, experiri ausa fuit, vter verum dixisset, Deus ne, an dæmon? & grauiter decepta est, atq; à serpente seducta. Verùm, de curiositate aliàs. Modò, ad auaros sermonem conuertamus.

Vide autem, auari hominis stultitiam: Christus enim dicit, *Matth.11.cap. Tollite iugum meum super vos. Iugum enim meum suaue est.* Hic autem, ne se subiiciat Christi iugo, quo nihil suauius, humeris suis quinque grauissima iuga imponit; quorum singula, centum iugis Christi, grauiora longè reperientur. Diaboli quinque sunt iuga, quia nullus est in homine sensus, quem sibi malignus subiicere non desideret. Habet etiam contextus, quòd emit ea. Nemo sapiens, profectò, gratis etiã & sine vllo pretio, humeris suis, quinque talia iuga, imponi siuerit, nedum pretio appretiato emerit, cùm salutis animę suæ iactura, ac detrimento, seu, dispendio. Magno certè labore consequitur auarus, quod cupit, cum timore verò possidet, tum demùm, cum dolore relinquit. Emi, ait ille, iuga boum. Cupidorum omnium iste est morbus, vitiúmq; natiuum, seu, à natura corrupta, illis insitum, & ingenitum, nunquàm ab emptionibus, & coaceruandis, accumulandísque opibus, desistere, quibus de Propheta Euangelicus, *Isa.5.cap.* scribit dicens: *Væ, qui coniungitis domũ ad domum, & agrum agro copulatis,*

Isa.5.

*vsque ad terminum loci.* Nunquid habitabitis vos soli, in medio terræ? Emi ergo quinque iuga boum, siue iure, siue, iniuriã, per fas (vt dicitur) & nefas, Ideò non possum venire. Q. d. Nimia cura mearum rerum conseruãdarum, & augendarum, locum mihi non concedit, & opportunitatem, eundi ad conuiuium paratum, ad quod fueram inuitatus. Eo itaque probare illa. O homines modicæ fidei! non sufficit, vt à diuina sapientia moneamini, neque satis est, hoc ab hominibus expertis edictum esse? nempe, quòd omnia prætereunt. Et, vniuersa vanitas. *Vanitas vanitatum,* dixit Ecclesiastes, *cap. 1. & omnia vanitas.* Omnes quotquot mundo inseruiére, asserunt mundi iugum esse intolerabile: contrà verò, omnes, qui Deum colunt, iugum Domini dulcissimum, suauissimúmque esse testantur. Tu nihilominùs vis probare iugum mundi, & adhuc experiri carnis delicias, periculum etiam ipse vis facere? (Gall. *faire l'essay, ou espreuue*) Insipiens tu, Cur sapere non vis periculo alieno? Sulte tu, qui animæ tuæ certissimo damno, probare vis miserrimam mundi seruitutem, ac durissimum iugum. Quinque iuga boum habeo, inquis, quæ ego per memetipsum, mea sponte, & authoritate comparaui: volo probare illa, Ideóque non possum venire, habe me excusatum. Sed audiamus tertium. Eccl. 1.

Alius dixit: *vxorem duxi, & ideò non possum venire, & cæt.* Hoc ad concupiscentiam carnis pertinet. Animaduerte interim, ac diligenter obserua, non hîc nuptias, & Matrimonium, damnari, Absit, Honorabile enim est connubium, & thorus immaculatus. *Hebr. 13. cap. Sacramentum hoc magnum est, dico ego in Christo, & in Ecclesia. Ephes. 5.* Vult autem hoc loco Christus insinuare, nimium mulierum amorem, maximum esse impedimentum, ne Spiritus ad æternorum contemplationem, ac fruitionem assurgat, & exigatur. Coniugij abusus, non autem legitimus eius vsus, hîc improbatur. Multoties siquidem cõiugati, vxoribus abutuntur, neque *vasa sua possident in honore, & sanctificatione, sed in passione desiderij, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum. 1. Thess. 4. c.* Rem sanè prodigiosam, monstróq; simillimam, nec ferendã, considera: vt alicui dicas. Deũ cole. Ille autem contrà, respondeat, Non possum, quia vxorẽ duxi. Quomodò, cùm fuerit matrimoniũ ad cultum Dei institutũ, in officium nimirũ, simul & remediũ, hominũ malitia, ac peruersitas, in Dei offensam illud cõuertit? Vxorem duxi, ait iste, Ideóq; non possum venire. Sic Adam excusando se, loquitur, *Mulier, quam dedisti mihi, &c.* Amor mulieris, spiritum obruit. Hebr. 13. Ephes. 5. 1. Thess. 4.

D.Hieronym. Bellè profectò, Cicero, referēte D. Hieronymo, to. 2. epist. lib. 1. aduersus Iouinianū, circa finem, Rogatus ab Hircio, vt post repudium Terentiæ, sororem eius duceret, id omninò facere supersedens, Respondisse fertur, dicens: Non posse se vxori, & Philosophiæ, pariter operam dare. Sic ille.

Non possum venire, ait iste: q. d. Non possum Dei seruitio, & rei familiari, seu domesticæ, simul inseruire, atque incumbere. Non possum cōtinenter viuere, nō possum vxore carere, At verò, mentitur, id dicens, quia quamuis castitas, sit donum Dei, dicente Sapiente, *c. 8. Aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat Sapientia, scire, cuius esset hoc donum: adij ideò Dominum, & deprecatus sum illum, ex totis præcordiis meis.* Verumtamen nemini facienti, quod in se est, Deus continentiam, vnquàm negauit: qui paratus est nobis omnia sua bona largiri: Possumúsque castè, & continenter viuere, (cum Dei adiutorio) si volumus. Non possum venire: ô friuola, nec admittenda excusatio, Villam emi, hoc est, sub aliis verbis: Dominus sum ac nobilis, plurimis curis distineor, sumque occupatissimus, Deo nequeo inseruire, Concionem, ac missam audire, non vacat, ô Stulte! Quære primùm omnium, regnum Dei, ac iustitiā eius. *Matt. 6.* post hæc, adiicientur temporalia. *Psal. 4. Filij hominum, vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mēdacium?* Dicat alius. *Iuga boum emi quinque, Ideò non possum venire.* q. d. Sensuum oblectamēto, & delectationi intentus sum. Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur. *Eccle. c. 1.* Abutētes quippe suis sensibus dicuntur emere quinque iuga boum. Dicat similiter tertius: *Vxorem duxi, Ideò nō possum venire.* Mirū, sanè. Duo priores rogant excusari, tertius autem subrusticè, & inciuiliter agit, neque (vt cæteri) vrbanis verbis, excusatum se haberi supplicat. Nihil etenim æque obruit animū, atque carnis petulantia, & lasciuia ac Venereorum vsus, aut potiùs, abusus, parit namque rerum diuinarum obliuionem. Ideò, *Osee 4 c. Fornicatio, & ebrietas auferunt cor.*

Nota, quod villam emere, & iuga boum, vxorémque ducere, hîc nō interdicitur: nec status taxatur, sed libido effænis, sed ambitio dominandi, sed auaritia acquirendi, & habēdi cupiditas ac auiditas. In eum sensum recidit parabola seminis inter spinas cadentis, nec fructum referētis. *Luc. 8.* Qui inter spinas, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ, euntes (nota hæc tria) suffocantur, & nō referunt fructum. In villa empta impedimentum intelligitur diuitiarum, In iugis quinque boum, Impedimētum sollicitudinis

quamuis in vtroque sit, in materiæ diuersitate, In vxore ducta, Impedimentum voluptatis carnalis. Dicunt consimiliter omnes, Non possumus venire ad cœnam, ad quam vocati sumus, & inuitati. Conuerti non valeo, quia vitiorum meorum mancipium vile sum, voluntarium interim, & spontaneum: illorum non valeo excutere iugum. Sic improbus loquitur. Non valet autem, quia non vult. Non possum, inquit, pouperibus erogare bona mea. Quare? Quia ea, quæ mihi dominatur auaritia, nō permittit, quia similiter, quæ mihi imperat ambitio, non sinit vt aliis subiiciar, per humilitatem, sed omnibus præesse, non prodesse, ad honores aspirare, nō autem onus subire, opes appetere, nō opus desiderare, me impellit. Quia, quæ mihi dominatur carnalis voluptas, sic retinet, velut quodam visco (Gal. *du glu*) irretitum; vt animus in rebus infimis teneatur captiuus, ne ad summa assurgere valeat. Si quis enim carnalē amorem, viscum appellauerit, haudquaquam ipse aberrauerit. Vxorē duxi, inquit, & ideò non possum venire. Quid per vxorem, nisi voluptas carnis exprimitur? Quamuis enim bonū sit coniugiū, à diuina prouidentia, ad propagandā sobolē institutum, nōnulli tamen, non per hoc fœcunditatem, numerositatémque prolis, ad Dei cultum & obsequium educandæ, sed desideria expetūt voluptatis, & idcircò per rem iustam, significari non incōgruè potest res iniusta Non dixit iste. Rogo te, habe me excusatum (quod ceteri dixerunt, ex ciuilitate) sed, nō possum, ait, venire. Siquidem vitium hoc tenaciùs aliis, hominem detinet irretitū ac illaqueatū: vnde per *Oseam c.5.* dicitur, *Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum; quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. &c. c.10. Diuisum est cor eorū nunc interibūt.* An non coniugatorum cor, diuisum est, & bipartitum? cùm rem familiarem studiosiùs plerumque curent, quā quæ sunt salutis æternæ? Vnde meritò pronunciat Christi Apostolus: *prioris. Cor.7. Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ domini sūt, quomodo placeat Deo. Qui autē cū vxore est, sollicitus est, quæ sunt mūdi, quomodo placeat vxori: Et diuisus est.* Nota, obsecro. Et diuisus est, quia partim mūdo, partim etiā Deo deseruit, quia diuidit intentionē, & officia: erga familiā, & œconomiā scilicet, & circa rem diuinam. *Turbaturq; circa plurima.* (instar Marthæ. *Luc.10.* cū vnum sit necessarium.) Diuisus est, id est, in multas sollicitudinum partes, miseriarúmque distractus: Atque (quod valdè apposite dixit Apostolus. *Tribulationem carnis sustinebit.* Verba Apostoli sunt) vbi sup. Etsi nupserit virgo: nō peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi, scilicet, parturientiū

1. Cor.7.c.

dolores,liberorum educandorũ sollicitudinem , & mille matrimonij incommoda.Idque ex parte vxoris,At verò,ex parte viri,seu mariti, Tribulationem carnis,id est, afflictionem sustinebunt tales,in rebus necessariis,alendæ familiæ,procurandis. Vnde lenius est,esse sine coniugio : & quod apud Horatium,scriptum extat:

*Horat. lib. 1. Epist. ep. 1.*

------*Melius nil cælibe vita.*

*Qui autem in carne sunt*, ait Paulus ter Maximus, *Rom. 8. Deo placere non possunt*, quod intellige,eo qui modo dictus est,sensu: *Vxorem duxi, ideò, non possum venire.* Benè , in Græcorum sententiis,In nuptias,dictum recolimus: Νόμιζε γήμας δοῦλος εἶναι τῷ βίῳ. Id est,Existima, vbi vxorem duxeris, te esse seruum in vita. At verò, seruus,iam non est sui iuris,&vir non habet sui corporis potestatem: sed mulier. 1. *Cor.* 7. *c.* Respondet itaque coniugio copulatus,& alligatus vxori (vt loquitur Apostolus, vbi sup.)Non posse venire ad cœnam.

*Græc. γνῶμαι In nuptias & In mulierem.*

Pulchræ quoque,in mulierem, scribunt Græci, sententiam huiusmodi: Μεστὸν κακῶν, πέφυκε φόρτιον γυνή, hoc est, in Latinum tralatum sermonem: Plenum malorum est onus,mulier. Scribit D.August. tom. 5. lib. 14. de ciuitate Dei, cap. 16. Libido sibi , inquiens, non solùm totum corpus,nec solùm extrinsecùs, verùmetiam intrinsecùs vendicat , totúmque commonet hominem,animi simul affectu,cum carnis appetitu cõiuncto,atque permisto. Vt ea voluptas sequatur,qua maior in corporis voluptatibus nulla est,itavt momento ipso temporis quoad eius peruenitur extremum, pœnè omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruatur, In quem locum,Lud. Viues,sic commentatur, Idcirco Hyppocrates, coitũ finiuit μικρὰν ἐπιληψίαν, id est,paruum morbum comitialem.Sic ibi.

*D. Augustin.*

*Lud. Viues, ibi. Hippocra.*

*A. Gellius.*

Retulit & commode. A. Gellius,noctium Atticarum li. 1. c. 6. ex oratione. Metelli Numidici,grauis,ac diserti viri , quam in Censura dixit ad populum,de ducendis vxoribus , hæc quæ sequuntur: Si sine vxore possemus , Quirites , esse, omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit , vt nec cum illis satis commode , nec sine illis vllo modo viui possit, saluti perpetuæ potius, quàm breui voluptati consulendum. Hæc Metellus Censor ibi. Hunc illum, illa grauitate , & fide præditum,cum tanto honore,atque vitæ dignitate,ad populũ Romanum loquentem, nihil decuit aliud dicere, quàm, quod verum sibi esse, atque omnibus videbatur: præsertim cùm

ſuper ea re diceret, quæ quotidiana intelligentia, & communi peruulgatóque vitæ vſu, comprehenderetur. De moleſtia igitur cunctis hominibus notiſſima, confeſſus, eáque confeſſione, fidem ſedulitatis, veritatíſque commeritus: tum denique facile, & procliuiter, quod fuit rerum omnium validiſſimum, atque veriſſimum, perſuaſit, ciuitatem ſaluam eſſe, ſine matrimoniorum frequentia, non poſſe. Sic apud A Gellium vbi ſuprà. Rurſus, cap. 17 eiuſdem libro de Socrate, eiúſque coniuge, ita commemorat. Xantippe Socratis Philoſophi vxor, moroſa admodũ fuiſſe fertur, & iurgioſa: irarúmque, & moleſtiarum muliebrium, per diem, pérque noctem ſcatebat. Has eius intemperies in maritum, Alcibiades demiratus, interrogauit Socratem, quænam ratio eſſet, cur mulierem tam acerbam, domo non exigeret? Quoniam, inquit, Socrates, quum illam domi talem perpetior, inſueſco, & exerceor, vt cæterorum quoque fo ris, petulantiam, & iniuriam faciliùs feram. Sic Socrates. Accedit, quòd Conradus Lycoſthenes, in ſuis Apohtegm. De vxore non ducenda, quaſi per Antitheſim, Marianum Soſinum, reſpondiſſe ſcribit. Siquidem Sozinus, Senenſis, Iuriſconſultorum prudentiſſimus, cùm minus ſolito literis operam daret, ob id reprehenſus à quodam, reſpondit: Ideò minus libros iam euoluo, quia vxorem duxi. Rurſus interpellatus. Cur Socrates vxoratus, ſiue, poſtquàm duxit vxorem non itidẽm philoſophiæ ſtudia neglexiſſet? Xãtippe, ait, moroſa fuit, & vt exiſtimo, deformis: mea autem vxor proba eſt, & forma decenti, vel formæ non poſtremæ. Hæc ferme Æneas Syluius, lib 3. commentariorum, de dictis, & factis Alphonſi regis. Plus aloës, quàm mellis, amatorum poculum, qui biberit ſentiet: plus fellis, & amaroris, quàm dulcoris, tandem experietur: In amore enim, plurimum ineſt amari, & amentes, quamplurimi, ex amantibus redditi ſunt. Narrent, qui ſentiunt. Maximus, monachus, ſermone 39. de mulieribus, ea de re ſatis apertè pronunciat, ex Secundi cuiuſdã philoſophi ſententia, ad hunc modũ: Secundus ille ſapiens, quid eſſet mulier? interrogatus, Reſpondit: Viri naufragium, domus tempeſtas, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, ſumptuoſum bellum, bellua conuiua, ſo'licitudo confidens (Græcè συγκαθημένη, ſimul ſedens, aut aſſidens) leæna complectens, exornata Scylla, animal malitioſum, malum nec eſſarium. Sic ibi. Hæc quàm ita ſe habeant, Nonne, qui duxerat

*Conr. Lycoſth. Apopht.*

*Æneas Sylu.*

*Maximus monach.*

vxorem, ita oportuit esse locutum (vt videtur) Vxorem duxi Ideóque non possum venire? Si vxor fuerit prodiga, & non frugi, quodnam tormentum, excogitari possit maius marito, quantumuis solerti? Refert in Phocicis, li. 10. Pausanias ad hũc modum, percommodè, & eleganter. Vir quidam sedet à Polygnoto depictus, Inscriptio indicat Ocnum esse: Texat è iunco restim: adest Asella, totum id quod ille iam texuerit, pertinaciter abrodens. Hunc Ocnum, aiunt, gnauum, & industrium hominem fuisse, qui vxorem sumptuosam, & prodigam habuerit, quæ quicquid ille opere faciundo, per summum laborẽ quæritasset, profundere solita esset: eam rem credunt per ambages voluisse Polygnotum significare. Satis scio Ionum verbum esse, quoties hominem viderint, ad laborem quidem vehementer propensum, sed cui suus nulli emolumento labor sit, Vir ille, inquiunt, Ocni funiculum torquet. Eiusdem quoque meminit. Plutarchus, to. 2. opusc. de trãquillitate animi libello, circa media: Funarius ille, inquiens, in Plutonis æde pictus, quicquid funis ex sparto intorsit, asellum propter se astãtem exedere totum ignauiter sinit. Hæc illi.

*Pausanias.*

*Plutarchus.*

Perbellè hoc ipsum, Emblemate 91. Andreas Alciatus I.c. expressit, dicens:

*Andrea. Alciati Emble. 91.*

*Impiger haud cessat funem contexere sparto*
*Humidaq; artifici iungere fila manu.*
*Sed quantum multis vix torquet strennus horis,*
*Protinus ignaui ventris asella vorat.*
*Fœmina iners animal, facili congesta marito*
*Lucra rapit, mundum prodigit inq; suum.*

Sic ille.

Propertius verò li. 4. Elegiarum, Epist. Arethusæ, ad Lycotam, ea de re, ita cecinit:

*Propertius.*

*Dignior obliquo funem, qui torqueat, Ocno*
*Æternumq; tuam pascat Asella famem.*

Cæterùm, ὀκνὸς (quod obiter dixerim) propriè ignauum, & qui facit aliquid grauatè, significat: Sed &, ὀκνεῖν, idem est quod pigrescere. Hæc tamen dictio ad sensum potius attinet: siquidem, nil faciens (*fayneant* Gall.) aut, ignauus est, tametsi laboret, qui suas opes malè collocat, eásque in vsus, sumptúsq. minimè necessarios, erogat. Sic Claudius Minos ad Emblema prænominati Alciati. In summa, vero verius è Iuuenale scriptum est. Satyra 6.

*Claudius Minos.*

*Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus,*
*In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo.*

*Iuuen. Saty. 6*

Deinde

Deinde subdit:

*Prodiga non sentit pereuntem fœmina sensum,*
*Ac velut exhausta rediuiuus pullulet arca*
*Nũmus, & è pleno semper tollatur aceruo,*
*Non vnquam reputant, quanti sibi gaudia constent.* Vel, *Non vnquàm reputat, quanti sua gaudia constent.*

Verùm, de his hactenus.

Non prætermittendum tamen existimaui, inuitatos istos se excusantes, (vno duntaxat excepto) singulos dixisse: *Rogo te, habeas me excusatum. Luc. 24. c.* Vt doceantur, in recusatione, quomodo se gerere debeãt, inuitati: Diligenti nempe, accurataq. recusationis suæ excusatione vtentes, quemadmodum isti fecisse memorantur, ne conuiuator, qui siue ipsemet, siue, per alios vocatores, inuitat, vel contemptu, vel maleuolentiâ aliquâ eos petitioni suę, defuisse suspicetur, atque ita in grauem illius offensionem, odiúmque incurrant. Imò, si promiserint se venturos, omninò promissis standum est. Nam cùm turpe sit, promissa vel minima, non præstare, si id fieri possit, tùm verò maximè, conuiuatori est permolestum, & odiosum, si cùm ille, plurimùm operæ, laboris, atque sumptus & expensarum, in cõuiuij apparatu, insumpserit, posteà conuiuæ illi desint, atque ita operam, oleúmque, (vt vulgò dicitur) perdere cogatur. Id ipsum Christus præsenti parabola docuit: cùm qui iam anteà inuitati fuerant, denuóque per seruum vocati venire recusassent, multis in speciem honestis, iustis etiam (vt apparet) excusationibus vtentes, ipsum patremfamiliâs ad grauissimam iram prouocarũt. Hi fuerunt nimirum Iudæi, qui cùm à Deo toties per Prophetas, ceu optimos vocatores, ad cœleste, & immortale illud conuiuium, fuissent inuitati, ac postremò rursus per filium vnigenitũ, qui seruilem formam, humanam nempe naturam induit: summa cõtentione vocati fuissent, in recusando, repudiandóque tanto munere, valdè se præfractos, ac contumaces prębuerunt. Itaque iustissima in illos, grauissimáque ira diuina exarsit, & æterni, beatissimíq. illius epuli, hoc est, regni cœlorum communione, sunt exclusi: Atque in illorum locum vocati sunt Gentiles, qui quondã pauperes, cæci, claudi, & mutili, hoc est, omni virtute, religionéque vera vacui, cœlestium, sacrarúmque rerum cognitione destituti, multis tetris, pestiferísque animornm morbis infecti, contaminatísque fuerunt. Sequentia iam videamus.

*Exi citò in Plateas, & viros ciuitatũ, & pauperes, ac debiles introduc huc, &c.* Hîc paterfamiliâs homines docet, vt panem suum

rores, seu, multorum. Obseruabis interim, inter Pytagoræ Symbola, vt annotauit Erasmus, Chiliadis 1. Centuria 1. istud quoque inseri: ἐκτὸς λεωφόρου μὴ βαδίζειν, id est, Extra viam publicam ne ingrediaris. Refertur à Laërtio, lib. 8. de vitis Philosophorum, in Pythagora: Extra publicam viam non eundum. Cui subscribit Clemens, Alexandrinus lib. 5. Stromatum, fol. 156. Pytagoras iubens ingredi via regia, non veretur prohibere sequi vulgi sententiam, quæ caret iudicio, & non est sine controuersia. Sic ille. Clemens Alexand.

*Dicebant quoque* (vt obiter istud etiam dixerim) *regi Edom, legati Israelitarum. Num. 20. Gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes. Per tritam gradiemur viam. Et ca. 21. Regi Amorrhæorum dixerunt: Via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos.* Hæc illi. Nec est, quòd hanc miremur pugnantiam, ac diuersitatem in hisce duobus Pythagoræ symbolis. Quandoquidem, vt rectè præceptum est Loquendum vt plures, sapiendum, vt pauci: Ita sunt quædam, in quibus cum vulgo cōuenire dexteritatis est, sunt rursus in quibus à vulgo quàm maximè dissidere virum bonum oportet. Rectè Flaccus.

*Interdum & vulgus rectum videt, est vbi peccet.*

Et hæc quidem, vbi sup. penè ad verbum Erasmus.

Ad vias, & sepes, id est, ad extremos mundi fines, & vsque ad vltimum terræ. *Act. 1. c.* vsque ad Peruanas, & Iaponicas terras, ad extremos vsque Indos, postremis hisce temporibus peruenit, peruasitque religio Catholica, & Apostolica Romana, extra quam, nemini salus contingere potest. Ad Indias vsque recens detectas, tam orientales, quàm occidentales, per Lusitanos, atque Hispanos, Christi nomen innotuit, populis infidelibus ac Idolorum, Dæmonúmque cultoribus qui per debiles, cæcos, ac claudos, non incongruè designantur.

Compelle eos intrare, &c. In hac tertia imitatione (quod valdè notandum censui) non dicitur, Voca ad cœnam, sed compelle intrare. Alij etenim vocantur, & venire contempserunt, alij vocati venerunt, qui mensæ assiderunt. Tertij verò, sic vocantur, vt etiam cōpellantur, *Imple*, ait Psalmographus, *facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine*, Et Gregorius magnus alicubi, Mala, ait, quę nos hic premunt, ad Deū nos ire compellunt. Fœlix necessitas, quæ ad meliora compellit. Vnde in quadam collecta, sic orat Ecclesia: Nostras rebelles ad te, propitius compelle voluntates. D. Gregorius Eccl. s. a.

Compelle intrare. Quomodo tandem compulsi sunt: Respõdeo: Magnitudine, ac euidentia signorum, & miraculorũ. Prędicationis assiduitate, *Prædica verbum*, inquit Apostolus, Timotheum suum erudiens, *Insta opportunè, importunè, &c.* Bonis quoque exemplis. *Mat. 5. Luceat lux vestra coram hominibus, &c. Phili. 2. In medio nationis prauæ, & peruersæ, lucetis sicut luminaria in mundo.* Et quoniam exempla magis afficiunt efficaciúsque mouent, quàm nuda verba, ideò prædicatores bonis exemplis, ad Dominum, & ad eius religionem, populum attrahere, & compellere debent, ac (vt ita dicam) cum affectu cogere. Sic prædicator gẽtium Paulus, *Gal. 2. B.* Petrum, Apostolorum facilè principem, reprehendit, his vsus sermonibus, coram omnibus: *Si tu cùm Iudæus sis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo gentes cogis Iudaizare?* Non compellebat quidem, vertex & columen Apostolorum, Petrus, verbis ac concionibus, gentes, vt Iudaizarẽt sed ipso facto, suóque ipsius exemplo, Iudaicos ritus, ac cæremonias coram Gentibus obseruãdo: Idcircò dicitur à D. Paulo, Gentes ad Iudaizãndum compulisse: In quo significauit, exemplum dũtaxat D. Petri tantæ efficacitatis extitisse, vt gẽtes, ad similiter agendum cogeret. Cùm enim priùs cum gentibus ederet, Iudæis ad ipsum accedentibus, à Iacobo Apostolo, subtrahebat, & segregabat se timẽs eos, qui ex circũcisione erant, Et simulationi eius consenserũt cæteri Iudæi, ita vt Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sic Apostolus vbi sup. Vnde & Horatius, in arte Poëtica.

*Horatius.*

*Segnius irritant animos demissa per aurem,*
*Quàm, quæ sunt oculis subiecta fidelibus: Et quæ*
*Ipse sibi tradit spectator.*

*Claudia. Panegy. 7. de 4. Honorij consulatu.*

Et Claudianus alicubi, concinit dicens:

*---------- componitur orbis*
*Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus*
*Humanos edicta valent, quàm vita regentis*
*Mobile mutatur semper cum principe vulgus.*

Hæc illi valdè commodè.

Ex quibus, compertum satis relinquitur, quòd auditores, cõcionatorum exemplo, non solùm prouocãtur, verùmetiam penè compelluntur, aut coguntur ad illorũ imitationem. Cõpelle eos intrare, nempe, per aduersa, quæ Deus immittit, vt homines ad eum conuertãtur. Sic vexatio dabit intellectum auditui. *Isa. 28 c.* Fames, prodigum ad domum paternam reduxit. *Luc. 15.* Et Gallicũ est prouerbium: *La faim chasse le loup du boys.* Considera, quæso, conuersionem Pauli, eúmque, vt intraret,

compulsum, clare perspicies. Sic, cum Dominus infirmitates, & aduersitates infligit peccatoribus, eo sanè cõsilio, vt eos cõpellat intrare, id facere existimandus est. Enimuerò, multo tẽpore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium. 2. *Matth. 6.* Sic apud Eusebium li. 5. c. 28. Hist. Ecclesiast. Ruffino interprete, de quodam Natali cõfessore memoratur, quòd inescatus ambitione principatus, & salario ab hæreticis corruptus, visionibus admonitus, tamen non conuertebatur. Tandem vero, per integram noctem, à sanctis angelis, flagris grauiter cæsus est, adeò vt cũ primum manè surrexisset, sacco indutus, cineribus aspersus, cum lachrymis, ad pedes Zepherini, supplicem se abiecerit, nec ad cleri solum, sed etiam laicorum genua aduolutus, multum deprecatus sit: Plagarúmque vibices ostenderit, Atq; ita, vix tandem in communionem Ecclesiæ receptus est. Sic fermè Eusebius. Vides, quomodo compulsus iste fuerit intrare. Sic principibus Catholicis, ac magistratibus orthodoxis hæreticos à veritatis semita deuiantes, & aberrantes, inter sepes, imò verius, vepres, ac sentes, & spinas, delitescentes (velut serpentes, & colubri) ad Christianæ religionis professionem, & obseruantiam, hæreseósque eiurationem, & solemnem abrenunciationem, compellere licet pœnis corporalibus, ac materiali gladio, (si in contumacia perstiterunt) vltimo quoque supplicio, secũdũ leges imperiales plectere, ac in eos animaduertere. qua de re, nos aliàs fusius. Restat, vt ad cœnam agni inuitati, ad eam totis viribus contendamus, nec excusationes in peccatis prætẽdamus vt diuinæ mensæ participes in cœlis efficiamur: Qui nos pascis hic mortales, tuos ibi commensales, cohæredes, & sodales, fac sanctorum ciuium.

*Eusebius.*

*AMEN.*

# DOMINICA III. A PENTECOSTE.

De Pharisæorum aduersus Christum murmuratione, déqz oue perdita, & drachma postea inuentis, ac peccatoris conuersione ad pœnitentiam.

## LVC. XV. CAP.

*Erant appropinquantes ad IESVM publicani, & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi, & scribæ dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam, &c. vbi suprà.*



AGNA Dei bonitas, magna virtus pœnitentiæ, magna pœnitẽtibus spes veniæ, ac consolatio, hodierna lectione proponitur, Auditores, perpẽdens náque D. Paulus, 1. *Tim.* 1. *c.* causam aduentus Christi, *Christus Iesus*, inquit, *venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Vnde B Augustin. de verbis Apostoli, Tolle morbos, ait, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ. *Luc.* 19. *Venit filius hominis, saluũ facere, quod perierat.* Sic Paralytico sibi oblato dixisse memoratur. *Mat.* 9. *Fili remittuntur tibi peccata tua.* Sic etiam Peccatrici Pœnitenti, Magdalenæ, *Luc.* 7. *Remittuntur tibi*, inquit, *peccata tua.* Aliis quàmplurimis similiter dictum est. Vidẽtes igitur Publicani, & peccatores, magnã Christi in peccatoribus suscipiẽdis benignitatẽ, humanitatẽ, atque propensionem: tãta illecti dulcedine, & affabilitate, eũ, quocũq. iret affectabatur, vt ab eo, in

*D. Augustin.*

ſalutis viã dirigerētur. Hinc ſacer Euang. nunc dicit: Erant ei appropinquantes publicani &c. In veteri quidem lege, nemo Deo appropinquare audebat: quia Deus vltionum apparebat, temeréque accedentem interficiebat, abſque mora, vt, verbi cauſa, Acceſsit Oza, arcam tetigit, & ſtatim interijt. Ozias pariter, indebitè acceſsit, ſibi Sacerdotij vices, ac munia, arrogauit, vendicauítque, & leproſus effectus eſt. Nadab, & Abiu Filij Aaron, ignē alienum offerre auſi, ſtatim mortui ſunt. Cumque daturus eſſet Dominus populo Iſraelitico legem, dixit Moſes, ex parte Dei, populo adhunc modum: Cauete, ne aſcendatis in montem, neque tangatis fines eius. Verùm, in nouo teſtamento, Publicani, & meretrices veniunt, & conculcant Ieſum. *Turbæ te comprimunt*, dicebat illi Petrus, & proximè ſequenti Euangelio: *Cùm turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent eum*, inquit Euangeliſta. Adamus olim, ſimulátque vocem Domini audiuit, abſcondit ſe nec comparere auſus fuit: *Geneſ.* 3. Iſti verò, audita filii Dei voce, non modò non ſe abſcondunt, ſed etiam ei appropinquant, vt audirent illum Clamat in Euangelica lege D. Iacobus, Apoſtolus, *cap.* 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, Emundate manus, peccatores, & purificate corda, duplices animo*. Breuis certè, differentia, legis, ac Euangelij, ait Diuus Pater Auguſtinus, Timor, & amor. In lege timor. Deutero. 6. cap. Dominum Deum tuum timebis, In Euangelio amor, ac dilectio. *Ioan.* 13. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem. & c* 15. *hoc eſt præceptum meum*, ait Chriſtus, *vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. Quadrabit noſtro inſtituto, quod de vnicornj, refert Iſidorus, libro duodecimo. Originum, ſiue, Etymologiarum, c. 2. hunc in modum. Vnicornis vnum cornu in media fronte habet, pedum quatuor. Tantæ eſt fortitudinis, vt nulla venantium virtute capiatur, ſed virgo puella præponitur, quæ venienti ſinum aperit, in quo ille omni ferocitate depoſita, caput ponit, ſicque ſoporatus, velut inermis rapitur. Sic ille. Quis vnicornis, alius, quàm Filius Dei incarnatus de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine? De eo namque Regius vaticinatur Pſalmographus, *Pſ* 28. *Dilectus, quemadmodum filius vnicornium*. Tantę fortitudinis, ac rigoris, ſe olim demonſtrauit, vt nullum effugij locum reliquerit miſeris peccatoribus, tempore diluuij, nec abominandis, nefandiſq; Sodomitis, & Pentapolitanis, tempore conflagrationis Sodomorū, nec Ægyptijs equitibus

*2. Reg. 6. c.* *2. Paral. 26. c* *Leuit. 10. c.* *Exod. 16. c.* *Luc. 8. & c. 5* *Geneſ. 3. c.* *Iac. 4. c.* *D. Aug.* *Deut. 6. c.* *Ioan. 13. c. & 15. c.* *Iſidorus l. 12 Originum c. 2* *Pſ. 28.*

Israelē ad mare rubrū vsque, persequētibus. Ne vnus quidem, ex eis euasit. Quinquagenarij ad Eliam comprehendendum missi, ab Ochozia rege 4. *Reg.* 1. *c.* incendio cœlitùs immisso, ad vnum omnes perierunt (eo vno excepto, qui se per veram demisit humilitatem, ad Eliæ sancti vatis pedes.) Quid de Hebræis, hoc loco, proferam? Prostrati quippe sunt in deserto, & ab exterminatore perierunt, vt *prioris ad Cor.* 10. refert Apostolus, ex lib. *Numerorum.* 26. Prædixerat Dominus, quòd omnes morerentur in solitudine. Nullúsque remansit ex eis, nisi Cales Filius Iéphone, & Iosue Filius Nun. Verùm enimuerò, posteà quàm per virginem matrem, è rigore illo nimio, ad maximam facilitatem, ac mansuetudinem (vt ita dixerim) cicuratus est (gall. diceremus, *s'est apprivoisé*) homo propter nos homines, factus, φιλάνθρωπος, & amator hominum, rectè iam agnominatur. Huic venienti, virgo illa, sinum suum virginem aperuit, in quo ille, omni ferocitate deposita, velut inermis, ab vniuersis peccatoribus aditur; & consectatur (gallicè, *est accosté & suivi*) Retulit commodè, Didacus Stella, ad præsens Euangelium, hanc comparationem: Cùm taurus carcere, quo detinetur, solutus, in forum, vel in arenam toto impetu, irrumpit: nemo propiùs accedere audet: qui verò propè taurum sunt, retorquente tauro caput, statim maximo territi pauore fugiunt, & in vallū, seu in quæcumque alia receptacula, se coniiciunt, vt incessentis tauri vim deuitare possint. Verùm, si postea taurus currui fortiter astringatur, vel, iugo subdatur, quilibet impunè cominùs (gall. *de prés*) appropinquat, vt, vel etiam puer, cornu audeat tenere, ac tractare. Obserua, quæso, morem in Hispania frequentem esse, (quem, cùm illic peregrinationis ergò, versarer, annotaui, meísque cōspexi oculis) vt taurorum ludum, siue certamen & pugnam hominū, cum iaculis & telis, ad confodiendos tauros feroces, populo, quotannis instruant, & adornent, id verò, patriâ, vernaculâq; Hispanorum linguâ dicitur, *Correr los tauros.* Ex quo ritu, patriæ, Stella noster, Hispanus, similitudinem duxit, quam sic consequenter applicat. Hoc igitur modo, in veteri lege, nemo Deo appropinquare audebat. Nam, quasi, taurus ferus, temerè accedentem interficiebat, cornibus impetebat, ad terram prosternebat. Verùm, posteaquàm amore victus, humanæ carnis sarcinam iugúmque graue filiorum Adam) absque tamen peccato, & ignorantia, quæ pœna peccati est) subiit, hominum charitate deuictus, tanquam agnus, mansuetus factus est, adeò vt, publicanos, peccato-

4. *Reg.* 1.

1. *Cor.* 10. *c. ex Num.* 26. *ca.*

*Didacus Stella in Luc. ca.* 15.

res, meretrices, latrones, claudos, cæcos, Paralyticos, leprosos, ac mendicos, cæteráſque miſerorum hominum turbas, placido ſuſcipiat vultu, ſummóque amore cõplectatur. Ita omnes in illo miſericordiarum parente, auxilium, & ſolatium inueniunt. O beata feliciáque tempora. quis adeò durus, qui non tantâ Domini erga nos pietate ad pœnitẽtiam emolliatur? Sicut autem ad *Dauidem, olim conuenerunt omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & ære alieno oppreſsi, amaróque animo, & factus eſt eorum princeps, fueruntque cum eo, quaſi quadringenti viri. 1. Regum. 22. cap.* Sic omnes miſerabiles, conuenerunt nunc ad Chriſtum, quem videbis vndique circũſeptum gentibus miſeris, quarum princeps, protectio, ac refugium, tutiſsimúmque aſylum, & ſacra anchora factus eſt. Aſſerunt Doctores, Chriſtum communiorem viuendi modum delegiſſe, vt doctrinæ ſuæ, facilitate, ac viuendi ratione familiari, & inſtituto omnibus vſitato, & conſueto, quamplurimos ad ſe pertraheret pellicerétque. *Erant*, inquit Euang. *appropinquantes ei Publicani, & peccatores. Eccleſiaſtes, cap. 4. Appropinqua*, ait, *vt audias*, ſcilicet, à legis Doctoribus, *Dei mandata. Deuter. 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius. Pſalm. 33. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Appropinquabant autem ei Publicani*, Publicanos dixit potiùs, quàm Phariſæos. Quia nimirum, ipſi principem ſuum, nempe Publicanum Matthæum. *Luc. 5. c.* tàm benignè à Chriſto receptum, & in Apoſtolorum ordinem cooptatum atque aſſumptum, cernebant, capta inde fiduciâ, quaſi ægroti ad medicum acceſſerunt, & quaſi diſcipuli, ad magiſtrum, vt ſcilicet, audirent eum. Meritò, Chriſtus, *Luc. 5. Matth. 9. & Mar. 2. Non eſt opus*, ait, *valentibus medico, ſed, malè habentibus. Non veni vocaturus iuſtos, ſed peccatores.* Nonne hoc idem ſentit ἀρχίατρος Galenus, libello, cui Ars medicinalis, titulus præfigitur, & inſcriptio, c. 84. extra ordinem claſsium: ita ſcribens: Si impatibile, atque inalterabile eſſet corpus, ſemper optima conſtitutio perduraret, neque artis preſidio indigeret. Quoniam verò alteratur, corrumpitur, & vertitur, neque eundem ſeruat prioris ſtatus tenorem, ea ratione, auxilium deſiderat. Vnde etiam dixit Auguſtinus, Theologorum coryphæus, Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt cauſa medicinæ. Nos varijs laboramus, animi corporíſque ęgritudinibus, ac infirmitatis. Alius quippe, cum filio Sunamitidis, 4. Reg. 4. clamat: Caput meũ doleo. Alius, cum Ieremia, c. 4. Ventrem meum doleo. Breuiter, à

*1. Reg. 22. ca.*
*Eccle. 4. c.*
*Deut. 33. c.*
*Pſal. 33.*
*Luc. 5. c.*
*Matth. 9. & Mar. 2. c.*
*Galenus extra ordinem claſsium l. Ars medicinalis c. 84.*
*D. Aug. de verbi Apoſtoli*
*4. Reg. 4. c.*
*Ierem. 4. c.*

*planta pedis, ad verticem vsque capitis*, ait Euangelicus vates. *Isa. 1. capite non est in corpore* Reip. Christianæ, *sanitas*. Nobis itaque summoperè necessarius est, medicorum phœnix & Alpha, Christus. Omnes laborantes ad se vocat, inuitátque Dominus, *Matthæi vndecimo capite Venite ad me*, inquiens, *omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ipse medicus, ipse quoque medicamen efficax, dicente diuino propheta. *Isa. 53. ca. vulneratus est propter iniquitates nostras, cuius liuore sanati sumus.* Nota ex diuino Platone, Laertio, libro 3. de eo ita referente, Medicinæ quinque species esse, nempe, Pharmacenticen, quæ morbis, medicata potione subueniat: Chirurgicam, quæ sectione, & vstione curet, Diæticem, quæ sola victus ratione, & ordine arceat ægritudines. Quartam, quæ ex celeri discretione morborum, succurrat ægris, vocaríque verbo νοσογνωμικὴν, Quintam adiutricem dici, quòd strenuo auxilio doloribus continuò liberet. Sic ille.

*Isa. 1. ca.* — *Matt. 11. c.* — *Isa. 53.* — *Plato apud Laërtium l. 3. de vitis Philo.*

Verè Christus ἀρχίατρος ἀνάργυρος, hoc est, qui non argenti pretio, aut lucri gratia, sed merè gratia, excellentissimè omnes morbos sanat, vniuersísque medetur languoribus. Videamus autem, grauiora ne dissimulemus, de leuioribus morbis apud eum duntaxat conquesti. In eam rem percommodè retulit Plutarchus, tomo primo opusculorum, libello de conditione fol. 70. Philotimum respondisse cuidam pure intus laboranti, & tabi iam obnoxio, quod ex colore & respiratione, medicus deprehendebat, medicamentum petenti aduersus redimiam. Non est tibi, amice, aduersus redimiam opus medicina. Quod post Plutarchum retulit quoque Erasmus, Apohtegmat. libro sexto. Hoc verborum contextu. Philotimus medicus, cuidam ostendenti digitum exulceratum, cùm hepar haberet tabidum, Id enim ex colore deprehendit. Non est, inquit, tibi, ô bone periculum ab vnguium vitio, Et Brusonius, libro 4. capite vigesimo. Empyoni cuidam, ait, grauiter ex iecinore laboranti, atque exulceratum digitum ostendenti, respondisse fertur, Non est tibi aduersus redimiam medicamento opus. Est autem (vt istud obiter dixerim) redimia, quod Gallicè *Panaris*, appellatur: *vne separation des ongles.* Publicani appropinquabant Christo. Quinam verò sint publicani: expediendum. Illi nimirum, qui publica vectigalia cogebant. Veluti conductores, portitores, Publicani, quæstores, atque similes regum ministri, ac officiales, qui communiter apud populum infames reputabantur. Non quòd omninò hæc

*Plut. to. 1. opu. libello de con-dit. f. 70.* — *Eras. Apoph. l. 7. f. 75.* — *Brusl. 4. c. 20*

ministeria de se sint illicita, ( neque enim conducere, recuperare, vel regia vectigalia colligere lege vetitum est, imò scribit Apostolus, *cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Rom.* 13. ) sed, quia vt plurimùm, qui in huiusmodi negotiationibus versantur. homines, sunt tyranni, grauissimi exactores, cauteriatam habentes conscientiam, ob quorũ improbos mores eiuscemodi publicani, infamia laborabant, apud omnes fermè proscindebantur, pessiméque audiebant, & passim traducebantur. Iudæis verò, non mediocriter erant exosi, qui iam tunc vel inuiti cogebantur huiusmodi præstare, quibus seruiebant Romanis. Tumorem indignationis augebat Iudæis indulgentiæ veteris priuilegium, mandante præfectis suis Artaxerxe Rege 1. *Esdræ.c.*7. in hunc modum. *Vobis notum facimus de vniuersis sacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus. Nathinæis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.* Sic ibi Iudæi se liberos, immunésque ab ijs oneribus, grauíque seruitutis iugo, prætendebant. Apud eos ergo tanquam alienorum raptores, & publici peccatores Publicani habebantur: erátque conuitium, seu atrox iniuria, si quis publicanus vocaretur. *Matth.* 18. *sit tibi sicut ethnicus, & publicanus,* ait de excommunicato, Christus Dominus. Publicanos, porrò, non fuisse Ethnicos, (ne quis cum Tertu. dogmatista, lib. 2. de pudicitia, hallucinetur ) præmonuit. D. Hier. to. 3. ad Damasum Papam, De frugi, & luxurioso filio, his verbis. Tres parabolas Dominus proposuit: è quibus vna est, de nonagnita nouem ouium, in montibus relictarum, & vnius perditæ, quæ pastoris humeris est reducta. Alia drachmę, quã mulier accenso lumine requisiuit, & inuenta ea, vicinas ad lętitiam conuocauit, dicens: *Cõgratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.* Tertia verò duorum filiorum, quibus de parabolis ad vnum pertinẽtibus intellectum, hoc tantum dixisse sufficiat: ob id has parabolas esse propositas, vt quomodo ibi, in inuentione pecoris, & drachmæ, lætitia est angelorum, & circa manentium vicinarum: sic in publicanorũ, peccatorúmque pœnitentia, omnium debere esse lætitiam, quibus non est necessaria pœnitentia. Vnde vehementer admiror Tert. in eo libro, quem de pudicitia, aduersum pœnitentiam scripsit, & sententiam veterem, noua opinione dissoluit: hoc voluisse sentire: quòd publicaui, & peccatores, qui cum Domino vescebantur, ethnici fuerint, dicente scriptura: Non repetitur in sacris, quod sciam, literis,

*Rom.* 13.

1. *Esd.c.*7.

*Matt.* 18.

*D. Hie. to.* 3. *epist. ad Damasum, de duobus filijs.*

*Tert. li. de pudicitia.*

ne quis frustrà quærendo in Deuteronomio, aut alibi defatigetur: citauit tamen Tertullianus, suppresso libri nomine, ex Scriptura) Non erit vectigal pendens ex Israël. Quasi verò, & Matthæus, non ex circumcisione fuerit publicanus, & ille qui cum Pharisæo in templo orans, oculos ad cœlum non audebat erigere, non ex Israel fuerit publicanus: aut non Lucas memoret, cap. 7. Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Aut cuiquam credibile possit videri, Ethnicum templum ingressum, aut Dominum cum Ethnicis habuisse conuiuium, cùm id maximè caueret, ne legem soluere videretur: & primùm venerit ad oues perditas domus Israel; Chananeæ quoq; deprecanti pro salute filiæ responderit: *Non oportet tollere panem filiorum, & dare eum canibus*, Et alibi discipulis præceperit. *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Ex quibus omnibus edocemur, publicanis non tam gentilium, quàm generaliter omnium peccatorum, id est, qui erant & de gentibus, & de Iudæis accipi posse personas: Ille autem, qui iuxta insanas, & blasphemas fœminas suas Tertullianum, Montani dogma, & Priscillam, ac Maximillam insanas fœminas, sequutum, notat D. Hieronymus) id dogmatis defendebat: quò Christianos nollet recipere pœnitentes, frustrà argumentatus est Publicanos Iudæos non fuisse, vt in persona eorum, gentiliū tantùm populus possit intelligi. Sic ille. Cæterùm Iacobus pamelius Brugensis, 27. Paradoxo Tertulliani, de pœnitentia mœchis neganda: ita obseruauit. D. Hieronymus, inquiens, Epistolâ ad Damasum, de duobus filiis, ex professo, contra Tertullianum agit, & inter cætera etiam defendit Publicanos fuisse, non Ethnicos, quod ille volebat, sed Iudæos: Idque exemplis Matthæi ex circuncisione Apostoli, publicanorum à Ioanne baptizatorum, & publicani orantis in templo, (vt supra) qui si Ethnici fuissent, cum illis Christus non habuisset conuiuiū, ne legem solueret, neque hic in templum admissus fuisset. Et verò, quoties id in Christo denotabant, quòd cum publicanis coetum communicaret: ferè simul coniunguntur peccatores, & publicani: atque adeò, quod cum Ethnicis conuiuaretur, non reprehendebatur, sed quia cum peccatoribus. Neque pro Tertulliano quicquam facit illud: Non erit vectigal pendens ex filiis Israel: quia etiamsi non deberent pendere vectigal, antequàm Deo sic disponente, Romanis subiecti essent, tamen postquàm potiti sunt rerum Romani, & tributo seruierunt

*Luc. 7.*

*Matth. 15. cap. 10. ibi.*

*Iac. Pamelius 27. paradox. Tertull.*

Iudæi illis, dicente Christo: *Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*; obligabantur Iudæi, ad præstanda, Imperatoribus, persoluendáque vectigalia, & tributa, quamquam odiosum fuisse publicanorũ exercitium satis constet, ac infame, tamen sine peccato, etiam potuisse exerceri; videtur ex illis Diui Ioannis Baptistæ ad illos verbis, *Luc.3* Nihil ampliùs, quàm constitutum est vobis, faciatis, siue, vti ex Græco vertitur, exigatis. Sic Pamelius. *Vt audirent eum appropinquabant.* In hoc se ex Deo esse ostendebant: *Ioan.8. qui ex Deo est, verba Dei audit: Oues Christi, vocem sui audiunt pastoris, cap.10.* Verbum Christi traxit illos, sicut pisces capiuntur hamo. Orpheus Thrax, & Amphion Thebanus, saxa & feras, ore suo mouisse dicuntur. vnde Horatius, in arte Poëtica cecinit:

*Ioan.8. & c.10.*

*Horat. in arte poëtica.*

*Siluestres homines sacer, interprésque Deorum,*
*Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,*
*Dictus ob hoc lenire tygres, rapidosque leones,*
*Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,*
*Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda;*
*Ducere, quò vellet ----*

Concinit Ouidius, lib.11 Metamorphoseõn,

*Ouid lib.11. Transformationum.*

*Carmine dum tali syluas animósque ferarum,*
*Threicius vates, & saxa sequentia ducit.* Sic illi:

Tanta erat Christi eloquentia, verè diuina, vt omnibus persuaderet facilè, vt se sequerentur, quo de, meliore sanè, iure, quàm de Nestore dici potest istud Homericum, Iliados li.1.

τῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. id est,

*Homerus, ἰλιαδ. α.*

Cuius à lingua melle dulcior fluebat sermo, seu oratio.

Sic de Christo, *Psal.44. Diffusa est gratia in labiis tuis, &c.* Quid de nostris veteribus Gallis, ea de re Lucianus to.1. operum, in Hercule Gallico, sceptrum reliquerit, proferamus. Orationem Galli nequaquam arbitrãtur esse Mercurium, quemadmodum Græci, sed Herculi illam tribuunt, quem sua lingua Ogmium vocant, cuius simulachrum tale est: Senex leonis eximio, indutus clauam dexterâ tenens, ex cuius ore, catenulæ tenuissimæ, linguæ extremo apici annexæ, prodeunt: auro puriores, quibus hominum magnam turbam, auribus summis suspẽsam, ad se alacrem, neque reluctantem, omninò pertrahit: quia scilicet, orationis suauitate, homines ex auribus religatos, detineret. Sic ille. In hunc planè modum Christus, vt scribitur, *Luc. 19. cap.* cùm doceret quotidie in templo, omnis populus suspensus erat audiens illum. Non prætermittam elegantissimum And. Alciati. I. C. Em-

*Psal.44.*

*Lucian. to.1. operũ in Hercule Gallico.*

*Luc.19.*

Emblem. 180. Emblema 180. sub hoc tenore.

*Arcum laua tenet, rigidam fert dextera clauam,*
*Contegit & Nemees corpora nuda leo.*
*Herculis hæc igitur facies? Non conuenit illud*
*Quòd vetus, & senio tempora cana gerit*
*Quid, quòd lingua illi lenibus traiecta catenis,*
*Queis fissa faciles allicit aure viros?*
*An ne quòd Alciden lingua, non robore Galli*
*Præstantem populis iura dedisse ferunt?*
*Cedunt arma togæ, & quamuis durissima corda*
*Eloquio pollens, ad sua vota trahit.* Sic Alciatus.

Cicer. lib. 2. de oratore ex Ennio poëta. Nolim equidem transilire, quod Romanæ parens eloquentiæ Cicero, lib. 2. de oratore, scripsit, Rectè bono Poëta (Ennium intelligit) dicta est flexanima, atque omnium regina rerum oratio. Hæc laus est eloquentiæ. Benè, *Ioan. 7. ca.* Ioan. 7. de Christo, dictum legimus: *Nunquam sic homo locutus est.* Vtraque certè de caussa, hoc est, tùm propter sermonis gratiam, & dicendi lepôrem, tum vel maximè, propter summam facilitatem, ac popularitatem quandam, omnes Christum sequebantur, ad eum confluebant, audituri illum. Omninò propter mansuetudinem, quæ de te prædicatur, Domine Iesu, curremus post te, audientes, quòd pauperes non spernas, peccatores non horreas. Non horruisti confitẽtem latronem, non lachrymantem peccatricem, non supplicantem Chananæam, non deprehensam in adulterio, non sedentem in teloneo, non supplicantem Publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos denique tuos, crucifixores. Profectò, natura diuinitatis clemens est, ac pia, magisque ad indulgentiam prona, quàm ad vindictam, nec *vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat.* Accedamus ergo, atque adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus, Hebr. 4. in auxilio opportuno. *Hebr. 4. cap.* Confugiat vtique peccator ad Christum, collatorem indulgẽtiæ, miser ad misericordem, reus ad reconciliatorem, immundus ad fontem limpidissi- Ioan. 1. mum, cæcus ad iustitiæ solem, & lucem veram, *qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, errabundus ad viam, moribũdus ad vitam, saucius ad medicum, ouis, quę perierat, ad pastorẽ pium, peccator ad Iesum, eum nempe, qui saluum Matth. 1. facit populum suum, à peccatis eorum. *Matth. 1. c.* Is est, qui Luc. 3. de lapidibus suscitat Abrahæ, filios. *Luc. 3. cap.*

Obserua, non omnes quærere Christum, vt eum audiant

ab eóque discant, sed sicut Iudas appropinquauit, vt osculo illum traderet: *Matth.26.c.* Sic multi Christo appropinquant, vt illum prodant. Sicut etiam Iudæi, sæpè ad Christum accedebant, non *discendi gratiâ, verùm, vt caperent eum in sermone. Matth.22.cap.* Isti vero, recta intentione Christum audiebant. Ideóque conuertebantur. Attende, obsecro, vim maximam sermonis Christi. Benè D. Petrus, *Ioan.6.* Christum alloquitur, dicens: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Et sanctus vates. *Ierem.23. Nunquid non*, ait in persona Domini, *verba mea sunt, quasi ignis, & quasi malleus contereus petram? Etenim neque herba, neque malagma (siue, emplastrum) sanauit eos, sed tuus Domine, sermo, qui sanat omnia. Sap.16.* ait Sapiens; Et hæc quidem de publicanis ad Christum concurrentibus. Quid vero Pharisæi? *Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ, dicentes. Quia hic peccatores recipit, &c.* Nimirum peccatores recipiebat, quatenus hos sua familiaritate, ac doctrina à peccatis, ad iustitiam, à vanis ad vera, à terrenis ad cœlestia, à bonis temporalibus, ad æterna, à perditione denique, ad salutem reuocaret. Legimus autem Pharisæos multoties aduersus Christum murmurasse. Aduersus, nempe Christi benignissimam cum hominibus conuersationem, dicentes: *Ecce homo vorax, & potator vini, peccatorum, & publicanorũ amicus: Luc.7.cap.* Item hoc loco, *cap.15.* Rursus, *cap.19. murmurabant Pharisæi, quòd ad hominem peccatorem diuertisset.* Murmurauerunt etiam contra ipsius doctrinam. *Ioan.6.cap.* murmurabant de illo Iudæi, quia dixisset, *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem, quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo descendi?* Aliàs etiam murmurasse comperiuntur, vt cum vel eorum vitia redarguebat, vel testimonium suæ diuinitatis perhibebat veritati: (veluti ex Euangelio liquidò constat) Murmurauerunt denique, propter exhibitum Christo honorem. *Videntes namque pueros in templo illi acclamantes, Osanna filio Dauid,* indignabundi dixerunt illi: *Audis, quid isti dicunt? Increpa eos. Matth. vigesimo primo cap. Rursus, Ioann. 10 cap.* cum cernerent turbam, verbis eius auscultantem: dicebant; *Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Aduersus murmuratores huiusmodi armantur Scripturæ. *Sapiens primo capite. Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest: Imò verò, plurimùm obest. Ecclesiast. decimo capite.* Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet,

*Matth.26. & cap.22.*
*Ioan.6.*
*Ierem.23.*
*Sap.16.*
*Luc.7. ca.15. ac 19.*
*Ioan.6.*
*Matth.21.*
*Ioan.10.*
*Sap.1.*
*Ecclef.10.*

*Psal.*109. qui occultè detrahit. *Psal.*100. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Roman. 1.*cap.* *Susurrones, detractores Deo odibiles,* *Philip.*2.*cap.* *Omnia facite sine murmurationibus.* D.Hieronymus, to.1.epist. ad Celantiam matronam, Semper,inquit, scripturæ memor esto, dicentis: Noli diligere detrahere, ne eradiceris, Et quid pluribus opus est? Propter hoc peccatum, Maria, leprâ percutitur, *Num.* 12.*cap.* Propter hoc peccatum Datham, & Abiron, absorti sunt, *cap.*16. Propter hoc, exclusi sunt Israëlitæ à terra promissionis, *cap.*14. *Omnes,qui murmurastis contra me, dicit Dominus, non intrabitis in terram promissam.* *Propter hoc. Immisit illis Deus serpentes ignitos, cap.*21. Vnde etiam Apostolus, 1.*Cor.*10.*Neque murmuraueritis,*ait, *sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Rectè autem dixit Sapiens, *Prouerb.*24. Cùm detractoribus ne miscearis, quoniam repêtè veniet perditio eorum. hoc est, detrahentis, pariter & audientis Ibidem. Abominatio hominũ, detractor, Abominationem in abstracto dixit, nedum abominabilem nominauit. Refertur, in D.Augustini vita, à Possidonio conscripta; ipsius mensæ hoc exaratum fuisse Distichon.

*Rom.* 1. *Philip.*2. *D.Hieron.to.1 epist.ad Celantiam Matronam.* *Num.*12. *c.*16. 14. 21. 1.*Cor.*10. *Prou.*24. *Possid in vita D.August.*

*Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,*
*Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.*

Dicebátque,aut quòd versus illos deleret, aut certè de mensa recederet,nisi quidam mensæ ipsius assidentes,murmurare,& detrahere desinerent, tanto odio crimen hoc vir illa prosequebatur. Qua de re, me aliàs scripsisse memini, in nostris Decadib. & Enneadibus sacris.

*Sac.Decades authoris & Enneades.*

Hic peccatores recipit,&c. *Sic Luc.*7.*cap.* Simon Pharisæus dicebat intra se, aduersus, Christum murmurans; *Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Cur autem ægrè ferunt,quòd Dominus ad peccatores diuerteret? An verentur,ne sol loca spurca ingrediens, inde coinquinetur? Retulit commodè Diogenes Laërtius, lib.6. de Diogene Cynico, hunc in modum: Exprobranti, quòd loca immunda introiret. Et sol, inquit, in secessus,siue, latrinas, abit, neque inquinatur. Sic ille. Videntur tamen, in specie, siue, iuxta apparentiam, iustam habere murmurandi occasionem. Nam Psaltes regius, *Psal.*100. superbo oculo dicebat, & insatiabili corde, cum hoc non edebam. *Prou.*23. *Ne comedas cum homine Inuido,* 1.*Cor.*5. *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere vos, volo.* ait Apostolus. Cur ergò cum publicanis, & peccatoribus Christus manducauit? Respondeo, præfatos Scripturæ locos

*Luc.*7. *Laërt. lib.*6. *in Diogen.* *Psal.*100. *Prou.*23. 1.*Cor.*15.

locos de peccatoribus, in malo obduratis, ac incorrigibilibus, intelligendos esse, non de iam conuersis, vel in proximo conuertendis. Prohibetur etiam illis, qui improborum contubernio, ac societate, & conuictu, facilè, deprauari possunt. Non sic autem viris spiritualibus, ad perfectionem professis, qui eo consilio, & proposito, cum malis conuersantur, vt ad meliorem frugem eos reducant. Vide, quæso, inter rectos, & candidos, atque inter peruersos, & detractores, latum, apertúmque discrimen. Pharisæi obloquuntur, detrahúntque Christo, quia cum peccatoribus familiariter ageret. Simplices autem sicut columbæ, Christi discipuli, è Sichimorum oppido, reuersi, ad fontem Iacob, inuentâ muliere Samaritana, cum eo loquente, mirabantur quidem, quoniam cum muliere loquebatur. Cæterùm, nemo dixit. Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? *Ioan. 4. cap.* Valet interim insignis iste locus, ad malorum vitanda consortia, & commercia. Quare enim conuersaremur cum improbis? Cum bonis ambula, ait quidam, quem à teneris vnguiculis in scolis edidiscimus. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam: Ecclesi. 13. cap.* Petrus inter malos, negauit Christum apud Caipham, & Annam, quem in Apostolorum collegio, tam præclarè, & ingenuè confessus fuerat, *Matth 16. Tu es Christus filius Dei viui.* Loth, quandiu cum Abraham fuit, ditauit eum Dominus: postquàm autem ab eo separatus fuit, habitauítque in Sodomis, omnes suas amisit facultates, vita tamen integra, & salua. Tritissimus est Menandri, versiculus, ab Apostolo sanctificatus, prioris ad *Cor. 15. cap.* Corrumpunt bonos mores, colloquia praua, aut, iuxta vim sermonis Greci, & emphasim, conuersationes prauæ. Sic enim Græcè extulit Menander.

*Ioan. 4.* *Ecclesi. 13.* *Matth. 16.* *1. Cor. 15.* *Menander.*

φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί.

Vnde, *non contebantur Iudæi Samaritanis. Ioan. 4.* Hinc etiam monet Sapiens. *Ecclesi. 10. cap. Attende tibi, à pestifero, fabricat enim mala, ne fortè inducat super te subsannationem in perpetuum.* Verùm his de rebus, nos aliàs plura.

*Ioan 4.* *Eccl. 11.*

Cæterùm hanc Pharisæorum calumniam, Dominus vsque adeò à se non depulit, vt etiam propositis exemplis, opus suum commendauerit. Qua quidem re, ait præsenti Euangelio. Concione 2. Ludouicus Granatensis, Dominicanus, magnam peccatoribus cunctis sperandæ veniæ materiam tribuit, magnósque ad pœnitentiam, huius misericordiæ suæ ostensione stimulos nobis addidit. Quæ enim vox, quæ oratio,

*Ludouic. Granatē. Dominicanus, ad hoc Euāg. Conc. 2.*

*deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam? Et cùm inuenerit, imponit in humeros suos gaudens: & conuocat amicos & vicinos, &c.* Tres parabolas Christus proposuit, vnam de oue errante, alteram de drachma perdita, Tertiam autem de filio luxurioso. Deus est Pater, Christus Pastor, mulier Ecclesia. Christus te suo corpore vehit, qui tua in se peccata suscepit, Quærit te Ecclesia, recipit te, & exosculatur Pater. Quasi pastor reuehit, quasi mater inquirit; & quasi pater stolâ primâ vestit, & induit. O res mirabilis! Ouem super humeros, pastor imposuit, *Christus peccata nostra super lignum, in corpore suo portauit*, ait Diuus Petrus, 1. *Petr.* 2. *cap.* Gaudetque plus super oue restaurata, inquit Paulus de Palacio, in Matth. 18. quam super nonaginta nouem ouibus, id est, super nouem choris Angelorum, qui non peccauerunt. Certè, si ouis perdita, est natura humana, quam filius Dei reparauit: Quis non videt magis Deum, super ea, quam super omnibus Angelis gaudere? Siquidem ex ea est Christus, caput omnium Angelorũ: & ex ea. est virgo Deipara, exaltata super choros Angelorum; & ex ea sunt Apostoli, si non maiores omnibus Angelis, certè non multò minores. Christus hominum caput est, & Angelorum, At propter homines Christus homo est. Gaudet igitur Pater super homine, qui origo fuit, & ratio, cur fieret Deus homo. Iam si lætabitur Dominus in operibus suis, magis lætabitur in maiore opere suo. Maximum verò Dei opus, fuit homo redemptus. Siquidem verbo condidit Angelos: sed non nisi suo sanguine, reparauit homines. Hæc de Palacio prænominatus. Scribit ad hoc propositũ nostrum, Antiquissimus ille Tertullianus lib. de pudicitia: Ouis perdita, à Domino requisita, & humeris eius reuecta est. Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum; si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, &c. Satis illic indicat Tertull. effigiem pastoris ouem reuehẽtis, calices olim habuisse. Notat etiam Pamelius, ad illum Tertull. locum, §. 51. Eodem pertinere, quod prima dicitur, cap. 10. Cui ille si fortè patrocinabitur pastor, quẽ in calice depingis, &c. Vnde colligitur, ait Pamelius, tum temporis calices (quorũ haud dubiè vsus in sacrificiis) non solùm depingi solere, figuris historiarum noui Testamenti (vnde & confirmatur vsus Imaginum in Ecclesia) sed etiam fuisse vitreos. Hoc est enim, quod dicit; Frangi calices. B. Zepherinus, siquidem, eius ætatis Rom. Pontifex, ex Damaso, & Vualafrido, statuerat fecerat, vt omnia vasa Ecclesiæ essent vitrea, Addit Martinus Polonus, aut stannea.

1. *Petr.* 2.
*Paul. de Palac. in Matth.* 18.
*Psalm.*
*Tertull. lib. de pudicitia.*
*Iac. Pamelius, in Tertull.*

Verumtamen non multò pòst, etiam argentea, & aurea vasa in vsu fuisse, patet, ex passione B. Laurentij. apud B. Ambrosium, in lib. 2. offic. Item ex Optato Mileuitano, lib. 1. contra Parmenianum. Hæc ibi. Iac. Pamelius. Depingi etiam Christum in calicibus, sub habitu, formáque pastoris, ad se peccatores, tanquam erraticas oues vocantis; Tertulliani tempore, colligit Molanus Louaniensis, cap. 5. de picturis.

*Io. Molanus, c. 5. de sacris picturis.*

Duo boni pastores fuerunt in veteri testamento Iacob Patriarcha, & Dauid. Prior dicebat: *Genes. 31. cap. die, noctúque æstu vrebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis, &c.* Posterior autem, Sauli dixit: *1. Reg. 17. ca. Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel, vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & prosequebar eos. & percutiebam, eruebámque de ore eorum, &c.* Verùm neuter adeò laborauit, vt oues suas defenderet, sicut Christus, qui pro ouibus suis, animam suam posuit intrepidè. Aduerte, quanta diligentia ouem perditam quærat ipse. Iudam enim perditionis filium, Dominus, vt ad Apostolicum gregem reduceret, genibus flexis illi supplicare non dubitauit, illiúsque pedes lauit, postea dedit illi bucellam intinctam manu sua, denique corpus & sanguinem suum, Amicum illum vt ad se alliceret, nuncupauit, dicens: *Amice, ad quid venisti? Matth. 26. c.*

*Gen. 31.*
*1. Reg. 17.*
*Matth. 26.*

Pastor ouem per vestigia quęrit, relinquit enim ouis in arena impressa vestigia, vel, hyemis tempore, in luto. Per ea igitur vestigia, non cessat pastor, donec inuenerit, ouem errantem requirere. *Psal. 118. Erraui sicut ouis, quæ periit, quære seruum tuum.* Vnde in quadam Prosa, seu, sequentia, canit sancta mater Ecclesia. *Quærens me sedisti lassus, Redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus. Deuter. 32. cap. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.* deinde subiungitur: *Assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Non desinit Christus bonus pastor ouẽ perditam quærere, tantisper dum inuenerit. *Isa. 40. cap. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos; & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Discant animarum pastores, boni exemplo pastoris, perditas oues sedulò, ac gnauiter perquirere. *Ipsi enim peruigilare debent, tanquàm rationem reddituri, pro animabus subditorum suorum. Hebræor. 13. cap.* Pręcipiebat Dominus, quòd pontifex Leuiticus, nomina filiorum Israel, super humeros portaret. *Exod. 28. Portabitque Aaron nomina filiorum Israel, in rationali iudicij, super pectus suum, quando ingredietur sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.* Pastor noster Christus reipsa ouem super humeros portat, vt scias vmbram præcessisse veritatem. Vicinos & amicos, ex contextu, expones

*Psal. 118.*
*Prosa, de defunctis.*
*Deut. 32.*
*Isa. 40.*
*Hebr. 13.*
*Exod. 28.*

Sanctos esse Angelos, qui Deo congratulantur in nostra conuersione.

*Congratulamini mihi, quia inueni ouem, quæ perierat.* Mihi, dixit, non oui, quia ouis non suis meritis, sed pastoris diligentia inuenta est. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, ait Apostolus, sed secundum suam misericordiam, saluos nos fecit. *Titum 3, cap.* Verè suprà de Christo dictum est. Hic peccatores recipit, &c. qui ouem perditam, ad caulas super humeros proprios reportat. Quod si peccatoribus non indulgeret, quid esset de Adamo, & Eua primis nostris parentibus? quid de Aaron, Dauide, Petro, Paulo, Matthæo, aliisque innumeris? Hæc autem est vnica spes, & fiducia nostra, quòd Christus nullum peccatorem repellat. *Ioan. 6. cap. Omne,* inquit, *quod dat mihi pater ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras.* Dulcissimum sanè, verbum! *Hic peccatores recipit.* Nam qui tot peccatis quotidie grauamur, & premimur, quid, quæso, solatij haberemus, si solos Christus reciperet iustos? Obiter autem istud attingam: Pharisæos istud Christo obiecisse, vt improbarent, ac infirmarent ipsum esse verum messiam, in lege promissum, ita ratiocinantes. Magnæ authoritatis esse debet messias, & cum probatæ vitę hominibus versari: At hic peccatores recipit, & cum infamibus, & peccatoribus conuersatur, & epulatur. quæ omnia sanctitati Messiæ derogant, Ergo, non est hic Messias. Refellitur autem hæc in speciem verisimilis argumentatio, Eo ipso enim messias esse comprobatur, quia peccatores recipit, quibus redimendis, Christus venire, mortémque subire debuerat. Promiserat quippe Ezechiel, *cap 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Zacharias, *ca. 13. In die illa,* ait, *erit fons patens domui David, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Et vates Euangelicus, *cap. 53. Verè,* inquit, *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras attritus est propter scelera nostra. Et, cap. 43. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Quid multis opus est? nihil sacri Prophetæ adeò dilucide de Christo denunciarunt, atque istud, nimirum, quòd peccatores ad pœnitentiam vocaturus esset, ac pœnitentes benignissime excepturus.

*Tit. 2.* *Ioan. 6.* *Ezech. 36.* *Zach. 13.* *Isa. 53. & 43.*

Aduerte interim, quòd non omnes indiscriminatim suscipit Christus peccatores, sed illos duntaxat, qui pœnitudine ducti, seriò de male actis dignos agunt pœnitentiæ fructus,

non autem illusores, seu hypocritas, in peccatis suis obduratos, atque obfirmatos (quales erant Scribæ & Pharisæi) tales, inquam, abiicit, non suscipit Dominus. *Prouerb.3. Abominatio Domini est omnis illusor: & cum simplicibus sermocinatio eius.* Ideirco, hoc Euangelio, cum publicanis potius, quàm cum pharisæis, sermocinatur. Pœnitentia sola est, per quam peccator in gratiam redit, vnde pœnitentes peccatores Christo appropinquabant. Obstinatis autem peccatoribus, in fine dicturus est Dominus. *Discedite à me operarij iniquitatis. Matt.7 e. ex Psalm 6.* Ideò, interius pronunciat idem Christus, quòd *gaudium est in cælo, super vno peccatore, pœnitentiam agente.* quod notanter dictum existima, vt de induratis peccatoribus nemo sanus exponat. Gaudet pia mater Ecclesia, super peccatoris conuersione, eiúsque pœnitentia; luget autẽ in peccatis mortuos, illósque deflere non cessat. Romanus pontifex, Ioannes, leg. Liquet igitur. C de summa Trinitate, & fide Catholica. Nunquam, inquit, gremiũ suum redeuntibus claudit Ecclesia. Sic ibi. *Quærit ouem, donec inueniat eam. Venit filius hominis, non animas perdere, sed saluare. Luc 9. Venit, vt quæreret, quod perierat ca.19.* Extat quoque Apostolicus Can. 52. in hunc modum: Si quis Episcopus, aut presbyter, eum, qui à peccatis cõuertitur, non recipit, deponatur, quia Christum molestia afficit, qui dixit: *Gaudium est in cælo super vno peccatore, pœnitentiam agente.* Sic ibi. Sequitur in textu.

*Prou. 3.*

*Matth. 7. ex Psal. 6.*

*leg. Liquet igitur, Cod de summa Trin. & fide Cath.*

*Luc. 9. c. 19.*

*Canon. 52. Apost.*

*Quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitẽtia, &c.* Sicut Iob post multas tribulationes, & ærũnas, ad extremum opulentior, atq; ditior factus est (Deo illi benedicẽte) *Iob 42. addidit Dominus omnia, quæcũque fuerant Iob, duplicia. Dominus autem benedixit nouissimis Iob, magis quàm principio eius.* sic sacra testatur historia. Quemadmodũ item, reuerso Iuniore Tobia, ex longinqua peregrinatione, maiore gaudio, lætitiaque affectus est vterque parens eius, quàm si perfectionẽ ac peregrinationem illam non suscepisset, & ex paternis ædibus nunquam discessisset. Ipsi quoque Tobiæ seniori, à cæcitate restituto, lætitia maior erat; quàm si cæcus non fuisset. Sicut etiam de ægroti conualescentia, maius est gaudium amicis, quàm cum sanitate integra, prosperáque, gauderet valetudine, ad hunc planè modum Angelorum accidentale gaudium (vt Theologi loquuntur) maius est, in peccatoris conuersione, quàm super iustis, qui non indigent pœnitentia. Gaudium quidem beatorum semper æquale est in eodem subiecto: Accidẽtale autem potest intẽdi, ac remitti, & esse maius, minúsve, circa res quas-

dam particulares. Hoc itaque accidentale gaudium maius est in cœlo, de peccatoris resipiscentia, quam de iustorum salute: Est enim noua gaudendi ratio, in eorum, qui petierant, & aberrauerant, reuersione. In perseuerantia autem, seu continuatione iustorum, in bonitate & sanctitate, non accedit recens gaudij occasio, seu causa; cùm non superueniat in eis aliqua nouitas, quia sicut nunc iusti sunt, ita antea iusti erant, at de peccatore conuerso, nouum succedit gaudium, nouaque gaudendi materia. Animaduertè præterea, quòd si loquamur de iustis feruentibus, cæteris paribus, magis, Deus diligit iustū numquam eadentem, quàm peccatorem pœnitentem: Estque maius gaudium in cœlo, de innocentia iusti feruentis conseruata, quàm de peccatoris pœnitētia: Verbi gratia de sanctissimæ Deiparæ immaculatæ innocentia, de D. Ioannis Baptistæ, ex matre vtero sanctitate in finem vsque ex integro conseruata, maius certè in cœlo gaudium celebratur, quàm de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, aut latronis in cruce conuersione admiranda, vel etiam Pauli miraculosa ad Christum attractione: Sed si de iustis tepidis, sermonem faciamus, magis gaudēt angeli de peccatore feruenter pœnitentiam agente, quam de illis: Quia dux in prælio, plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus, hostem fortiter premit, quàm illum, qui numquam terga præbuit, & numquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola, illam ampliùs terram amat, quæ post spinas, vberes profert fructus, quàm eam, quæ numquàm spinas habuit, & numquàm fertilem messem produxit. Cuiusmodi illa fuit peccatrix, quæ Domini pedibus prouoluta cum lachrymis peccatorum omniū (quæ sanè, multa erant, & penè innumera) remissionem consecuta est, *quoniam dilexit multum.* Fidelior indubiè, factus est Petrus, postquàm fidem se perdidisse defleuit. Ideóque maiorem gratiam reperit, quàm amisit. *Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia, vt ait Apostolus. Rom. 5. c.*

Adde etiam, quòd quemadmodum dulcior post famem cibus, & post æstuantem sitim potus est, ita post amissæ ouis iacturam, percepta, de ea inuenta, lætitia, maior quoque existit. Quam rem non obscurè Dominus designauit, qui frugi filio, de perditi fœlicitate, & conuiuio conquerenti, respondit: *Luc. 15. Epulari & gaudere oportebat, quia hic frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est.* Hæc etiam ratio nos ad veram pœnitentiam, melioríque vitæ propositum, inducere debet. Obserua etiam, quòd gaudium est in vtraque Ecclesia militante & triumphante de peccatoris reductione nō ficta,

*Soarez Episc. Connubricēsis in Portugallia.*

Si enim alicui duo filij fuerint, inquit Ioannes Soarez, tracta-tu 171. in Lucam, quorum alter a patre dilectus magis, domi manens, in patris obedientia vitam degat, alter verò minus dilectus, ab infidelibus capiatur, & in vinculis retineatur: si hic euaserit, & in domum patris reuerterit, proculdubio maius gaudiū exoritur patri, cū tota domo & familia, ex ipsius reditu, quàm ex altero, qui numquam periculum incurrit. In hoc verò duntaxat gaudium excedit, quia iste liberatus est ab infidelium iugo seruitutis. Estque specialis quædam gaudendi ratio, quia euasit vinculorum pœnam, & mortis discrimen. In sequenti autem parabola, seu comparatione, de drachma perdita, concludens Dominus, gaudium esse in cœlo, coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente, non subiunxit, sicut priùs, plusquàm supra nonaginta nouem iustis, vt benè intellecta perspiciatur illa sententia, de speciali ratione gaudij, in conuersione peccatoris. Nec leuiter pertranseundum est, ait idem, tract. 169. in Lucam: quòd in prima parabola, cùm per centesimam ouem errantem, genus intelligatur humanum, per nonaginta nouem verò, nouē chori Angelicorum spirituum: Colligitur inde facilè maximam, ac numerosissimam esse Angelorum multitudinem, adeò vt in eorum comparatione, vniuersum humanum genus, vna ouis reputetur: Siquidem ab omnibus sanctis, in hoc accipitur sēsu, numerus nonaginta nouem ouium, & vnius solùm, quæ à caula aberrauerat. Innumerabilis certè est multitudo, & numerus beatorum spirituum, qui tam copioso numero excedūt genus humanum. Sic fermè Soarez. Consonat istud *Dan. c. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia aßistebāt ei*, Obserua insuper aduersus hæreticos inconfutabile argumentum, ad fidem faciendam, quòd angeli internam peccatoris pœnitentiam probè nouerint, atque mentales, & vocales à fortiori, orationes pœnitentis, cognitas perspectásque habeant (Deo sic volente, & ordinante) quandoquidem gaudēt Angeli in cœlo, super vno peccatore pœnitentiam agente, ait Dominus, qui mentiri non potest: Cùm enim ipsi diuinam intueantur essentiam, eodem Domino assertore, *Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. Matth. 18.* Videntes Deum clarè, ac beneficè, (in quo tanquàm in nitidissimo speculo, omnia relucent) quomodo non omnia alia, in verbo (vt dicunt Theologi) seu, in diuina essentia, non cernerent? Qui videntem omnia, vident: quomodo in eo, tanquàm in speculo, non omnia viderent? Sequuntur enim agnum, quocumque

ierit, (vt diuina habet reuelatio, seu Apocalypsis) Si autem gaudent in cœlo Angeli, de peccatore in terris pœnitentiam agente, non est autem de re incognita, dicente D. patre Augustino: Inuisa diligere possumus, incognita nequaquam. Ita de re prorsus nobis ignota, nequaquam gauderemus (Insanorum quippe est, de sibi incompertis ridere.) Necesse est proinde, ipsos in cœlo existẽtes Angelos, ac beatos nobísque assistentes Custodes nostros, administratorios illos spiritus, *in ministerium missos, propter eos, qui hæreditatem capient salutis. Heb. 1.* Eos, inquam, necessariò consequens est, pœnitudinem peccatoris, (quæ in præcordiis, penetralibúsque cordium, exordium ducit, trahítque originem, *Psal. 50.* Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus, non despicies) nequaquam ignorare, sed perspectam, cognitámque habere. Hoc ipsum, Magnus ille Basilius, duplici, inquam, nomine magnus, raræ scilicet eruditionis, ac non vulgaris sanctitatis, libro de vera virginitate, pœnè circa media, non obscurè significat, ita scribens: Etsi adsit nemo, ipsa tamẽ virgo sibi adest, debétque præ omnibus, seipsam reuereri, cõscientiámque suam, deinde adstantem sibi custodem Angelũ. Neque verò conuenit vt Angeli eius, cui credita est cura, ac custodia salutis nostræ, faciem aspernetur homo: atque in primis virgo, quæ hunc ipsum castitatis suæ veluti paranymphum, custodémque habet. Præ cunctis autem ipsum spõsum suum reuerebitur, sibi vbique assistentem, ipsiúsque patrem, & Spiritumsanctum. Quid per singula pergam? Ipsas Angelorũ infinitas multitudines, & vnà Sanctorum Patrum Beatissimos spiritus. Nullus enim ex his est, qui non singula vbique consideret. Etsi enim oculis carneis minimè conspicui sunt: incorporeis tamen obtutibus, ad agnitionem complectuntur omnia, & comprehendunt, (quod interpretor, ex Theologorum schola, sic: comprehendunt, id est, clare vident, cognoscunt intuitiuè: vnde, & beati, comprehensores vocantur, & à viatoribus sic secernuntur) Et quia multitudinis pauescit obtutus ipsa virgo: hos autem vitare impossibile est, qui sunt infinita multitudo: nihil vnquam indicens faciet aut à proposito suo alienum. Sic Basilius.

D. Augustin.

D. Basilius.

Verùm enimuerò, quoniam meminit disertis verbis, pœnitentiam agentis peccatoris, sacer cõtextus, hinc admonemur, de pœnitentia aliquanto longiorem texere sermonem, ac digressionem. Tot inprimis parabolæ, à Christo propositæ, de oue errante, drachma perdita, ac filio prodigo, Tot exempla

de Tyro & Sydone, ac Sodomorum populis. Tot inuectiuæ, adeò rigidæ, & asperæ, seu acres, aduersus eos, qui se iustos reputabant. Tanta humanitas, & affabilitas, siue, comitas, quã ipse demonstrabat in familiari conuictu, cum Publicanis, & peccatoribus, ne Chananæos quidem, aut Samaritanos auersatus, aspernatúsve (qui Pharisæorum iudicio, erant omnium pessimi) Tot fauores, quos ostendit Magdalenæ, Adulteræ, Telonεario, seu, nummulario, Matthæo videlicet, atque publico fœneratori siue, vsurario Zachæo, grassatori denique, ac latroni, cruci suffixo. Et (vt in summa dicam) Tota Christi doctrina, quæ in eum scopum dirigitur, vt nos indignos, seruósque inutiles seriò agnoscentes, humiliemur, sub potenti manu Domini: Hæc, inquam, omnia, quid aliud, quàm pœnitentiam docent? O salutarem pœnitentiam! Tu homines saluas, Angelos exhilaras Deum op. max. placatum reddis, nobísque concilias, Dæmones tabescere facis. Tu secunda post naufragium tabula (Sic nempe vocat antiquissimus Tertullianus lib. de pœnitentia, ita inquiens: Tu peccator pœnitentiam ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum, proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit, id est, quantumuis distantem deducet. Cui subscribens, Diuus Hieronymus tom. 1. epist. ad Demetriadem, de virginitate seruanda: tomo item 5. in 3. Isaiæ caput. illam disertis verbis, secundam post naufragium tabulam, appellat.)

*Tertullianus.*

*D. Hieronym.*

Quid plura? Non fuit aliud exordium concionum Christi ab isto: *Pœnitentiam agite, &c. Matt.* 4. Vltima quoque periodus doctrinæ suæ, hæc eadem fuit: *Oportebat Christum pati, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, in remissionem peccatorum. Luc.* 24. Apostoli ipsius, qua voce, amabo, familiarius vsi sunt, ista videlicet, Pœnitentia? Vnde Petrus, Apostolorum facilè princeps, dicebat Simoni mago: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua. Act.* 8 D. Ioannes Theologus, consimiliter, Episcopo scribit Ephesino. *Memor esto vnde excideris, age pœnitentiam, & prima opera fac. Apoc.* 2. Et vas electionis, Paulus, exclamat dicens: *An ignoras, quia benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit? Rom.* 2. Ergo, (vt ad Christi diuinas conciones regrediamur) *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Luc.* 13. Quod bis inculcatur. Vt nouerimus, non esse quicquam necessarium magis, nec vtilius, neque maioris solatij, desolatis peccatoribus, ipsa pœnitentiã Non adeò chara sunt Dominis, ac principibus tributa, seu vectigalia, militibus stipendia, medicis munera, vel aduo-

catis, & consiliariis sportulæ (Gall. *les espices qu'on paye pour les procés*) ac recentes, nouæque vestes, pueris: quemadmodum Deo, ac Angelis cæterísque cœlicolis, chara est pœnitentia. Non sunt tàm vtiles vineis sepes, ac maceriæ, moenia vrbibus, munitiones, & annonæ, arcibus, seu castris, & littora, siue aggeres, fluminibus (Gall. *les leuees, ou digues, sur les riuieres, ou bord de la mer*) sicut peccantibus, vtilis est, quæ succedit, pœnitentia. Sed quid miror? Non sũt tàm iucundæ pluuiæ decidentes, Terræ sitibundæ, virentia prata, oculis infirmis, & spolia, victoribus, prędáque de hostibus capta, ac erecta trophæa, sicut iucunda est, verè & ex animo contritis, pœnitentia. Pœnitens peccator siquidem, de commisso peccato dolet, & de dolore gaudet, (vt aiunt probati classicíque Doctores) Vsque adeò autem pœnitentiam reformidant Dæmones, vt non magis canes, aquam calidam, muscæ, ignem, mulieres, splendentia arma, districtósque gladios, vel bombardarum scloppos, pueruli, ferulam pædagogi, virgámque disciplinæ; ac denique grassatores, rotæ supplicium, vel, furcam patibularem, oderint, timeántque. O innouatricem, hominúmque instauratricem, pœnitentiam! Tu renouas homines, facis de oleastris, bonas oliuas, de petulcis, fœtentibúsque hircis, agnos immaculatos, de carniuoris coruis, columbas simplices, de rapacibus lupis, fœtas oues, Commutas Moabitas, in Israëlitas. Samaritanos, in veros Iudæos. Canes impudentes, in charissimos filios, Peccatores denique reos in iustos, sanctósque viros. O metamorphosim mirabilem! Radix tua (ô pœnitentia) amara quidem est, sed sunt dulcissimi fructus tui. Omnis autem disciplina (vt *Diuus Paulus Hebræis concionatur, cap. 12.*) in præsenti quidem, videtur non esse gaudij, sed mœroris: posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ. Sic ille. *Heb.c.12.*

Quod nostra culpâ deperditur, pœnitentiæ efficacitate recuperatur Aufert illa à nobis cor lapideũ, & dat nobis cor carneum. Deúmque nobis reddit propitium. Et quid est aliud, mysticus Iordanis in quo (septies lauando) lepra mundatur, ac detergitur, quid fons Siloë, in quo videndi copia recuperatur, quid aliud scala Iacob, per quam à terra, in cœlum conscenditur, quid aliud arcta, angustáque via ad salutem dúcens, quid aliud probatica piscina, seu, pecualis, quinque porticibus exornata, in quibus iacebat languentium, expectantiũ aquæ motum, per magni consilij angelum, hoc est, Christum, multitudo, quid, inquam, aliud hæc adumbrabant, nisi sanctam

pœnitentiam? Pœnitentia omnia interimit peccata, omnes contrà viuificat virtutes, bonáque opera, alias, propter malum, in quo iacuit peccator, statum, mortificata. Adeò potens est pœnitentia, vt (si ita fari liceat) mutet immutabilem, vincat inuincibilem, cogat omnipotentem. Ipsa te cogat pietas, vt mala nostra superes parcendo, &c, quod in quodam hymno, sancta mater decantat Ecclesia. Diuus item Ambrosius in Luc. I. c. De prophetatione Zachariæ, *Nouit*, inquit, *Dominus*, mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum. Et per sanctum ex vtero vatem, ait quoque Dominus: *si pœnitentiam egerit gens illa, à malo suo, agam & ego pœnitentiam, super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Deus equidem in se haudquaquam mutatur, *Malach. 3. Ego Dominus, & non mutor. Numer. 23. ca. Non est Deus, vt filius hominis, vt mutetur. Iac. I. cap. apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Psalm. 101.* de cœlis dicitur: *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: Tu autem idem ipse es &c.*

*Hymnus Ecclesiasticus. D. Ambrosius in Luc. I. c. Ierem. 18. ca. Malach. 3. ca. Num. 23. ca. Ioan. I. c. Ps. 101.*

Verùm tota mutatio, est ex parte pœnitentis: vt exempli gratiâ dicamus, Si columna aliqua sit tibi ad læuam, si postea te ad dexteram conuerteris, per solum tui ipsius motum, eadem columna erit tibi ad dexteram, quæ priùs fuerat ad finistram, absque hoc, quòd in se quoquomodo mutetur. Pœnitentiam vocauit. D. Paulus electum Spiritussancti organon, fundamentum rerum Christianarum. Non rursum iacientes, inquiens, *Heb. 6. c.* fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis. Quod si homo Dei patienti abutatur, non agens pœnitentiam, vel differens de die in diē, sentiet, haud dubiè, Deum seuerum vindicem, & vltorem. quod ne gentilem quidem, ac Idololatram Valerium Max. l. I. ca. I. de neglecta religione, latuit, Scriptum enim reliquit in hunc modum: Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira: tarditatémque supplicij, grauitate compensat. Sic ille. Quamuis ergo sera sit numinis vindicta, non possunt tamen iustū Dei effugere iudicium, qui improbè agunt, nec resipiscere volūt. Prodeant testes Sodomitæ, exusti igne cœlesti, schismatici, absorpti, Chore, eiúsque complices: Superbi gigantes, in destructione Babel, hinc, illinc dispersi, ac vagabundi, Impij extra arcam Noë, diluuio submersi: Totus denique Sennacheribi exercitus propter blasphemiam, ab exterminatore Angelo, vna nocte prostratus & internecioni traditus, Pharaonis currus, ac equites, in mari rubro demersi. Ochoziæ quinquagenarij, incendio absumpti: & quid amplius dicam? Omnes

*Heb. 6. c.*

*Valerius Max l. I. c. I. exemplorum neglectæ religionis.*

eiuſcemodi duræ ceruicis,operarij iniquitatis, in virga ferreâ tandem ſunt percutiendi,& tanquam vas figuli confringendi. *Pſal.* 2. Per pœnitentiam,Chriſtus ſubitò latronem in paradiſum ſecum aſſumpſit,Luxurioſum filium redeuntem, cum oſculo benignè excepit, Zachæum ex filio rapinæ de vſurarum voragine profundóque ereptum barathro: Abrahami patriarchæ per adoptionem filium conſtituit. Impletúrque in pœnitentibus illud *Ioëlis,c.2 Reddam vobis annos,quos comedit locuſta*,(quo de loco,Vide,ac conſule Enneades noſtras) hoc eſt,peccatum conſumpſit. *Citò proferte ſtolam primam. Luc.* 15. Per pœnitentiam, Manaſſes fuit in regnum reſtitutus. 2. *Paral.* 33. Dies certè,me deficeret,præconia, laudéſque declamantem,& enarrantem pœnitentiæ,Verum non ſolum prædicare oportet pœnitentiam, ſed etiam dignos agere pœnitentiæ fructus. *Luc.* 3. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum Matth.* 5. Reliqua iam percurramus, ne lectorem tædio afficiamus. *Quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit vnam nonne accendit lucernam, & euerrit domum, quærens diligenter donec inueniat eam?* Hæc parabola eadem eſt,cum ſuperiore. Nam ſicut Pharao,qui vidit ſomnium, quòd *aſcendebant ſeptem vaccæ pingues,poſtea aliud vidit idem ſignificans nempe ſeptem ſpicas plenas*. Quæ ſomnia Ioſeph interpretatus, dixit: *Somnium regis vnum eſt. Geneſ.* 41. *c.* Sic inpræſentiarum, hæc parabola, & proximè præterita, eodem tendunt, atque ad idem ſpectât. Quòd ſi mulier drachma amiſſa, vniuerſam domum ſuam euerrit,ſcopiſque mundat, donec inuenerit illã, qua inuenta,vicinas ad congratulandum ſibi conuocat, quare ego non lætarer, gnauiterque darem operam, in his peccatoribus perditis requirendis vt ex illis inuentis, gaudium percipiam? Æterna igitur patris Sapientia (quæ hic fœmineo nomine deſignatur) cum ex decem electorum choris, naturã humanam (quę velut drachma decima erat) decidiſſe per peccatum vidit, lucernam accendit hoc eſt, naturam diuinã, humanæ copulauit. In ſplendore quippe lucernæ, diuinitas, in cera verò, ſacra humanitas deſignatur. Quod quidem incarnationis ſacramentum, externo geſtu, ac ritu,& cerimonia ſacra profitentur, palámque proteſtantur, qui morituri lucernam, ſiue, cereum accenſum, manibus tenent, vt qui verbi incarnati fidem, ac religionem, in baptiſmo ſuſceperunt & ex tunc candelam accenſam, in manibus tenuerunt: ſic in ipſo tranſitus ſui articulo, vt ſponſo venienti ad nuptias, occurrãt, lampade non vacua (virginum prudentum inſtar) lucernas

*Pſal.* 2. *c.*
*Ioel.* 2. *c.*
*Sac. Ennead.* *auth.*
*Luc.* 15. *e.*
*Par.* 33. *c.*
*Luc.* 3. *c.*
*Matth.* 5. *c.*
*Geneſ.* 41. *cd*

ardentes in manibus gestant, dicente Domino in Euangelio: *Lucernæ ardentes sint in manibus vestris.* Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs. Deinde, pia mulier euertit domū (ita enim vulgò legitur, pro, euerrit, seu scopat, vel, scopit domum; vtrumque siquidem, in vsu est, Gall. *balie la maison*) hoc est, supera, & infera omnia, è sedibus suis conuellit, & inuertit, vt sic tandem euersis omnibus pretiosam drachmam inueniat (Gallicè, *sa bague.*) Est autem drachma vt ne istud, quanquam minutulum, prætereamus genus ponderis, tribus constans scrupulis. Est & genus numismatis, denarium valens Romanum, hoc est (vt Budæus docet) solidos Turonenses tres, cum semisse. hic propriè significat, vel nummum talem, vel, quod vulgò *iocale* vocamus, *vng ioyau*, *vne bague*: Et hoc, quantùm ad vocabulum Drachmæ sit dictum. Euerrit domum. Ita planè esse legendum, indicat Græca vox σαίρει. Sic enim in Græco exemplari scriptū extat: σαίρει τὴν οἰκίαν, euerrit, seu purgat domum. σαίρω, verro, scopo, σάρος, verriculum, scopæ. σαροῦμαι. scopis purgor, σεσαρωμένον, Matth. 12. scopis mundatam. Euerrit itaque domum suam, vt qui perditam domi pecuniā quærit. Psalm. 76. exercitabar & scopebam, siue verrebam, spiritum meum. In quem versiculum Cornel. Iansenij, primi Episcopi Gandauensis, Paraphrasis ita habet: animum meum varijs cogitationibus, quasi scopa quadam, agitaui, nunc Dei terribilia iudicia, nunc in suos clementiam, & in promissis seruandis iustitiam, nunc calamitatum causas, aliáque multa discutiens. Annotat autem ipse, hunc in modum: De re aliqua inquirere, idem est, cum eo, quòd scopere, vel scopare spiritum, hoc est, varia cogitatione, quasi scopa quadam, mētem agitare. Solemus enim perdita scopando quærere. Augustinus legit: & scrutabar spiritum meum. Sic ibi. Animaduerte (Tu grammaticè) in vtraque coniugatione, prima, scilicet ac tertia, vsurpari verbum, scopo: Sic, Scopo, as, scopábo, in futuro, *Isa.* 14. *c.* De Babylone dicitur: Scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum. Item, Scopo, is, Scopere, per tertiam inflexionem, & Scopebam, sicut legebam, vt *Psal.* 76. *Scopebā spiritum meum*, vt suprà. Nec mirum sanè videri debet, aut ab vsu alienum, & obsoletum, quòd quædam verba, (vt exempli caussa, ferueo, per secundam, & per tertiam, feruo, etiam dicitur,) per varios coniugationum ordines inflecti solent. Non ergo à ratione videatur dissentaneum, si scopebam, per tertiam, & scopabo, per primam conigatio-

*Matth.* 12.

*Psal.* 76.
*Corn. Iansenius, in Psal. vbi su.*

*Isa.* 14. *c.*

nem, in Bibliorum editione vulgata, ab Ecclesia comprobata, legantur. Vbi obiter, ex probatis, classicisque Grammaticis, obseruabis Feruere, penultima breui, reperiri quod in prosa, ac versu, & carmine, facilè deprehendas: vt sequentia docent. A. Gellius lib. 2. cap. 29 noct. Attic Dominus, quos rogauerat, opperitur: sol feruit, & fit nihil, & amici nulli erant. Sic ille. Et Terentius in Adelphis, Actu. 4. Scena. 1. versu. 18. Ego illius sensum pulchrè calleo. Cùm feruit maxime, tam placidum, quàm ouem, reddo. Virgilius item sub finem 1. Georgicôn, in tertia extulit coniugatione, vt patet ex carminis mensura.

*A. Gellius. noct. Attic. l. 2. c. 29.*
*Terentius, in Adelphis act. 4. Sce. 1. v. 18*

*Omnia tunc pariter vento, nimbisque videbis*
*Feruere: non illa quisquam me nocte per altum*
*Ire. ----*

*Virg. l. 1. Georg. sub fine.*

Et Propertius, dum ita cecinit. l. 2. ad Amicum.

*Propertius, li. 2. bis.*

*Viderat ille fuga tractos in littore Achiuos,*
*Feruere, & Hectorea Dorica castra face:*

Et iterùm, Ad Iouem pro amica ægrotante. l. 2.

*Venit enim tempus, quò torridus æstuat aer,*
*Incipit, & sicco feruere terra Cane.* Sic illi.

Et hæc quidem de euerrenda domo seu, scopenda, aut etiã scopanda, dicta sunto: in Grammaticorum gratiam. Est verò triplex scopa, σαρὸς. (Scopæ enim pluraliter, quidem communius, dicitur tamẽ & scopa singulariter (ait Sosipater Charisius, grãma. l. I. f. 27.) Itẽ, Varro, l. 9. de lingua latina, p. 146.) nẽpe Scopa contritionis, cõfessionis, & satisfactionis. De prima, Scopebam spiritũ vbi su. Ille, (ait D. Antonius Paduanus. Dominica. 3. Quadr spiritum suum scopit, vel scopat, qui sordes immundæ cogitationis, & puluerem mundanæ vanitatis, à facie suæ animæ, scopa contritionis emundat, De Scopa confessionis, & satisfactionis, dicit Dominus, Isa. 14. *Scopabo eam, in Scopa terens.* Babylonem Dominus scopat, cum animam peccatis confusam, confessione à peccatis emundat, In Scopa autem terit, cum satisfactionis flagellis percutit. Tribus his scopis, anima hominis emundatur. Sic ille.

*Sosipater Charisius Grãma. l. 1. f. 27.*
*Item Varro, l. 9. de lingua lat. p. 146.*
*D. Antonius Paduanus Dominica 3. in Quadrag.*
*Isa. 14. ca.*

Vt verò tandem aliquando concludamus, ex his satis euincitur parabolis maximam esse Dei erga nos clementiam, atque benignitatem: qui nos tandiu ad pœnitentiam exspectat quæritque errantes, palantésque oues, vt ad caulas reducat: accensa item lucerna, domum integram euerrit, scopatque, vt nos alioqui perditos, recuperet, & inueniat, in nostram profectò vtilitatem, & salutem, suã vero gloriam.

Isa. 30. *Expectat Dominus, vt misereatur vestri*, ait Euangelicus vates. *Isa.* 30 *c.* quando namque peccauit Adam, non in eum subitò animaduertit, verum prius vocauit dicens: *Adam vbi es?* Quando Gen. 3. & 4. peccauit Cain, non repentè vltus est, sed de fratre suo, illum interrogauit. *Vbi est Abel frater tuus?* Quando peccauit Dauid rex, & Propheta, cum Bethsabæa, non continuò eum flagellauit, sed per nouem, aut decem menses, donec ex adulterio illo, natus esset, & in lucem editus infans, distulit, Prophetamque suum Nathã, ad eum prius misit. Non currit Deus ad vindictam, inferendámque vltionem, sed deambulare describitur, & veluti exspatiari (gal *se pourmener*) lento gradu, non cõcitato incessu pergere. Quęrere diligẽter drachmam perditã hîc memoratur. Vt proniorẽ agnoscas, & propensiorẽ Deũ, ad veniã, quã ad infligendam punitionẽ: vnde: *Gen. 3. c. Audierũt primi parentes, post lapsum, vocem Dei deambulantis in Paradiso.* Currere Ps. 18. autem ad misericordiam dicitur: *Ps. 18. Exultauit vt gigas ad cur-* Luc. 15. *rendam viam. Luc. 15. Accurrens pater prodigi, cecidit super collum eius,* Isa. 1. c. *& osculatus est eum.* Dum vult punite Dominus, aliquãti sper sustinet. *Laboraui,* inquit ille, *sustinens. Isa.* 1. Non abhorruit Deus à peccattice Magdalena, non est dedignatus adulteram pœnitentem, non publicanũ orantem in templo, non Mathęum sedentem in teloneo, non Zachæum fœneratorem, & vsurarium, non Petrum ter ipsum abnegantem, Non latronem, in cruce confitentem, non denique Paulum, adhuc spirãtem minarum cędisque, in discipulos Domini: Meritò itaque eũ vocat. 2. *Cor.* 1. *ca. Patrem misericordiarum, Deumque totius consolationis.* Dignetur ipse, me nefandissimum, atque omnium maximum peccatorem, inter suas oües semper agnoscere, & ad æternæ vitæ felicissima pascua, tandem clementissimè me introducere; vt cum Regio vate gratulari, & cantare valeam: *Ps. 22. Do-* Psal. 22. *minus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascua ibi me collocauit.* Deinde, quod sequitur, *Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ: Et vt inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.*

*Amen,*

De-

# DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN.

## De Christo in vnam nauem, Simonis, ascendente, ac docente, captáque copiosa piscium, ad Christi verbum, multitudine, ac Petri magna demissione. *Luc. 5. c.*

*Cùm turbæ irruerent in IESVM, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum &c. vbi su.*



VANDOQVIDEM de Petri cæterorúmque sociorum suorum, ad Christum vocatione, nobis agendum proponitur, ex huius Euangelicæ lectionis decursu, vt sub finem ipsius disertè exprimitur: Idcircò in genere quidpiam ea de re dicendũ existimaui Cogitanti mihi quare Deus pastores in reges, & piscatores in principes Ecclesiæ, honorifica sanè permutatione, diligere voluerit? Succurrit hæc ratio. Nullum est artificium, vtroque laboriosius, maiúsve studium, ac diligentiam & operam desiderans. Pastoralis enim cura est ferè continua, in custodiendis gregibus: *Erant pastores vigilantes, & custodientes vigilias noctis, supra gregem suum*, ait Sanctum Euangelium: *Luc. 2.* Ars piscatoria similiter, valdè laboriosa existit: super qua & Petrum laudabo, citabóque authorem, sic dicentem, præsenti Euang. *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Vt igitur Reges, ac Ecclesiastici prælati nouerint se non ad otium, non ad voluptates, ac delicias, sed, ad labores, ac vigilias esse assumptos, vocatósque: ideò pastores, ac piscatores asciuit, & inter cæteros seligere sibi curauit Domi-

*Luc. 2. c. & ca. 5.*

*Cùm turbæ irruerent in Iesum,vt audirent verbum Dei &c.* Tanta erat hominum multitudo, populique frequentia, vt eius conciones audirent,confluentium,vt illis capiendis, non esset locus in Synagogis,vicis,oppidis,& plateis, sed extra oppida cogerentur eum sequi: *Erat enim docens eos*,ait Matthæus, ca. 7. sicut potestatem habens,&non sicut scribæ eorum,& Pharisæi. Ideo certatim ad Christum properabant, vt verbo Dei reficerentur. Verba siquidem vitæ æternæ habebat, vt Ioan.6. c. Petrus dicebat. Et *quid mirum, si eius verba,qui Patris est sapientia,& in quo omnes thesauri sapientiæ,& scientiæ Dei, sunt reconditi; Coloss.* 2. tantam attraherent turbam,ac plebis multitudinem, cùm in labijs eius diffusa esset gratia, Psal.44. vt superiore diximus homilia,& tanta ipse faceret miracula, vt in stuporem & admirationem videntes ea, raperet, ac conuerteret, vt hic etiam memoratur? Non solùm in templo, & in synagoga, intra ciuitatis mœnia,verbum ex eius ore auscultabant: sed ad deserta loca, & maritima, citato gradu properabant, vt Christum concionantem audirent. Nos vero, non procul à sacris ædibus commorantes,parum itineris pedibus conficere,ac perambulare,recusamus, vt concionibus, & rei sacræ interesse valeamus. O nostram socordiam; imo veriùs dixerim, malitiam. Turbæ istæ irruunt, & nos adeo segnes, adeo frigidi, in Dei amore comperimur. Irruere,est cum impetu ferri,in quo feruorem turbarum obserua,quáque auiditate cuperent verbum Dei audire. Surgent isti contra nos in die iudicij(sicut Niniuitæ, ac Regina Saba,aduersus impios, &incredulos Iudæos)& cōdēnabunt,nosquia per campos,& ad mare vsque,properauerunt isti, vt audirent verbum Dei, nos vero, eius audiendi gratiâ, ne parum quidem laboris, suscipere volumus. Laudatur Maria, Luc.10. quod Christi verbum secus ipsius pedes,auscultauerit,refectionis tempore, & conuiuij: isti autem commendationem, laudémque promerentur,vel ex eo maximè, quod nullis parcunt laboribus, vt Christum audiant sermocinantem. Sunt,qui dicant. Ego doctus sum,quid igitur mihi opus est,conciones adire, & audire concionatores,nimis(fortasse) doctos, & non vsque adeo peritos? falleris profectò,si sic tibi blandiris & conciones aspernaris. Qui hæc spernit,ait Apostolus, non hominem spernit, sed Deum,qui etiam dedit Spiritumsanctum suum,in nobis. 1. Thess.4. c. *Qui vos audit,me audit,& qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit,spernit eum,qui me misit. Luc.* 10. c. Accedit, quod D. Hiero. ad Paulinum de omnibus diuinæ hist. libris,

Matt.7.f.
Ioan.6.c.
Col.2.
Psal. 44.
Luc. 5.
Luc. 10.
1. Thess.4.c.
Luc. 10.
D. Hier. ad Paulinum de omnib. diuin. hist. libri

authore, & scriptore: Habet nescio quid latentis energiæ, viua vox: & in aures discipuli de authoris ore transfusa, fortius sonat. Vnde & Æschines, cum Rhodi exularet, & legeretur illa Demosthenis oratio, quam aduersus eum habuerat mirantibus cunctis, atque laudantibus, suspirans ait. Quid si ipsam audissetis bestiam, sua verba resonantem? Sic ibi. Idē,

*Plinius secundus, l. 2. ep. ep. 3. Nepoti suo.*

Plinius, l. 2. Epist. epist. 3. Nepoti suo, testatur. Viua vox, inquiens, vt vulgò dicitur, multò magis afficit. Vnde Æschines. τί δ᾽ εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου τὰ αὐτοῦ ῥήματα βοῶντος ἀκηκόειτε; quod est, vt suprà, interpretatur. Diuus Hieronymus. quid si ipsam bestiam sua verba sonantem audissetis? Et erat Æchisnes (si Demostheni credimus) μεγαλοφωνότατος. (id est, latinè si vertas, maximè vocalis, aut, stentorea quasi voce præditus) fatebatur tamen longè meliùs eadem illa pronunciasse ipsū, qui pepererat. Dices, habeo domi, quos legam, non minus disertos. Etiam: sed legendi semper occasio est, audiendi non semper. Et, licet acriora sint, quæ legas, altiùs tamen in animo sedent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit. Nisi verò, falsum putamus illud (suprà citatum) Æschinis, qui cùm legisset Rhodijs orationem Demosthenis, admirantibus cunctis, adiecisse fertur. Quod si illum ipsum audissetis? Sic Plinius, Claudius Minos. I. C. lib. 2. Notarum, & obseruationum ad illam. 3. epist. sic annotauit: Cicero, li. 2. epist. & ad Atticum, epist. 8. vbi sunt, qui aiunt, ζώσης φωνῆς, quantò magis vidi ex tuis literis, quàm ex illius sermone? (pueri scilicet, cùm epistolis, ad Ciceronem venientis) Sic ibi, Existimo autem, concisam esse, & imperfectam Græcam sententiam, quę sic expleri debeat: ζώσης φωνῆς μείζω ἐνέργειαν εἶναι. quod totum expressit Minos. Sic autem latinè verto: viuæ vocis vim maiorem, & efficacitatem esse. Seneca item Epist. 7. Mittam, ait, ipsos tibi libros: & ne multum operæ impendas, dum passim profutura sectaris, imponam notas, vt ad ea ipsa protinus, quæ probo, & miror, accedas. Plus tamen tibi viua vox, & conuictus, quàm oratio proderit. Hæc ille. In rem præsentem etiam facit, quod Fabius, lib. 2. cap. 2. Institut. orator. Licet, inquiens, satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen viua illa (vt dicitur) vox, alit plenius, præcipuæque præceptoris: quem discipuli (si modò rectè sunt instituti) & amant, & verentur. Sic ibi. Rectè igitur Æchisnes (authore Valerio Max. lib. 8. cap. decimo de Pronuntiatione) cùm propter iudicialem ignominiam, relictis A-

*Claudius Minos. I. C. in ep. Pli. vb. s.*

*Cicero l. 2. ep. 8. ad Atticum*

*Sene. ep. 7.*

*Quint. l. 2. c. 2. inst. orat.*

*Valerius Max. l. 8. c. 10 de pronunt.*

thenis, Rhodum petiſſet, atque ibi rogatu ciuitatis, ſuã prius in Cteſiphontem, deinde Demoſthenis pro eodẽ, orationem, clariſſima, & ſuauiſſima voce recitaſſet: admirantibus cunctis, vtriuſque columinis (alias voluminis) eloquentiam, ſed aliquantò magis Demoſthenis, Quid ſi, inquit, ipſum audiſſetis? tantus orator, & modo tam infeſtus aduerſarius, ſic inimici vim, ardorémque dicendi ſuſpexit, vt ſe ſcriptorũ eius parum idoneũ lectorem eſſe diceret: expertus acetrimũ oculorum vigorem, terribile vultus pondus, accommodatum ſingulis verbis ſonum vocis, efficaciſſimos corporis motus. ergo etſi operi illius adijci nihil poteſt: tamen in Demoſthene magna pars Demoſthenis abeſt, quòd legitur potiùs, quã auditur. Sic ille. Refert percommodè & prænominatus Fabius, lib. 11. cap. 3. de pronuntiatione, quòd admirantibus Demoſthenis orationem Rhodijs, non immeritò Æſchines videatur. quid ſi ipſum audiſſetis? Et hæc de viuæ vocis energia, dicta ſufficiant. Diſcendi verò deſiderium, in turbis iſtis turmatim ad Chriſti conciones confluentibus, admirari libet, & laudare: ſiquidem, Diuo Hieronymo ad Paulinum referente, ad Titum Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem, (vel, vt Quintiliani verbis, l. 10. c. 1. vtar, lacteã Liuij vbertatem aſſerentis) de vltimis Hiſpaniæ, Galliarúmque finibus, quoſdam veniſſe nobiles, legimus: & quos ad cõtemplationem ſui Roma non traxerat, vnius hominis fama, perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſeculis, celebrandúmque miraculum, vt vrbem tantam ingreſſi, aliud extra vrbem quærerent. Sic ibi, Qua de re Plinius ſecundus, l. 2. Ep. 3. Nunquámne legiſti Gaditanum quendam, Titi Liuij nomine gloriáque commotum ad viſendum eum, ab vltimo terrarum orbe veniſſe, ſtatímque vt viderat, abiiſſe? Hæc ille. quid igitur mirum eſſe debet, ſi audiendi Chriſti, videndíq; gratiã, turbæ nunc irruant? Quæ collatio, aut digna comparatio eſſe poteſt, Liuij, & Chriſti? Lucis, ad tenebras? ſi tãti vitrum, quanti margaritum? De Salomone ſcriptum legimus, quod omnis terra deſiderabat audire eius ſapientiam, diuinitùs infuſam 3. Reg. 10. *Vniuerſa terra deſiderabat vultũ Salomonis. Ecce pluſquã Salomõ hic.* Matt. 12. de Chriſto dictũ eſt. *vt audirent verbum* Dei. *Audiens ſapiens ſapientior erit.* Pr. 1. c. *Da ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia.* c. 9. Prodeſt itaque maximè, etiam eruditioribus, nedum indoctis, audire verbum Dei, ac legem ipſius, conuertentem animas. Pſal. 18. Dauid, quãquam ſapientiſsimus, & ſpiritu prophetiæ donatus, à peccato tamẽ,

*Fabius, l. 11. c. 3. de pronuntiatione.*

*D. Hier. ad Paulinũ v. ſit.* *Quint. l. 10. c. 1.*

*Pli. l. 2. ep 3. nepoti ſuo.*

3. Reg 10. c. Matt. 12. c.

Pr. 1. c. & c. 9.

Pſ. 18.

in quod lapsus fuerat, non resipuit, neque surrexit, nisi a1 viuam vocem Nathan, prophetæ: tunc enim dixit: *Peccaui. 2. Reg. 12.* Pharao, & Nabuchodonosor, habuerunt visiones, quæ tantisper eis non profuerunt, donec viuæ vocis oraculo ipsius Ioseph, ac Danielis, interpretum sacrorū, exponerentur eis, tum demum profecerunt. Cum igitur testatur Euangelium, irruisse turbas, audiendi diuini verbi desiderio, magna certè populi erga Christum deuotio insinuatur: vndique enim ad ipsum concurrebant, cúmque comprimebant, vt verbum Dei audirent. Quod ideò adiectum existimo ab Euangelista, vt istos per hoc distinguat ab illis, qui alias ob causas, nonnunquàm Christum sequebantur, quales erant verbi gratiâ, curiosi quidam, qui sequebantur, vt signa atque mirabilia ipsius viderent: inuidi, vt caperent eum in sermone. Infirmi ac languidi, vt ab eo sanarentur: nonnulli verò, quia comederant de panibus, per ipsum miraculosè multiplicatis. Quidam etiam vt auaritiæ suæ consulerent, quorum de numero fuit ille, qui ait: Magister, sequar te quocumque ieris. Ad cuius fallacem intentionem, & auaram, respondens Dominus: *vulpes*, ait, *foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis, non habet, vbi caput suum reclinet.* Matth. 8. cap. Porro eorum, quibus de hic agitur, pia erat intentio. Virtutem verborum Christi, senserant, dicente Apostolo: *Heb. 4. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, Si enim electrum attrahit, vi quadam occulta naturæ, stipulam, si magnes ferrum, si chalibem adamas, si sol ad se vapores, exhalationésque à terra pertrahit, quidni Christus, verbum Dei incarnatum, ad se, vel solo conspectu, (sicut Petrum passionis tempore respiciens, ad lachrymas impulit, & ad pœnitentiam reduxit. *Luc. 22. cap.*) trahat ad se, quemcumque voluerit? Sequitur.

3. Reg. 12.

Matth. 8. cap.

Heb. 4.

Luc. 22. ca.

*Secus stagnum Genezareth.* Idem esse dicitur, quod mare Galilææ, ab adiacente prouincia, Mare etiam Tiberiadis, à proxima ciuitate: Vocatur item stagnum Genesareth, à quadam vrbe antiqua (cuius in lib. *Numerorum, capite 34.* fit mentio, nominatúrque, mare Cenereth.) ab illo igitur antiquissimo oppido Cenereth, quod ad littus huius maris, situm erat, quod postea Tiberias dictum est, nomen sortitum existimatur. Vocatur autem mare, tametsi aqua eius dulcis, & ad potandum habilis, iuxta Hebraicam dialectum, & idioma, quo magnę congregationes aqua-

Numer. 34. c.

rum appellantur maria. Fit autem lacus ille, ex diffusione Iordanis, per ipsum transeuntis. Quod si ad allegoriam, (quâ Diuus Paulus vsus legitur, *Galat. 4. cap.* Hæc sint, inquiens, per Allegoriam dicta) conuertamur, Per mare, quid aliud, quàm præsens sæculum designatur? quod sicut mare fluit, ac refluit, sursum, deorsum iactatur, fluctuátque, quin & periculosum est, insuper & amarum: Quæ omnia perbelle mundo quadrant. Qua de re me aliàs plura dixisse memini. *Gal. 4.*

Vidit duas naues. Piscatores autem descenderant, & cæt. Et quidem quasi piscatoria nauis est Ecclesia. Piscatores autem sunt prædicatores, dicente Christo: *Matth. 4. Faciam vos fieri piscatores hominum. Et Luc. 5. cap. homines eris capiens,* De quibus per Sanctum ex vtero vatem, dicitur; Domino loquente: *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos, cap. 16.* Itaque nauis est Ecclesia, mare mundus, piscator, est prædicator, In vernacula lingua nostra, maxima est affinitas, & allusio, seu, quàm Græci vocant, Paronomasia, & agnominatio, inter has voces, *pescheur, & prescheur.* Recte autem verbum Dei, vnde versus ex B. Petri persona decantatus *Sac. Decades authoris. Matth. 4. Luc. 5. Ierem. 16.*

*Ecclesiam pro naue rego, mihi climata mundi,*
*Sunt mare, Scripturæ retia, piscis homo.*

Lauanda, sanè, sunt retia prædicationis, expurgandáque ab omni auaritia, vana gloria, & adulatione, sicut de seipso testatur Apostolus, 1. *Thessal. 2. cap.* Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Hæc ille. *1. Thess. 2.*

Sunt plerique, qui aliàs non prædicarent, docerént ve, nisi aura populari impellerentur, iuxta illud peruulgatum: Non propter Iesum tantùm; & istud Ouidianum, lib. 4. de Ponto, Eleg. 2. *Ouid. li. 4. de Pouto, Eleg. 2.*

*Excitat auditor studium, laudatáque virtus*
*Crescit, & immensum gloria calcar habet.*

Tales absimiles minimè sunt, molendino ad ventum. Nam sicut illud molere cessat, absente aura, & vento cessante, sic & isti benefacere desinunt, aut benè dicere, vbi cœperunt laudes cessare. Qui verò, auram non captant popularem, sed soli Deo placere student, similes censentur molendino fluuiali, quod perpetuas habet aquas. *Psal. primo. Et erit tantanquam lignum, quod plantatum est, secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, Et folium eius non defluet,* *Simile. Psal. 1.*

hoc est, sermo eius erit vtilis semper, nec desinet facere fructum. *Ierem. 17. cap. Et erit quasi lignum*, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, Et erit folium eius viride; nec aliquando desinet facere fructum. Sic ibi.

Ezech. 7.

*Rogauit, vt à terra reduceret pusillum, & cæt.* Obserua, Rogat Dominus, cùm solo nutu possit nauem reducere à terra, aut Petro etiam præcipere: Imperiosi illi, in Apostolorum, *Actis, cap. 5. Præcipiendo,* inquiebant, *præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto, &c.* verùm modestiæ totius præbẽs exemplum Christus, prælatis omnibus, Rogat Petrum. Vulgò dicimus. *Les prieres des grands, valent commandement.* Maiorum preces, pro imperio reputantur, vimque obtinent mandati. Sic Paulus, *Rom. 12. Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, &c.* Conqueritur verò de quibusdam Dominus, per Prophetam, *Ezech. 34. Cùm austeritate imperabatis eis, & cum potentia.*

Act. 5.

Rom. 12.
Ezech. 34.

*Ascendit in vnam nauim, quæ erat Simonis, &c.* Hæc est Catholica, & Romana Ecclesia, quàm illi primùm commendauit regendam, quæ verè vna est, iuxta illud: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Licet autẽ plures sint particulares Ecclesiæ: Petrus tamen totius, ac vniuersalis Ecclesiæ curam, & administrationem, à Christo suscepit. Itaque Dominus, vt nobis Catholicæ Ecclesiæ commendaret vnitatem, ascendit in vnam nauem, quæ erat Simonis Petri. Extra quam nemini est salus, nemini est remissio peccatorum, sicut extra vnam Arcam Noë, nulli erat salus, diluuij inundantis tempore, *Vna est columba mea, perfecta mea. Cant. 6.* Rogauit verò Petrum, Attende clementiam saluatoris! Ecce Deus hominem, creator rogat creaturam, Dominus seruum, magister discipulum, Dominus cœli & terræ, ex sua creatura, tantillum rogat obsequij, vt abducatur nauis paulisper à terra, qui pro suo iure imperare poterat.

Act. 4.

Cant. 6.

Et vobis idem à nobis dictum existimate, beneuoli Auditores, *Reducite à terra pusillum.* Hoc quippe dixit Christus iis, qui in naui erant. Vos autem, ô mei consimiles peccatores, & Christiani, in naui estis sanctæ Ecclesiæ. Non debent naues stare in terrâ, sed abduci à terra pusillum, & à littore disiungi, deinde in altum deduci. Prius enim Dominus Petrum rogauit, nauim reducere à terra pusillum, deinde, cùm de naui docuisset turbas, duc in altum, dixit Petro, & laxate retia vestra in capturam. Nam successiuè fit motus, Et nemo repentè fit summus, ait quidam. Auertite vos pusillum à

terra, erigimini paululum ad cœlum. Reuocate vos à mundo, dedite vos paululum Christo. Explicate vela vestra. Retrahite vos pusillum ab ambitionibus. Non dico vobis, quod omninò honores, dignitatésque spernatis. Sed ne eas ambiatis, ac desideretis, aut nisi mediis licitis, viisque honestis, eas vobis procuretis. Debent enim esse testimonia, potiusquàm præmia virtutis. Retrahite vos modicum, à vestra auaritia. Si non vultis dare vestra (Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ) saltem non rapiatis aliena. Ponite aliquando finem, in accumulandis opibus congregandisque thesauris, qui non ad fruendum, sed ad vtendum prouideri debent. Vnde & Græci. χρήματα, dicuntur opes, pecuniæ, bona, census, & fortunæ. In summa, τῶν χρημάτων appellatione, tam mobilia, quàm immobilia continentur: huiúsque significatio tam latè patet, quàm pecuniæ, apud Iureconsultos. χρήματα, παρὰ τὸ χρῆσθαι. hoc est, vti; χράομαι, vti, ad vsum traduco, in vsum verto, χρῆσις, χρεία, vsus, χρήσει καὶ κτήσει. vsu, ac possessione siue, vsu fructu, & proprietate. Vnde Erasmus, Chiliadis 5. Centuriâ 1. Adagio 26. Qui se totum alicuius haberi volebat, χρήσει καὶ κτήσει. tuus sum, vsu fructu, & proprietate. Siquidem in possessionibus sæpenumero fit, vt penes alium sit dominium, penes alium vsus fructus. M. Tullio, Curius, lib. 7. Epist. Ciceronis ep. 29. ita scribebat. Si vales, bene est. Sum enim χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ, Attici nostri. Ergo fructus est tuus, mancipium illius. Sic ille. Sentiens se ita addictum esse Attico, vt tamen benè velit Ciceroni. Id M. Tullius velut exponens, sic respondet: epist. 30. vbi supra. Attici nostri, studiorum meorum socij, quando proprium te esse scribis mancipio, & nexu, Meum autem vsu, & fructu, contentus isto sum. Id enim cuiusque est proprium, quo quisque fruitur, atque vtitur. Sed hæc aliàs pluribus. Ita Cicero, ludens cum Iuriconsulto. Hactenus verò Erasmus. Ergo (vt eò reuertatur, vnde egressa erat oratio) χρήματα, dicuntur παρὰ τὸ χρήσιμα εἶναι, hoc est, quod huiusmodi vtilia sunt, & in vsum nostrum comparata, vt docet Xenophon in principio Oeconomici, cap. 2. Quæ prosunt, inquiens, opes: quæ obsunt, non opes esse ducuntur, ac existimantur. Quæ cùm suppetunt, ei qui singulis vti nouit, sunt facultates, non item illi, qui nescit vti: alioqui enim inutiles sunt. Hoc dicere videris, ô Socrates, ne argentum quidem, nisi quis eo norit vti, inter opes numerandum. Argentum quidem certè, nisi quis eo sciat vti: procul

*Erasm. Chil. 5. Cent. 1. Ada. 26.*

*Lib. 7. Epist. Cicer. epi. 29.*

*Epist. 30. vbi supra.*

*Xenophon in exordio Oeconomici. c. 2.*

adeò reiiciendum, ô Critobule, vt ne in pecunia quidem muneretur. Sic ille.

Retrahite vos à libidine, Si vobis durum videtur virginitatis iugum, id Christus non humeris vestris, ex præcepti formula, nec eius Apostolus Paulus, nisi per modum consilij imposuit. *De virginibus*, inquiens, *præceptum Domini non habeo: consilium autem do.* 1. Cor 7. cap. Ibidem rursus, *Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico: non vt laqueum vobis iniiciam* (hoc est, vt exponunt interpretes, obligationem, siue præceptum) *sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obseruandi, siue, obsecrandi,* (sub. inducerem) Sic D. Paulus. Contenti saltem estote, vos coniugati, vestra vxore, Possidete vas vestrum, in honorem, & sanctificationem. Retrahite vos ab inuidia, Ne sitis inuidi, vt fratres Ioseph, ad occidendum, & persequendum, sed ad æmulandum, & imitandum maiores vestros, vt sitis illis pares, & non sitis illis in probitate inferiores. *Reducite à terra pusillum*, Retrahite vos ab odio, Si non vultis benefacere inimicis vestris. Illis saltem nihil mali feceritis. Vitia duntaxat oderitis, Ne verò odio prosequamini eos, qui vos amant. Graue nimis peccatum est, cum lædere, à quo beneficium acceperis. Abstrahite vos ab ira, Ne irascamini, nisi ex zelo Dei, Ne sitis ad iram faciles, Sol non occidat, inquit Apostolus, super iracundiam vestram. Si ex vitio irasci vos contingat, ad minus, non blasphemetis Deum, neque sanctos eius. Reducite pusillum, Retrahite vos paululum à Iudiciis temerariis, vt in quadam superiore homilia diximus Ne in malam partem interpretamini, quod in bonam accipi potest. Ne detrahatis, vel obloquamini, aut aduersus prælatos, præfectósque vestros murmuraueritis: Ne detis scandalum fratribus vestris. Continete in vestri pectoris arcano, & silentio, iudicia vestra, ac suspendite illa. Retrahite vos ab hypocrisi. Si vultis haberi, & reputari boni, ne sitis saltem cæteris peiores, ac deteriores. Ne vos effingatis sanctos, cùm ipsi sitis diaboli. In summa. Quiescite agere peruersè, ac perperàm, discite benè facere, Et hæc quidem per condescensionem (vt ita loquar) dicta sint atque (vt verbis vtar Apostoli) *secundum indulgentiam, non secundum imperium.*

1. Cor. 7.

Isa. 1.

Nauim igitur prædicatores reducunt à terra pusillum, quando docent auditorum animos terrena contemnere, quorum tamen vsum, pro præsentis vitæ indigentia, ac necessitate, eis permittunt. Quis enim tantæ dexteritatis fuerit

concionator, qui ſtatim, & quaſi primo impetu, poſſit adeò homines, à terrenis rebus reuocare, vt mundum hunc prorſus relinquant? Quin ipſe Apoſtolus, id ſe non potuiſſe ſignificat, Corinthios his verbis affatus 1.*Corinth. cap.*3. *Ego fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquàm paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis: Adhuc enim carnales eſtis.* Sic ille. Itaque pedetentim, paulatimque ad miniſterium verbi allectus, Eccleſiaſtes, abducat auditores à cupiditatibus terrenis: iuxta Pſalmographum, *Pſal.* 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* 1.*Cor.*3. *Pſal.*61.

*Docebat de nauicula turbas.* Vſque nunc de nauicula Petri Chriſtus turbas docet. Nemo enim orthodoxè docere valet, nemo Catholicè catechiſatur, niſi è nauicula Petri, id eſt, fide, & authoritate Eccleſiæ: extra quam, nulla prorſus eſt ſana doctrina. Petri nauicula, id eſt ſancta Romana Eccleſia, mater noſtra, ſemper de his, quæ ſunt fidei, ſynceræque religionis rectè iudicauit. Vitandum itaque eſt omne dogma, quod ipſa damnauerit. Tu de Eccleſia, ſalutarem debes recipere doctrinam. Docebat Chriſtus de nauicula, Sub dio, ſolis caloribus expoſitus, ſine molli ceruicali, ſine puluino, vel puluinari, (quod nos gallicè dicimus, *vn coiſſin, ou couſſinet*) docebat turbas. accommodans ſe, ad captum ſuorum auditorum, auocánſque illos à terrenis, ad cœleſtia.

*Vt autem ceſſauit loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & cæt.* Hoc eſt, in profundum, Sic *Pſal.* 68. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me, & Ioan.*4. *Puteus altus eſt.* Q. d. Recedamus à littore, & in medium, ſiue in profundũ maris, abeamus. *Pſal* 68. *Ioan.*4.

Nota, In contemplationis altitudinem conſcendere debet concionator, vt commodius rete ſuum iaciat, & fructum colligat. Nec leniter tranſiliendũ eſt verbum iſtud. *Duc in altũ, &c.* Q. d. Petro, Apoſtolorum principi. Expande Euangelicum rete, per vniuerſum orbem terrarum, nemine excepto, *Omnes gratiæ meæ participes fieri volo.* Sicque Gentium conuerſionem inſinuat. An Iudæorum Deus tantum? rogat Apoſtolus, Nonne & Gentium? Imò & Gentium. Obſerua item, nullam aliam legem, aut doctrinã, tantæ eſſe altitudinis, ac profunditatis, quantæ eſt Chriſtiana religio. In contẽplatione, ſiquidẽ, excedit omne, quod poteſt intelligi, vt credere Deum trinum & vnum, filiũ ab æterno genitũ, Patri ὁμοούσιον, ac coæqualem, ipſum fuiſſe de Spiritu ſancto incarnatũ, ex Sacerrima natura Virgine. In opere itẽ, altiſſima eſt Religio noſtra. Fidei quippe

Christianæ opera, planè ardua sunt: nempe, inimicos diligere, mundo ac eius pompis abrenunciare, inuisa sperare, præsentis vitæ delectabilia relinquere. Peccata omnia sacerdoti confiteri, carnem macerare, & propter euangelium (si ingruerit persecutio) mortem perpeti. Ad huiusmodi, tàm in credẽdis, quàm in agendis, altitudinem, imperio Christi ducitur Ecclesia. Petri ministerio, & Dei, op. max. speciali auxilio.

Laxate retia vestra in capturam, &c. non iam piscium, sed hominum, retia, non quæ amodò piscibus insidientur ad mortem, sed, quibus homines capiantur ad vitam. Nec otiosum, quòd iubet laxari retia in capturam, multi etenim laxant retia, id est, scripturas explicant, non in hominum salutarem capturam, sed in deceptionem potiùs. Vt Lutherani, & Hugnostici, infelicissimi huius æui, (quos Prædicantes, seu, Ministros, vulgus appellat) Pisces capiuntur hamo, & de mari extrahuntur, sic prædicatores educunt homines, de amaritudinibus iniquitatum, huius sæculi, quod mare iure longè optimo, appellatur: Tumet quippe, siue, inflatur, per superbiam, æstuat per auaritiam, spumat per luxuriã, & libidinem; varios denique fluctus excitat: *In mundo enim pressuram habebitis*, ait
Matt. 13. c. Christus, Et *Matth.* 13. *cap.* assimilantur piscibus homines, dũ cõparatur præsens Ecclesia, sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Piscator, quando iacit rete in mare, quem capturus sit piscem, penitus ignorat, sed quẽcũq. illi sors subiecerit, capit: Sic nescit concionator, cui in sua prędicatione profuturus sit, sed illum capit, quem Deus vult lucrandum. Hac in re tamen discrimen est, quòd pisces capiuntur, ad mortem, & in bello, homines ad seruitutem: Vnde mãcipiorum (quia manu capiantur) & seruorum, (quia in bello seruantur, vt seruiant) nomenclatura, profluxisse creditur: Sed in hac spiritali piscatione, homines ad vitam, & libertatem capiuntur. In mari quoque pisces, qui verriculo, seu, segenã, implicantur, vel retibus capiuntur pereunt; reliqui autem viuĩ manent. In hac autem piscatione, contrario modo res se habet. Qui enim hamo prædicationis capiuntur, viuunt; reliqui autem intereunt.

Obserua, quærere prius oportere regnum Dei, deinde, quę necessaria fuerint, ad corporis honestum victum. Priùs nãque docuit Christus de nauicula, finita verò ipsius diuina concione, Petrum laxare in capturam retia, iussit, ad laborem manuũ & cibum corporalem ipsum inducens.

*Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus, &c.* Homo

sine Deo, multùm laborat, & nullam mercedem inuenit. In persona enim malorum legitur: *Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulauimus vias difficiles* Multis annis, & immensis laboribus ac vigiliis, Iacob seruiuit auunculo, ac socero suo, Laban, à quo decies deceptus est: Sic, qui mundo seruiunt, & honoribus, in ea versantur conditione pessima, vt deneget illis mundus, quam promiserat, mercedem, nullámque inde vtilitatem nullum reportent compendium, & emolumentum. *Telas araneæ texuerunt*, inquit Euangelicus vates. *Isa. 59. cap.* Et quasi seipsum interpretatus subiungit. Ibidem, *Opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis, in manibus eorum.*

Exenterat se aranea, telam conficiendo, In quem verò vsum? Vt muscas capiat. Simili prorsus modo, Ambitiosus, & auarus, vt ad honores, & opes perueniant, quid non ferunt, & faciunt? Quid verò, nisi muscas capiunt? Quòd si nunc resurgerent, Alexander, Cęsar, Pompeius, quid aliud, nisi hoc ipsum ingenuè profiterentur.? *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus?* Per totam, inquam, noctem, miserrimæ huius præsentis vitæ: Vnde merito Psalmographus: *Dormierunt*, inquit, *somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum, in manibus suis: Psalm 75.* Viros diuitiarum, dixit, non diuitias virorum (quòd alibi non semel obseruauimus) Benè autem nihil, id est, solum peccatum, quod est purum nihil, seu priuatio gratiæ, ac tãdem gloriæ Dei, & (vt semel dicam) totius boni carentia. *Ioan. 1. c. Sine ipso factum est nihil*: hoc est, Diuo patre Augustino, interprete, *peccatum*: cuius Deus, author non est: Sicut tela aranearum, fiducia eius, ait de væcorde, & hypocrita, Iob Propheta, cap. 8. *D. Augustin.*

Laborant miseri peccatores, per totam hanc vitam, quæ iure, nox, à nocendo, nominatur: at postquàm mors superuenerit, nihil illis prosunt omnia acquisita. Quinimò, vt Prophetę regij verbis vtar. *Psalm. 57. Ad nihilum deuenient, tanquàm aqua decurrens. Prouerb. 10. cap. Nomen impiorum putrescet Psalmo item: 9. Nomen eorum dedisti in æternum, & in sæculum sæculi:* Meritò igitur dicere potest, miser peccator. *Psalm 72. Et ego ad nihilum redactus sum, & nescui.* Peccatum quippe hominem ad nihil redigit. Ad nihil virtutis, ad nihil gratiæ, ad nihil meriti, ad nihil vitæ, ad nihil gloriæ, ad nihil gaudij, ad nihil abundantiæ, ad nihil honoris, ad nihil spei, ad nihil denique essentiæ: ô summam peccati miseriam! Ad nihil virtutis, imprimis peccatum conducit hominem, quia vnum, ad aliud trahit, & destruit in anima virtutem oppositam. Contraria siquidem mutuò se ex-

pellunt. Et abyssus abyssum inuocat, atque hoc modo, multiplicatis vsque in finem peccatis, oppositæ destruuntur virtutes. Ad nihil gratiæ deducit, quia hæc duo in eodem subiecto simul stare non possunt. *Quod si charitatem non habeam* 1. Cor. 13. c. *nihil sum.* Ad nihil meriti, quia per peccatum mortale, si in eo finaliter decesserit perdit homo omnia merita. *Ecc. 9. Qui in vno*

*Iac. 2. c.* *peccauerit, multa bona perdet. Iac. 2. c. Qui totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*

Ad nihil vitæ, quia peccatum mortem introduxit. *Rom. 5. c. per vnum hominem peccatum & per peccatum mors.* Ad nihil gloriæ; quia ab illa: peccatorem excludit. Regni etenim cœlestis puritas, tanta est vt nihil coinquinatum admittat: *Apoc. 21. cap.*

Ad nihil gaudij, quoniam damnati ob suam propriam & actualem culpam, ne minimam quidem consolationem habe-

*Exod. 10. c.* bunt. *Exod. 10. cap.* Nihil omnino viride relictum est in tota terra Ægypti. Ad nihil abundantiæ, quia homines ad inferni barathrum deducit, vbi erit rerum omnium penuria, & carentia: vt Epulo satis innuit, quia guttam aquæ, quam petierat, obtinere non valuit. *Luc. 16. & cap. 5.* hoc nempe loco, *Per totam laborantes noctem, nihil cepimus.* Ad nihil honoris, quandoquidem damnati omnes, erunt perpetuò infames. *Isa. 30. cap. Spiritus Domini, velut torrens, ad perdendas gentes in nihilum.* Ad nihil Spei, quia in damnatis æterna futura sunt lamenta, nec ex inferno aliquando exeundi, spes vlla, eis superest: *Iob. 7. cap. Desperaui, nequaquàm vltrà iam viuam, & cap. 30. Redactus sum in nihilum, abstulit quasi ventus desiderium meum, &c.* Ad nihil denique essentiæ, quia quamuis peccatores habeant esse in inferno, vellent nihilominus omnia efficere, vt non essent *Apoc. 9. In diebus illis, quærent homines mortem, & mors fugiet ab eis.* Ideóque, *Ezech. 28.* de Lucifero scriptum legimus: *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.* (sub typo principis Tyri) Nihil itaq. capiunt miseri peccatores.

Peccatum nihil dicitur, non dico, quantùm ad essentiam actus, sed quoad iustitiam, quia est priuatio rectitudinis, debitæ actui, & operi inesse. Non destruit peccatum naturam, simpliciter loquendo, sed tollit gratiam: Priuátque finaliter æterna gloria.

Peccare non tam est efficere, quàm à recto, & bono defi-

*D. Dionysius.* cere. Bonum quippe, Diuo autore Dionysio Areopagita, libello (si satis memini) de diuinis nominibus, est ex integra causa, malum autem, ex singulis defectibus. Ecquis miretur, quòd peccatum nihil sit? cum originem suam habeat, à nihilo:

Nam formalis ratio peccati, est inordinatus amor, quo auertitur homo, ab incommutabili bono, & conuertitur ad bonum commutabile. i. ad creaturas, quæ in comparatione creatoris, nihil sunt, nihilque valent. Age, Dic sodes, Quare Deum offendis? propter vitam? propter sanitatem? propter pulchritudinem? propter cibum? propter otium? propter voluptatē? propter famam? propter imperium? propter diuitias? propter amicos? ô miser! Tu Deum offendis, propter nihil. *Propter quid irritauit impius Deum?* inquit Psalmographus. Vt hanc miseram vitam traducas, tot scelera committis. Quid est (amabo) vita tua? nihil est. *Psalm. 38. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea, tanquam nihilum ante te. Iob. 7. Nihil enim sunt dies mei.* Quid verò est sanitas tua? Nihil. *Iob. 16. cap. in nihilum redacti sunt omnes artus mei. & 17. cap. membra mea, quasi ad nihilum redacta sunt.* Quid pulchritudo? cuius conseruandæ, augendæve gratià, vanæ mulieres, tot admittunt peccata? Nihil. *Isa. 41. Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo, quod non est.* Quid iste cibus delicatus? Nihil. *Hierem. 4. c. Aspexi terram, & ecce vacua erat & nihil.* Quid autem est otium, quod vos alit in tanta iniquitate? omniúmque vitiorum fomitem suppeditat? Nihil. *2. Thess. 3. audiuimus inter vos quosdam nihil operantes, sed curiosè agentes.* Ecquidnam est voluptas? Nihil planè. *Amos, c. 6. Conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absynthiū qui lætamini in nihilo.* Quid autem est fama, & honor mundi? Nihil. *Ioan. 8. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Imperiū verò, & dominium temporale, nihil quoque est. *Gal. 6. Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Diuitiæ, pro quibus tot exantlamus labores quotidiè, tótque in iniquitatibus sudores insumimus, nihil prorsus sunt. *Sap. 7. Diuitias nihil esse duxi, in comparatione illius.* Et denique, vt aliquando finem faciamus.

*Iob. 16 c.*

*Gal. 6 c.*

Amici, quibus studemus gratificari, atque etiam, Deo contempto, eis complacere. Quid aliud sunt, quàm nihil? *Isa. 40. Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Iam igitur colligo, Peccatum optimo iure nihil appellari, quia ex nihilo originem suam trahit, & quia in nihilum peccatorem tandem deducit. Ergo per totam noctem laborantes peccatores, nihil tamen capiunt.

Sine Deo, quantumuis labores, nihil tamen promoues, proficis nihil, nulla tibi quantumuis defesso dabitur requies.

*Ierem. 16. Seruietis diis alienis, die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.*

Idem verò in sua oratione. *Thren. 5. Lassis*, inquit, *non dabatur requies.* Prædicatores etiam, istud vsurpare possunt, ac conquerentes, deplorantésque, saluandorum paucitatem, dicere: Per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Res planè admiratione digna est, videre tot concionatores, singulis ferè diebus, prædicantes, tàm paucos interim, ex tàm maxima multitudine, ac copiosa auditorum, ad meliorem frugē reducētes, ac lucrifaciētes Christo Dño. Res planè deflenda! Huius autem causam esse reor, quoniam nos, non in Christi nomine, retia in capturam laxamus, sed in proprio, ac priuato nostro nomine, nostræ nimirum innitentes prudentiæ, nostris studiis, & propter peculiares fines concionantes: Et hoc propriè est, retia nostra noctu, & absque lumine gratiæ, laxare: Idcircò nihil cepimus.

Summæ Deus, clementiæ, doce, me, obsecro, in tuo vnius nomine, retia laxare. In tuo ipsius nomine ac solius, inquam, hoc est, gloria tua, pro animarum ad te conuertendarum, Zelo: pro desiderio multos ad tuum amorem dulcissimum attrahendi. Sic in Christi nomine piscantes, fructum non modicū referent. Iussu Elisæi prophetæ, lauans se in Iordane. Naaman Syrus. 4. Reg. 5. c. à lepra sua mundatus est. D. Petrus similiter ad Christi mandatum, rete iaciens in aquam, non frustra iecisse dignoscitur: quandoquidem maximam cepit piscium multitudinem, vt hîc disertis verbis memoratur.

Vide autem Petri obedientiam, & in Christum fidei magnitudinem! Nouerat ille, quippe qui in arte piscandi peritus esset, quòd pisces noctu, super aquas natare solent, interdiu verò, in aquarum profunda subeunt. Cúmque tota nocte, ne vnum quidem, vel minimum capere potuissent, multò minùs, in die capere valerent, præsertim, cùm desperata piscium capturâ, lauissent, plicuissentque retia sua (vt in contextu dicitur) verumtamen, Simon (iuxta nominis sui rationem, & notationem) obediens, in Christi verbo laxat rete, plus verbo Domini credens, fidensque, quàm rationi naturali: Adhunc modum, captiuandus est intellectus humanus, *In obsequium fidei ac Christi. 2. Cor. 10. cap. In verbò tuo laxabo rete*, ait D. Petrus. Et regius Psalmographus. *Nonne*, inquit, *Deo subiecta erit anima mea?* Nec pedem, nec manum moueat prædicator, imò verò quicumque fidelis, & Christianus, nisi omnia, in Dei gloriam ordinando.

Porrò

Porrò ἀλληγορικῶς, veteris testamenti statum nox significare etiam potest *Rom. 13. Nox præcessit,* id est, veteris testamenti tempus. *Dies autem appropinquauit*, hoc est, tempus gratiæ. Et nox vtique mundo incubabat, non exorto iustitiæ sole.

In hac nocte, quantumuis longa piscatione, nihil tamen captum esse testatur, qui ait: *Heb. 7 c Nihil ad perfectum adduxit lex.* Et rursus. Idem Apostolus: *Gal. 3. cap. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare: verè ex lege esset iustitia.* Quotquot verò tempore illo extiterunt, qui Deo placuerunt, vt Abraham, Moses, Dauid, & alij complures, hi sola Dei gratia, ac fide mediatoris venturi tunc, non per opera legis Mosaicæ, iustificati sunt, & Deo grati effecti. Heb. 7. c. Gal. 3. c.

Potest item (vt sup. attigimus) vita peccantium, nox appellari, multis sanè nominibus, pluribúsque de causis: Primò propter frigiditatem. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Matth. 24.* Tum etiam, propter obscuritatem: *Dilexerunt* enim *homines impij, magis tenebras, quàm lucem. Ioann. 3.* Erant enim mala eorum opera. Tum propter labendi facilitatem, dicente rursus Domino. *Qui ambulat in nocte offendit, quia lux nō est in eo. Ioan. 11. ca.* In hac nocte nihil vitâ condignum æternâ piscatur homo. Adeò damnosum est homini peccatum, quod omnem ipsius laborem frustratur. Sed attendamus quinam sint frustrà laborantes in hac peccati nocte. Verbi gratiâ, Superbi nihil capiunt, nisi ventū inanis gloriæ, vnde verò sapientes & pœnitentes dicunt: *Sap. 5. cap. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia*, quid contulit nobis? Auari namque à diuitiis suis capiuntur, potiusquàm illas capiant. Et vtique *teste Ecclesiaste cap. 5. Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis* & hoc ergo vanitas: *Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis?* Vnde sup. *Villā emi, & necesse habeo exire, & videre illā.* Luxuriosi similiter, à suis capiuntur voluptatibus, quēadmodū piscis, hamo capitur, dū capit ipsum: De vniuersis istis dicitur: *Per totam noctem laborantes, nihil cœpimus.* Petrus itaque qui operam perdiderat, totâ nocte piscando, magnâ iam cōceptâ fiduciâ, dixit Domino: *In verbo tuo, laxabo rete.* Id verò non ad insipientiam sibi, prout rei probauit euentus Contrà autem. *Ioan. 15. cap. Sine me*, inquit Christus, *nihil potestis facere*, nihil, inquam, in natura, nihil in moribus, nihil in meritoriis operibus. Vnde per Psalmistam dicitur: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* & c. Ioan. 11. a. Ps. 126.

u

Nisi quoque Dominus corda illustrauerit auditorum, inutilem nauat operam, diuini declamator verbi: Discat inde concionator siue Ecclesiastes, non in fabulis, retia laxare, sermonis ad populum, sed (vt hic Petrus) in Christi verbo, & productione Sacrarum scripturarum. *Omnis etenim scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum, in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. 2. Tim. 3. c.*

2. Tim. 3. c.

*In verbo tuo laxabo rete.* Quoniam quidem fides verbo Dei nititur; iuxta illud Apostoli: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* In verbo Dei, rete Euangelicum laxare conuenit in capturam. In verbo, inquam, siue scripto formaliter, siue etiam non scripto, sed viuæ vocis oraculo duntaxat tradito, & per Ecclesiam nunciato, atque Euangelizato. Qua de re nos alibi plura.

Obserua, quomodo Petrus voci Christi obediens, omne tēpus amissum recuperauit, ideò ergo repletum est rete piscibus. Nolis itaque tu, qui religiosus es, & obedientiam vouisti, in iis, quæ tibi à superioribus iubentur, esse refractarius, ac contumax, sed iussa capescere sedulò, enitere. Verùm sequentia iā videamus.

Concluserunt piscium multitudinem copiosam, &c. Attende obedientiæ meritum, ac virtutem! Postquām Christus, de nauicula docuit, voluit nauiculæ possessori, mercedem exsoluere, non tenuem, & parcam, sed valde liberalem. Piscium nimirum, capturam, & ad Apostolatum cooptationem. Propter modicum obsequium, magnam rependit retributionem. Sic propter calicem aquæ frigidæ, regnum daturus est cœleste, nec qui contulerit perdet mercedem suam. *Matt. 10. & Paulus, Heb 6. Non enim est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Nullum bonum irremuneratum, nullum quoque malum, manebit inultum, iuxta axioma Theologicum.

Matt. 10. c.
Heb. 6. c.

*Rumpebatur rete eorum.* Tanta siquidem fuit comprehensa piscium copia, vt cùm eos sagena nō sustineret, rumperetur. Hoc est, aliqua ex parte rumpi cœpit, nec aliquis tamen inde piscis excidit, quod etiam rarum quoddam prodigium fuit, & miraculum. Rete rumpunt schismatici, ab Ecclesiæ vnitate diuisi, atque aperti, & manifesti hæretici, qui sectis dissectis, scandalis variis, atque erroribus Ecclesiam scindunt, quique mādatis Ecclesiæ parere, & obedientiam præstare detrectant. *Vtique isti confregerunt iugum, ruperunt vincula,* ait Sāctus ex vtero

vates. *Hierem. 5. cap. Dixeruntq; & conspirauerunt ad inuicem: Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Qui habitat in cœlis irridebit eos.*

*Annuerunt sociis, qui erant in alia naui, &c.* Annuerunt capita inclinantes, quia miraculi magnitudine stupefacti, loqui non valuerunt. Quo facto docemur, neminem in Ecclesia sibi sufficere, sed alterum alterius opera, & ope non raro indigere, vt sic inuicem nos adiuuantes, humiliari discamus. *Non potest oculus dicere manui, Operâ tuâ non indigeo, aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij. 1 Cor. 12 cap.* Sed multò magis, quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt, inquit ter magnus Paulus. 1. Cor. 12. c.

Idem rursus. *Gal. 6. c. Alter alterius ait, onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* ô vtinam reges ac principes Christiani, alter alteri, sibique inuicem opem ferrent, vt vel sic concordes infensissimos Christi aduersarios, iuratósque Christiani nominis hostes, Turcas loquor, & Lutheranorum, ac Hugnoticorum, Caluinistarum colluuiem; ad internecionem vsque delerent funditùs, & euellerent radicitùs, aut saltem, ipsorum conatus eluderent, & furorem, rabiémque, ac tyrannidem refrenarent, atque cohiberent. Christianorum namque dissimulatio, aut potius væcordia, & ignauia, proh pudor! tales inimicos crucis Christi reddidit penè insuperabiles. *Prouerb. 18. Frater, qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Docet hoc loci Petrus, Ecclesiæ præpositos, coadiutores, & συνέργους, siue cooperarios, sibi assumere debere. in partem sollicitudinis, qui illis opitulentur. Sicut fecit Moses, sequutus consilium Iethro soceri sui, adiungens sibi seniores de populo.

Aduocent Episcopi in partem ministerij, & opitulationem, Non scurras, parasitos, histriones, mimos, & id genus nebulones, non aucupes, non venatores, sed mysticos piscatores, non cognatos, aut consanguineos, & affines, non, quos vocat, Nepotulos, omninò literarum rudes, sed peritos Theologos, similes Iacobo, & Ioanni, germanis fratribus. Quod si Galliarum Episcopi, qui plurimi ditissimi sunt Theologos sibi asciuissent, & probos, ac industrios prædicatores, apud se semper habuissent: quos ipsi consulerent in rebus diuinis, & ad concreditas sibi plebes, verbo Dei pascendas, destinassent, Respublica Christiana non tantam passa fuisset iacturam nec dispendium: sicut eam incurrisse, eheu! nostris cernimus oculis, & meritò deflemus.

Si præcipuum sanè Episcopi munus, obire ipsi refugiant vel etiam ipsi nesciant,(quod est docere pro concione populum,& prædicare in Ecclesia, dicente Apostolo, *Prædica verbum, Opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. 2. Tim. 4. c. & prioris, cap. 3. Oportet episcopum doctorem esse.* Doctorem,inquam, non à gradu sed à docendi publico officio,) saltem coadiutores asciscant sibi, concionatores; potentes in opere,ac sermone, qui eorum fungãtur officio, verùm surdis canitur fabula.

*Emblema.* Memini elegantis profectò Emblematis. Alciati Iurisconsulti 160. ad hunc modum.Mutuum auxilium, depingentis. Ait ergo.

*Loripedem sublatum humeris fert lumine captus*
*Et socij hac oculis munera retribuit.*
*Quo caret alteruter, concors sic præstat vterq;*
*Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.*
Sic ille.

Ex Græco quodam Epigrammate sumptum, & mutuatum. Vt autem non omnis fert omnia tellus, sic quiuis non abundat quibuslibet, vnde peruulgatas habemus parœmias: Vnus homo, nullus homo: Manus manum fricat. Multæ manus reddunt onus leuius, & alia multa generis eiusdem. Ad prædictum Emblema, Claudius Minos,ita obseruauit: Præclarè, inquiens, ille, qui humanum ingenium apiculæ comparauit: vt enim illa,perire dicitur, si sola viuat: Ita natura hominis ea est, vt sine operâ mutuâ, & societate vitam traducere nullomodo possit: vtque manus manum lauat, ita homo hominem mutua quadam necessitudine,atque ope iuuat. Quis enim artifex tam per se sapiat, tantásque habere facultates putatur, vt non indigeat aliorum artificum auxilio mutuo? Hæc ibi. Pergamus ad reliqua.

*Claudius Minos.*

*Exi à me Domine, quia peccator sum, &c.* Videns Petrus tam insolitam piscium capturam, quippe qui duas implerent nauiculas,itavt penè mergerentur,quod à miraculo minimè vacat, vt intra vnum rete, tot pisces concluderentur, nec tamen nauiculæ submergerētur,sustentante illas Christo: cognoscénsque,nec arte,nec natura, tantum prodigium fieri potuisse, Diuinam in Christo potentiam suppliciter veneratur, Exi, inquiens, à me Domine.q d.Ad alium vade, qui me sit dignior. Non tamen propterea, ab eo Christus recessit, quia humiles nunquam deserit. Siquidem ex magna cordis humilitate, id

Petrus dixerat. Procidit ad genua Iesu, Obserua, Conuersantes cum Christo, discere magis humiliari, seipsósque demittere profundius. Sic Patriarcha Abraham, *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis. Gen.18.ca.* Similiter, *Rebecca, conspecto Isaac descendit de camelo. cap.24.* Sic planè anima Christiana, videns Christum sponsum suum tam humilem, perpẽdénsque diuinã in eo maiestatem, descendit de camelo superbiæ, & valdè humiliatur. Inde discant prædicatores, vt si viderint quosdam ad meliorem frugem, per ipsórum conciones adductos, non ob id efferri in superbiam. Nam eorum expolit oratio, ornatáque, & elaborata declamatio, non id effecit, sed Dei efficax operatio, & gratia. Idcircò ad Christi pedes procidant, Petri instar, & in hæc verba prorumpant: *Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.* Quamuis igitur fœliciter tibi succedat prædicationis ministerium, omnis tamen laus, vni Christo tribuenda est: cuius auspiciis lingua fit ad loquendum diserta, cuius spiritus, diuinam vim dicentis pectori iniicit, cuius occulta vis, & arcana, auditorum corda allicit, ac pertrahit, vt diuini verbi se fideles exhibeant præbeántque obseruatores. Sic viginti quatuor seniores, coronas suas proiiciebant, ante pedes agni, dicentes: *Dignus es Domine, Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem, &c. Apoc.4 c.* Animaduerte item Petrum solum, Christo adgeniculari, eiusque prouolui pedibus, cùm tamen Iacobus, ac Ioannes, & alij miraculum viderint, Solus insuper in horto passione Christi instante, in ipsius defensionem, exeruit gladium, & Malchum percussit. Et post ipsius resurrectionẽ, in mare Tiberiadis, solus se deiecit, vt ad Christum citius perueniret, Ex quibus omnibus, amore feruentissimo illum fuisse Dominum prosecutum. Nec minor fuit ipsius erga Christum fides, quæ hac præclara confessione satis eluxit: *Tu es Christus filius Dei viui, &c.*

Nec denique minor eius humilitas resplenduit, & enituit tum hoc loco, tum vel maximè, in cœna, cum illi Dominus pedes lauare aggrederetur, & exordiretur, *Domine,* inquiebat, *TV, Mihi, lauas pedes? Ioan.13.cap.* In quarum vocum *TV,* & *Mihi,* exacta cognitione id est in Dei notitia & contẽplatione atque nostri cõsideratione (iuxta peruulgatũ illud, è cœlo delapsum apophtegma, & præclare dictum: γνῶθι σεαυτόν, hoc est, cognosce teipsam, Attende tibi ipsi) tota Christiana Philosophia, (Theologiam meritò nuncupamus) comprehenditur. *Iuuenalis.*

*Stupor circumdederat eum, & omnes, qui cum eo erant, in captura piscium.* Timor reuerentiæ eum circumderat. Sic, *Exod. 24. Filij Israel videntes splendorem faciei Mosis, ex consortio sermonis Domini, timuerunt propè accedere.*

*Noli timere, ait illi Dominus* Non excludit timorem reuerentiæ Cùm *initium sapientiæ timor Domini*, sed pusillanimitatem,atque diffidentiam prohibet. Sic Abrahæ dictum legimus. *Genes. 15. Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.*

Gen. 15. c.

Ex hoc homines eris capiens, ζωγρῶν, hoc est, viuos capiens. Eponit ei Dominus, quid hæc piscium captura significet. Hinc discant concionatores, non aurum, non argentum, non opimas præbendas, non auram captare popularem, sed homines viuos capere, & piscari: Apostoli exemplo, qui ait: *Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos. 2. Cor. 12. c.* Q. d. Ex piscatore piscium, faciam te hominum piscatorem, quos in vitam æternam colligas, quos ad vitam, è mortis faucibus erutos, reducas, & perducas. Capiuntur quidem pisces, ad mortem, vt assi, vel elixi, alimenta præbeant hominibus: At verò in prædicatione, homines in eum sanè capiuntur finem, vt vitam æternam habeant, & mortem effugiant sempiternam. Hereticorum prædicantes (quos vocant) non ad vitam suos capiunt, aut traducunt, sed, ad inferni profundum, sibi adhærentes, secum pertrahunt, in mortem æternùm duraturam. Mittit Christus suos piscatores, vt homines in aquis veluti sepultos, ad vitam educant, & è lacu miseriæ, ac lacunis, & de luto fæcis, in aërem cœlestem proferant. Sed oboritur tibi dubitatio, non rectè Dominum comparasse prædicatores piscatoribus. Nam illi, homines, quos conuertunt, è morte trahunt ad vitam, & è sepulchro, in auras vitales, (vt nunc dicebamus) Isti autem, nimirum, piscatores, pisces è vita perducunt ad mortem. Non est proinde plena similitudo, nec satis consentanea. Respondeo. Pisces, non eò conditi sunt, vt sibi viuerent: sed in hominis vsum potiùs, vt eum alerent: iuxta illud. *Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Psalm. 8.*

Psalm. 8.

Tunc quippe quodlibet animal felicitatē suam, nactū est, cū etiam morte sua, suo hero scilicet homini seruit. Piscis ergò, multò est felicior, si manducetur ab homine, licet breuiùs suā vitā finiat, quàm si aliquantò diutiùs mortem in aqua differat. Vt igitur felicitas piscis, est in hominem transformari, mortéque sua, vita hominis (in quem conuersus est) frui:

Ita felicitas hominum est, non sibi in mundo viuere: sed Christo, qui pro ipsis mortuus est. Si illi incorporentur, beatiores certè fiunt, quàm dum sibi ipsis viuunt. Felices ergo sunt, quando ab aquis maris extracti, licet moriantur, vitæ sensuali, transformati in Christum, vita gaudent diuina. Non igitur conquerantur animalia, quæ iubentur à Petro occidi, & manducari; *Act. decimo capite*. Melius enim viuunt in Christo, & Petro, licet mortua, quàm viuerent in se, quantumuis viua. Hæc Paulus de Palacio, in 4. capite. Matthæi. *Act.10.c.* *Paulus de Palacio in Matth.4.c.*

*Ex hoc homines eris capiens*. Ex hoc scilicet, quòd sic te humiliasti, quod te mea præsentia indignum, & peccatorem confessus es, officium habebis lucrifaciendi Deo, & viuos capiendi, homines. Hoc soli Petro dicitur, vt ostendat hunc, fore Ecclesiæ principem, & vicarium suum. Eodem modo, cum exigeretur tributum, dixit Christus Petro: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui ascenderit primus, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, (vne piece d'argent, & de monnoye) illum sumens, da eis pro me, & pro te. Matthæi decimo septimo capite.* Petrum Christus, tanquam vicarium suum nominat, nulla cæterorum mentione facta. Triplici autem ratione, Ecclesiæ primatus Petro collatus fuit. Primò, ratione humilitatis, hoc loco, Vnde Sauli ex parte Dei dicitur. 1. *Regum decimo quinto capite. Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es? vnxitque te Dominus in regem super Israël?* Secundò, ratione protestatæ fidei. *Matth. decimo sexto. Tu es Christus &c.* Qui vicissim Christus, *Tu es*, respondit, *Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam.* q. d. Tu me Dei filium es confessus, & proinde primam petram, & totius ædificij fundamentum, quod ædificare intendo; Ego te Petrum, vicissim, id est, secundam petram instituo, qui vices meas posfis in terris gerere. Quod illa verborum istorum allusio, insinuat, Tu es Christus, & Tu es Petrus. Id, quod naturâ Christo competit, id Petro per gratiam tribuitur: & super hanc petram ædificabo. Demonstratio pronominis, non refertur ad confessionem Petri sed ad ipsum respicit Petrum. Perinde ac si dixisset: Tu es petra, *& super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum, non praualebunt aduersus eam*, scilicet, Ecclesiam, super te fundatam. Et sicut habeo clauem Dauid, Isayæ vigesimo secundo & Ap.3.c. qui modò aperturus sum, cœlos *Matt.17.c.* *1.Reg.15.c.* *Matth.16.c.* *Isa.22. & Apo.3.c.*

clausos, sic eorundem aperiendorum claues tibi tradam, & fidei tuæ committam, vt quicquid tu solueris, meam gerens authoritatem, sit & in cœlis solutum, quicquid etiam ligaueris, sit quoque ligatum. Hæc Didacus Stella, nostri sodalitij. In Luc. 5. cap. Postremò, Ecclesiæ principatus Petro collatus est, ratione feruentis in Christum dilectionis: Ioannis. 21. cap. Cum enim Petrum interrogasset Christus, *Diligis me plus his?* tradidit ei Ecclesiæ primatum, & constituit eum principem, ac Dominum domus suæ (œconomum, siue magistrum domus, Gallicè, *maistre d'hostel*, *appellare solemus*) *Psal. 104. cap.* & principem omnis possessionis suæ. Et quod nunc Petro Dominus pollicetur, post suam resurrectionem, ipse adimpleuit, ac præstitit, dicens, *Pasce oues meas, pasce agnos meos, &c.*

*F. Didacus Stella, in Luc. c. 5.*

*Ioan 21. c.*

*Psal. 104.*

Vide, amabo, quàm suauiter omnia disponat, æterna Dei sapientia. Nam Magos Reges, qui peritiam Astrorum habebant, Stella duce, ad Christi præsepe, adduxit: Petrum verò, qui piscationem multis diebus exercuerat, ad se pellexit, ex miraculosa piscium captura, Samaritanam, per aquam, ex fonte, seu, puteo Iacob, quoscumque per sibi familiaria, ad se attrahens: Ex hoc homines, inquit, viuos capies, quasi dicat. Nolo vt artem tuam deseras, imò eandem illustriorem reddam: Nam si piscator existis, nobilius longè piscium genus, tibi ostendam, in quibus piscandis, artem, ac industriam tuam omnem ponas, atque impendas. Piscationem itaque nobiliorem Petro, & Apostolis alijs, ostendit Christus, eos à piscibus, ad homines promouendo. Obserua etiam, quanto cum fœnore, Dominus rependit Petro, exhibitum sibi obsequium. Nauem suam accommodauerat Christo, & tantam piscium collegit multitudinem, vt duæ implerentur nauiculæ. Pro Christi amore, & ipsius intuitu, deposuerant retia Apostoli, & dedit illis cœlum, Dimiserant fluuiales pisces, & dedit illis homines rationales, quos viuos caperent, & piscarentur. Vbi manifestè cernis, quomodò pro Deo perdere, sit lucrum, & quæstus longè vberrimus. Perdidit Petrus retia, & pisces, pro Christo, sed horum vice, cœlum lucratus est & piscator hominum effectus est, Sic tu non perditam existimabis, quam pauperibus, pro Christi amore, & in ipsius gratiam, erogaueris, eleemosynam, quia multò vberiorem, & ampliorem mercedem ipse recipies. *Centuplum accipietis*, ait Chri-

*Matt. 2. c.*

stus in Euangelio, *& vitam æternam possidebitis*. Ecclesiastes item capite vndecimo. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa inuenies eum?* hoc est, Diuo interprete Hieronymo: egentibus largire, & fœnore quodam multiplicationem fructus sementis, præstolare: Nam cùm dies iudicij aduenerit, multò ampliùs, quàm dederas, es recepturus. Sic ille Hoc nostrates ita efferre solent, & materna exprimere linguâ. *Donner pour Dieu, n'appaouurit homme, Rauir l'aultruy, n'enrichit homme*. Et Hactenus quidem dicta sufficiant. Faxit Deus Op. Max. Et humilitatem Petri imitantes, & nos seruos inutiles (prout sumus) agnoscentes, Retia nostrarum concionum, & actionum, in Christi verbo laxemus, & iaciamus, vt ad Dei gloriam, & animarum salutem, homines viuos capiamus, & eos nobiscum, nósque cum illis, gratia tua, Domine Deus, coronet æterna. Per Christum Dominum nostrum, qui in Trinitate perfecta viuit, & regnat Deus, per omnia sæculorum sæcula. Eccle.11. c. D.Hier. ib.

*Amen.*

# DOMINICA QVINTA POST PENTECOSTEN.

## De Christiana iustitia, homicidio, ac ira fugiendis, atque reconciliatione fraterna.

## MATTH. V. CAP.

Math.5.c. *Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis regnum cœlorum &c. Vbi sup.*



LECTIO Euangelica, Auditores, tantis scatet mysterijs, vt vnde dicendi sumam exordium, non sit mihi satis compertum. Quid enim priùs dicam? aut de perfectione Euangelica, quæ omnem Scribarum, ac Pharisæorum excedere debet, atque superare iustitiam, vel de cohibenda iracundia, aut denique, de fraterno amore? Quorum singula, pro dignitate rei propositæ, peculiarem requirerent tractatum. Verùm enimuerò, his de tribus, per seriem, pro ingenii nostri modulo (Dei nobis aspirante gratuito fauore) aliqua proponemus, à prima huius Euangelij periodo, ducentes exordium, hoc pacto. Iubet Dominus, vt ipsius accuratè seruemus, custodiamúsque mandata, dicente regio Psalte, *Psal.* 118. *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis*, hoc est, diligentissimè admodum. Idcircò vates sanctus, *Ierem.* 48. Maledictum pronunciat eum, *qui facit opus Dei negligenter* (ita enim ex 70. tralatione, Græcè legitur, ἀμελῶς, id est, incuriosè, ac ignauiter) & in *diuina Apo.c.*3. reprehenditur, & obiurgatur ille, qui neque frigidus erat neq; calidus, sed tepidus: obídque *incipiã te euomere ex ore meo*, ait Dominus. *Fingit laborem Deus, in præcepto*, vt Psalmographus cecinit: *Psalm.* 93. hoc est, condit præcepta, quæ seruari vult, cum magno labore, & sollicitudine vnde & *Michæas cap.*

Ps.118.c.
Iere.48.c. 70. interpret.
Apoc.3.
Ps. 93.
Michae.6. c.

6. *Indicabo tibi, quid Deus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Quod notanter dictum existima. Hanc siquidem in rebus, quæ ad Dei honorem pertinent, curam, ac sollicitudinem, exigit Dominus, vt præsenti lectione dixerit, iustitiam nostram, vincere debere Pharisaicam, esséque abundantiorem. Benè admodum sapiens, *Prouerb. 13. cap. Vult*, inquit, *& non vult piger*: vt ostenderet, eiuscemodi homines, desiderijs abundare, sed non iustis factis. At verò, iustitiam Dominus à nobis requirit: *Psalm. 105. Beati qui faciunt iustitiam, in omni tempore*: Vult autem, & non vult piger vult, inquam, consolationes Christi, sed subire nult tentationes, & cruces; vult coronam, sed refugit certamen: Cum tamen Paulus apertè dicat: *Si sustinebimus, & regnabimus. Non coronabitur*, ait iterum idem Apostolus, *nisi, qui legitimè certauerit*, Vult, & non vult piger: vult, quantùm ad affectum, sed non vult effectum, similis ficulneæ, cui Dominus imprecatus est: folia nempe habebat, sed non fructus. Vult, & non vult piger, vult quidem benè mori, sed non vult sanctam ducere vitam. Iuxta verò antiquum nostratium prouerbium, *De telle vie, telle fin*. Ex malè acta vita, sequitur mors peccatorum pessima. Vult, & non vult piger, vult quidem præmia, at labores respuit. Sed ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores. Idcircò, quia maiora longè præmia, Christianæ perfectionis obseruatoribus repromittuntur, quàm veteribus, sub legis Mosaicæ iugo seruientibus, scribis, ac Pharisæis, eam ob rem pronunciat hodierno Euangelio Christus, dicens. Pro. 13. ca. Psal. 105.

*Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis regnum cælorum.* Vult piger requiem, appetit beatitudinem, sed sudorem laborémque refugit. Cum tamen, vulgatum dicat prouerbium: Dij laboribus omnia vendunt. Et Hesiodus lib. 1. ἐργ. καὶ ἡμέρ. τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν ἀθάνατοι.---- Hoc est, si conuertas Latinè. Ante virtutem verò (vel, in conspectu virtutis) sudorē Dij posuerunt immortales; nos id vernaculè efferre solemus. *Nul bien sans peine*. Omnes quidē beati esse desiderāt. Sed, qui vult efficaciter finem, media quoque ad finem vt velit, necesse est, Domino apud Matthæum, capite decimo nono asserente: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Cùm Ruth illa Moabitis* (eiusdem historiæ, cap. 4.) *marito orbata esset, Booz defuncti viri* Matth. 19. ca. Ruth. 4. c.

*consanguineus, ad alium, qui sanguine propinquior erat, coram iudicibus, ait: Partem agri fratris nostri Elimelech, vendit eius vxor, quod audire te volui, coram maioribus natu de populo. Si vis possidere iure propinquitatis, eme, & posside. At Ille respondit: Ego agrum emam. Cui Booz, Quando, inquit, emeris agrum, Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere. Tum ille: Cedo, ait, iuri propinquitatis, Tu meo vtere priuilegio, quo me libenter carere profitere.* Sic ibi. Hoc exemplo, fratres, multorum hominum mores, vobis ostendere volui. Si enim eos roges, an illius cœlestis hæreditatis desiderio teneantur? vna cuncti voce respondebunt, se nihil in votis magis habere, quàm vt ea potiantur. Verùm si cœlestem illam hæreditatem optas possidere, legem quoque diuinam, ac Christianam iustitiam, velut in vxorem tibi copulare debes; illius præscriptione vitam moderari, illius onera portare, illam super omnia diligere, & amplecti. Si tu, inquam, hæreditatem cœlestem (vt ais) concupiscis tantopere, memento etiam te diuinam legem, in vxorem accipere debere Vis igitur hoc onere matrimonij proposito, cœlestem adire hæreditatem? Maxima Christianorum tepidorum pars, consanguinei huius exemplum imitatur, qui se hæreditatem libenter accipere velle professus est: onus tamen, quod huic hæreditati adiunctum erat; simul cum ipsa hæreditate repudiauit, quorum animum, Salomon expressit, cùm dixit: vult, & non vult piger. Vult quidem hæreditatem, non vult autem onus hæreditatis. Cupit vtilitatem, refugit humilitatem, vult sine certamine vincere, & sine victoria coronari. ac postremò, vult sine nauigationis periculo, ad sempiternæ felicitatis portum appellere, Vult opes, ferre non vult indigentibus, opem. Vult honores, sed onera refugit, vult finem, sed media detractat, vult denique opulentiam, sed operationem prorsus respuit. Cæterùm, si quis instar Booz, vtrumque, nempe cœlestem hæreditatem, & onus simul hęreditatis, hoc est, diuinæ legis obedientiam, amplecti cupit, diligentem nauare debet operam, omnésq; exantlare labores, vt in omni opere bono fructificet, eiúsque iustitia superabundet, atque Pharisaicam iustitiam longè superet. Nisi enim abundauerit iustitia vestra, plusquàm Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Si vis sentire cõmodum, fer onus. Meritum

*Genes.* 49. debet præcedere præmium. *Genes* 49. *Vidit requiem, quod esset bona, & supposuit humeros ad portandum.* Ergo, quia *in custodiendis*

*Psalm.* 18. & *Dei mandatis, retributio multa. Psal.* 18. *Inclinaui*, ait Propheta

118. 83. Dauid, *cor meum, ad faciendas iustificationes tuas in aeternum, propter*

*retributionem. Psal.118. Ibunt de virtute, in virtutem. Psal.83. Qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Apocal.vltimo cap.* Hoc est nostram iustitiam, magis, ac magis, abundare. In via enim Dei semper procedere debemus, Christi ducis, imperatorísque nostri exemplo, qui passionis suæ tempore, processit, & dixit; *Quem quæritis? Ioan.18.* Nunquàm verò retrocedere oportet. *Isa.50. Retrorsum non abij,* ait Christus ibi. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Luc.9. & cap.17. Memores estote vxoris Loth.* Sed de his aliàs. *Apoc.vlt.ca.* *Ioan.18.* *Isa.50.* *Luc.9.17.*

*Nisi abundauerit.* Consequitur ex hoc, quòd Euangelium addit veteri legi. Lex autem grauis erat. *Act.15. item, Exo.17. Manus Moysi erant graues. Iugum quod, neque nos, neque patres nostri portare potuimus,* dicebat Petrus. Euangelium itaque hac ratione, lege Mosaica foret grauius. Quomodo ergo dicit Christus, *Matth.11. Iugum meum suaue est, & onus meum leue?* Respondeo, Ideò leuius dicitur Euangelium, quia amor facit omnia leuia, omnémq; euincit difficultatem. Amanti quippe, nihil est difficile, nihil graue. Omnia vincit amor, dixit aliorsum Poëta. Accedit, quod lenitas Euãgelij, in abundantiore Spiritus sancti distributione, & gratiæ amplioris communicatione, seu, participatione, quàm ante Christi aduentum, consistit. In maioribus item adminiculis, vtpote, sacramentis, Euangelicis, ex opere operato (aduersus Lutheranos) gratiam conferentibus. *Act.15.* *Exod.17.* *Matth.11.* *Virgil. Maro, Ecloga 10. in fine.*

Præstantiora, sanè, sunt sacramenta Ecclesiæ, quàm Synagogæ. *Psalm 86. Diligit Dominus, portas Syon, super omnia tabernacula Iacob,* quod ad prædictum accipiendum est sensum, seu, intellectum, Et *Cantic.1.cap. Meliora sunt vbera tua vino.* Hoc est, Euangelij dulcedo, legis rigori præstat. Intelligunt enim, teste Genebrardo, in hunc locum, nostri, vberum nomine, dulcedinem Euangelij, vini verò, legem veterem paulò duriorem. Sic ille. Ergo, quoniam Christus, doctor iustitiæ, est, quo, de S.Ioël vaticinatus erat, *cap.2.* & qui, authore Psalte, iustitias iudicabit. *Psal.74.* Est rationi planè consentaneum, vt iustitia nostra abundãtior quoque existat, iustitia Pharisæorum atque Scribarum. Roget me aliquis, In quibus abundare debeat iustitia nostra? Respondeo. Iudæis permissus erat libellus repudij, ad duritiam cordis ipsorum. Non est autem Christianis in Euangelio licitus. Sed, quod Deus coniunxit, inquit Christus, homo non separet. Permittebatur similiter vsura, circa exteros exercenda, sed non fratribus *Psal.86.* *Cant.1.* *Gilb. Genebr. Theologus, in Cant.1.* *Ioël 2.* *Psal.74.*

fœnerari licebat: Christianis verò, in vniuersum, circa quosċumque fœnerare, interdicitur; ex Psalmista, *Qui pecuniam suam,non dedit ad vsuram,&c.* hic intrabit in tabernaculum Domini. *Mutuum date*, inquit Christus, *Luc.6. nihil inde sperantes,& erit merces vestra multa,& eritis filij altissimi.* Nota, inde, id est, ex vi mutui,nihil,inquam,ex fœnore,vltra sortem,seu capitalem summam, mutuo datam, recipiendum esse, aut exigendum, contra vsurarum voraginem. Adde, quòd sacerdotes olim coniugati erant ac leuitæ,posterique Aaron, At nunc Euangelici Sacerdotes, cœlibem vitam agunt,súntque ἄγαμοι, & sine vxoribus iustissimis profectò de causis,quas fusiùs in Decadibus nostris, posteriore tomo, circa voluminis exordia produximus. Olim permissa fuit Iudæis vxorũ pluralitas,siue πολυγάμια, simul,& semel;vt multiplicaretur populus fidelis, sicque cultus vnius,ac veri Dei accresceret. Abraham nempe duas vxores simul habuit, Saram, & Agar, liberam, ac ancillam, Dauid quoque sanctus rex, plures simul vxores habuisse legitur: At verò In Euangelio, vt vna, vnius sit duntaxat, cautum est, & sancitum, siue decretum, & ordinatum. Adhærebit vxori suæ, vxori, singulariter, non vxoribus, pluraliter,quia vna tantùm esse debet vxor, non autem plures simul. Iudæis permissa erat lex talionis, *Oculum, pro oculo,& dentem pro dente, Matth.5. ex cap.21.Exodi: Manum, pro manu, pedem, pro pede. vulnus, pro vulnere,* (sub.) reddent, par pari refentes. *Ego autem dico vobis, non resistere malo. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Matth.5. Nulli malum pro malo reddentes. Romap.12.cap. Igitur, nisi abundauerit iustitia vestra, plusquàm Scribarum, & cæt.* Pharisaica iustitia, cùm esset legalis, & vmbratilis, saluare non poterat, quia imperfecta, *Hebr.7. nihil ad perfectum adduxit lex.* Præterea, vetus iustitia, erat cum timore seruili, qui pœnam habet, ex prima D. Ioannis Theologi Epistola. Tertiò, mercenaria erat, & pro temporalibus Deo inseruiens. *Isa.1.cap. Si me audieritis, bona terræ comedetis.* At Euangelium regnum pollicetur cœleste. *Matth.5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quartò, Pharisæi omnem suam iustitiam faciebant, *vt viderentur ab hominibus, Matthæi 23.c.* quod enumeratione satis constat,in ieiunio,oratione,eleemosyna,In his,inquam, omnibus, auram captabant, venabantúrque popularem. At, *Matth.6.* præcipit Christus, dicens: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, & cæt.* Quintò, alios aspernabantur Pharisæi, & in se confidebant, tanquam

*Psalm. Luc.6.*

*Sac. Decades authoris, tom. posteriore circa princ.*

*Exod. 21. & Matth.5.*

*Rom.12.*

*Hebr.7.*

*Isa.1.*

*Matth. 5. & 23.*

Iusti. *Luc.18. cap.* De quibus, Romanis scribens, dicit Apostolus, *suam volentes statuere iustitiam, iustitiæ Dei non sunt subiecti*, Sextò, tota Pharisæorum iustitia, externa erat, *Matth.23. Mundatis, quod deforis est nõ quod intus. Similes estis sepulchris dealbatis, &c.* Contrà autem, *Psal.44. Omnis gloria filiæ regis, ab intus. Psal.101. Omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Septimò, verbosa erat, & non realis, *Matth.23. Dicunt enim, & non faciunt.* Verùm Paulus, ex opposito clamat, præco ille veritatis. *Regnum Dei, nõ in sermone est, sed in virtute.* & Theologus primâ sua Epistola. *Non diligamus*, inquit, *verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* Octauò, Politica erat, ac ciuilis, neque tam animũ cohibebat, quàm manum minúsque interiorem cultum curabat. Non tamen externæ ceremoniæ ad salutem sufficiunt.

*Luc.18.*
*Matth.23.*
*Psal. 44. & 102.*
*Matth.23.*

Non dicit, Plusquàm Philosophorum, qui natura duce, studiosè agebant, & benè moraliter operabantur, Sed non poterat saluare natura sola, quandoquidem, *Sine fide impossibile est placere Deo. Hebr.11* & Gratia naturam perficit, (vt aiunt Theologi) & *Act.15.* Apostolorum summitas, D.Petrus, *Per gratiam*, inquit, *Domini nostri Iesu Christi credimus Saluari, quemadmodum & patres nostri.* Accedit his etiã, quod huius seculi Philosophi, paupertatem in vitio posuerunt, & humilitatem vix agnouerunt, atque apud cõplures, virginitas, & cœlibatus, in vituperio habebãtur: Quæ tamen omnia, maximè, à Christo, in Euangelio, commendantur, & tanquam heroicæ virtutes, in pretio sunt. Benè itaque nunc Christus, *Nisi abundauerit ait, iustitia vestra, &c.* Nec dicit, Plusquàm legis, & prophetarum. Nam legem, in moralibus, confirmauit Christus, eámque ad perfectionem instaurauit, & amplissimè interpretatus est; Sed, Plusquàm Scribarum, & Pharisæorum, dixit: quod propter ipsorum traditiones, Dei mandatis repugnantes, in multis, additum est, vt ex *cap.5. Matthæi.* constat satis, dicente Domino: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Nam Deus dicit. Honora patrem, &c.* Nec denique dixit; Plusquam Sadducæorũ, quibus exprobrauit Dominus: *Matth.22. Erratis*, inquiens, *nescientes scripturas, &c.* Sed Pharisæorum ait, de quibus, idem Dominus, *cap.23. Super cathedram Moysi, sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis*, ex cathedræ nempe, authòritate, & primæua, puráque, & limpida scatebra, seu origine: *seruate & facite, &c.* Et nos in communione Cathedræ Petri (quæ illi successit) manere oportet, si salutem consequi volumus.

*Hebr.11.*
*Act.15.*
*Matth.15. & 22.23.c.*

Nec abs re, profectò, maior perfectio à Christianis exigi-

tur, quàm à Iudæis, Illorum quippe, cum istis collatio, siue, comparatio, secũdum analogiam est, paruuli, & viri perfecti, & iam adulti; in tollendo quodam onere: Iudæi paruulis similes, at Christiani, viris iure comparantur. Ad maiorem proinde, excellentiorémque iustitiam, aspirare debent isti, quàm Scribæ, & Pharisæi. Adde, quòd amplior Christianis repromissa est remuneratio, quàm olim Iudæis, ipsum nimirum, regnum cœlorum, non terra Chanaam lacte, & melle manans. Debet ergo Christiana iustitia, esse Iudaica abundantior, & maior. Præterea, maiora collata sunt Christianis dona Spiritus sancti, quem effudit in nos Christus abundè. *Tit.* 3. *c. Et Ioan.* 7. *Nondùm erat spiritus datus*, quia Iesus nondum erat glorificatus. At verò, Cùm augentur dona, ait quidam, haudquaquàm proletarius author, rationes etiã crescunt, donorũ. Tantò igitur Christianorum iustitia abundare debet, quantò obligatiores, & deuinctiores, nos esse conspicimus in reddenda ratione. *Luc.* 12. Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum plus petent ab eo. O vtinam, multi infelicis huius tempestatis homines, vel saltem ad Scribarum, ac Pharisæorum iustitiam pertingerent! Iustitiam notanter dico, non enim de eorum vitiis, & hypocrisi, non de Pharisaico loquimur supercilio (cuius gratiâ in Euangelio malè audiunt) sed de eorum virtutibus, sermo fit. Vniti erant in religione, adhærebant cathedræ Mosis, ieiunabant frequenter, crebrò etiam orabant, iustitiæ legalis exactores erant, & multa minimè relinquebant crimina, ac maleficia notoria, vt patet, de muliere in adulterio ipso deprehensa. *Ioan.* 8. *Præcepit nobis, aiebant, Moyses, huiusmodi lapidare. Tu ergò, quid dicis?* Publicanorum, & peccatorum conuictum, & colloquia, atque Samaritanorum consortia, & impiorum conuersationes defugiebant, Et in specie quidem, siue secundum externam apparitiam, sanctè & irreprehensibiliter coram omnibus conuersabantur, & Sanctuli uidebantur: atque (vt D. Hieronymus in Matth. 23. cap. obseruauit) captantes auram popularem, faciebant grandes fimbrias, & acutissimas in eis spinas ligabant, vt videlicet ambulantes, & sedentes interdum pungerentur: & quasi hac admonitione retraherentur ad officia Domini, & ministeria seruitutis eius. Sic ille. Contrà verò, quàm plures, qui Christiano censentur nomine, vnitate reiecta, & Petri cathedra contempta, schismata, ac sectas perditionis, & partes, seu, factiones sectantur, atque præ aliis videri volunt religiosiores, quales sunt, Reformatæ

*Tit.* 3.
*Ioan.* 7.
*Luc.* 12.
*Ioan.* 8.
*D. Hieron. to.* 9. *in Matth.* 23. *Dilatant Phylacteria.*

matæ religionis prętensi cultores, qui se Euangelicos iactant, sibique τὴν γνῶσιν, id est, scientiam, & puram cognitionem arrogant, vendicántque: vnde & Hugnostici, vulgò appellantur (Gall. *Huguenotz.*) Ieiunia autem, ex præscripto Ecclesiæ indicta, & ciborum delectum, ista ventris mancipia, abrogant, ac explodunt: crebras orationes, & horas canonicas (quas vocant) propè in vniuersum abiiciunt, nulla in eis est deuotio, multa scelerum, & criminum, apud eos frequénsque licentia, & impunitas, cum improbis omnibus inita fœdera, & iunctæ dexteræ, seu amicitiæ. In summa, neque ipsi boni sunt, nedum habentur etiam, neque à scandalis pusillorum abstinent. Imò verò (vt scribit Apostolus) Quemadmodum Ioannes, & Mambres, restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati; homines corrupti mente, reprobi circa fidem, voluptatum amatores magis, quàm Dei habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et, vt alibi, idem Apostolus: *Confitentur,* inquit, *se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati, & ad omne opus bonum reprobi.* Sic ille. Ex quibus, quidam sunt proiecti pudoris, & perfrictæ frontis homines impudentissimi, qui, vt ait Euangelicus propheta, *cap.* 3. *Peccatum suum, quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt, væ animæ eorum.* Et hactenus quidem de prima periodo, satis sit dictum; ad secundum nunc pergamus articulum. 2.Tim.3. Tit. 1. Isa.3.

*Audistis, quia dictum est antiquis. Non occides, &c. Ego autem dico vobis. Qui irascitur, &c.* Quintum Decalogi mandatum est: *Non occides.* Hoc etiam loco Saluator enumerat istud inter ea, quæ sunt necessaria ad salutem: & rursus, *Matth.* 19. quòd vt meliùs, perfectiúsque custodiatur; ab iracundia etiam, & odio, ac maleuolentia omni, nedum ab homicidio corporali, præsenti Euangelio prohibemur. Non occides, subaudi, hominem, non bestiam, ad imaginem quippe Dei conditus est homo, non piscis, aut bestia terræ. Non occides, subintellige, insontem, & innocentem: item, priuata authoritate, ac denique, animo vlciscendi. Quibus omnibus appositis conditionibus, Magistratui legitimo, sua sarta tecta seruatur auctoritas, nec illi quicquā detrahitur, derogatúrve. *Exod.* 22. *Maleficos non patieris viuere, Et Rom.* 13. *c. Princeps huius mundi, non sine causa gladium portat.* Dauid quoque rex, *In matutino*, ait, *interficiebam omnes peccatores terræ: vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatē. Psal.* 100. Ideóque Saul regno eiectus legitur, quia sceleratos Amalechitas, non interfecit, prout debuit, & illi Deus præcepit. Ea quoque de causa, Regi Achab, Matth. 5. & 19. Exod. 22. Rom. 13. Psal. 100.

3.Reg.20. de Benadab rege Syriæ, à Propheta dicitur. 3.Reg.20. *Quia dimisisti virũ dignum morte, de manu tua, erit anima tua, pro anima eius.* Quod & completũ legitur; 3.Reg.22. Nam ille pugnãs cõtra Syros, interfectus est. Leuitis item, *Exod.*22. à Mose dicitur, post occisos ab eis idololatras: *Consecrastis manus vestras Domino, &c.* An non factum regis Iehu, qui familiam Achab impij, stirpitùs deleuit, & exterminauit, remunerationem à Deo accepit? (vt liber 4. Regum satis explicat) In bello sacro, & pernecessario, quando pro aris, & focis (vt dicitur) certamen suscipitur, à viris Zelosis, Cuiusmodi fuerunt Iudas Machabęus, ac fratres eius, in veteri lege, In noua autem, Clodoueus rex Francorum Christianissimus, contra Arrianos fortiter decertans, & rerum potitus, Carolus magnus, aduersus Saracenos, & Agarenos, atque eiusdẽ farinæ impios barbaros, aduersus Saxones, & alios idololatras, pro religione Christiana, plurima bella strenuè gerens, & sanctus Ludouicus, cõtra hostes crucis Christi, aduersus hæreticos etiam Albigenses, viriliter, & constanter manus conserens, &, sicut Christianissimum regem decuit, in ipsa, aduersus religionis Christianæ capitales inimicos, expeditione, mortem oppetens) in huiusmodi, inquam, pugna, siue, conflictu, impios interficere, & hostes Ecclesiæ ad internecionem vsque delere, magni profectò, apud Deum res est meriti, & præclarum facinus habetur. Inde magnoperè commendantur, Sanctæ vniones, & cruciatæ (quas vulgò dictitant) nos vernaculè, *sainctes ligues, & croisades*, appellare solemus. Succurrit nunc, quod percommodè refert.

Exod.32.

D.Aug.to.5. l.22.de ciuit. Dei, c.6. D.Augustinus, tom.5. lib.22. de ciuitate Dei, cap.6. Scio, inquiens, in libro Ciceronis tertio, nisi fallor, de Republica, disputari, nullum bellum suscipi à ciuitate optima, nisi, aut pro fide, aut pro salute. Verùm de his nos aliàs plura, nempe, in

Sac. Decades authoris in Ioelem vatem. Enneadibus nostris in Ioelem Prophetam, &c. Quamobrem obseruabis, quod faciunt Principes, in executione iustitiæ, Dei auctoritate facere, non sua cupiditate. Scriptura dante eis, in hoc, non solùm publicã potestatem, sed & mandatum. *Dei enim ministri sunt*, testis est Apostolus, *vindices in iram, eis, qui malè agunt.* Ergo magistratus, non prohibetur, in maleficos gladium exercere, quos, tanquam Reip perturbatores, debet ex legum prescripto interficere. Rex quoque, qui est expressa Dei imago, debet animaduertere, in pacifici conuictus, & religionis violatores, nec diuinæ maiestatis læsæ crimen, impunitum relinquere, sed sontes huiusmodi vltimo, ac capitali supplicio afficere, Extat in eam rem, egregia proculdubiò,

Sententia,siue, γνώμη, (vt Graeci vocant)

Εἰκὼν δὲ βασιλεὺς ἐστὶν ἔμψυχος Θεοῦ. id est.

Imago rex est animata Dei. γνώμη.

Cæterum, Non occides, neque manu, neque linguâ (vt Iudæi Christum cruci suffigendũ esse, magnis vocibus inclamantes) neque corde, ac desiderio, per internũ odium, Nam, qui odit fratrem suum, (ait in Epist. D. Ioannes, Theologus) homicida est, Non prauo contra insontem dato consilio, vt Caiphas, *Ioan. 11. & 18. qui consilium dederat Iudæis, quia expedit vnũ hominem mori pro populo.* Non iussione, sicut Dauid, *2. Reg. 11.* Vriam, virum Bethsabeæ, quã vitiauerat, perfidè occidi iussit, vt suum cum illa adulterium, hac arte, celaret, & tegeret, homicidium proditorium, adulterio adiungens. Non consensu denique vt Saulus, nondum Paulus, *Act. 7. c. Erat Saulus* (ait D. Lucas.) *consentiens neci Stephani, protomartyris.* De quibus ait Apostolus, *Rom. 1. ca. Non solùm, qui faciunt, sed &, qui consentiunt facientibus.* Breuiter, non occides, quouismodo. Benè de viris sanguinum disertis verbis Psaltes regius pronunciat dicens: *viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos.* Homicidæ filij sunt diaboli. *Ioan. 8. c.* Ipse homicida erat ab initio. In summa. *Omnis, qui acceperit gladiũ, gladio quoq; peribit. Matth. 26. cap.* Ex his satis patet homicidiũ, non solũ homini corporis interẽptionẽ importare ac significare, secundũ Iudaicũ; quẽ hîc Christus corrigit, ac reformat, intellectũ, verumetiã, iniquum ad nocendum fratri, motũ, in homicidij genere deputari: Est autẽ primus gradus ad lædendum proximũ, ira in animo cõcepta, quæ nihil aliud est, quàm motus animi, in vindictã pronus. Secundus gradus, confusa vox indignationis erumpens, quam Dominus vocat, Racha. Tertius, manifesta cõtumelia, vt est dicere fatue, aut simile quid, à qua procedi plerumq; solet ad verbera contumeliosis: per verbera verò, ad interẽptionem. Quos tres gradus, prohiberi mandato non occidendi, demonstrat planè modus procedendi Saluatoris: quia post mandatum non occidendi, subiungit per aduersatiuã, dicens: *Ego autẽ dico vobis, Quia omnis, qui irascitur, &c.* Non ergo solùm peccat in hoc mãdatum, qui homicidiũ manu cõmittit, sed etiã, qui irascitur fratri. Quod tamen intelligẽs de ea ira, quæ lædendi affectum coniũctum habet, Alioqui, si quis ex causa, & Zelo iustitię irascatur, prorsus sine culpa est. Tu autem collige, quòd si ira hîc prohiberi intelligatur, secundum interpretationem Saluatoris, quantò magis odium, quod est, velle alteri malum: & inuidia, quæ est, nolle alteri bonum, etiamsi tibi benefecerit.

Ioan. 11. 18. 2. Reg. 11. Act. 7. Rom. 1. Ioan. 8. Matth. 26.

Vnde in hoc præcepto negatiuo, *Non occides*, particula negandi, Non, negat absolutè omnē modū, quo potest, vel corā homine, vel corā Deo, fieri interēptio. Deus autē intuetur cor, nedum manū. Ex quibus clarè vides Saluatorē in Euangelio, nihil adiecisse ad præsens mandatū, sed magis expressisse germanum sensum mandati. quod autē ibidem expresserit varias pœnas, ideò est factū, quia varius est modus trāsgrediēdi nec omnis modus, idem habet nocumentū, aut eandem malitiam. Qui irascitur solùm, nihil lædit proximum, licet offendat in Deum, per inobediētiam, & ordinem turbet charitatis. Et vbi gradus sunt in istis peccatis: Ita tres sunt gradus reatus, Iudicij scilicet, concilij, & gehennæ ignis. In quibus per gradus quosdam, procedit Saluator à leuioribus, ad maiora. Nam in iudicio adhuc locus defensioni datur: ad conciliū autem, pertinere videtur sentētię prolatio, quando inter se iudices conferunt, quo supplicio eum damnari oporteat, quem constat esse damnandum. In Gehenna verò ignis, certa est dānatio, & pœna dāmnati: vnde manifestè liquet, quantùm intersit inter iustitiā Phariſęorū, & Christi. Hęc ex Aug. sparsim collegim⁹; ait Francisc. Sonnius, in demonstrationibus religionis Christianæ, ex verbo Dei, ex quo nos quāplurima mutuati sumus.

*Frāc. Sonnius Episc. Antuerpiensis.*

*Omnis, qui irascitur fratri, &c* Nota, aliud esse in fratrem, aliud verò, in vitia irasci. Rectè contra vitium irascimur fratris, non autem rectè, aduersus fratrem excandescimus. Diligendi enim sunt homines, sed non sunt diligendi eorum errores: verùm, *Psal. 4. Irascimini, & nolite peccare.*

*Psal. 4.*

*Qui dixerit Racha.* ῥακά, רקא Syrum vocabulum, hominem cerebro vacuum significat; quem nos etiam vernaculâ lingua, follem, ab inanitate, & vacuitate appellamus. Inde profluxisse conuitium, apud nostrates, existimārim, cùm aliquem, *Racaille*, vocant, quasi hominem nullius pretij, & officiperdi. Quamquā Triputij Aurelij celtohellenismus, hoc est etymologicon, Gallice excusum, ἀπὸ τοῦ ῥακίου, τὸ, siue neutrius generis, in plurali ῥάκια, deductum esse dicat, *racaille*, quod interpretatum sonat, significátque detritas ac pertusas vestes. Nam ῥάκος, εος, τὸ, panniculum, siue vestem laceram, & pannosam designat. Transferur in hominē nihili, apud Lucianum to. 1. operū in Timone, circa media, ῥάκος ἤδη γεγενημένον, iam nihili factum, & reiiculum hominem (Erasmo Roterodamo interprete;) à veste detrita, reiiculáque sumpto conuitio, ex lexico Græco Latino. ריק. Hebr. vnde deductum istud videtur raca: significat vacuum, & inaue. Est autem hoc conui-

tium aliquantò leuius, quàm si stultum, quempiam vocâris. Mathias Bredembachius, in Matth. 5. cap. ריק ric, sputum, i. Saliuam significare dicit, vt propemodum idem sit cum eo, quod in alicuius contumeliam expuentes, dicimus, Φὺ, Phi. Sic ille. Verùm (quod eum istius bona venia, & salua pace dictum sit) non ריק, sed ריר rir, non ric, Saliuam significat. 1. Samuelis 21. 13. versic. *destuebant saliua eius*, (Dauidis, nempe, qui se furere, & insanire finxit) *in barbam*. רק req, inanis, vacuus, exponitur, seu transfertur: & in plurali. רקים & ריקים requin vacui, pluraliter. *Iudicum, cap. 11. Congregati sunt ad Iephte, viri inopes*, seu homines vacui Hebr. ponitur ריקים versiculo 3. vbi suprà. Hæc ex sanctis pagnini Thesauro linguæ Sanctæ contuli. Reus erit iudicio, siue, tenebitur iudicio: Græcè ἔνοχος ἔςαι: Id est (vt Latini Iurisconsulti loquuntur) damnas esto. Videtur his verbis, non tam actio dari aduersus homicidam, quàm præcipi, vt ad iudicem damnandus, potiusquàm audiendus trahatur. Iudicium autē intelligit, in quo sedebant Triumuiri, qui de pecuniariis, & minimis eiusmodi causis agnoscebant. Reus erit concilio, τῷ συνεδρίῳ Synedrion, vel, vt Hebræi Appellare solent, Sanhedrin, ex 23 Iudicibus constare debuit saltem, qui de maioribus causis, atque adeò de capitalib. nonnullis agnoscebant, statuebant. Summi verò iudices erant 72. instar. 72. seniorum quos ex consilio Iethro, sibi Moses adiūxit, & allegit, in consilium, & quos Dominus spiritu suo impleuit, in tabernaculo comparentes, ad hos verò, pertinebat cognitio, de grauissimus rebus: vt quum de integra aliqua tribu, de Pseudopropheta, de summo sacerdote, de bello, vel pace agebatur. Accommodauit autem hoc Christus ad ius ciuile Israëlitarum, apud quos summum concilium, quadruplici suppliciorum genere vtebatur, antequam Herodes, & post Herodē Romani totum hunc ordinem perturbassent: nempe, strangulatione, gladio, lapidatione, & combustione: inter quas non dubium est, qui hæc grauissima fuerit. vnde & Gehennæ ignis in sequentibus, meminit Christus. Concilium igitur est consistorium, siue consessus Iudicum, quos Sanhedrin vocant, qui per tres, aut quinque alios, per manuum impositionem instituebantur. Iudicabant autem ordinariè, in Consistorio Gazith, in Ierosolymis, Gazith, hoc est, dolatum seu politum consistorium, vbi criminale iudicabant iudicium, siue in causa sanguinis (veluti, exempli causa, In supremo Parisiensi senatu Parlamentum vulgò appellamus) domus, seu camera, in qua

*Mathias Bredembachius, in Matth. 5.*

*Iudic. 11.*

*Numer. 11.*

*In lib. Sanhedrin Babylonico. apud Galatinum, li. 4. ca. 5. de arcanis.*

primus præses, sedere solet, & iudicare; deaurata nominatur, (Gall. *la chambre doree*) Et (vt apud Galatinum nostrum, lib. 4. cap. 6. de arcanis Catholicæ veritatis) per 40. annos, antequàm destructa esset domus Domini, migrauit Sanhedrin. i. collegium 70. Iudicum ordinariorum, de Gazith, & sedit in Hamith, in Ierosolymis, & non iudicabant iudicia animarum, quãdo scilicet aliquis ad mortem iudicabatur. Non enim iudicia animarũ in omni loco iudicabãt. Sed quãdiu Sanhedrin, id est, Iudicum ordinariorum collegiũ, in consistorio Gazith existebat, quia locus ad huiusmodi iudicia erat necessarius. Sic ibi. Idẽ rursus, li. 4. c. 5. Legitur quoq;, ait, in libro Sanhedrin, in capite, Diue Mamonoth, id est iudicia diuitiarũ. Quòd iudicia diuitiarum, siue pecuniarũ, & bonorum mobiliũ, per tres iudices fiebant. Iudicia verò animarũ per viginti tres. Hoc est 23. de septuaginta iudicibus ordinariis, & non pauciores, poterant hominem mortis reum, siue, morti obnoxium iudicare. Non erant autem iudicantes tribum, vel sceptrum, neq; Pseudoprophetam, neque sacerdotẽ magnum, nisi domus Iudicij, 71. Iudicum. Nec erant egrediẽtes ad licitũ bellum, nisi secundum os domus iudicij, 71. Iudicũ. Nec faciebant Sanhedrioth i. conuẽtus iudicũ ordinariorũ tribubus, nisi per domũ iudicij 71. Iudicũ. quod per manuũ impositionẽ in tribũ fiebat. Concilium quoq; magnum, quod Sanhedræ Ghedola, dicebatur, 71. Iudicum erat. Minus verò, viginti trium. Ex *Numer. 11. cap.* vbi Dominus Mosi præcepit dicens: *Congrega mihi 70. viros, de senioribus Israël*: Moses autem fuit super eos, habetur manifestè, quod concilium magnum Sanhedrin, 71. iudicum erat. Hucusque Talmud. Vnde habetur argumẽtum, colligit Galatinus, quòd tota domus *Iudicij* 71. Iudicum, ad iudicandũ Christum simul conuenit, quia non nisi domus iudicii 71. Iudicum, iudicabat tribum, neque sceptrũ, neq; pseudoprophetam, neq; sacerdotem magnum. (vt dum omnes iudicum classes simul coguntur, congregantúrque ad iudicandum quidpiam, valdè arduum, maximique momenti, Gall. *toutes les chambres du Parlement de Paris sont assemblees.*) Minor verò Sanhedrin conuẽtus, non poterat, nisi à 70. maiorum conuentu, ordinari. Ipsi namque 70. iudices, ordinabant aliorum iudicum conuentus, qui in aliis ciuitatibus, & locis circumquaque populum regebant. Hac tamen conditione, vt vnusquisque cuiuscúmque regionis conuentus, magno maiorum conuentui in Ierusalem, & in loco Gazith, vocato, existenti, subesset. Hæc apud præfatum Galatinum, de Sanhedrin, seu ordinariis

P. Galatinus, lib. 4. c. 6.

& cap. 5. vbi supra.

Iudicibus. Et vt huic tractatui finem imponamus, ex libro Adami Reisneri, cui titulum fecit, Ierusalem, cap. 6. lib 3. de Synedrio, seu curia atque concilio Seniorum sequentia mutuatus sum. De Græco, inquit ibi, συνέδριον, Sanhedrim vernacula lingua, concilium in Gazith coactum, appellarunt: vtque huic facto, aliquem ex lege colorem obducere possent, electi sunt 71. viri: dicti Seniores populi vocare solent. Hi reos ad 4. mortis genera, damnabant; vt scilicet vel lapidarentur, vel suffocarentur, aut gladio plecterentur, aut cremarentur. Sic ille. *Lib. Hierusalē Adami Reisneri c. 6. li. 3.*

*Reus erit, gehennæ ignis, &c.* גיא vallem significat הנום nomen viri proprium. Contractum siue concisum nomen pro, Geben hinnom, id est, vallis filij hinnom. Inde Gehenna formatum vocabulum, locus, in quo filios exustos igni, deuouebant, & immolabāt dæmonio Moloch, quemadmodum Ethnici nonnulli Saturno. Locus is vocabatur תפת Thophet, situs in valle filij Ennom. 4. *Reg.* 23. *Contaminauit quoque Iosias rex, Thophet, quod est in conualle filij Ennom, vt nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem, Moloch.* Sic ibi.

Vnde locus apud Iudæos execrabilis habebatur. Solebant in eum cadauera, & quicquid sordium Ierosolymis erat efferre (Gall. *vne voyrie.*) apud Euangelistas vsurpatur pro loco, in quo cruciantur impij, quod fit apud inferos. Meminit & eius loci, sanctus ex vtero Vates. *Hierem. cap. 7. Ædificauerunt*, inquiens, *excelsa, siue aram, Thophet, quæ est in valle filij Ennom: vt incenderent filios suos, & filias suas igni: quæ non præcepi, nec cogitaui in corde meo*, ait Dominus, *c. 31. Et ædificauerunt*, inquit, *excelsa Baal, quæ sunt in valle filij Ennom: vt initiarent filios suos, & filias suas Moloch: quod non mandaui eis, nec ascendit in cor meum, vt facerent abominationem hanc.* Thophet autem tympanum interpretantur. תוף Thoph, enim significat tympanum, quoniam sacerdotes Moloch tympana pulsabant, ne pueri transeuntes per ignem ad brachia Moloch, à parentibus audirentur, & eorum viscera commouerent. Ipsum autem idolum Moloch, concauum erat, manus habens hominis extētas inter duos ignes, ad quod impellebantur pueri, inter eius brachia comburendi, vt gratum illi fieret sacrificium. Ex volumine Ierusalem inscripto, supra citato lib. 7. cap. 1. Ecclesiastici (inquit ille scriptor) tradunt authores, Molochi idolum, æneum, atque concauum fuisse, figura regis, ita fabrefactum, vt brachia porrigeret, subiectóque igne totum incandesceret: Ante id inter duos parietes, focum accensum esse, per quem pueros, ad consecrandum *Li. 7. c. 1. Hierusalem citat. sup. authoris.*

traditos, flamines eousque traduxerint, quoad in Molochi amplexus, igni iam etiam cādentes, impellerentur, & illic grata futuri victima, prorsus cremarentur: Ne verò lugubris puerorum clamor exauditus, paterna commoueret viscera, tympana pulsari solita, atque hunc locum illum Topher, à תפה Thopha, quod pulsare est, nominatum, D. Hieronymus in c. 7. Hieremiæ, latitudinem interpretatur. Ibi quippe, antiquus ille serpens, homines in latam deduxit, suggestionibúsque suis seduxit, viam: vt & seipsos, & suos liberos, filios Gehennæ. i. perditionis facerent, persuasi se Deo, non minus ipso Abrahamo, qui iussus sit Isaacum filium offerre, rem gratam facere. Sic ibi.

D. Hieronym.

Inde deriuatur apud nostrates, pro quæstione, seu, tortura, & tormenti genere: *donner la geenne, gener quelqu'vn, luy donner la question*, & similes loquendi formulæ Gallicæ Hierem. 19. c. *Hæc dicit Dominus, Vade, & accipe lagunculam figuli testeam: & egredere ad vallem filij Ennom, & prædicabis ibi, & dices: Hæc ait Dominus exercituum. Ecce ego inducam afflictionem, super locum istum: ita vt omnis qui audierit illam, tinniant aures eius. Eò quòd reliquerint me, & repleuerint locum istum sanguine innocentum. Et ædificauerunt excelsa (siue aras) Baalim, ad comburendos filios suos igni, in holocaustū Baalim: quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non vocabitur amplius locus iste, Tophet, & vallis filij Ennom, sed vallis occisionis.* Sic ibi.

Et hæc quidem de immundo loco illo, ac pœnali, hactenus dicta sunto.

Frid. Nauseas

Fridericus Nauseas, Cent. 1. homilià, 58. ad præsens Euangelium, ita obseruauit: mandatum, inquiens, *Non occides*, violantes, triplici pœna, iuxta peccati mensuram, plectuntur. Omnis quippe, qui irascitur fratri, vt huic omninò velit mortem, iudicio & damnationi, obnoxius est. Qui verò, eius mortem nolit, ob iram tamen ipsum offenderit verbo grauiter, obnoxius erit consessui iudicum, ad hoc considentium, arbitrariæ aut mulctæ, aut pœnæ.

Qui verò, ob iram fratri dixerit contumeliæ verbum, sed pro quo vocari non solent ad Iudicum consessum, obnoxius erit gehennæ ignis. Hic enim neque ad mortem præsentem, neque futuram, neque ad pœnam Iudicum arbitrio, hoc in mundo subeundam, condemnabitur. Sed si non aliunde purgabitur in mundo, fratri reconciliatus, igne mulctabitur Gehennæ, qui hoc loco non ignem æternum (vt est aliàs) sed tēporarium potius signat, quum sit eorum, qui in hoc mundo,

neque morte plecterentur, neque in ius traherentur. Ex quo argumentum est longè euidentissimum, esse locum quendam in quo animæ, post huius vitæ functionem, expiantur, quem hactenus purgatorium ignem appellarũt. Sic ille.

Inde quoque Faber Stapulensis, Purgatorium stabilire, & cõprobare, asseueranter nititur. Videat, qui volet. Nos alias de Purgatorio, in Decadibus nostris, egimus, & ea de re, fusiùs aliquandò, nos tractaturos σὺν Θεῷ, confidimus. Vide, amabo, triplices peccatorum triplicium pœnas, hìc assignatas. Siquidem supplicium æternum, Iudicij, hoc est, condemnationis nomine comprehensum, debetur iis, qui sunt rei iudicio. Supplicium temporale, iis, qui sunt rei concilio, & (vt ita dixerim) consistorio. Et ignis purgatorius, iis, qui in hoc mũdo, neque morte plectuntur, neque in ius trahuntur. Ergo Christiana iustitia est, vt nõ solũ occidamus actualiter, sed ne etiam fratri irascamur, ipsum malè cognominantes, qui alioqui rei sumus iudicio. Siquidẽ Dominus hodie, nõ modò manum, sed & animum à malo prohibet, dicens: Quicumque irascitur fratri suo, &c. Q. d. Non solùm ille peccat, qui manum mittit ad illicita, sed & ille. qui consensu, aut etiam verbo, perpetrat nefaria. Hinc D. Ioannes Theologus. *Qui*, inquit, *fratrem suum odit, homicida est.* Hanc Christianam sectemur iustitiam, dicente Apostolo: *1.Tim.6. Tu autem, homo Dei, sectare iustitiam, pietatem, fidem, charitatem. Nam 1. Ioann. 3. cap. Qui facit iustitiam iustus est. Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Rom.10.c. Ignorantes enim iustitiam Dei*, ait ibidem, de quibusdam, D. Apostolus, *& suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, & cap.3. Per legem cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est: testificata à lege, & Prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Non enim est distinctio.

Faber Stapulensis, in Mat. 5. cap.

Sac. Decades auth. to. poste. de Naim Luc. 7. cap.

*Nisi autem abundauerit*, inquit Christus, *iustitia vestra, plusquàm Scribarum, aut Pharisæorum, &c.* Quandoquidem homicidium prohibebant, non iram, & odium, periurium, non iuramentum temerè factum, adulterium, non oculum impudicum, factum denique & opus externum in multis vetabant Pharisæi, non malum, deprauatúmque animum. Pharisæorum iustitia, propriis eorum viribus, ac operibus, nitebatur: Iustitia autem Christianorum, gratiæ Dei innititur: vnde ter maximus Paulus: non ego, sed gratia Dei, mecum? quia Christo assertore. *Ioan.15. Sine me, nihil potestis facere.* Pharisæi quippe. *Luc.18. ca.* in se confidebant tanquam iusti, &c. Item, *Matth.23. cap. Mini-*

*ma illi seruabant, decimantes mentam.* Grauiora autem legis relinquebant, Iudiciũ, misericordiam, fidem. *Hæc oportuit facere*, inquit Christus, *illa verò non omittere.* Christianorum iustitia, seu vniuersalis virtus, (siquidem ex Aristotele, in Ethicis, siue moralibus: Iustitia in sese virtutes continet omnes) debet esse nõ apparenter solùm, & forinsecus, sed & intus, ex recta intentione, & amore Dei. *Matt. 6.* Si oculus tuus i. intentio simplex fuerit, & recta, totum corpus, hoc est, vniuersa actio, & opus lucidum quoque erit, & studiosum. *Rom. 12.* Prouidentes bona, ait Apostolus, non solùm coram Deo: sed etiam coram omnibus hominibus. Non solum ergo foris, sed intus etiam, cor, ac intentionem rectificare debemus, quod contra ἄθεον, Macchiauellum, semel sit annotatum, impiè scribentem multa, libello, del principe, cap. 18. In quam specialiter Catharinus, in opusculis suis, sequentia salutariter obseruauit sub hoc titulo. Quàm execrandi Macchiauelli discursus, & institutio sui Principis. Nicolaus, inquit, Macchiauellus, professione impietatis, egregiam sibi famam (vt alter Erostratus) comparauit. Scripsit inter multa, libellum, linguâ suâ Thuscâ, siuè Ethruscâ, Cui titulus seu, ἡγεμών, Princeps. Vbi clarè se ostendit impium, & Atheon. Sic autem, reuera filius esse perditionis, discurrit, vt nihil religioni tribuat, præter opinionem, & persuasionem hominum, in quorum gratiam vult suum Principem, aliquam rationem diuini cultus profiteri. Atque ita homo iste (si tamen hominis nomen meretur) de pietate, ac religione Principem suum, quem ipse instituit, docet: vt potiùs studeat religionis cultor, & virtutum amator videri, quàm esse reuera. (An non hoc est fermentum Pharisæorum, à quo nobis cauendum esse, seriò Dominus admonuit suos, in Euangelio?) Hypocritam agere, docet suum Principem, si velit tutiùs potiri regno. Cuius exitialem doctrinam, quidam nostri sæculi Principes, proh dolor! imbiberunt, & factis ipsis crudeliter approbarunt. Non valeo reticere pauca, quæ habentur in eo suo libello de principe. Vbi tractat, quatenus expediat Principi, seruare fidem. Hæc eius sententia est fideliter à me, ex Italico sermone, Latinis verbis expressa. Quàm sit laudabile (inquit) in Principe, seruare fidem, & vitam ducere integrè, non astutè, quisque nouit. Attamen experientiâ cernitur temporibus nostris, eos principes, magna gessisse, qui fidei obseruantiam paruifecerunt, ac nouerunt astu suo, hominum cerebrum in gyrum voluere: Hi tandem superarunt eos, qui sua iecerunt fundamenta in virtute fidei: Hæc ille, quæ cõ-

*Aristoteles.*

*Nic. Machiauellus.*

*F. Ambrosius Catharinus, dominicanus Archiepiscopus Compsanus, opusc. De libris à Christianism eliminandis.*

tinenter à fabulis comprobat, quibus, qualem velit esse suum Principem, in figura Centauri, designat, scilicet semihominem, & semibestiam, vt faciem quidem præ se ferat humanam, humanos simulans mores, sed reipsa bestiarum ritu, atque ingenio, consumetur, nimirum violentiâ, & fraude. Idcircò vult eũ Leonem, & vulpem agere; quod nostra ætate innumeris exemplis ostendi posse affirmat. Siquidem multotiens pacem, & fœdera iam contracta, principum infidelitate, irrita facta esse testatur: & illis magis prosperè successisse, qui magis vulpino astu valuerunt. Oportet ergo Principem, hoc vulpis ingenium vafrè coloribus tegere, & esse simulatorem, ac dissimulatorem: quia numquàm desunt colores, ac subterfugia, ad excusandam perfidiam. Et vt egregia hæc monita, quibus ornatùm vult esse suum Principem, singulari exemplo comprobaret Alexandrum Papam sextum, producit, qui non aliud, ait, cogitans, quàm fallere homines, inuenit semper paratam hanc vnam materiam, in quam suam hanc artem exercere potuerit. Nec enim fuit vnquam homo, illo efficacior, in asseuerando, & sacris iuramentis promissa confirmando, & qui minus ea seruarit, cui tamen doli, & fraudes semper profuerunt, eò quod pulchrè nouerat hanc regnandi, & fallendi artem. Hæc de summo illo Pontifice Macchiauellus. (Verè, vt istud obiter adiecerim, sui æui labes, infamia, & macula, Italicè, macchia, vt ad suum cognomen, quædam fiat allusio.) Non est ergo, inquit ille, necesse Principi, reipsa habere has virtutes, videlicet pietatem, fidem, humilitatem, religionem, integritatem, sed eas simulatione præ se ferre, hoc necesse est. Imò, ausim dicere, habere illas, & semper obseruare, damnosum esse, cum sit nouo Principi sæpè necessarium operari contra fidem, cõtra charitatem, cõtra humanitatem, contra religionem. Quare oportet Principem, ita animo esse compositum, vt quo flauerint venti, & quò fortuna impellit, eò se vertat, & quum fuerit necessitas, operetur malum. Hæc, & alia id genus diabolica, ab isto perfido, & eximio perfidiæ doctore, scripta, publicantur, leguntur, & cum plausu, & laude, à quibusdam suscipiuntur, & quod est lacrymabilius, non desunt, hac nostra infelicissima, miserimáque tempestate, qui hanc impiam, ac scelestissimam, nec minus pestilentem doctrinam, opere ipso compleant. Quæ cùm ego cogito, cogor exclamare. O infelicem temporum conditionem! Deus bone, Iudex iuste, in quænam tempora

me seruasti, vt isthæc sustineam audire, tam blasphema, atque adeò impia, (diceret in pari casu, Polycarpus Martyr, vt alibi me annotasse recolo) Poteratne quicquam maiori cum impietate dici, ac magis perniciosè, quàm hanc adeò monstrosam, ac detestandam metamorphosim, tanquàm vtilem, & eligendam proponere: vt scilicet homo, suæ naturæ contemptor, vulpis, & leonis conditiones, vsurpet? Quo in loco, si Euangelicam solummodò spreuisset doctrinam homo iste infelix, dignus quidem erat magno, tanquam Apostata, vituperio, ac detestatione: At cum etiam humano, & naturali se cassum lumine, & in bestiam penitus conuersum esse, ostenderit, quid dignum queat, aduersus tantam, támque extremam peruersitatem proferri, cùm iste perditissimus hominum, illud docere non erubuerit, quod vi veritatis, etiam ipsi Pagani, magnopere auersati sunt, & detestati? Proferamus, quid Marcus Tullius prorsus in re proposita, de homine, qui vulpem, aut leonem agat, eleganter, aptéque scripserit, quæ neque hunc hominem latuerunt. (lib. 1. De officiis. ante media.) quùm (inquit Tullius) duobus modis, id est, aut vi, aut fraude fiat iniuria: fraus quasi vulpeculæ, vis, leonis videtur: vtrumque ab homine alienissimum; sed fraus, odio digna maiore: Totius autem iniustitiæ nulla capitalior est, quàm eorum, qui tum, quum maximè fallunt, id agunt, vt viri boni esse videantur, hæc Cicero, gentilis Philosophus, quæ sunt è diametro huius animalis doctrinæ contraria. Quid hîc dicemus? Nónne surget in iudicio Paganus hic Philosophus, & orator, & condemnabit generationem istam, quæ Deum ipsum ab animo suo abalienauit, & omne Spiritus sancti lumẽ, non minus stultè, quàm arroganter sibi extinxit? Dixit olim Ethnicus quidam potentissimus Tyrannus: si violandum est ius, regnandi causa est violandum: verius est ille, dicere absolutè, sed adhibita conditione, dixit, si violandum est ius, regnandi causa violandũ est. Sic Iulius Cæsar, apud Suetonium, in ipsius vita, sic enim ille. Cicero scribens (inquit) de officiis tertio libro, semper Cæsarem in ore habuisse, eos in Phœnissis Euripidis versus. quos sic ipse (Cicero,) conuertit,

*Sac. Decades auth. ex D. Irenæo apud Eusebium in historia Eccle.*

*Cicero l. 1. de officijs ante libri medium.*

*Suetonius in Iulij Cæsaris. §. 10. versibus Euripidis.*

Nam si violandum est ius, imperij gratia
Violandum est: alijs rebus pietatem colas. Hæc Suetonius retulit.

At hic, nec Deum, nec homines metuens, absolutè ius violandum proponit, & suadet. Addam, (velint nolint huius mundi dilectores) ingentem hominis stoliditatem. Duos

proponit principes, tanquàm exempla, hac parte ad imitandum, videlicet Alexandrum illum sextum, & eius filium Valentinum Borgiam: quorum tamen, qui fuerit exitus, satis nouit infelix, nec didicit perhorrescere. Nam vnum, & eundem esse, hominum, & iumentorum interitum existimabat scelestus: quod dogma passim spargebat in vulgus, quò sapiētior videretur. At quàm fallus fuerit, persentit nunc infelicissimus mortalium, de quo satis hactenus. Non est enim contra hos disserendum, qui negant principia fidei, & prouidentiam Dei omninò, è medio tollunt. Recitasse impia eorum dogmata, apud verè Christianos, est idoneè confutasse. Ad principes autem Christiani orbis, pauca loquar: vt Christum, & sapientiam eius, dignentur potius audire, quàm has diaboli fistulas, per quas ille loquitur: *Cum quidam Pharisæorum dicerent Domino: Exi hinc, & vade, quia Herodes vult te occidere: &c. Respondit Dominus, & dixit: Ite: dicite vulpi illi: Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor. &c.* Vtinam hæc intelligerent mundi Principes: equidem esse vulpes abhorrerent. Sed vt planè intelligant, veniat illis crebrò in mentem, sententia illa Domini, superbiam Pilati retundentis, eamque sibi figant in corde, *Non haberes*, inquit, *potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper*, &, quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt fiet. *Potentes* autem, *potenter torméta patiētur. Fortioribus autē, fortior instat cruciatio*, vt Sapiēs loquitur. Quod si etiā exēplis doceri vultis, considerate illos Herodes, illos Antiochos, & à primo Cęsare incipiētes, magnam eorum partem, qui fuerunt, quales Macchiauellus requirit, & leones & vulpes, cōsiderate. Cōsiderate, inquam, illorum primò vitam, periculis, & angustijs refertam: tum mortem, prorsus horribilem, vt in ostentum viuant in mundo. Decertarūt tot laboribus, & sanguine, pro pusillo terrę, & eius terræ, quæ est morientium, sedes autem amplissimas, atque æternas, in terra viuentium miserabiliter amiserūt. Sed hæc verba, aulas Principum, & eorum conclauia penetrare, non consueuerunt. Hæc fermè, ijsdem propè verbis, Catharinus, aduersus Macchiauelistas, & qui se Politicos esse iactant. Omnis qui irascitur &c. Lyranus noster ad hunc locum: Iudæi, inquit credebant per præcepta Decalogi, sola opera exteriora prohiberi, non motum animi, Ideò Iosephus lib. 12. Antiquitatum Iudaic. cap 13. De Antiochi Epiphanis interitu miratur Polybium Megapolitanum dixisse, Antiochum perijsse (Apud Persas scilicet) quòd conatus sit Dianæ

*Lyranus noster, in Matth. Ioseph. li. 12. antiq. Iudaic. c. 13. Polybii.*

thesauros eripere. Voluisse enim tantùm, ac non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio, sic Iosephus. Quasi diceret. Voluntas mala, non est peccatum, nisi exeat in effectum. Eodemmodo dicebant Iudæi, de hoc præcepto, Non occides, quòd prohiberetur occidendi factum, & non occidendi propositum. Contra hoc verò, Christus, Ego, ait, dico vobis ; *Omnis, qui irascitur fratri &c. Reus erit iuditio.* Deinceps, *Omnis qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo*, quod tu bene aduerte, ac pondera) Hæc

*l. Cogitationis De pœnis.* ibi. Quòd si obijcis, scriptum esse, l. Cogitationis Dig. de pœnis. Cogitationis pœnam, nemo patitur. ergo pro interno proposito, si non sequatur externum factum, non debet infligi pœna. Respondeo, Id quidem verum esse, in foro exteriori, & contentioso, sed non in foro secreto conscientiæ, & apud Deum, vel, vt distingui solet) iure fori, sit verum, non autem, iure poli. Adde etiam, si cogitatio maneat intra limites, nudæ cogitationis, neque se in exteriorem exerat actum quomodolibet. Conatus enim, etsi non succedat effectus pretensus, absque pœna esse non debet, nec manere debet inultus, seu impunitus. Quod ex Valerio Max. libro. 6. ca. 1. de pudicitia, facilè comprobantur, sic enim ille, Metellus Celer, ait, stuprosæ mentis acer punitor extitit, Cn. Sergio Silo promissorum matrifamiliæ nummorum gratiâ, diē ad populum dicendo, eúmque hoc vno crimine damnando: Nō enim factum tunc, sed animus in quæstionē deductus est: Plúsque voluisse peccare nocuit, quam non peccasse profuit: Sic

*Lyranus in Matt. 5. ca.* ille. Triplex gradus iræ ponitur hic à Christo, ait Lyranus. Primus in corde, cùm dicitur: Qui irascitur. Secundus, in ore, per verbum confusum, vocémque incōditam cōuitij, Racha, Tertius, cùm ad contumeliam determinatam proceditur, dicendo, fatue. Primus, est minoris culpæ, ideò minor pœna determinatur. Atque ita in alijs proportione, & analogiâ correspondente, & consentanea.

Obserua consimiliter, Iram peccatum esse, sed non omnem, Potest quippe aliqua esse iusta, vt si propter iustitiam, non propter vindictam, quis irascatur. Si contra eum excandescat, qui commeruit, Idcircò rectè regius vates, cecinit: *Irascimini*, inquiens, *& nolite peccare*. *Psalm.* 4. Subaudi proinde,

*Psal. 4.* *Qui irascitur*, sup. Sine causa, aut si mauis, vindicandi studio, *reus erit iudicio &c.*

Ergo, qui cum causa irascitur, non erit reus, neque obnoxius pœnæ. In communi, intelligendum est vbique sine

causa: Qui iratus fuerit subintellige, sine causa: Qui Racha, sine causa dixerit. qui fatue dixerit, repete, ἀπὸ τῦ κοινῦ. sine causa. *Ephes. 4. Omnis sermo malus, ex ore vestro non procedat*, sc̃ d, si quis bonus, ad ædificationem fidei. Quod si occidere in causa, peccatum non est, vt suprà probatum est, quãtò magis, cum causa dicere fatue, non est peccatum? Sic aduersus Galatas. 3. c. Apostolus inuehitur, & exclamat: *O insensati*, inquiens, *Galatæ*, in hoc tamen non peccauit, quia iusta causa fuit, id dicendi. Sic Christus Dominus noster: *Luc. 24.* discipulos corripiens, *O stulti*, ait, *& tardi corde, ad credendum.* Hæc in opere imperfecto, in Matth. 5. inter D. Chrysostomi opera. qui quidem Chrysostomus, hoc Euangelio, legit, sine causa, tanquàm si esset in contextu. Qui irascitur fratri suo temerè, Græcè ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτῦ, εἰκῆ. Immeritò, temerè, frustrà, sine causa, vel leui de causa, gratis, abs re, hæc enim significat εἰκῆ, estque in textu.

*Ephes. 4. c.*

*Gal. 3. c.*
*Luc. 24. ca.*
*Author operis imperfecti in Matt. 5. ca.*
*D. atem Chrys. in Matt. 5. ca.*

*Non occides*, siue ferro, siue veneno: leg. 1. Cod. De maleficis, & Mathematicis Plus est (rescripsit Imp. Antoninus) hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio. Non occides, per inuidiam, quæ cædis mater est, vt palam fit in Cain, primo parricida, & in Diabolo qui fuit homicida ab initio: *Ioan.* 8. Sed neque ira, neque odio aut certè, quouismodo occides.

*leg. 1. Cod. de malef. & Mathematicis.*
*Genes. 4. c.*
*Ioan. 8. ca.*

Percommodè retulit, Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 141. Pastor, inquiens, presbyter, in eremio, de Scythi qui tempore Sanctorum Anachoretarum claruit: Interrogatus de illo verbo: qui irascitur sine causa &c. quid esset sine causa irasci? Respondit, ex omni re, quia homo, à fratre suo grauatur, irasci sine causa, donec oculum ipsi abstrahat. Sin autem quis eũ, à Deo separare vellet, pro hoc irasci debet. Sic ille.

*Petrus L. Natalibus, in Catalogo sanctorum l. 6. c. 141.*

Hoc, Marullus, libro Exemplorum. 3. c. 6. de pace colenda, sic retulit: Pastor de Scythi Abbas, interrogatus super illud Euangelij. Matt. 5. qui irascitur fratri suo sine causa, Solam iustæ iræ causam definiuit, separationem à Deo: cæteris quamlibet magnis iniurijs acceptis, qui irascitur, eum sine causa irasci. Igitur cùm offensis lacessimur, meminisse debemus, nos non habere indignationis causam, sed patientiæ. Ita fiet, vt pacem etiam cum inimicis habeamus. Non est enim cur illis irascamur, quos diligere, & pro quibus orare iubemur: *Matth. 5. c. Diligite inimicos vestros &c.*

*Marullus, l. 3. exemp. cap. 6. de pace colenda.*
*Matt. 5. ca.*
*Io. Cassianus l. 8. collationũ*

Hæc ibi. Eam in rem pariter Cassianus, lib. 8. Collationum

*Patrũ, litera*

Y.

patrum, litera. Y. Hoc, inquit, quod dicitur, sine causa: oppositum est ab ijs, qui iram pro iustis causis, amputādam non ęstimarunt: cùm tamen nullis, quantumlibet sine ratione commotus, dicat se sine causa irasci. Quamobrem apparet, hoc esse adiectum ab his, qui non intellexerunt scripturæ propositum, quæ præcipit fomitem iræ omnimode amputare, nullámque penitus occasionem, aut causam indignationis seruare, ne dum iubemur irasci cum causa, intromittatur nobis occasio irascendi etiam siue causa. Quoniam patientiæ finis, seu mansuetudinis consistit, non in irascendo iuste, sed, in penitus non irascendo. Melius est (subdit ibi) ita tenere, sicut nouella exemplaria multa, & antiqua omnia inueniuntur cōscripta, videlicet, sine additione huius clausulæ, (sine causa.)

*Idem litera. Z.* Idem litera Z. Primò, inquit, credamus, nullomodo nobis licitū esse irasci, neque ex iniustis, neque ex iustis causis (Sic ibi. Subaudiendum censeo, iustis causis, iuxta hominum, alioqui iracundorum, prętensionem, & phaleratā excusationem, ac palliatam allegationem, aut certe, nisi in causa, & negotio fidei, ac religionis, vt ex suprà dictis, facilè colligere valebis. Remedia iræ sunt, cogitare, quòd non liceat nobis iratis, orare, aut preces Deo offerre, & considerare, quòd sumus forsam quotidie de corpore migraturi, sic etiam vbi supra Cassianus. Animaduerte tamen in omnibus (quæ videre contigit) Græcis exemplaribus, me comperisse scriptum, in contextu ipso, εἰκῆ, sine causa. Sic: πᾶς ὁ ὀργιζόμενος εἰκῆ. Omnis, qui irascitur sine causa, vel temerè. Sic etiam Theophylactus hoc loco, disertis verbis legit. Qua de re etiam D. Hieronymum, audiamus ita scribentem, ad hæc verba. Omnis, qui irascitur fratri. In quibusdam codicibus additur (sine causa) Cæterùm in veris, definita sententia est, & ira penitus tollitur, dicente scriptura: Qui irascitur fratri suo &c. Si enim iubemur verberāti, alterā præbere maxillam, & inimicos nostros amare, est orare, pro persequentibus, omnis iræ occasio tollitur, Radēdum est ergo (siue causa) quia ira viri, iustitiam Dei, non operatur. Hæc ibi. D. Hieronymus. Idem interim, tomo. 2. ep. 2. Dialogo 2. contra Pelagianos. Ira Dei, inquit, iusta est. Ira autem viri, de perturbata mente procedit. Deinceps subiungit. In Euangelio dicitur. Qui irascitur fratri suo, sine causa. Licet in plerisque codicibus antiquis (sine causa) additū non sit, vt scilicet, ne cum causa quidem debeamus irasci. Quis hominum poterit, dicere, quòd ira, quæ absque iustitia est, in sēpiternum

*Theoph in Matthaū c. 5.*
*D. Hier. ib.*
*1. Iac. 1. c.*
*Idem, to. 2. ep. 2. Dial. 2. cōt. Pelagianos.*

piternum vitio careat?Sic ibi, D. Sacri nominis, ac immortalis famæ, iuxta nominis sui rationem, & etymologiam, Hieronymus. Diuus Augustinus, consimiliter, tomo. 1. libro 1. retractationum cap. 19. qui irascitur fratri suo &c. Codices enim Græci non habent (sine causa) sicut, tomo. 4. lib. 1. de sermone Domini in monte, positum est: quatenus ipse sit sensus. Illud enim diximus intuendum, quid sit irasci fratri suo. Quoniam non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. qui ergo non peccato fratris irascitur sine causa irascitur. Hæc ibi. Idem tamen Augustinus, lib. 1. de sermone Domini in monte, legit & exponit. qui irascitur fratri suo, sine causa, Habet, inquit, prima sententia, omnia verba necessaria, vt nihil subaudiatur. *Qui irascitur fratri suo, sine causa, reus erit iudicio.*

*D. Aug. to. 1 l. 1. retr. c. 19*
*Idem to. 4. l. 1 de sermone Domi. in mõte.*

In secunda verò, cùm ait, *Qui autem dixerit fratri suo, Raca,* subauditur (sine causa) iam in tertia, vbi ait, qui autem dixerit, fatue, duo subaudiuntur, & fratri suo &, (Sine causa) Hoc est, vnde defenditur quòd Apostolus, Galatas vocat stultos, quos etiam fratres nominat. Non enim id fecit, sine causa, ideò hic (frater) subaudiendus est. Non continuò subditur: *Si ergo recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te.* Sic Diuus Augustinus. Notatione haudquaquàm indignum fuerit, quòd ex professo legens D. Matthæi Euangelium, à Munstero, Hebraicis characteribus ac punctis, in lucem editum, non comperi, ibi, ad sententiam: Qui irascitur, fratri suo, addictum (Sine causa.) In Syriaca tamen editione, vt in Regijs exemplaribus, per Plantinum, excusis, videre est, in Latina interpretatione, legitur ad hunc modum: Qui irascitur fratri suo, temerè. In omnibus autem Græcis exemplaribus, (quæ videre mihi contigit) habetur (vt suprà admonui quoque) εἰκῆ. i. temerè. At verò in Latinis emendatioribus, imò in omnibus ferè, etiam, in meo codice, aureis literis manuscripto & antiquo exemplari, peruetustis Gothicis characteribus, quattuor Euangelistarum contextum Solùm continente, non habetur (sine causa) Pertinet quidem, ad sensum, sed non ad verba. Diuus Chrysostomus homil. 16. legit in textu, & exponit qui irascitur fratri suo temerè, In opere imperfecto, homiliâ. vndecima. in textu similiter legitur: qui irascitur fratri suo, sine causa. Ergo, ait ibi, qui irascitur, cum causa, non erit reus. Nam si ira non fuerit, nec doctrina pro ficit, nec iudicia stant, nec conuitia compescuntur. Iusta ergo ira, ma-

*D. Matthæi Hebraicum Euangeliũ, ex Munstero.*
*Biblia πολύγλωττα, siue, 5 linguarum, Regi Plantino Archityp ographo. impressore.*
*Codex aureus 4. Euangel. peruetustis characteribus ac fermè Gothicis.*
*D. Chrysost. ho. 16. in Matthæum. c. 5.*
*In opere imperfecto. Homil. 11. 1. ibidem.*

ter est disciplinæ. Ergò non solùm non peccant, qui cum causa irascuntur: Sed è contrario, nisi irati fuerint, peccant, quia patientia irrationabilis, vitia seminat, negligentiam nutrit. Iracundia, quæ cum causa est, non iracundia est, sed iudicium. Iudicare dicitur non irasci. Ibidem Si quis dixerit fatue. In communi, inquit, intelligendum est vbique, sine causa. Qui dixerit Raca, sine causa, qui fatue, sine causa, Sic ibi, quod etiam supra attigimus, Item in opere imperfecto. Homilia quinta Christus, inquiens, dum dicit, Matthæi 4. Vade Satana iratus est tunc, & repulit Satanam, vt nos illius discamus exemplo, nostras quidem iniurias illatas ab impijs, siue in dicto, siue in facto, magnaniniter sustinere. Dei autem iniurias, & contemptum, nec vsque auditum sufferre. Quoniam in proprijs iniurijs esse quempiam patientem, laudabile est: Iniurias autem Dei dissimulare, nimis est impiū. Sic ibi.

*Idem Autor operis imperfecti in Matthaum, Ho. 5. Matt. 4.*

Paulus de Palacio, in Matthæi. 5. Primum illud notandum esse dicit: Autores Græcos omnes legisse illam particulam: (sine causa) quam ex textu Hieronymus dicit esse radendam. At Diuus Basilius eam legit, homilia decima quæ de ira est, hoc pacto scribens, circa illius exordium, primò, audimus, inquiens, Dominum dicentem: Si quis irascitur fratri suo temerè, reus erit iudicij. Rursus ibi, versus finem, ipse nāque Dominus, in Euangelio, illū, qui temerè fratri iratus fuerit, reum iudicij facit. Illum verò, qui tanquam pharmaco, ad ea, quæ oportet, irà vtitur, minimè condemnat. Dicitur namque, *Ponam inimicitiam inter te, & serpentem.* & rursus: Hostes sitis Madianitis. docētis verba sunt, vt ira veluti armis vtamur. Ideò Moses, omnium hominum mansuetissimus, vituli idololatriam damnans, Leuitarum manus in cædem fratrum armauit. Quid Phinees iustum reddidit? Nonne iusta cōtra fornicantes ira? Samuel autem Agag regem Amalech, à Saule cōtra mandatum Domini seruatum, nonnè iusta ira in medium trahens occidit? Sic itaque fit ira sæpènumero bonarum actionum ministra. Helias verò Zelotes, quinquaginta supra quadringentos turpitudinis sacerdotes, & quadringentos viros sacrorum nemorum, & lucorum, comedentes de mensa Iezabel iusta sapiētique indignatione, in totius Israël vtilitatem, vt morte mulctarentur effecit. Tu autem fratri tuo, sine causa irasceris. Quomodo enim non sine causa? Cùm sit alius, qui instigat dæmon, & alius, qui instigatur homo, cui tu maledicis; simile quoddam canibus admittens, qui saxa morde-

*Paul. de Palacio, in Matt. 5. D. Basilius, Hom. 10. de ira circa finē.*

*Simile.*

re solent, quando iactantes attingere non valent. Instigatus enim, ac incitatus misericordia profectò dignus est. Qui verò incitat, odio maximo est insectandus. In hunc igitur iram transfero; hominum interfectorem, mendacij patrem, peccati ministrum. Fratrem verò in te peccantem, miserabere. Nam si in peccato, vsque in extremum durabit, cum ipso dæmone, æterno tradetur igni. Hucúsque magnus Basilius. Legit etiam (sine causa) Diuus Chrysostomus, & Euthymius, & author operis imperfecti vbi supra ac Theophylactus. Quin & Diuus Augustinus, libro primo sermonis Domini, in monte, vt suprà & diuus Hilarius, Canone. 4. in Matthæum ita scribens: Ex præcepto fidei, non minus rea ira est, sine ratione suscepta, quàm in operibus legis, homicidium. Deinde subdit: Raca, vacuitatis opprobrium est. Sic ibi. Quam verò sententiam magis probem? ait De Palacio; vbi supra vix scio: nisi quòd legum maiestas, non addit hasce particulas: Nam simpliciter dicitur: *Non occides, non furtum facies, non mœchaberis*. Video tamen etiam dictum, *non assumes nomen Dei frustrà, & in vanum. Exod. 20. cap.* Quicquid sit, vtráque lectio sana est. Sic Palacius Granatensis, egregius profectò Theologus. Adijcere placuit Notationes in sacra Biblia, auctore Francisco Luca, Brugensi, S. Theologiæ Licentiato. Sic igitur, in Matth. 5. c. versu 23. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, doctè annotauit. In Græcis codicibus, & Syris, additur, temerè, seu, sine causa: quod etiam legunt inter Græcos (quos suprà citauimus, ex Palacio) inter latinos Augustinus, hunc enatrantes locum. Verùm Hieronymus, etsi in quibusdam codicibus reperiri fateatur, radi vult, eò quòd in viris, & antiquis plerisque non inueniatur. Augustinus quoque, l. 1. retractationum c. 19. in Græcis libris, non addi testatur, quibus hodie consentit Vaticianus, ad quē castigatus fuit codex, quondam doctissimi, & pietate præstantissimi viri, D. VVerneri Nermagi S. Theologiæ licentiati, & Attrebatensis collegij præsidis, quo vsi, & mirum in modum adiuti fuimus. D. Anselmus, Sine causa, inquit addunt quidam codices: sed in Græco non additur, nec est opus. Hodie in Latinis libris, non, aut vix legi videtur: ex nostris omnibus, tum scriptis, tū impressis, tū antiquis, tū nouis, vnicus est scriptus, qui habeat hoc modo. Omnis, qui irascitur fratri suo, siue causa, reus erit iudicio, in quo, & prætereūdū signatur. Quamobrē demiror id, quod Erasmus ait, Quid hic adferent, qui contendunt hāc translationē ab Hieronimo fuisse castigatā? quod dānat, relictū

D. Hilarius, Canone 4. in Matthæum.

Exod. 20. c.

Franc. Lucas Brugensis Notationibus in Sacra Biblia, de varia locorum lectione.

D. Ansel. in Matt. 5. ca.

est. Imò verò hoc ex loco, simul & alijs collegerim, fuisse eam ab Hieronymo castigatam, quòd non ita habeat, vt olim lectum fuit: quamquam, vetera inolitáque menda, aliquando reuersa sint, nouáque postea nata. Istud de quo nunc agimus, sine causa, omninò verisimile est fuisse primum ab aliquo, explicationis gratiâ, additum, aut ex adscripto commentario, in textum relatum: Id quod Laurentius Valla, quem Magdalius Iacobus Gaudensis, secutus est, inconsultè, addi melius, quàm omitti, docet. Hæc prænominatus Lucas.

Dicet quispiam morosior, quorsum pro vocula, Temerè, vel, sine causa, tot prolusa sunt verba, cùm id quidem, sine caussa, & in vanum, factum esse videatur? Cui meritò responsum sit: Non esse certamen de lana caprina, quod dicitur, seu, de vmbra asini, hoc est, de re momenti non perinde magni, imò verò, assertore Christo legislatore nostro, Apud *Matth. 5. cap.* Nihil in diuinis scriptis, superfluum, nihílque inutile, aut superuacaneum esse credendum est: nihil item redundans, nihil etiam diminutum. *Amen quippe dico vobis*, ait Christus Dominus, *donec transeat cœlum, & terra, Iota vnum, aut, vnus apex, non præteribit à lege donec omnia fiant.*

*Matth. 5. c.*

Idem De Palacio, vbi supra. Raca, inquit, significat vacuū, id est, inopem, miserum, pauperem, Ita *Iudicum. 9.* dicitur, *conduxit Abimelech viros inopes.* Hebræis est Requin, a Raqs, Heb. רקים requim, inopes Item, supra citatum comperies) ex *c. 11. Congregati sunt ad Iephte viri inopes*, vbi idem vocabulum Heb. ponitur. Requin. Sic de Palacio.

*Paul. de Palacio in Matt. 5. Iudicum. 9. c. & 11. c.*

*Qui irascitur fratri, reus tenebitur. Genes. 45. Ne irascamini in via*, dicebat Ioseph fratribus suis. Adhunc planè modum, mysticus ille Ioseph noster, Christus, nobis quandiu in hac via sumus, viatores ideo appellati, quos ipse non dedignatur vocare fratres, dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, apud Psalmographum, & D. Paulum ad Hebræos scribentē: Idem nobis hôc loci præcipit dicens: *Omnis, qui irascitur &c. Iob. c. 5. Virum*, inquit, *stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.* In quem locum D. Gregorius magnus, libro. 5. Moralium, cap. 31. Hoc verum est, ait. Benè ante nos quidam Sapiens dixit: *Cogitationes iracundi viperea sunt generationis: mentem comedunt, matrem suam.* Sic ille.

*Genes. 4. c.*
*Psal.*
*Iob. 5. c.*
*D. Greg. Papa i. 5. Moralium, c. 31.*

Hoc dixisse videri possit D. Basilius Magnus Homiliâ. vndecima exordio, in hunc scribens præclarum modum: sicuti Viperas dicunt, abrupto matris ventre nasci: Sic & inuidia, concipientem se animam corrodere simul, ac labefa-

*D. Basilius, homil. 11. quæ est de inuidia, circa exordiū.*

cere solet. Hæc ille. *Ecclef. 7. cap. Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis Iob. 36. cap. Non te superet ira, vt aliquem opprimas. Et Psalm 36. Desine ab ira, & derelinque furorem. Prouerb. 27. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor. Ecclef. 7. Rursus, ne sis*, ait, *velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. Ephes. 4. cap. Sol non occidat super iracundiam vestram.* *Ecclef. 7. c.* *Iob. 36. c.* *Psal. 36.* *Prou. 27. c.* *Ecclef. 7.* *Ephes 4.*

Præclarum est, quod Plutarchus, tomo. 1. opuscul. in Apohtegmat. Romanorum refert in Athenodorum Augusto consuluisse, Cum irasceris, inquiēs, nihil ante vel dixeris, vel, feceris, quàm tecum. 24. elementa repetieris, Gall. *repeter l'Alphabet,* ou dire, *Sa croix de par Dieu*, quia, vt ait Seneca l. 3. cap. 12. de ira, Maximum remedium iræ, dilatio est Sicut in pace, & amore factus est locus Domini nostri Christi, sic ex Antithesi, & à contrario, in ira factus est locus diaboli, Ideòque Apostolus dissuadens, dehortansque *Ephesios, ca. 4.* ab iracundia, subiunxit continuò, dicens. *Nolite locum dare diabolo.* q. d. Per iram datur locus Dæmoni. Ex ira etiam plerumque sequitur cædes innocentis; contra hoc expressum mandatū: Non occides, supple insontem. *Exo. 23. c. Insontem & iustum non occides, quia auersor impium, ait Dominus.* Quod & naturali legi consonat maximè iuxta enim rationis Dictamen, Referente Ammiano Marcellino, lib. 14. circa finem: Alexander magnus, vrgēti matri, vt occideret quendam insontem, & dictitanti, spe impetrandi, postea, quæ vellet, eum se per nouem menses, vtero portasse prægnantem; Ita respondit prudenter: Aliam, parens optima, posce mercedem, hominis enim salus, beneficio nullo pensatur. Hæc ibi Verùm nos plura in Decadibus diximus, eo recurrat candidus beneuolúsque lector, si volet, Nos interim ex decima D. Basilij homilia, (quæ est de ira) quam suprà citauimus, quędam minimè pœnitenda, in gratiam concionatorum, delibabimus, in hunc modum. Ira, quando oportet, & vt oportet, ex ratione dispensata, fortitudinem, patientiamque, ac constantiam parit: præterverò rectam rationem tractata, furor, & insania efficitur. Deinde concludens, ita sermocinatur: Itaque, Fratres amantissimi, ne obsecro tantum nobis malum inducamus, animæ morbū, rationis tenebras, à Deo alienationem, obliuionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinem calamitatum, dęmonem pessimum, nostris animis innatum, incolam quendam impudentem, nostra interiora possidentem, Denique sancti Spiritus iter ad nos impedientem. Vbi inimicitiæ sunt,

*Plut. to. 1. op. in Apopht. Rom. 4.* *Seneca l. 3. de ira, c. 12.* *Ephes. 4. ca.* *Exo. 23. c.* *Ammianus Marcel. l. 14. sub finem.* *Sac. Dec. aut. to. priore.* *D. Basil. hom. 10. de ira.*

contentiones,indignationes,sectæ, nostris animabus perpetuos generantes tumultus, ibi Spiritus mansuetudinis haud requiescit quamobrem B.Pauli monitis obtemperantes,omnem a nobis indignationem,ac clamorem, cum omni malitia abijciamus.*Ephes.4.c. Omnis amaritudo,& ira,& indignatio,& clamor, & blasphemia tollatur à vobis,cum omni malitia .Estote autem inuicem benigni,misericordes,donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.* Hęc ibi.Duobus autem iam(per Dei gratiam)absolutis articulis:Deinceps,iuxta propositum,de tertio dicendum est nempe, de fraterna reconciliatione, qua de cũplura à nobis fusè tractata,comperies,Prioris tomi Sacrarum Decadum,hom 3.de inimicorũ dilectione,& deponendo odio, atque ineunda reconciliatione,& sarcienda beneuolentia.Vide ibi(si lubet.) *Si offers munus tuum ad altare,& ibi recordatus fueris,quia & Genes* 33.c.Iacob Patriarcha,non nisi fratre Esau, sibi recõciliato,legitur altare erexisse, in quo sacrificium obtulit.Ibidem rursus scribitur.*Currens Esau obuiam fratri suo, amplexatus est eum, & osculans fleuit.* Quo ex præclare indubię facinore,apertè infertur non debere nos esse irreconciliabiles, semperque iniuriarum memores. Alioqui longè deteriores sumus,ac peiores Esau reprobo,qui tamen in amicitiam tandem,cum germano suo,redijt. Tu autẽ Christiane, quousquè reconciliari fratri tuo differes de die in diem? Plutarchus to. 2.opusc.de amore fraterno,commodè scriptum reliquit, Socraticũ Euclidem, immani fratris voce audita,ad eum dicentis. Dispeream,nisi te vlciscar, respondisse contra, Ego autem,nisi tibi persuasero, ab ira desistere, nósque amare,sicut priùs amabas. Quod & Stobæus,serm.82.ex eodem,commemorauit:Et ego,inquit Euclides Socraticus, nisi vt nos ames, tibi persuaserim,dispeream.Ibidem iterum,legitur: quod Aristippus ad fratrem dixerit : Memineris te dissensionis, me reconciliationis authorem fuisse. Imitémur itaque Pythagoreos, quorum,Plutarchus vbi suprà meminit, ad hunc modũ: Si quando ira commoti:ad mutua conuitia processissent, ante solis occasum,dextris inuicem datis,exosculátaque se mutuò rẽ composuerunt.Sic ille. Quid facere debent Christiani, cùm Ethnici Philosophi, in his tam egregiè se gesserint, & ita excelluerint? Marullus lib ro tertio capite sexto de pace colenda, scribit hoc modo : Non immeritò Agathon Abbas gloriatus est ( in Domino)se nunquam cepisse somnum,nisi prius, & suam aduersum alios, & aliorum aduersum se indignationem, placando sopiret : Eundem dicere

*Ephes.4.c.*

*Sac.Decad.1. to.ho.3.*

*Gen.33.c.*

*Plut.to.2.op. de amore fraterno.*

*Stob.ser.82.*

*Rursus Plut. vb.sup.*

*Marul.l.ex.p. 3 c.6.de pace colenda ex vi-tis.Papa.*

solitum, accepimus, Iracundos Deo, atque hominibus, odio esse. Sicut enim humilitas pacem conseruat, Ita iracundia concitat lites, concordiam dissipat. Sic ille ex vitis Patrum. Recenset idipsum in catalogo Sanctiorum Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 38. Mitto nunc dicere quod ex Simeone Metaphraste, de S. Ioanne Eleemosynario, Alexandriæ Archiepiscopo (qui sub Imp. Eraclio floruit) narrat in eius vita, Carthusianus Surius, to 1. de probatis Sanctorum historiis quomodo, propter iustitiæ zelum aduersus patricium quendam, cùm succensuisset, aduesperascente iam die, per vnum ex suis presbyteris, illi mãdauerit, dicens: Sol est iam in occasu, vir maximè venerande. Ille autem compunctus, statim ad Sanctum se contulerit, quem Sanctus amicè complexus narratur, Hoc interim de eodem proferam quod ibi scribitur, quomodo, die solenni celebraturus, præfatus Sanctus, recordatus eius, qui oderat eum, significauerit Diacono, vt orationem cõtinuaret, in ipsius reditũ, prætexens ventrem. Inuento autem illo, qui oderat eum, ad ipsius procidit pedes: postulãs veniam, quo pudore suffuso, & identidem, indulgentiam, veniámque postulante, Deus, inquit ille, ambobus ignoscat, fili mi. Rediitque cum illo ad altare, cum fiducia, posteà dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, debitoribus nostris:* Matth. 6. Hæc ibi. Vide, quæso, praxim huius mãdati. Si offers munus tuum, &c. Prætermitto historiam memorabilem, De Martyre Nicephoro, & presbytero Sapricio, ex eodem Metaphraste, apud Surium, vbi suprà, quam in Decades retulisse memini. Noluit Sapricius audire eum, qui dicit nũc in Euangelio: Reconciliare fratri tuo: clausítque viscera misericordiæ à fratre suo. Ideò nõ sensit, nec habuit Deum in fine propitium, sed iustè aduersus se iratum, expertus est. Priuatus est enim laureâ; coronâque martyrij, & regno cœlorum, effectus finaliter Apostata, fideique desertor, quamuis Christum ad locum vsquè supplicij, confessus fuisset. vice autem, locóque eius subrogatus est, & in eius suffectus locum, Nicephorus, Laicus, in Antiochia Syriæ, iuxta nominis sui rationem, victoriam de hoste, & martyrij referens palmam, & in cœlis coronam adeptus, altero, quia irreconciliabilis extitisset, manente putrido, nam (vt ait Sapiens) nomen impiorum computrescet, Sapricius, autem ex Græco, putris transferri debet. Et de exemplis quidem, hactenus dictum sit satis. Altare verò commemorat disertis verbis Christus, dicens:

*Petrus de Natalibus, lib. 1. c. 38.*

*Surius to 1. de probatis Sanctorũ historiis, ex Simeone Metaph. de S. Ioanne Eleemosynario.*

*Sac. Decades authoris.*

*Si offers munus tuum ad altare, &c.* Vbi quoque ex professo, aduersus væsanum dogma Bezæ, in hunc locum, notabis, in omni lege fuisse, & esse debere, ad seculi vsque consummationem, Altaria; Et primùm quidem, ab Abele Iusto inchoantes, in mundi primordio, notum est, *Genes. 4. cap.* munera illum Deo obtulisse; *Respexit namque Deus ad Abel, & ad munera eius.* ait Scriptura, Ecquis verò non crediderit eum, tunc coustruxisse aliquem altaris modum, cui superposuerit sacrificium, & munera, quæ Deo obtulerit? *cap. 8.* Noë, statim à diluuio, ædificauit altare Domino, obtulitque holocausta, super altare. Abram Patriarcha, apparenti sibi Domino, altare etiam ædificauit, *cap. duodecimo & decimo tertio*, iuxta conuallem Mambræ, quæ est in Hebron, ædificauit ille altare Domino. Quis autem dubitauerit Melchisedech (qui erat Dei altissimi Sacerdos. *Genes. decimo quarto cap.*) super altare, Domino panem, & vinum obtulisse? De Isaac similiter legitur: *cap. vigesimo sexto*, in Bersabee ædificauit altare Domino, inuocato nomine Domini. Et Iacob, *cap. trigesimo tertio*, in oppido Sichem erecto ibi, altari, inuocauit super illud fortissimum Deum Israel. Imò verò, idem in Bethel, iubente Domino, ac dicente, *cap trigesimo quinto. Fac altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum, Aedificauit ibi altare, & appellauit nomen loci illius. Domus Dei, ibi enim apparuit ei Deus, cum fugeret fratrem suum.* Moses consimiliter, ante acceptam legem, vt habetur, *Exod. decimo septimo*, post expugnatum, deuictúmque Amalech, *Aedificauit altare, & vocauit nomen eius, Exaltatio mea Dominus.* Post latam autem legem, quid crebriùs memoratur in Biblijs, quàm altare? In nouo verò instrumento, Christus, hoc loco, altaris meminit, *Si offers*, inquiens, *ad altare*, quod Diuus Anselmus (qui ante oo. annos floruit, sub Imperat. Henrico tertio) sic exposuit: *Si offers munus tuum*, siue corporale, vt candelam, siue spirituale, vt orationem ad altare siue materiale siue spirituale id est, Christum. Sic ille. Et diserte Diuus Paulus, *Hebræor. 13. cap. Habemus*, inquit, *altare* (Isichius, presbyter Hierosolymitanus, in Leuiticum, *li. 1. cap. 4.* id exponens) hoc est, Corpus Christi, *De illo enim comedere, Iudæis fas non est.* Intelligibile altare, corpus Domini dicit. Sic ille quidem, de spirituali interpretatur altari: At suprà memoratus Diuus Anselmus, ad Hebræos ibidem, de altari Ecclesiæ intelligere Apostolum censuit, vbi consecratur corpus Christi, *de quo edere non habent*

Gen. 4. | ca. 8. 12. & 13. | cap. 14. | cap. 26. | cap. 33. | cap. 35. | Exo. 17. | Matth. 5. | D. Anselmus ibidem. | Hebr. 13. | Isichius, in Leuitic. li. 1. c. 4. | D. Anselmus, Ad 13. cap. Hebr.

*potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* id est, vmbræ veritatis, non habent licentiam edendi de nostro altari, id est, accipere corpus Domini. Sic ille. Sedulius ibidem, Habemus, ait, nos fideles altare, præter altare Iudæorum, vnde Corpus & sanguinem Christi Domini participamus, qui tabernaculo deseruiunt veteris videlicet legis. ex eo edendi potestatem non habent. Hæc ille. Habemus altare Græcè, θυσιαστήριον, quasi, ἀπὸ τῆς θυσίας, à sacrificio, sacrificatorium, deducas, locum intelligis, in quo sacrificium offertur. Hæc enim de eorum genere, quæ τὰ πρός τι, ad aliquid, siue, relata dicuntur esse censentur. Sacerdos, Sacrificium, lex altare. Sic enim à relatis disputat, & argumentatur Diuus Paulus, ad *Hebræor. 7. cap. Translato sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat. Item, cap. 5. Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia, pro peccatis.* Sic ergo liceat Catholico ratiocinari aduersus Bezam, & cæteros, in Gallia, altarium euersores Hugnosticos, In omni lege est sacerdotium quoddam, huic quadrans, & ex professo correspondens. In omni item Sacerdotio, sacrificia, & dona offeruntur Deo, per Sacerdotem, pro peccatorum expiatione, & ad Deum placandum; Sacrificia verò, super altare posita, Deo offerri solent, etiam in lege naturæ, vt suprà fusè tractatur. Necesse est itaque in omni cultu, & praxi, seu exercitio veræ Religionis, haberi sacerdotes, altaria, & peculiaria, illi legi consentanea, Sacrificia. Alioqui non esset vera lex, neque vera religio. Consequitur proinde, vt qui altaria suffoderunt, & destruxerunt, sint Antichristi præcursores, non autem germani, & veri Christiani, & Catholici. Nostra profectò aduersus Hugnosticos, cum Elia, Zelante pro lege Dei, aduersus Pseudoprophetas, ad Deum querela, ac lamentatio iusta fuerit, Si ita dixerimus. *Altaria tua Domine, destruxerunt: & prophetas tuos occiderunt gladio. 3. Reg. decimo nono cap.* Scribit contra Parmenianum Donatistam, Optatus lib. sexto initio, Quid est, inquiens, tam sacrilegum, quàm altaria Dei frangere? Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera, non iussit Saluator poni, nisi, quæ essent de pace condita. Relinque munus tuum ante altare, & priùs concorda cum fratre tuo. Quid est enim altare, nisi sedes, & corporis, & sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester fregit. Quid vobis fecerat Deus, qui illuc inuocari consueuerat? Quid vos offenderat Christus, cuius illic per

*Sedulius, in Paulum vbi suprà.*

*Hebr. 5. & 7.*

*3. Reg. 19.*

*Optatus, cōtra Parmenianū Donatistam, lib. 6. initio.*

certa momenta, corpus, & ſanguis habitabant? Sic *ille*. Quæ meritiſſimè & iure omnium optimo, aduerſus Caluiniſtas,& Bezanos dicere,& conqueri,poſſumus. Sacramentum altaris, Catholicè Sacroſanctam, & auguſtiſſimam ſolemus appellare Euchariſtiam, qua de longiùs diſſerendi, erit alibi opportunior locus, (Deo benè propitio, nobiſque fauente). Habemus ergo altare. Quod Haymo, ſicut & Primaſius (vt

*Pamelij Liturgic tom.* 1. Iacob Pamelius Liturgicorum to. priore, citat fol 66. 67.) interpretantur, hoc modo: *Habemus altare*, vbi conſecratur

*Haymo & Primaſius, D. Aug. diſcipulus, ad Hebr.* 13. c. 1. *1. Cor.* 11. corpus Dominicum, *de quo non habent poteſtatem edere, qui tabernaculo corporis ſui deſeruiunt*, fornicatores videlicet, adulteri, ebrioſi, immundi, & ij, qui ſeminant inter fratres diſcordias omnéſque, qui voluptatibus, & deſideriis carnis ſuæ, deſeruiunt. *Qui enim manducat, & bibit indigne iudicium ſibi manducat, & bibit.* Hæc Primaſius totidem verbis, Vticenſis in Aphrica Epiſcopus, B. Auguſtini quondam diſcipulus. Apoſtolorum

*Apoſt. Can.* 3 *& Can.* 30. certè canones, id conuincunt, quod propoſuimus. Si quis, inquiunt, Epiſcopus, aut presbyter, præter ordinationem Domini,alia quædam offerat in ſacrificio, ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, id eſt, ſupra altare,& cæt. Ac denuò: Si quis prebyter, contemnens Epiſcopum ſuum, ſcorſum collegerit,& altare aliud erexerit (χωρὶς συναγάγῃ, καὶ θυσιαστήριον ἕτερον πήξῃ.) nihil habens,quo reprehendat Epiſcopum, in cauſa pietatis, & iuſtitiæ deponatur, quaſi principalis amator exiſtens. Eſt enim tyrannus, & cæteri clerici, quicumque tali conſenſerunt.

*In vita D. Andr. Apoſt.* Similiter D. Andreas Apoſtolus, iuxta quod deſcribunt preſbyteri, & diaconi Achaiæ. Omnipotenti Deo, inquit, qui vnus, & verus eſt, Ego omni die ſacrifico,non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum, quotidie in altari crucis ſacrifico, & cæt. Vocat autem altare crucis (meâ quidem ſententiâ) quia eadem eſt victima, ſeu, res oblata, quæ fuerat etiam in cruce, ſed differens eſt modus, cruente quippe,ac ſemel duntaxat oblatus eſt in cruce, at incruentè quotidiè, in altari offertur. Nonne etiam de Diuo Matthæo (cui hæc dies Sacra eſt) legitur in Breuiario Romano, ex decreto Concilij Tridentini, reſtituto, quod ad altare

*D. Mart ep.* 1. *ad Burdegalenſes, apud Pam. vbi ſup. f.* 122. myſterium celebrans iuſſus eſt, ab Hirtaco immani, truculentóque tyranno occidi? Nec prætermittendum exiſtimaui D. Martialis, Aquitaniæ noſtræ Apoſtoli, & Epiſcopi primi teſtimonium, (vt idem Pamelius, f. 122. eodem tomo, teſtatur) Dum altaria (inquit ad Burdegalenſes) dæmonum

in puluerem redigerentur, aram ignoti Dei, ad consecrationem reseruari iussimus: quia dedicata, in nomine Domini, Dei Israel, & ipsius testis Stephani, qui pro eo à Iudæis passus est, non hominis cultum, sed Dei, in ea frequentatis. Sic ibi.

Nunc de oblationibus aliquid attingamus. *Si offers,* (inquit Christus) *ad altare. Non apparebis,* ait Dominus, *Exod.* 23. *in conspectu meo vacuus.* Ibi de oleastro, Lusitanus, Iniustus esse videris, ait, Si Dominus Deus tuus, te suis donis impleat, & tu coram eo vacuus, & ingratus appareas. Non vt comedat ipse, hoc vult, Sed gratitudinis ergò, & protestandæ fidei, ac charitatis gratiâ. De oblationibus extant loci Scripturæ sanctæ, *Ecclesiast.* 35. *Non apparebis ante conspectum Domini vacuus.* Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt. *Oblatio iusti impingnat altare, & odor suauitatis est in conspectu altissimi. Deuter.* 16. *Non apparebit ante Dominum vacuus homo, sed offeret vnusquisque secundum quod habuerit, iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.* Rectè in Deuteronomo, id legitur, quoniam ad Christianos quoque, nedum ad Iudæos, id pertinet; Sæpè etiam repetitur: *Non apparebis in conspectu meo vacuus, supra, Exod.* 23. *& cap.* 34. Adde item, quod de oblationibus Abel, *Genes.* 4. expressè profertur: Et quid multis opus est? De missa Euangelica lib. 4. cap. 13. De offertorio, Ioan. Faber Hailbrunen. Doctor Theologus, Orthodoxus. Olim, inquit, dum cantaretur offertorium, solebant Christicolæ offerre quippiam in altare, seséque commendare sacerdotis precibus, quemadmodum est ab Ecclesia constitutum. De consecrat. Distinct. 1. cap. Omnis Christianus, &c. Memores videlicet præcepti; Non apparebis in conspectu meo vacuus. Fatebantur etiam hoc ipso, bona omnia se diuinitùs adeptos, grates, laudésque agebant Deo, eundémque precabantur, ipsorum operibus, vel laboribus, bene liceret. De offerendo munere ad altare, Dominus agit: *Matth.* 5. Idem commendat viduam, duo minuta mittentem, in Gazophylacium. *Luc.* 21. *cap.* Ea verò oblatio, debet cedere in vsum sacerdotis, qui ex altari viuere debet: hoc est, ex oblationibus, vnde Paulus, 1. *Corinth.* 9. *qui altari,* inquit, *deseruiunt, cum altari participant, & qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt.* Hodie verò, parùm, aut nihil, Sacerdotibus offertur, (adeò pietas, charitásque multorum refrixit) Quò fit, vt Deo permittente, ingens populum penuria, & egestas premat. Sic ibi.

*De oleastro, in Exod.* 23.

*Eccl.* 35.

*Deut.* 16.

*Exod.* 23. & 34.

*Gen.* 4.

*De missa Euangelica Fabri, lib.* 4. *c.* 13.

*De consecrat. dist.* 1. *c. Omnis Christ.*

*Matth.* 5. & *Luc.* 21.

1. *Cor.* 9.

Et hæc quidem breuiter de oblationibus in altari, dicta sunto. Si frater tuus habet aliquid aduersum te. Quod sic D Augustinus, to. 4. li. 1. de sermone Domini in monte, interpretatur, Habet aliquid aduersum nos frater. Si nos eum in aliquo læserimus. Nos verò habemus aduersus illum, si ille nos læserit, vbi non opus est pergere, ad reconciliationem. Non enim veniam postulabis ab eo, qui tibi fecit iniuriam: Sed tantùm dimittis, sicut tibi dimitti à Domino cupis, quod ipse commiseris. Pergendum est autem ad reconciliationem, cùm in mētē venerit, quòd nos fortè fratrem in aliquo læsimus. Pergendū est ergo, non pedibus corporis, sed motibus animi: vt te humili affectu, prosternas fratri, ad quem chara cogitatione cucurreris, in conspectu eius, cui munus oblaturus es. Iam enim si præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire, atque in gratiam reuocare veniam postulando. Si hoc priùs coram Deo feceris, pergens ad eum, non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu. Hæc sacer Augustinus, ibidem.

D. Augustin.

Verùm enimverò, ne tædio lectores afficiam, prolixiùs sermonem extendendo, hîc finem imponere decreui: Deum op. max, votis summis implorando, vt tàm sanctam, iustámque, Christianæ Religionis, ac perfectionis, obseruantiam, corde, ore, opere, adimpleamus. omne amarulentiæ virus, inueteratúmque aduersus confratres nostros, odium, ex animo deponamus, vt coram Domino, & ante altare ipsius, comparére valeamus, ac tandem ad habitacula æterna, sempiternásque & beatas mansiones perueniamus. Præstante Domino nostro qui cum æterno Patre, ac viuifico Spiritu, viuit, & regnat per æterna sæcula.

AMEN.

# DOMINICA VI. A PENTECOSTE.

## De quatuor hominum millibus, à Christo, ex panibus septem, paucísque pisciculis multiplicatis miraculosè, saturatis in deserto: Septémque sportis fragmentorum inde collectis.

## MATTH. VIII. CAP.

*Cum turba multa esset cum IESV, nec haberent quod manducarent: conuocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. Vbi sup.*



VOD, misericordiâ motus Dominus, tantam turbam, paucis exsatiauit cibis, duo inprimis discere debemus, affectum videlicet, ac compassionem humanæ fragilitatis, & imbecillitatis, quem Christus (quâ homo erat) ostendit, dum super turbam miseretur, eique condolet: Operationem item diuinæ virtutis, in eodem (quatenus Deus est) in eo, quòd septem panibus, & pisciculis paucis, quatuor hominũ millia saturauit. Quamquam Christus dupliciter misereatur, & diuinitatis clementiâ, & affectu humanitatis: at differenter. Nã secundum humanam naturam, ita miseretur, quod etiam cõpatitur: Diuinitatis verò clementia, ita miseretur, quod non compatitur. Patitur enim omnis, qui compatitur. (Nam cõpositum præsupponit simplex.) In Deum autem nulla cadit, sed nec cadere potest, passió, cùm sit purus actus, vt Metaphysici loquuntur. Igitur neque compassio in Deum cadere po-

teſt, propriè loquendo.

Nota verò, nonnulla eſſe, quæ ingenitâ,ac inſitâ ſibi proprietate, valdè miſereri ſolent, στοργὴν φυσικὴν (vt aliàs à nobis obſeruatum fuiſſe, comperies) appellant Sed multò amplius Deus, miſeretur creaturis. Cùm enim affectus paternus erga liberos, primas teneat. Iuxta illud: *Luc.* 15. *cap. Pater prodigi miſericordia motus eſt, & accurrens, cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Porrò miſericordia Dei longè paternum vincit affectum; dicente: Pſalte regio. *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus, Pſalm.* 102. Ibidem rurſus: *Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſque in æternum, ſuper timentes eum.* Miſeretur itidem mater filio. 3. *Reg.* 3. Iubente rege Salomone, vt diuideretur infans viuus, in duas partes. Dixit mulier, cuius filius erat viuus, ad regem,(*Cōmota ſunt* quippe *viſcera eius, ſuper filio ſuo*) *obſecro, Domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. Reſponditq; Rex, & ait, Date huic infantem viuum. Hæc eſt enim mater eius.* Sed Dei miſericordia præualet maternæ miſerationi: iuxta Euangelicum Vatem *Iſa.* 49. *cap. Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te, ait Dominus.* Miſeretur, Tertiò, frater confratris ſui, Sic, *Geneſ.* 43. *cap. Attolens Ioſeph oculos, vidit Beniamin fratrem ſuum vterinum, & ait, Deus miſereatur tui. Feſtinauitq;, quia commota fuerant viſcera eius, ſuper fratre ſuo, & erumpebant lachrymæ, & introiens cubiculum fleuit: Rurſumq; lota facie, egreſſus continuit ſe.*

*Luc.* 15. *c.*

*Iſa.* 49. *c.*

At Chriſtus, noſtri longè amplius miſeretur, quos fratres agnoſcere ipſe dignatur, dicens: *Matth.* 25. *cap. Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis, & Ioann.* 20. *cap. Vade ad fratres meos, & dic eis. Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum. Deum meum, & Deum veſtrum.* Quartò, miſeretur amicus, amico ſuo. Sic 1. *Reg.* 18. *cap. Inierunt Dauid, & Ionathas fœdus, diligebat enim eum Ionathas, quaſi animam ſuam, & cap.* 20. *Oſculantes ſe alterutrum fleuerunt pariter, Dauid autem amplius.* Chriſtus autem eſt amicus ille, cuius oſtium pulſare debemus, vt panem æternæ vitæ, ab eo accipere mereamur. *Luc.* 11. *cap. Quis veſtrū habebit amicum, & dicet illi, Amice commodā mihi tres panes.* Amicus iſte noſter, per ſanctum ex vtero Vatem, *cap.* 21: loquitur. *In charitate*, inquiens, *perpetua, dilexi te: ideò attraxi te miſerans*, miſeretur afflicto, amico, qui fidus eſt amicus, vt enim, ait Ariſtoteles, lib. 2. Rhetoricorum. cap. 8. De miſericordia:

*Ariſtoteles.*

Miſerentur homines eorum, qui familiares ſunt, niſi fortè ſint magna neceſſitudine coniuncti. Nam hos non aliter ac ſeipſos habent. Itaque Amaſis, cùm ad ſupplicium duci filium ſuum videret, lacrymas non effudit, vt fertur, cùm autem amicum mendicantem conſpexiſſet, tunc illacrymauit. Hoc enim miſerabile eſt, illud verò; atrox, & terribile. Quod enim atrox eſt, differt ab eo, quod eſt miſerabile, quippe quod eiiciendi miſericordiam vim habeat, & ſæpiùs in contrarium valet. Sic ibi.

M. Antonio Maioragio interprete. At verò Hermolaus Barbarus, alio modo interpretatus videtur, vt in Danielis Barbari, Nepotis ipſius, in eos libros, quos ipſe traduxit. Commentariis editis, legere eſt, ad hunc modum. Lib. 2. Rhetor. cap. 19. De iis, quorum miſerentur homines. Miſeret ergo (vertit latinè Hermolaus Barbarus) familiarium, ac neceſſariorum: non omnium quidem, ſed eorum, qui nobis multa conſuetudine, vel affinitate, coniuncti non ſunt. Alioqui eorum, qui nobis arctiſſimè ſunt deuincti, nos non miſeret, ſed ita affecti ſumus in eorum incommodis, vt ſolemus in noſtris. Quamobrem Amaſim ferunt, cùm filium, quem ad mortem duci videbat, non defleuiſſet, in Philippo amico, & ſupplici lacrymas effudiſſe. Nam quod in amico miſerabile erat, horrendum, ac terribile videbatur in filio. Terribile porrò non modò diuerſum, à miſerabili eſt, ſed etiam cõmiſerationem expellit, & diſcutit: fitque idcircò, vt ſæpè ſit aduerſario vtile. Sic ille.

De Amaſi quidem nihil tale memini vnquàm legiſſe me; vel etiam comperi nuſquam, tametſi inquiſierim: At verò, de altero Ægyptiorum itidem rege Pſammenito videlicet, illius ſucceſſore ſimile quidpiam legi, quod percommodè retulit Herodotus, lib. 3. circa principia, hunc in modum. Decimo die quàm muros Memphis cepiſſet Cambyſes, Pſammenito Ægyptiorum rege collocato in ſuburbanis, ignominiæ gratia, cum Ægyptiis aliis, hoc fecit, vt eius animum experiretur: Filiam illius veſtitu ſeruili circundatam, cum hydria ad aquam emiſit, & cum ea ſimiliter indutas alias quas delegerat, primorum virorum filias virgines. Quæ vbi ad patres peruenerunt, cum eiulatu, plotatúque, & cæteri quidem patres, conſpectis filiabus, tam malè acceptis, viciſſim vociferati ſunt, atque fleuerunt. Pſammenitus autem intuens atque intelligens, humi vultum demiſit. Prætergreſſis puellis, aquam ferentibus, ſecundo loco Cambyſes ante oculos Pſammeniti miſit filium eius, cum duobus millibus

Her.

Ægyptiorum, æqualis ætatis, vinctas fune ceruices, & frenata ora habentibus. Ducebantur autem luituri pœnas, his Mitylenæis, qui cum naui fuerant ad Memphim obtruncati. Ita enim censuerant regij iudices, pro singulis suorum interfectis, denos primorum Ægyptiorum interficiendos. Psammenitus prætereuntes intuens, & filium animaduertens duci ad mortem, aliis Ægyptiis, qui circumsedebant, complorantibus ac indignè ferentibus, ipse idem, quod erga filiam fecit. His quoque prætergressis, accidit vt quidam compotorum, seu conuictorum eius, natu grandior, pristinis bonis delapsus, ac nihil habens, nisi quæ inops mendicabat, obiret exercitum, necnon Psammenitum, aliósque Ægyptios, in suburbanis cōsidentes. Quem vt conspexit Psammenitus, erumpente ingente fletu, compellans nomine amicum, caput suum cædebat. Aderant autem ei tres obseruatores, qui vt quicquid ab illo fiebat, ex omni viarum exitu, Cambysi renuntiarent. Ea, quæ fiebant admiratus Cambyses, misso nutio, Psammenitum percontatus est, inquiens: psammenite, herus te Cambyses interrogat, quamobrem tu, qui visa filia indignè affecta, viso etiam filio ad mortem eunte, neque eiulasti, neque fleuisti: pauperem tanti feceris, tibi (vt ab aliis audiuit) non propinquam. Et Cambyses quidem ita interrogauit: psammenitus autem, his verbis respondit, fili Cyri, domestica mala, ferant maiora, quā vt possem ea deflere, at lamentatio amici, digna lacrymis fuit, qui è multis, ac fortunatis opibus, ad inopiam recidit, in extremo limine senectutis. Hæc vbi responsa, ab hoc renunciata sunt, visus est illis psammenitus, vt ab Ægyptiis fertur, rectè respondisse. Crœsúque dicitur illacrymasse, item, qui aderant persæ, ipsíque Cambysi commiserationem subiisse, vt protinus iusserit, & filium ex his, qui morti addicti essent liberari, & patrem è suburbanis excitatum ad se perduci. Sed filium quidem, qui adierunt, non iam superstitem inuenerunt, sed primo loco truncatū: Ipsum verò psammenitū excitatum ad Cambysem produxerunt: vbi reliquum vitæ vixit, nihil violentum passus. Hactenus Herodotus. Quibus historiis patet, amicorum misereri, & illorum vicem amicos deflere solitos. Postremò, afflicto miseretur is, qui eadem expertus est. Vnde insignis illa fœmina, apud Poëtam loquitur; (Id nos sup. commemorauimus.)

*Non ignara mali, miseris succurrere disco.*

De Christo autem Diuus Paulus, *ad Heb.* 2. scribit, dicens: *Debuit*

*Debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, &c. In eo enim in quo passus est ipse, & tentatus: potens est, & eis qui tentantur auxiliari &c. 5. ibid. Et quidem, cùm esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, &c.* His omnibus ritè pensatis, ac perpensis, constat meritò dicere nunc Christum: *Misereor super turbam. Mar. 8. & Mat. 15. c.*

Benè admodum Apostolorum summus. 1. *Pet.* 5. *Omnem* inquit, *sollicitudinem vestram, proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Vnde etiam Psalmographus: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Psalm.* 54. quod præsenti confirmatur historia, ac miraculo isto comprobatur. *Misereor super turbam.* Nihil reuerà magis est hominum, quàm hominum misereri. Siquidem irasci, & vindicari: leonum est, ac ferarum. Pretiosum misericordiæ genus, valdè Deo gratum, ac in Abraham, Loth, ac Tobia, dedicatum. Obuiam exibat Abraham, & in viis expectabat peregrinos, & Loth consimiliter, vt ex Genesi sacra, liquidò patet. Tobias quoque concaptiuorum fratrum quærebat domos, per omnem cognationem, & consolabatur eos, diuidebátque vnicuique prout habebat opus, & ipse poterat de facultatibus suis, esurientes alebat: nudis vestimenta præbebat: & mortuis, atque occisis sepulturam. Denique Psaltes canit, *Psalm.* 40. *Beatus,* inquiens, *qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Quod in genere, ad omnem pauperem, ac egenum, nedum ad vnum Christum, (qui vt ait Apostolus, 2. *Cor.* 8. *cap.* propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia diuites essemus) accommodari potest. Vnde Apostolus. 1. *Timoth.* 4. *cap. Pietas*, inquit, *ad omnia vtilis est: promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Quo loco, pietas miserationem erga miseros significat, siue spiritualem, siue corporalem. Hæc coronatur in sæculo futuro, ac præsenti, Hæc verè coronat cultores suos. Qua de re elegantem habes historiam. 3. *Reg.* 17. *cap.* in Elia propheta, ac vidua Sarephtana. Faciens enim cum Elia misericordiam, ditata est oleo, ac farina, vsque in diem, qua Dominus dedit pluuiam super terram. Et hîc quoque Apostoli, ex 7. panibus, quos satiandis alendísque turbis, liberaliter contulerant, septem reliquiarum sportas retulerunt: vt tanti miraculi à Christo patrati reliquiæ tales testimonio essent, omni exceptione maiori, atque locupletissimo. Sic, *Iosue.* 4. *cap.* cùm Iordanis conuersus est retrorsum, ad transitum arcæ fœderis Domini, præcepit ille filiis Israel, vt tollerent de alueo fluuij, 12. lapides, vt sint

*Psalm.* 54.

*Psal.* 40.

3. *Reg.* 17.

(inquit) in signum inter vos. Et quando interrogauerint vos, filii vestri, cras dicentes: Quid sibi volunt lapides isti? Respondebitis eis. *Defecerunt aquæ Iordanis, ante arcam fœderis Domini, &c.* In hunc etiam finem, ac scopum, dirigitur intentio Saluatoris, in iussione collectionis fragmentorum, post exsatiatas turbas, vt scilicet, essent in monumentum admirabilis operis, & in recordationem per multos dies ipsis Apostolis Habuerunt namque ante oculos suos panes reliquos diebus aliquot, quasi admonitores præteriti miraculi, ne facilè ab illorum excideret memoria, quod coram eis actum fuerat: sicque in fide semper proficerent, cùm ad manducandum sederent, illâ hebdomadâ, colloquentésque inuicem, sic dicerent: Iste est panis, quem dedit Dominus ad vescendum, tot hominum millibus & supersunt in hunc vsque diem istæ, quæ nobis apponuntur, fragmentorum reliquiæ. In magnum igitur fidei, ac deuotionis, adiutorium, & subsidium, memoriam facit altissimus, mirabilium suorum, sicut

*Psalm.* 100. vates regius decantat: *Psalm.* 100. Et Paulus. 1. *Corinth.* 11. *cap. Quotiescumque*, ait, *manducabitis panem hunc &c. mortem Domini annunciabitis donec veniat.* In sui quippe memoriam fieri, Dominus voluit, cùm disertis verbis iussit, dicens. *Luc.* 22. *c. Hoc facite in meam commemorationem.* Hoc quoque loco, reliquias seruandas præcepit, in memoriam suorum mirabilium. Vtiliter proinde hominibus consultum est in eiuscemodi signis reseruatis, ad recordationem operum Domini, reliquiis tantorum miraculorum. Hinc. *Matth.* 16. *cap.* Apostolos Dominus reprehendit, his verbis. *Quid cogitatis inter vos, modicæ fidei, quia panes non habetis? Non intelligitis, nec recordamini, quinque panum, & quinque millium hominum, & quot cophinos inde tulistis? Neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas inde retulistis, ac reportastis?* Vult igitur Christus, nos suorum memores esse, (atq; adeò gratos) mirabilium.

Obserua, quæ sunt propria, ac peculiaria, hac in narratione. Bis enim Christus panes multiplicauit. Semel, refectis quinque hominum millibus, & relatis duodecum fragmentorum cophinis. In cuius miraculi expositione (quam Dominica 4.

*Sac. Decad.* Quadragesimæ, tom. posteriore, nostrarum Decadum reperies) ad longum, calamum extendimus, vt penè nihil ad dicendum supersit hoc loco, In nomine tamen Domini Iesu, laxabo rete, & vela: Spatiosum enim est Sacræ scripturæ mare, & magna opera Domini, quorum virtutem, ac magnificentiam vix mortalis homo, extremis (quod aiunt) labris, percipere

valet, tantùm abest, vt ea comprehendat, & ad plenùm pernoscat. Iterùm Christus, quatuor hominum millia, ex septem panibus saturauit, & post refectionem, quatuor sportas retulerunt Apostoli. In priore miraculo, panes fuerunt quinque, & duo pisces, Hominum similiter, quinque millia: In isto autem posteriore miraculo, sunt panes septem, pisciculi pauci: Et hominum quatuor millia. Illic cophini duodecim, iuxta duodenarium Apostolorum numerum, pleni ex fragmentis. Hìc verò, septem sportæ (iuxta mysticum septem sacramentorum numerum) Illic panes erant hordeacei, hîc nihil tale expressum legimus. Illic fœnum ad discũbendum: hîc autem super terram nudam sedent, ad regium conuiuium. Et quid multis opus est? vtrinque, nominatim desertum exprimitur, vt memineris Dominum pauisse suos in vtroque testamẽto, sed non nisi in deserto. Satiantur autem hic, in fine tridui, non initio conuersionis, nec medio, sed in fine deficere enim debet farina, ex Ægypto abducta, vt gustare liceat manna.

Ideò tertia die, nempe resurrectionis Christi, reficiuntur illi discipuli, qui in Emaus, ibant. Dicunt enim, *Luc. 24 cap. Et nunc tertia dies est hodie, quòd hæc facta sunt.* Ideóque Paulus tertio die, à conuersione sua, manducat, & reficitur: *Act. 9. cap.* Satiantur turbæ istæ, quæ cum Christo perseuerant, toto triduo. Certè, cum animaduerto turbas istas, triduo in deserto, sine domo, sine lecto, sine hospitio, sine cibo (quæ propè iam deficiebant) perdurantes cum Christo, diéique æstum, ac noctis intemperiem, cum paruulis etiam & vxoribus tolerantes, ac super nudam humum cubantes, quid aliud iudicare potero, quàm eam fuisse Dominicæ prædicationis gratiam eámque in sanando virtutem, vt homines illi, sui quodammodo obliti, vsque adeò, à Diuina illa Christi eloquentia, ac docentis ore suspensi essent, vt neque longioris viæ, neque inediæ, quæ illos iam premere cœperat, recordarentur? Optima sese mihi nunc offerebat occasio, ad increpandos huius nostri æui Christianos. Sunt enim aliqui, numquàm ferè concionibus assistentes, quorum deuotio, adeò refrixit, vt vix semel in anno, sacro intersint, officiis diuinis parum admodum afficiantur, ludis, scænis, theatris, potiùs inhiantes, quàm loca pietatis, vt Xenodochia, templa, ac oratoria, inuisentes. Quorum profectò damnatio, ex istius turbæ frequentia, perseuerantia cum Christo, toto tridui tempore, magnáque audiendi verbi ipsius appetentia, iusta esse deprehenditur, atque conuincitur.

*Luc. 24. &*

Certe, vt D. Hieronymus, suis in Matthæum commẽtariis *D. Hieronym.*

annotarit; maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo, ad se, videntes trahere potuit aspectu: Si enim in magnete lapide, & succinis, hæc esse vis dicitur, vt annulos, & stipulas, & festucas sibi copulent: quantò magis omnium Dominus, ad se pertrahere poterat, quos volebat? Sic ille.

*Olaus.*

*Cassidoro, Variaruam.*

Verùm ne succini vox, lectori minus perito antiquitatis vllum facessat negotium, eúmque ab instituto remoretur diutius eam ex Olao magno, Gotho Archiepiscopo Vpsalensi, lib. 12. cap. 20. historiæ, de gentibus Septentrionalibus, illustrare enitar. Ergo ex Cassiodoro, Variarum, li. 5 epist. 2. Hoc succinum, quodam Cornelio scribente, legitur, in interioribus insulis Oceani, ex arboris succo defluens, vnde & succinum dicitur, paulatim solis ardore, coalescere fit enim sudatile metallum teneritudo perspicua: modò croceo colore rubeus, modo flammea claritate pinguescens: vt cùm in maris fuerit delapsa confinio, æstu alternante purgata, litoribus tradatur exposita. Hæc Cassiodorus. Nascitur itaque (ait Olaus) ex abietis, vel pini, vel veriúsque, succo, succinum, (Ambram vulgò nominamus) Talísque ambra seu Succinum, omnium colorum capax est, & ad ornatum mulierum venundatur. Poppęa Neronis vxor, succinei coloris capillos incessanter nutriens, omnes fœminas habuit in ea voluptate sequaces. Ex cap. 9. apud Olaum vbi sup. Qua de re Plinius lib. 37. naturalis historiæ cap. 3. Cæterùm, inquit, attritu digitorum, accepta caloris anima (seu vi) trahunt in se paleas ac folia arida, ac Phyliras (arborum membranas, leues, ac tenues, ita appellant) vt magnes lapis, ferrum, (De succinis loquitur) vnde & ibidem scribit, Arboris succum esse prisci nostri credidere, ob id succinum appellantes. Pineæ autem arboris esse, iudicio est, pineus in attritu odor, & quod accensum, tædæ modo ac nidore flagret. Hodie transpadanarum agrestes fœminæ, monilium vice, succina gestant, maximè decoris gratia, sed & medicinæ quando faucium vitiis creditur resistere. Fuluis maior authoritas, ex iis etiamnum amplior translucentibus, ac pellucidis. Domitius Nero, in cæteris vitæ suæ portentis, capillos quoque coniugis suæ Poppęæ, in hoc nomen adoptauerat, quodam etiam carmine, succina appellando, aut succineos. Et quoniam nullis vitiis desunt pretiosa nomina, ex eo tertitis quidam hic color cœpit expeti à matronis. Vsus tamen succinorum inuenitur aliquis in medicina: sed non ob hoc fœminis placent. Hactenus Plinius. Electrũ alio nomine etiam

*Plinius.*

vocarat,& stipulas,secreta vi & arcana proprietate, ad se trahit, ac cuius similitudinem, Christus,turbas,ingentes per turmas,ad se sequendum pertrahebat, vnde hodiernum sic incipit Euangelium. *Cùm turba multa esset cum IESV, nec haberent quod manducarent, &c.*

*Conuocatis discipulus suis, ait illis: Misereor super turbam, &c.* Discipulos Christus, in eum sanè vsum conuocauit, qui tot in simili casu refert D. Ioannes, Theologus, cap.6. sciebat, quid esset facturus, vt prælatis, ac superioribus, exemplum daret, non spernenda fore consilia subditorum, atque inferiorum. Non rarò enim, etiam penes infimæ sortis homines, vtile reperitur consilium,iuxta illud:

*Sæpè enim, & olitor est opportuna loquutus.* *Iuuenalis.*

Item de Democrito Iuuenalis, Satyra.10,verba faciens, ita cecinit.

*---- Cuius prudentia monstrat*
*Summos posse viros, & magna exempla daturos*
*Veruecum in patria, crassoq; sub aëre nasci,*

Moses, tametsi Dei frueretur colloquio, non tamen aspernatus est, vti consilio Iethro, sacerdotis Madian. Exod. 18.c. Si seruorum suorum consilium prudens, ac salutare spreuisset Naaman Syriæ princeps. 4.Reg.5. non fuisset à lepra sua mūdatus. Et si coniunx ipsius Naaman captiuæ puellæ Israelitidis, quæ erat in eius obsequio, neglexisset consilium, dicentis: *Vtinam fuisset Dominus meus, ad prophetam, qui est in Samaria!* profectò curasset eum à lepra quam habet, (nequaquam ille ad Elisæum, se contulisset, ac per consequens, curatus non fuisset, Tanti valet bonum consilium, si eo quis sapienter vtatur. Vnde Macrobius lib.1. Saturnaliorum, c.11. Tu viue cum seruo clementer,comiter quoque: & in sermonem, illum, & nonnumquam in necessarium admitte consilium.Sic ille. *Macrobius.*

*Misereor super turbam.* Duplex erat causa miserendi,& quia triduo sustinebant Christum,hoc est, cum eo perseuerabant ipsius actibus, atque doctrinæ intenti, circáque propria, incuriosi, ac negligentes: Et quia defectu alimoniorum, & victus penuria poterant, periclitari. Triduo sustinent me Hic numerus ternarius nostræ saluti consecratus est. Sicut Iudæis via trium dierum, ad immolandum Domino. *Exod.3. Ibimus viam trium dierum, in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro.* Tres sunt pœnitentiæ partes. Contritio, de qua Ezechias in

Cantico suo. *Recogitabo tibi*, inquit, *omnes annos meos, in amaritudine meæ*. & Psaltes. *Cor contritum*, ait, *& humiliatum, Deus, non despicies. Psalm. 59.* Confessio item, de qua, *Ioan. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, &c.* Postremò.

Luc. 3. c. Satisfactio, cuius meminit Scriptura Euangelica. *Luc 3. Facite dignos pœnitentia fructus.* nempe, in leiunio, oratione, atque eleemosyna, de quib⁹, tribus satisfactionis partibus, extat *Tob. 12.* expressum Dei verbum: *Bona est oratio, cum ieiunio; & eleemosyna.* Qui igitur instar Hebræorum, vocante Domino, ex Ægypto exeunt, viam istam trium dierum percurrunt, in vera cordis contritione, amara, ac seria, & ex animo facta, peccatorum cõfessione, atque perfecta satisfactione. Hi nimirum sub cura Domini Iesu sunt. Tunc quidem sacræ synaxeos cibo, ab illo confortantur, sicut Elias, ne deficiant in via, qui ab Angelo Domini subcinericij panis cibum accipiens, ambulauit in fortitudine cibi illius, vsque ad montem Dei: 3. *Reg.* 19. *Si dimisero*

3. Reg. 19. *eos ieiunos, deficient in via, &c.* Tanta indubiè, est virtus creatoris, quòd si quæ fecit desereret, deficerent vniuersa. Dependent enim omnes creaturæ à Deo, in esse, & in conseruari (vt lo-

Psalm. 10. quuntur Theologi Scholastici) vnde *Ps. 103. Emitte Spiritum tuũ, & creabuntur. Auertẽte autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* Tanta autem est Dei bonitas, & pia misericordia, vt creaturam suam ipse deserere nolit. Hinc *Mat. 15. Misereor*, inquit Christus, *turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum: & non habent, quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.* Sic ibi.

*Responderunt discipuli: Vnde istos, quis poterit saturare panibus, in solitudine?* Digni sunt proculdubio Apostoli, acri obiurgatione, quam congruo tempore adhibuit Christus semotis turbis. Nunc autem dissimulat, coram hac multitudine, ne publicè confunderet, quos ablegerat, sibíque cooptauerat Apostolos, & munere miraculorum, ac dono, exornauerat. Oportebat ergo, semotis arbitriis, eorum redarguere tarditatem ad credẽdum, vt doceantur hoc Christi exemplo, concionatores, prælatos, ac seniores, atque de clero existentes, (ne vituperetur, sacrum ipsorum ministeriũ, aut paruipendatur, à vulgo, & plebecula promiscua) cum magna modestia reprehendere, nec passim, pro concionibus, illos traducere, atque (vt dici solet) infamare. Quod subintellige, nisi scãdalo sint ipsi plebi, ac populo sintque eorũ crimina omnib⁹ perspecta, ac cognita: atq; ipsi omnẽ abiecerint pudorẽ, & (vt aiũt) frõtẽ perfricuerĩt. His enim adeò reprehẽsibilibus, in faciẽ etiã resistẽdum existimo,

ab ijs, qui pro Christo legatione funguntur, in verbo Dei, (quod alligatum esse non debet) declamando. Veritas quippe omnibus ex æquo, absque personarum delectu, & acceptione, magna certè libertate, dicenda est. Sermo interim Ecclesiastæ semper in gratia, sale sit conditus. *Coloss.* 4. & discretio, omnium mater virtutum in omni opere nostro excellere debet. *Vnde nobis panes tantos &c.* Primùm, vt Paulus de Palacio, in Matth. 15. obseruat: hæc grauis est reprehensio nostrorum Episcoporum, qui singuli tantos panes habent, vt reficere quatuor millia hominum possint: cùm tamen omnes Apostoli, solos septem panes haberent. Secundò, Hæc est vera prædicatoris confessio. Non habeo panes, quibus satiem, tantum hominum coronam: habeo verba, quibus aures audientium demulceam: sed non habeo panes, quibus fidelium animas expleam, atque reficiam. Vnde D. Guerricus, Abbas Igniacensis. In diebus Rogationum, serm. 1. sic exorditur concionem: Amici venerunt ad nos de via, sed non habeo, quod ponā ante illos: Nō sum medicus, & in domo mea non est panis: ideò dicebam ab initio, nolite me constituere principem. Nō enim debet præesse, qui non potest prodesse. quomodo autē prodesse potest, qui nec medicus est, nec panē in domo habet, id est, nec artē nouit, qua sciat curare, nec doctrinam habet, qua sufficiat pascere? Hæc quidem dicebam, sed heu: non audistis me: principem enim constituistis me. Deinde subiungit. Da igitur Domine, sermonem rectum, & benè sonantem in apertione oris mei, qui dixisti: Aperi os tuum, & implebo illud, vt omnis familia tua, bene lictionibus impleatur. Tu ergo Domine, ait deinceps (Amicū enim dicere vereor, sed Dominum confiteor) commoda mihi tres panes, vnde reficiantur amici: ne si dimisero eos ieiunos, deficiant in via, & tunc vocer in causam pro eis, & dicatur mihi: Paruuli petierunt panē, & non fuit, qui frangeret eis. Commoda Domine, quod in lucrum tuum proficiat: recepturus vtique, cùm tibi placuerit, quod tuum est, cum vsura. Sic ille. Tertiò, verè dicunt Apostoli. Non sunt nobis panes tanti. Non enim panis exiguus, satiare animum potest. Tantus esse debet panis, animas satians, quantus est ipse Deus. *Tum enim,* inquit, Psalmographus, *satiabor cum apparuerit gloria tua* Hæc de Palacio. Quis poterit saturare, inquiunt, &c. Rei difficultatē, imò impossibilitatē ostēdūt, ex multis, 1. ex rei defectu. Vnde, aiūt, erit tātorū copia panū? aut, vnde nobis conueniēs pretiū suppetat, ad emendos panes? quit tot suppeditet, quot necessarij

*Coloss.* 4. *c.*

*Paulus de Palacio, com. in Matth.* 15

*D. Guerricus Abbas Igniacensis, in diebus Rogationum ser.* 1.

*Psal.* 16. *c.*

forent? 2. ex turbæ multitudine, dicentes, istos, q. d. tam multos, oppido, valdéque famelicos. 3. Ex impotentia ministrātis, seu, qui alat eos, quùm dicunt: Quis poterit? ac si diceret, quis tantæ potentiæ fuerit, qui hoc præstare possit, & perficere? 4. Ex loci qualitate, cum additur: In solitudine, vbi ea, quæ victui sunt necessaria, nec dono, nec pretio haberi valerent. Sic quidem illi, ex tot circunstantijs adiunctis, suam satis produnt incredulitatem. Ideò Dominus. Quot panes habetis? ait, Dixistis, Quis poterit? vt autem comprobetis virtutem meam, Discumbant vniuersi, qui adsunt, homines. Quot habetis? Responderunt. Septem. Per panes septem, ait De Palacio vbi sup. intelligere placet Sacramenta Ecclesiæ septem: & per pisces paucos, sacramentalia pauca (siue cæremonias, quæ ad solemnitatem Sacramentorum faciunt nō parum, non autem simpliciter ad eorum pertinent essentiam, ac necessariò.) Sunt hi panes continentes in se gratiam, & gustum cœlestem. Panes orti sunt de terra: Ita Sacramenta ex latere Christi profluxerunt, Hæc est illa terra, quæ dedit fructum suum, apud psaltem regium. Pisces, oriuntur ex aqua, ita Sacramentalia, ex Petri authoritate oriuntur, piscantis in aqua. Hos panes, hósque pisces, soli habent Apostoli: synagoga enim non habebat sacramenta, aut sacramentalia, gratiæ effectricia. (vt signa efficacia, ait noster Doctor subtilis) Sola Ecclesia tanto potitur thesauro. Sic Palacius.

*Doct. subtilis, Scot. in 4. sēt. circa princip.*

Septem. Tanta est Septenarij istius numeri, excellentia, etiam apud Ethnicos, vt alijs meritò præferatur, contestérq;. Septem quippe sunt virtutes, quatuor Cardinales, seu Morales. Prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, & tres Theologicæ, Fides, Spes, Charitas. *Septem sunt opera misericordiæ, ex Matth. 25.* (de quibus, Feria. 2. post primam Quadragesimæ Dominicam, egi in Decadibus. Vide ibi, cùm placuerit tom. priore.) Septem sunt dona Sp. sancti. *Isa.* 11. spiritus sapiētiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, spiritus denique timoris Domini. Septem sunt artes liberales, Tres sermocinales, quæ circa sermonem versantur. Grammatica, circa congruum ac incongruū, Rhetorica, circa ornatum, & inornatum, Logica, quæ ratiocinatur, differítque, ac secernit à falso, verum. Quatuor autem sunt, Mathematicæ: & per excellentiam, κατ' ἐξοχὴν, disciplinæ dictæ, ac nuncupatæ, videlicet Arithmetica, Musica, Geometria, ac postremò Astrologia. *Septem sunt candelabra, ante Deum lucentia,* quorum fit mentio, *Apocalyps. primo capite.*

*Sac. Dec. auth. Fer. 2. post Dom. 1. 40. Matth. 25. Isa. 11. c.*

*Apoc. 1. c.*

Septem sunt etiam Spiritus,qui in conspectu throni sunt ibidem. Septem item Ecclesiæ, ad quas D.Ioannes scripsit, vbi supra. Septem sunt ordines,Tres sacri, presbyteratus,diaconatus,hypodiaconatus. quatuor rursus,ordines minores: exorcistæ,ostiarij,lectoris,atque acoluthi,siue,ceroferarij. Septem sunt Psalmi pœnitentiales. Septem sunt horæ Canonicæ: *Psal. 118. Septies in die laudem dixi tibi.* Septem diebus circundatur Hiericho, funditúsque euertitur. *Ios.6.* Et Paulus τειχομένης(?)*.Heb. 11. Fide muri Hiericho corruerunt, circuitu dierum septem.* Septem sunt in hebdomada dies. Septem sunt orbes Planetarum, quorum consideratio, ad Astrologum spectat. Septem sunt Ecclesiæ Sacramenta, à Christo immediatè instituta: Baptismus, omnium ianua Sacramentorum, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Ordo, Matrimonium, & Vnctio extrema. quid plura? A. Gellius, lib.3. c.10. Noctium Atticarum. Marcus Varro, in primo libro, qui inscribūtur Hebdomades, septenarij numeri, inquit ille, (quem Græci ἑβδομάδα appellant) virtutes, potestatésque multas, variásque dicit: Is namque numerus, septentriones maiores, minorésque, facit in cœlo, facit etiam stellas, quas alij erraticas, P. Nigidius, Errones appellat, atque neque ipse Zodiacus septenario numero caret. Nam in septimo signo fit solstitium à bruma; in septimo bruma è solstitio, in septimo, equinoctum ab equinoctio, ante mensem septimum, neque masculus neque fœmina salubriter, ac secundum naturam, nasci potest. Pericula quoque vitę, fortunarúmque hominum, quæ Climacteras Chaldæi appellant, grauissima quæque fieri affirmat septenariis. Hæc apud A.Gellium, Varro, de numero septenario, scripsit admodùm conquisitè. Eadem de re, Macrobius, in somnium Scipionis, l.1. ita memorat. Vergilius, inquiens, nullius disciplinæ expers, plenè, & per omnia beatos, exprimere volens ait:

*Psal. 118. Ios.6.c.& Heb.11.c.*

*A. Gellius. li. 3.c.10. de bi, ac facultate. septenarij numeri.*

*Verg.l.1. Æneid. circa principia.*

*Talia voce refert: O térque, quatérque beati.*

Hic numerus ἑπτὰς nunc vocatur, antiquato vsu primæ literæ. Apud veteres enim septas vocitabatur, quod Gręco nomine testabatur, venerationē debitam numero. nempe, vt in margine habet Scholion, ibidem, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. id est, ab eo, quod est venerari.) Deinceps, Sol, inquit, quoque ipse, de quo vitam omnia mutuantur, septimo signo vices suas variat, nam à solstitio hyemali, ad solstitium æstiuum, septimo peruenit signo: & à tropico verno, vsque ad autumnalē tropicum, septimi signi peragratione producitur. Deinde sub-

iungit ibidem: & quia ſenſus eorumque miniſteria, natura in capite, velut in arce conſtituit, ſeptem foraminibus ſenſuum celebrantur officia, id eſt, otis: ac deinde oculorum, narium, & aurium, binis. Sic ille. Quid ſi hic adiungam, ſeptem Nili, celeberrimi fluuij Ægypti, oſtia, ſeu mauis, portus? De quibus canunt Poëtæ, hunc in modum:

*Virg. l. 6. Æneid. circa extrema. Oui. ep. 14.*

*Et septem gemini turbant trepida oſtia Nili*

Rurſus, alius.

*Per ſeptem Nilus portus, emiſſus in æquor.*

Pater item hiſtoriæ, Herodotus, lib. 2. circa exordia libri, ſeptem Nili oſtia memorat. Obſerua, Panes iſtos, non hordaceos nominari, in hoc cōtextu: ſicut in alio miraculo, quod myſterio non vacat. Hordei enim medulla, tenaciſſimā palea tegitur. Erant verò, quinque hordeacei panes, in illo miraculo (qui Pentateuchum, id eſt, quinque libros Moyſi, pulchrè adumbrabāt.) Erat autem lex, veluti hordeum, ſub literæ cortice, magna tegens arcana. At verò, in hoc miraculo, ſeptem panum (qui Sacramentorum Euangelicorum nobis imaginem ad viuum referunt) non eſt amplius hordeum, ſed tritici medulla, non iam figuræ nudæ, & vmbræ, ſed ipſiſſimæ rei, viua, & expreſſā imago, res ipſas efficaciter ſignans, ac conferens, ex opere operato, gratiam, contra Lutherum. Rodant Iudæi paleam abolitæ legis, ceremonijs, nunc omninò ſuperuacuis inhærentes, imò prorſus perniciosis: Nos autem, palea deterſâ, adipe frumenti, hoc eſt ipſâ rerum exhibitarum veritate, ac efficacitate, per Chriſtum, ſaturemur: Piſces hic etiam commemorantur, vt innoteſcat Chriſtum, eiúſque Apoſtolos, piſcium eſum familiariſſimum habuiſſe, vnde, & in vtróque miraculo, piſces exprimuntur, imò carnibus vſum fuiſſe Chriſtum, in Euangelio explicitè non legimus, niſi cum Paſchalem agnum, ex legis præcepto, ac ritu in poſtrema cœna comedit. Poſt reſurrectionē quoq; (teſte *D. Luca, c. vltimo*) piſcem aſſatum deguſtauit. Non eſt leuiter tranſiliendum, quòd in voce Græca ἰχθὺς, piſcem deſignant, per eam quæ (acroſtichis dicitur) connexionem: ſanctorum nominum turba continetur: ſecundum nāque quinq; capitales literas quinq; ſimiliter hęc nomina diuina, cōprehēdūtur: ἰησοῦς χριστὸς, θεοῦ υἱὸς σωτὴρ. quę ſic interpretamur Latinè, Ieſus Chriſtus, Dei Filius, Saluator. Qua de re, Audi D. Au. to. 5. l. 18. de ciu. c. 23. Vir clariſsimus Faccianus, inquiens, cum de

*Contra Lutherum.*

*Luc. vlt. c.*

*D. Aug. l. 18. de ciu. Dei ca. 23. to. 5.*

Christo colloqueremur, Græcum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ, vbi ostendit quodam loco, in capitibus versuum ordinem literarum, ita se habentem, vt hæc in eo verba legerentur: ἰησῦς χρειςὸς θεῦ υἱὸς σωτὴρ, quod est latinè: Iesus Christus, Dei filius, Saluator. Quorum Græcorum quinque Verborum, si primas literas iungas, erit ἰχθὺς, id est piscis, in quo nomine mysticè intelligitur Christus: eò quòd in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate viuus, hoc est, sine peccato esse potuerit. Hæc, Sibylla siue, Erythræa, siue, vt quidam magis credunt, Cumana. Hactenus D. Augustinus.

Ea de re nos posteriore Decadum nostrarum tomo, plura obseruauimus, eò recurrat (si opus fuerit) beneuolus Lector. *Sac Dec. aut. to. posteriore.*

*Præcepit turbæ discumbere super terram.* In priore refectione, tempus erat vernum, proximum paschæ *Ioã.6.* vnde, quia adhuc herba erat super terram, memoratur, quòd turba sedit super fœnum. Ista autẽ refectio, data fuit (vt verissimile est) post Pentecostem, quando iam propter solis feruorem, in regione illa, herba non erat. Vnde non super herbam, sed super terram, turbæ discubuerunt. Quo loco, animaduerte, Dominum conuiuas suos in terra sedere, velle, vt se coram Dei maiestate, profundissimè humilient, vt cœlesti cõuiuio digni efficiantur: Dicant itaque, cum Patriarcha Abraham: quia puluis, & cinis sunt: ac terra, & cinis: ac proinde sese humilient in conspectu Domini. Sícque sedebunt super terram. Pulchra verò est ista consideratio, vt non maneant ieiuni in via, ne fortè deficiant, præsertim ij, qui de longè venerunt. Verè enim in hac via deficiemus, & in medio itinere corruemus, nisi spirituali cibo, panéque cœlesti, assiduè reficiamur. Via quidem hæc primùm angusta est, & arcta. *Matt.7.* Deinde via lõgissima est, totius nempe, vitę spatium, ac curriculum, siue stadium continet, in quo viatores ad extremum vsque spiritum, appellamur. Postremò, via hæc valde periculosa est, diuina attestante scriptura, *In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi: Psal.*141. Superborum nomine, Dæmones, intelliguntur, qui per superbiam corruerunt, quorúmque superbia aduersus Deum ascendit semper. *Ps.*73. quod ergo remedium, in hoc tanto salutis discrimine, nobis reliquum est? Illud certè, vt mentem nostram nullomodo ieiunam, aut inanem, & vacuam, sed cœlesti pane refectam, & roboratam, contra tot hostes, qui vitam nostram obsident in certamen, & arenã descẽdere patiamur, alioqui nobis eueniet, quod hic

*Ioan.6.c.*

*Matt.7.c.*

*Psa.141.*

*Ps.73.*

Saluator ait: Si dimisero eos ieiunos, deficient in via, ij vel maximè, qui de longè venerunt, exhaustis, defectisque planè viribus. Quæretis autem, quis hic cibus, quis panis sit? Tergeminus est, seu, triplex. i. Nempe, verbum Dei, ex Deuteronomio, apud *Matth. 4. cap. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* 2. Diuinorum mysteriorum contemplatio. Hoc siquidem est animæ pabulum, si in lege Domini meditemur die, ac nocte, *Psalm. 1. & 118.* Nisi quod lex tua meditatio mea est tunc forte periissem in humilitate mea: hoc est, cùm me variarum calamitatum, atque tentationum turbines, de statu mentis deturbare niterentur. Neque satis est verbum Dei audire, nisi auditum, mundorum animalium more (quæ ea, quæ comedunt, ruminant) pia meditatione, cum animo nostro assiduè reuoluamus. Quæ sedula meditatio, nos ab omnibus hostis antiqui, laqueis, & tentationibus liberat; nedum nos hac in via ne deficiamus ieiuni, roborat, qua deficiente, periculum est, ne vita ipsa deficiat. *Psalm. 101. Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Constat autem, hîc de corporeo pane non fieri mentionem. Nec enim humanum cor, hoc pane deficiente, arescit, sed spiritus est, & immortalis animus, qui hanc ariditatem, & sterilitatem patitur, cum spirituali pane, & alimonia, hoc est, diuinorum eloquiorum meditatione, non reficitur. 3. cibus, & quidem maximè salutaris, qui omnes supereminet, est sacra Eucharistia, qua de fusiùs alias, σὺν Θεῷ. Et fortasse isti sunt tres illi panes, quos in Euangelio importunus ille amicus, ab amico noctu impetrauit. Est verò sacra Eucharistia, ad hoc iter in cœlum, adeò necessaria, vt huius rei gratiâ viaticum appelletur: quod nobis, & ad hoc iter conficiendum, & ad aduersarios, qui nos infestant, impetúntque, superandos, robur inuictum præstat. *Psal. 22. Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.* Cùm autem commeatus iste, seu cibus, omnibus fidelibus, ad hanc decurrendam viam concedatur, & ab Angelo Domini, hoc est, sacerdote, (de quo ait Vates: *Labia sacerdotis custodient scientiam,* quia *Angelus Domini exercituum est. Malach. 2. cap.*) ministretur, ac dispensetur: (veluti subcinericius ille Panis, per Angelum, Eliæ Prophetæ, allatus legitur: *3. Reg 19.* dicentémque sibi audiuit; *Surge comede, Grandis enim tibi restat via. Qui comedit & ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei, Horeb*) tum illis maximè necessarius est, qui ad Christum de longè venerunt. Roget autem aliquis. Quid sit à longè venire? De

*Matth. 4. ex Deuteron.*

*Psal. 1. & 118.*

*Psal. 101.*

*Psal. 22.*

*Malach. 2.*

*3. Reg. 19.*

propè (vt sic dixerim) illi veniunt, qui candido ingenio, à natura ipsa præditi, & à pueritia, ad pietatem instituti sunt. Talis erat Sapiens ille, qui de seipso scribit: *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* *Sap.* 8. Talis item erat minor ille Tobias: quem pius pater, ab infantia sua timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. *Tob.* 1. Talis Samuel, ab infantia, Domini mancipatus obsequio, ac seruitio. Talis & Timotheus, qui (vt de eo Paulus testatur, *posterioris* 3. *cap.*) *ab infantia sacras literas nouit, quæ eum possent instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu*, Isti sunt, qui de propè veniunt. *Nam bonum est viro, cùm portauerit iugum, adolescentia sua*, ait Sanctus ex vtero Vates, *Thren.* 3. cui subscribit & Poëta, qui ita cecinit: Georgic lib. 2. circa media.

*Sap.* 8.
*Tob.* 1.
2. *Tim.* 3.
*Thren.* 3.

*----- adeò in teneris consuescere multum est.*

Cæterùm, de longe veniunt, quibus vtrumque deest (ait Ludouicus Granatensis, Conc. 1. ad hanc Dominicam) qui videlicet, naturâ ipsa, ad vitia, voluptatésque propensi, atque in his diu versati sunt: in quibus rebellis, & praua natura, diuturna peccandi consuetudine, deterior, & immedicabilior effecta est. Isti igitur sunt, qui de longe venerunt. Ideóque quo longior illis via superest, eò copiosius à Domino reficiendi, cœlestiq; virtute corroborandi sunt. Rebellis namque natura, diuturna consuetudine armata, nisi magno Dei munere, superari non potest. Vtrique igitur, & qui de prope, & qui de longe venerunt, ad hoc Domini conuiuium, admissi sunt: quia vtrosque Dominus ad cœlestem panem sumēdum, accedere vult. Illi igitur frequentiùs accedant, propter maiorem vitæ puritatem, isti propter maiorem inopiam, & fragilitatem. Illi quia fortiores, isti, quia infirmiores, vt pane fortium roborentur. (Quo loco, obseruabis, D. Hieronymum ex Hebræo, transtulisse, & vertisse, pro eo quod editio nostra habet. *Psal.* 77. *Panem Angelorum manducauit homo*. Sic: Panem fortium comedit vir. Accedit quod libro suarum confessionum septimo, *cap.* 10 *to.* 1. *operum*, Diuus scribit Augustinus: Inueni me lōnge esse à te, in regione dissimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam, de excelso, Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me. Sic ibi.) Illi, vt in virtutum acquisitione proficiant, Isti, ne in semel instituta pietate deficiant. Illi, vt diuinæ gratiæ opes, quas perceperunt, quotidie augeant: isti vt paupertati, infirmitati, & inopiæ suæ, huius Sacramenti virtute consulant. Non igitur,

*Virgil. lib.* 2. *Georgic. circa media.*
*Ludou. Gran. Conc.* 1. *ad hanc Dominicam.*
*Psal.* 77. *Tralatio iuxta Hebraicam veritatem D. Hierony.*
*D. August. to.* 1 *lib.* 7. *c.* 10. *Confess.*

quia de longè venerunt, se ab hoc cœlesti conuiuio excludere, sed tantò ad illud frequentiùs accedere debent, quantò maiori inopia, & infirmitate premuntur, Et cum seipsos assuefecerint deuotioni, & sacræ Communioni, meminerint in bono sic semper proficere, vt non deficiant: Sed (sicut de his turbis, testatur præsens Euangelium) Christum sustineant integro triduo mystico, hoc est, totius reliquæ vitæ curriculo, quam de cætero, in cordis contritione, & lactucis agrestibus, ad agni paschalis esum, requisitis, tanquam condimento perutili, ac necessario; confessione oris, & satisfactione operis, transigere debent, atque (vt *D. Matthæus, cap.* 15. dicit) *Perseuerent cum Christo. Qui enim perseuerauerit vsque in finem,* ait idem Christus, *hic saluus erit, Matth.* 10. & 14. *cap.* Quis vnquam in bono opere perseuerauit, qui misericordiam Domini non inuenerit? Perseuerauit Magdalena ad tumulum Domini, recedentibúsque discipulis, non recessit. Ideóque prior illis, resurgentem Dominum videre meruit. *Marc. vltimo, & Ioannis. penultimo cap.* Perseuerauit Chananæa assiduis precibus, opem Domini implorans, nec toties repulsa cessit: tandémque audire meruit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Perseuerauit importunus ille amicus, *Luc. vndecimo*, ad amici ianuam pulsans, tres panes commodato postulans: & hac perseuerantia, cessantem amicum, & excusantem vicit: datúmque est perseuerantiæ, quod amicitiæ negabatur. Nam, vt Poëta cecinit: Georg. lib. 1. non longè à principio.

*Matth. 15. 10. & 24. c.*

*Marc. vlt. & Ioan. 20. a.*

*Luc. 11.*

*Virgil. Georg. lib. 1. nō longè ab initio.*

*------ labor omnia vicit*
*Improbus, ------*

Perseuerauit triduo in oratione Sara, Tobiæ Iunioris vxor, *Tob.* 8. & post septem virorum funera, virum tandem sanctissimum consecuta est. Et (vt sacris prophana etiam admisceam) Plutarchus to. 1. vitarum in P. Æmilio, circa media, scribit eum, luce prima quum sacrificaret Herculi, hostiis viginti non litâsse. Tandem prima, & vigesima læta exta fuerunt, victoriámque defendentibus se non lacessentibus hostem, spopondere. Sic ille. In summa, finis coronat opus. Non enim benè cœpisse sufficit, sed perseuerare necesse est in bono, cum Dei speciali fauore atque auxilio. Et, quod D. Hieronymus tom. 1. epist. ad Celantiam matronam scripsit: Inchoasse non sufficit, sed perfecisse, iustitia est. Sic ille, postremâ omnium periodo, ac epistolæ clausula. Qua de re nos in Decadibus plura.

*Tob. 8.*

*Plut. to. 1. vit. in Paulo Aemilio circa medium.*

*D. Hieron. to. 1 epist. ad Celantiā, in fine.*

*Sac. Decad. authoris.*

*Septem Sportas collegerunt reliquiarum.* Obserua, cum fœnore, quod in alios benignè erogatum est, redditum fuisse Apostolis, vt certiores efficiamur, quoniam, *qui dat pauperi, non egebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Prouerb.28.* & rursus, *cap.3.* De primitiis frugum tuarum, *da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Et 11.*cap. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Item, 19.*cap. fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Et Dominus denique in Euangelio, *Centuplum,* inquit, *accipiet, & vitam æternam possidebit.* Septem panes, totum inquam, quem penes se tunc habebant, commeatum (Gall. *prouision*) Apostoli liberaliter erogauerunt, & Sportas septem retulerunt reliquiarum. Vbi & Christi omnipotentiam, agnosce, atque misericordiæ, seu in pauperes eleemosynæ, retributionem, ac remunerationem. Omnipotentiam quidem, quippe quæ in istorum panum multiplicatione elucescit. Fuit etenim additio præiacentis materiæ, mirabili, ac secretiori virtute Christi, perfecta: Et sic in manu eius primò omnium panes multiplicabantur, cum frangeret eos, adeò abundanter, vt sufficerent pro tot hominum millibus. Vbi nota (ait Ioannes *de la Fuente*, Toletanus Franciscanus, In Marci 6.cap.) quòd non multiplicabat panes integros, sed cùm frangeret eos. *Frange & tu esurienti panem tuum,* ait Sacer Vates, *& Dominus multiplicabit illum, & horrea tua redundabunt.* Ex additione ergo præiacentis materiæ (quod magis placet) multiplicationem hanc perfectam esse non dubito. Stultissimũ enim est, quòd aliquid fiat maius, sine rarefactione materiæ, aut additione alterius; Sed primùm non contigit in præsentiarum, sicut in cera, quæ igni, aut soli exposita, liquescit facilè. Sic inquam isti panes, ac pisciculi, rarefieri non potuerunt, vsque ad saturitatem tot millium hominum: fuit itaque additio materiæ præiacentis. Sic ibi. Rursus, *Marc.8.cap.* Cùm ait Scriptura: *saturati sunt, & sustulerunt, 7. sportas, ex fragmentis.* Ne intelligas eos saturatos, extra regulas temperantiæ, sed ad sufficientiam, pro cuiusque necessitate. Scriptum est enim: *Psal.21. Edent pauperes, & saturabuntur, & cæt.* Sic verbum inebriandi, in scriptura, seu, sacra pagina, non vbique damnabilem ebrietatem demonstrat, in qua est luxuriæ crimen. Nam, *Genes.43.cap.* In conuiuio Ioseph, ac fratrum suorum, Biberunt, ait contextus, & inebriati sunt cum eo. Item, *1. Machab.16. seu vltimo cap. Cùm inebriatus esset Simon, & filij eius.*

*Prou.28.*
*3. item cap.*
*11.cap.*
*19.cap.*
*F. Ioan. de la Fuente, Frãc. Toletanus, in Marc. 6. & cap.8.*
*Psal.21.*
*Gen.43.*
*1. Mach.16.*

*Surrexit Ptolomaeus, cum suis, & intrauerunt in conuiuium, & occiderunt eum, & duos filios eius, & quosdam pueros eius.* Sic ibi. Quis autem dixerit, tantos viros, criminose, vt ita loquar, inebriatos fuisse. Non ergo inebriandi vocabulum, pro ebrietate, quatenus excessum criminalẽ contra regulas temperãtiæ importat, semper sumitur, sed vt abundantiam denotat, & hilaritatem quandam conuiualem, intra temperantiam ipsam. Hactenus præfatus Fontanus, siue *de la Fuente*, iisdem fermè verbis. Cùm igitur tantam potentiam, in saturandis, de tam modico commeatu, tot hominum millibus, Dominus ostendisset alia vice: de quinque panibus nempe, satiauit Dominus, quinque millia hominum. Qui potuit exigua annona, tot homines pascere, poterit vtique & modò id facere, cùm non sit manus eius abbreuiata, vel potestas imminuta. Cur ergo dicunt hîc discipuli: Quis poterit istos saturare in solitudine? Cur ad hunc modum philosophati non sunt? Qui omnia potes, sicut antea fecisti, fac etiam modò, Optime, Maxime. Quis, quæso, adeò tardus, atque hebes ingenio esset, qui non hanc responsionem in prõptu haberet? Non igitur dubium, discipulos omnes, qui huic interfuerunt consilio, tardissimo fuisse ingenio, qui sic in meridiana luce caligabant, vt nec hanc rem, adeò perspicuam, assequi valerent. Et qui tot Domini miracula viderant, nondum tantùm in fide profecerant, vt crederent eum, qui cunctis animantibus prouidentiæ suæ virtute, cibum suppeditat, posse etiam pauculos panes, ac pisciculos, ad hanc turbam alendam, augere, quod Elias, & Elisæus, ante fecissent. Sed quid miramur, sic in fide rudes adhuc discipulos vacilasse, cùm idem etiam Moysi cõtiger t, qui cùm Deo facie ad faciẽ loquebatur: quiq; admiranda i la signa, atq; prodigia in Ægypto, partim quidẽ viderat, parti m etiam ipse ediderat? Domino enim carnes se daturũ popu o suo, in deserto pollicẽnti, respondit: *Sexcenta millia peditum s nt huius populi, & tu dicis: Dabo eis esum carnium, mense integro? Nunq id ouiũ, & boum, multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? Vel om es pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient? Cui respondit D ominus. Nunquid manus Domini inualida est? Iam nunc videbis, m*

Numer. 11.

*eus sermo opere compleatur. Sic Numer. 11. cap.* Obserua deni e Gratiarum actione, ac benedictione, bona temporalia au scere. Ingratitudine verò, & impietate, perire. Sunt enim, ui ex modico abundent, viuántque honestè ac largiter, aliis t- ferè egentibus, etiam inter possessiones amplissimas. N m enim hominum superuacua sollicitudo, & ampla patrimo a,

sec

ſed,vt Sapiens, *Prouerb.*10. ſcriptum reliquit: *Benedictio Domini diuites facit,* & vt loquitur Apoſtolus, *poſterioris ad Corinth.* 9.*cap. multiplicabit ſemen veſtrum,& augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* Itaque,vt temporalia bona augeſcant, communicanda ſunt egentibus, non inutiliter coacetuanda. Benedicendo verò,tum panes,tum piſces illos,multiplicauit. Aduerte quoque Chriſtum ſemel vinum donaſſe in nuptiis,bis panes multiplicaſſe, Sæpius piſces dediſſe,nunquã autem carnes,quodquidem ſacris ſit literis comprehẽſum. Et notabis,hominum quatuor millia ſatiata fuiſſe. Numerus iſte, pulchrè correſpondet priori panum ſeptem numero: Quandoquidem per eos, Sacramenta ſeptem Eccleſiæ deſignata fuiſſe ſuprà diximus: Nunc autem quaternarius, ac millenarius, eorum, qui cibati fuerunt, hominum ad Euangelium etiam pertinere dignoſcitur,quia quatuor ſunt Euangeliſtæ,vnius Euangelij,in 4. orbis partes prædicati,ſcriptores authentici, cui mille generationes,hoc eſt,Vniuerſitas populorum, ac omnium gentium credidit, & ad finem vſque creditura eſt. Tempus eſt, ne faciat prolixior ſermo,lectori faſtidium huic finem imponere concioni; Deum, quàm maximo poſſimus affectu, ſupplicantes,vt nos non deſerat hac in via ieiunos,& deficientes, ſed mentem præcipuè, ac primariò, deinde ventrem ſecundariò,& acceſſoriè, implere dignetur, alimento vnicuique parti familiari, ac ſecundum debitam analogiam, atque proportionem,conuenienti: qui dat eſcam omni carni,& implet omne animal benedictione. Vt panem noſtrum quotidianum atque ſuperſubſtantialem nobis largiatur; cuius virtute, ad montem Dei aliquando perueniamus. Prou.10. 1.Cor.9.

AMEN.

Aa

# DOMINICA SEPTIMA A PENTECOSTE.

## De falsis Prophetis cauendis, iisque à fructibus dignoscendis, ac bonis operibus peragendis. *Matth.7.cap.*

Math.7.

*Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Vbi suprà.*



NOTUM est, ac peruulgatum istud: Non temerè cuiuis credendum esse, sed probandos esse spiritus, an ex Deo sint. 1.*Ioan.*4. *Nolite*
1.Ioan.4. *omni spiritui credere, sed probate Spiritus, an ex Deo sint, quoniam,* inquit, *multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.* vnde & Sapiens, *Eccles.*19. *Qui cito*
Eccles.12. *credit, leuis est corde,* ait, Eua quippe mater nostra, quia citò serpenti credidit, *Genes.* 3.*cap.* ideò seducta est, & 3.*Reg.*13.
Genes.3. Bonus ille vir, & Propheta Domini, nimium credulus, dicenti
3.Reg.13. sibi, Et *ego Propheta sum similis tui, & Angelus locutus est mihi, in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum, in domum tuam, vt comedat panem, deceptus fuit,* vt sacra testatur historia. *Fefellit,* inquiens, *eum, & reduxit. Inuenit autem eum leo in via, & occidit,* (ob inobedientiam nimirum) *non tamen comedit leo, de cadauere eius.* Vbi obseruare licebit, Pseudoprophetam prætexuisse verbum Domini, hoc est, ouis exuuium, seu vestimentum, sub quo lupus delitescebat rapax. Cùm igitur temerè, contra expressum Dei mandatum, credidisset ei, bonus ac simplex ille Propheta, meritas dedit luitque, propter nimiam credulitatem, ac inobedientiam, pœnas. Meritò itaque monet Apostolus, *Ephes.*4. *non simus paruuli fluctuantes, nec circumferamur*
Ephes.4. *omni vento doctrinæ, &c.* Vnde etiam iure Zelotes Elias, 3.*Reg.* 18. Israëliticum populum obiurgabat, his verbis:
3.Reg.18. *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini*

*tum,&c.* Apostolus similiter, Galatas reprehendit, *cap.1. & 3.* *Miror, quòd sic tam citò transferimini, ab eo, qui vos vocauit, in gratiam Christi, in aliud Euangelium.* Item acribus inuehitur in eos verbis, propter illorum leuitatem, ac instabilitatem, ita dicens: *cap.3. O insensati Galatæ, quis vos fascinauit, non obedire veritati?* rursus, *cap.5. Currebatis benè,* inquit, *quis vos impediuit veritati non obedire?* Sic ille. Pulchrè ergo Psaltes regius. *Confitebor tibi, ait, in Ecclesia magna, in populo graui* (quod bene nota) *laudabo te Psal.34.* Grauitas quippe populum decet Christianum, nec similem eum esse oportet, arundini vento agitatæ. *Matth.11.c.* Neque verò sapiens iudicandus est, qui temere credit, vel Cicerone teste, sicut to.2. operum ipsius, extat, De petitione consulatus, libellus, vbi dictum Epicharmi citatur hunc in modum. Epicharmeion illud teneto, neruos, atque artus esse sapientiæ, non temere credere. Quod Clemens Alexandrinus, Stromatum, siue collectionum, aut collectaneorum, *lib.4.* initio, sic retulit (Græca citabo, ad maiorem Emphasim) *μέμνησο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.* Cicero item, lib.1. ep. ad Atticum, ep.18. Eadem Græca produxit, ex Siculo illo Epicharmo. Latine, Sic interpretatū comperi, apud Clemētem, vbi sup. Epicharmus ait, Non crede (sub. temere) sunt articuli hi præcordiū, siue præcordiorū, hoc est, In nō temere credendo, summa sita est prudētia. Vtrumq; igitur tenendū, nempe, Ne sis incredulus, (quod, *Ioan.20,* Thomæ dictum à Domino, recolitur, & ne sis nimium, ac temere credulus, *μὴ πιστεύειν, καὶ μὴ γίνου ἄπιστος.* Id est, Non (leuiter) credere. Et ne fias incredulus. Hoc ipsum nunc prædicit Christus. *Attendite,* inquiens, *à falsis Prophetis.* Quid est attendite? Græcè, προσέχετε. Id est, cum attentione, & prudenter cauete à Pseudoprophetis. Non sic autem, hoc in cap. de porcis, & canibus, dixerat, verùm, Ne proiiciatis, ait, Margaritas vestras ante porcos, Nolite item, sanctum dare canibus. Hîc autem, quia magna cautio adhibenda est, dixit: Attendite à falsis Prophetis, &c. Nimirum hoc discrimen est, atq; inter istos differentia, quia canes, & porci, facile dignoscuntur, & nullo fere negotio, caueri possunt, atque discerni, at non sic hæretici, & lupi ouillis vestibus contecti, ac pelle ouina. Hæretici siquidem, amicitiam simulant, ad decipiendos per insidias, & illaqueandos simplices, & incautos, mel quidem in ore, sed fel in pectore gerentes, *loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum:* vt cecinit Psalmographus. *Periculum in falsis fratribus,* ait Apostolus, Attendite proinde à falsis Prophetis,

*Gal.1.& 3.*
*& 5.c.*
*Psal.34.*
*Matth.11.*
*Cice. de petit. consulat. to 2. operum ipsius.*
*Item li.1 epist. 18 ad Attic.*
*Clemēs. Alex. Strom.4. initio.*
*Epicharmus Siculus.*
*Ioan.20.*
*Psal.*

Discretione, atque delectu, maximè opus est, hinc sanctus ex vtero Vates, *cap.15.* Si separauetis, inquit, pretiosum à vili, quasi os meū eris. Sicut enim lapis Lydius, metalli bonitatem explorat, & discernit, Sicut Dialectici, verum à falso distinguunt, Ita Verbum Domini, doctrinam probat, atque Orthodoxam, à falsa, & sophistica, secernit. Rogandus est ergo Dominus, qui recepit, pollicitúsque est, *Psal.31.* dicens, *Intellectum tibi dabo, & instruam te, in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Psal.118. Reuela oculos meos.* Vt ipse quoq; dignetur discretionis spiritum, nobis impertiri, quo illustrati, huiusmodi transfiguratos Apostolos effugiamus. *2.Corinth.11.cap. transfigurantes se in Apostolos Christi, Nam, & ipse Satanas, angelus tenebrarum, transfigurat se in angelum lucis.* Docuit Christus viam arctam, atque spinosam, quæ tamen ad vitam ducit, à qua ne aberraremus, in latam perditionis viam, per falsos prophetas seducti, præmonet nunc idem Dominus, dicens: Attendite. Cum igitur præmisisset de vtraque via, spatiosa, & arcta, mentionem, mox inde subiecit, *Attendite*, inquiens, *à falsis Prophetis &c.* Illi nempe, ab arcta via, auertunt ad spatiosam viam, in perditionem, ab illis ergo cauendum admonet. Verùm enimuerò, pauca hîc, de vtráque via, commemoranda necessarium esse duxi, atque tempestiuum & opportunum. Inter Virgilij Epigrammata, de litera Y. poëma huiusmodi:

*Ierem.15.*
*Simile.*
*Psal 31. & 118.*
*2.Cor.11.*
*Virgil. Epigr. de lit. Y.*

*Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni,*
*Humanæ vitæ speciem præferre videtur.*
*Nam via virtutis, dextrum petit ardua callem,*
*Difficilémque aditum primum spectantibus offert:*
*Sed requiem præbet fessis in vertice summo.*
*Molle ostentat iter via lata: sed vltima meta*
*Præcipitat captos, voluítque per ardua saxa.*
*Quisquis enim duros casus, virtutis amore*
*Vicerit, ille sibi laudémque, decúsque parabit.*
*At qui desidiam, luxúmque sequetur inertem,*
*Dum fugit oppositos incauta mente labores,*
*Turpis, inopsque simul, miserabile transiget æuum.* Hæc ille.

Cui subscribit D.Basilius, Opusc. de legendis Gentiliū libris, Hesiodi versus ab omnibus decātatos memorās, vt iuuētutem imprimis, ad virtutem adhortaretur. Sic igitur ibi habetur.

*D.Basil. magnus Opusc. de legend. Gentil. libris, ex Hesiodo Poëta.*

*Ad vitium facilis, vicináque semita cunctis*
*Panditur, at virtutis iter posuere remotum*
*Cælicolæ, durúmque priùs, sed vertice summo*
*Dum fuerit, planum se offert, quærentibus illud.* Hæc ibi.

Memini in ſuperioribus, ex Prodico, Chio Sophiſta, in virtutem, ac vitium nos philoſophatos fuiſſe, Iuueni quippe quondam Herculi, ſecũ conſulenti, ac deliberanti, ad vtram viarum ſe conuerteret, an eam, quæ ad virtutem per labores ducit, an verò facilẽ per voluptates ingrederetur? duæ fœminæ, Virtus, ac Voluptas, quarum ex diuerſo habitu differẽtiam agnouerit, apparuerunt: quibus de, ex Baſilio magno, ſuprà me dixiſſe recolo. Xenophon lib. 2. de dictis, ac factis, Socratis, circa principia, citat Heſiodum, hoc modo: Dicit autem & Heſiodus: Prauitatem quidem ſimul totam, licet eligere facilè: Plana enim ad hanc ducit via, cùm valdè propè habitet. Virtuti verò ſudorem præpoſuerunt Dij Immortales. Longum enim, & arduum iter, ad eam: quod cùm aſperum primò ſit, amœnum poſtea fit, cum ad vltimum quis peruenerit. Epicharmus quoque his verbis, hoc idem teſtatur: Laboribus omnia nobis Dij vendunt. Necnon in alio loco idem ait: O improbe, nónne planè malus es, qui non habeas res aduerſas? Necnon Sapiens Prodicus, in illo, quod de Hercule edidit, opere, ſimiliter diſputat de virtute, ac vitio. Hactenus ille.

*Xenoph. li. 2. de factis, & dictis, Socratis circa principia citátque Heſiodum. Epicharmum quoque & Prodicum.*

Animaduerte etiam, quòd cùm dixiſſet Dominus, de via arcta, paucos eſſe, qui inueniant eam, ne ſeipſos hæretici ſupponant, nomine paucitatis, (qui ſe plerumque paucitate commendant) ſtatim ſubiecit: *Cauete à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos, &c.* Sed emergit difficultas, haud quaquam ſpernenda, negligẽdáue, quæ eſt eiuſmodi. Cùm Dominus dicat. *Matt 11.* Iugum ſuaue eſſe ſuum, ac onus leue, & *1. Ioan. 5.* mandata eius grauia non ſunt, *Item Pſal. 118. Latum mandatum tuum nimis.* ac denique, *Prou. 3.* de viis Sapientiæ dicitur: *Viæ eius, via pulchra.* Ad pulchritudinem autem viarum pertinet, vt latæ ſint, ác patentes, vt Homerus, ἰλιαδ. β. laudans Troiam, quartò dixit: πόλιν εὐρυάγυιαν Τρώϊην, ciuitatem, (vt ſic dicam) Latiniam, Troiam. Quomodò ergò, anguſtam portam vocat, viam Euangelicam? Reſpondeo. via virtutis vocatur arcta, quia paucos recipit, facta comparatione iniquorum, ideò altera, ſpatioſa vocatur. Sicque nulla eſt contradictio. 2. Rectè dicitur arcta, conſideratione habita, ad ipſam virtutis naturam, quia virtus eſt in medio vitiorum, difficile autem eſt medium attingere, & facilis digreſſio, ex aurea mediocritate declinando, vel ad dexterã, vel, ad ſiniſtram. 3. Conſideratione habita ad carnis, & mundi concupiſcentiam: quia libertatem agendi quicquid libet, amputat, & nos arctat, pietatis legibus, atque conſtringit. Dicuntur autem mãdata leuia, quia tum ſpes cœ-

*Matth. 11. 1. Ioan 5. Pſal. i. ẽ, 118. Prou. 3. Homerus, ἰλιαδ. β.*

lestium premiorum, tum amor Dei, leuia videri faciunt iustis, & amantibus. Carnalibus verò grauia sunt, non autem spiritualibus viris. At multi per latam voluptatis viã ingrediuntur.
*Ælianus l. 13. var histor. ca. 32. ex Xenophonte.* Percommodè retulit. Ælianus lib. 13. variæ historiæ, cap. 32. ex Xenophonte, his verbis: Tradit Xenophon, Socratem aliquando in colloquiũ cum Theodora meretrice, fœminâ formosissimâ, venisse. Cum Callisto etiã sermonem habuit, quæ cùm diceret: Ego quidẽ, ô Socrates, multùm tibi præsto: Nam cùm tu neminẽ ex meis, à me possis abalienare, ego cùm libitum est, tuos omnes, à te auoco. Respõdit Socrates. Quid mirum hoc est? Siquidem tu ad decliuẽ tramitem, omnes rapis: Ego verò, ad virtutẽ voco, ad quam arduus, & plerisque insolitus est ascẽsus. Sic ille. Verùm, velut ex diuerticulo, ad propositum, iam redeat, & reuertatur oratio: Attendite à falsis Prophetis. Latæ viæ leges sunt, Quod vis, facito. Si libet licet. Hæc est libertas carnis, De huiusmodi quippe, sacra referunt
*Rom. 16. Gal. 5. Phil. 3. Act. 20.* eloquia. *Rom. 16. Christo non seruiunt, sed suò ventri. Gal. 5. Qui autem Christi sunt, carnem suã crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Philipp. 3. cap. Quorũ Deus venter est, &c.* Ergo, *Act. 20. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos SS. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio, quoniã intrabunt post discessionem meã lupi rapaces in vos, non parcẽtes gregi, & ex vobisipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Hæc Diuus Paulus ibi: adiungens & istud, *Propter quod, Vigilate.* Congruenter igitur Dominus, ac valdè appositè præcauet; dicens. *Attendite, à falsis Prophetis, &c.*

*Rom. 10. Hebr. 5.* *Veniũt ad vos,* seipsos intrudũt nõ mittũtur legitimè *Rom. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Hebr. 5. nemo assumit sibi honorem, sed, qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aaron.* de quibus Pseudoprophetis, per Prophetam Dominus, ait: *Non mittebam*
*Ierem. 23.* *eos & ipsi currebant. Ierem. 23. nõ loquebar ad eos, & ipsi prophetabãt.*
*2. Ioan. epist.* *Veniunt ad vos. Si quis* (ait D. Ioannes, 2. Epist. suâ, cap. *singulari, siue vnico) venit ad vos, & hanc doctrinã non affert; nolite recipere eũ in domũ, nec AVE ei dixeritis.* Ipsi sunt Pseudochristi, Antichristi, Pseudoprophetæ, ac Pseudoapostoli, vulpibus Sampsonis
*Aristoteles.* haudquaquàm absimiles. Vinearũ calamitas, ψευδόφιλοι, falsi amici, falsi fratres, Hypocritæ, Sophistæ, id est, ex Aristotele, fures veritatis. Occulti lupi, animarum pestis, ac pernicies,
*Tit. 3.* Hos ergo deuita. *Attendite à falsis Prophetis. Tit. 3. Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita; sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.* vt videlicet proditor Iudas, quem non populus,

non Iudex externus, ſed propria conſcientia iudicauit. Sic iſti ſeipſos, à Catholicorum cœtu, etiam non eiecti, extrudunt, propellunt, in ſeipſos vindictam exercentes. De fugiendis hæreticis, peculiarem contexuimus, noſtrate idiomate, hoc eſt, Gallico, tractatum ſub hoc titulo De non conueniẽdo cum hæreticis. Nec eſt, hoc loco, repetere opus exempla Ioannis, in Epheſo, & Polycarpi, auditoris eius, ac diſcipuli, Romæ tunc exiſtentis, quomodo abhorruerint illi, ab Hæreticis, Cherinto, ac Marcione, fidei deſertoribus, prout Diuus Ireneus, libro 3. contra hæreſes narrat, & nos alibi recenſuimus. *Opuſcules frãçois de l'Autheur.* *D. Irenæus*

Veniunt, ſponte ſua, non à Deo miſſi, nec ab his, qui alios mittendi, legitimam habent, (quã à Deo acceperunt) poteſtatem, deſtinati, aut deputati. Paſtores legitimi mittuntur *Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos. Ite: Luc.* 10. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Ioann.* 20. Hæretici nullam miſſionem oſtendere valent, Lupi ſunt, Qui veniunt in veſtibus ouium, at non in fructibus ouium. Clamantes, & inflatis buccis intonantes, Verbum Domini, Euangelium, *Scriptum eſt.* Sicuti Satan Chriſto obiiecit. *Matth, 4. cap.* Ita Lutherani, & Hugnoſtici, ſtentorea voce, inclamant: Scriptura dicit hoc, & iſtud. Hæc ſunt veſtimenta ouium, quibus teguntur lupi rapaces, iſtæ perſonæ, aut laruæ, (Gall. *maſques, ou faux viſages*) ſub quibus latent ſimiæ, ſiue hæretici, (*qui contreſont les hommes, encores que ce ne ſoient que ſinges*)

Nota ſimile quidpiam, de ſargis piſcibus, apud Ælianum lib. 1. de animalibus, cap. 23. Illi Capras vehementiſſimè amãt Piſcator autem, caprinam pellem extractam, cum cornibus induens, illis inſidias parat, & aſſimilatæ pellis, capræ conſpectu, permulcentur: tandémque capiuntur. Hæc Ælianus. *Ælianus.*

Applicatio, non eſt difficilis, aut operoſa. Quandoquidem cùm maxima ſit inter prædicatores, & piſcatores, analogia, & alluſio, prædicantes miniſtri hæreticorum, inſtar piſcatorum laruatorum, qui ſargis inſidiantur, incautos facilè capiunt perſonati tectique caprinis pellibus, vel, ouillis: quod hìc diſertis verbis pronunciat Chriſtus: Veniunt in veſtimentis ouium, Illi autem, intrinſecus ſunt lupi rapaces, De Sargo piſce qui ſit à laruato piſcatore deceptus, agit ex profeſſo, Emblemate 75. Alciatus, I. C. cuius hæc ſunt metra: *Alciatus.*

*Villoſæ indutus piſcator tegmina capræ.*
*Addidit vt capiti cornua bina ſuo,*

*Fallit amatorem stans summo in littore Sargum,*
*In laqueos, simi quem gregis ardor agit.*

Sic ille.

Vult autem dicere author, quòd Sargus capræ amore detentus, & ementitâ capræ forma delusus, illaqueatur. Simum gregem, pro capris dixit, eodem enim Epitheto vsus est *Virgilius.* Poëta decima Ecloga, circa initium. Sic namque Maro cecinit:

*Dum tenera attondent sima virgulta capella.*

Et hæc quidem de comparatione cum piscatoribus laruatis Sargorum, atque hæreticis, dicta sunto. Nec abludit alia *Plinius.* collatio, mellis venenati, quam ex Plinio, hist. natural. li. 21. c. 13 hausimus, hunc in modum: Aliud genus (mellis scilicet, venenati) in Ponto, Gente Sannorum, quod ab insania, quam gignit, Mænomenon vocant (ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, quod furere, seu insanire significat) Id existimatur contrahi flore rhododendri, quo scatent syluæ. Génsque ea, cum ceram in tributa Romanis præstet, mel (quoniam exitiale est) non vendit. Sic in exemplaribus excusis, legitur. Quòd si pro vendit, pendit, literâ vnicâ immutatâ, legas, plenior (meâ quidem sententiâ, ac *Fornerius.* coniecturâ, quam à Fornerio, quondam Aureliorum Antecessore, accepi primitùs) erit sententia, magísque Plinij instituto, videbitur consentanea. Pendere quippe tertiæ inflexionis, seu coniugationis, soluere est, vt tributa pendere, de quibus est sermo, apud Plinium, vbi sup. Sic autem ratiocinari mihi liceat. Mel venenatum, & ad insaniam adigens, mellis quidem colorem habet etiam rutilum magis: Est iterum noxium virus, præsentissimúmq; venenum. *Quid melle dulcius?* ait Scriptura? *Iudic.* 14. *c.* Et tamen, sub mellis specie, venenũ facillimè datur: quippe cùm mel ipsum, venenatũ existat. Quid sibi voluisse naturam, iis arbitremur insidiis. (Verbis Plinij vtor, eodem quo sup. loco) nisi vt cautiorem faceret hominem? Non enim ipsi melli, sed apibus iam cuspides dederat, & quidem venenatas. Ad hunc planè modum, Verbum Domini, quod melli rite comparatur: *Psal.* 18. *Eloquia Domini, dulciora super mel & fauum.* Hæreticorum tamen, corruptelis, sic adulteratur (Gall. *est falsifié.*) vt venenum, sub allegationibus ipsorum lateat: vnde meritò, ac iure dici solet: Venena non dantur, nisi *D. Hieronym.* melle circumlita. Cuius dicti D. Hieronymum tom 1. epistol. ad Lætam, de institutione filiæ, circa medium epistolæ lau-

do, citóque authorem. Sic sub vestibus ouium, latent lupi rapaces. Et (vt memini apud Poëtam, me aliquando legisse:)

*Impia, sub dulci melle, venena latent.*

Poeta (vt mihi videtur) Ouidius.

*Lupi rapaces.* Hoc loco de lupis, ac ouibus, quædam annotare operæ pretium fuerit. Odium luporum, & ouium tam naturale est, vt si lupina pelle tympanum conficiatur, oues non longè astantes, sonum exhorrescunt, ac si lupus propè gregem consistat. Sunt etiam qui asseuerent, harmoniam nullam vnquam coituram, ex ouis, lupíque, tensis ad concentum, visceribus. Adiiciunt prætereà, si lupina pellis, in ouili pendeat, oues pauore conterritas, omninò pastum negligere: vtque leonina inficit aliorum animalium pelles, sic ouinam à lupina exedi, & consumi. Quod sanè fit virtute quadam interna, & nemini cognita. Quare (ait Claudius Minos, Diuiocēsis, in Embl. 170. Alciati) qui rei tam abstrusæ, & inuolutæ rationem conetur reddere, nihil certè adferes, sed, vt Sisyphus versans saxum sudabit nitendo, neque tamen proficiet hilum, ait quoque Alciatus, vbi sup.

Claud. Minos. Alciatus.

*Cætera mutescent, coriumq; silebit ouillum,*
*Si confecta lupi tympana pelle sonent.*
*Hanc membrana ouium sic exhorrescit, vt hostem,*
*Exanimis quamuis, non ferat exanimem.*
Sic ille.

Q. d. Tympanum ex lupino corio confectum, si pulsetur, aliud ex ouillo corio adiacens, exhorrescit, vt propemodum nullum sonitum edat, tametsi ouis membrana lupū mortuum non sentiat. Hæc ibi.

Adiicere libet Æliani testimonium, de truculentia lupi, ac agni mansuetudine: Sic itaque li. 12. c. 31. de animalibus scribit: Eurystenem, & Procleam (Aristomachi filios, cui pater fuit Cleadas, Hyllas, auus, Proauus Hercules) audio, cùm in matrimonium fœminas ducere constitutum haberent, perfectos ad Delphicum oraculum, Deum consuluisse, quo cum Græcorum Barbarúmve affinitate deuincti, pulchrè, & prudēter nuptiis alligati viderentur? iis Deum respondisse, quà venissent, in Lacedæmoniam reuerterentur. Vbicumque porrò terrarum summè ferum animal, ferens mitissimum, eis occurreret, inde ducendas vxores esse. Sic enim feliciter ipsis, & prosperè processurum esse.

Ælianus.

Cui oraculo obtemperantes, cum in Cleonæorum regionem venissent, ipsis occurrit lupus, Agnum, quem ex aliquo grege diripuerat, portans: ex eo illi coniecerunt, Apollinem, de iis animalibus, oraculo significationem dedisse: proinde ipsos Thesandri (filij Cleonymi) probi viri filias, vxores duxisse. Ergo si probè Dij tenent quodnam animal, sit mansuetissimum quódque immanitate efferatissimum, nobis etiam horum sciẽtia negligenda non est. Hactenus Ælianus.

Non immeritò, itaque nec abs re Dominus, hoc loco, lupos, hoc epitheto notauit, rapaces appellans. Cuius ista etiam ex eodem Æliano, li. 4. c. 15. de animal. redi potest ratio. Exaturatus lupus, ait, ne minimum quidem amplius degustauerit, atque & venter turget immodicè, lingua tumescit, os obstruitur: & similiter occurrentibus, atque agnus mansuetus existit. neque verò vnquam tum nec homini, nec bestiis vllis, licet per medium agmen ingrediens, insidias molitur, Postea verò ei paulatim lingua extenuatur, ac in antiquam figuram redit, iterúmque lupus existit. Sic ibi.

*Ælianus.*

Adeò verò rapacitas eius, fame perurgente, demonstratur, vt ne lupis quidẽ parcat famelicus, ac esuriens lupus, nedũ gregi ouium, eodem attestante Æliano li. 7. c. 20. Ita quippe scriptũ reliquit: Lupi naturâ immanes, & crudeles, ideo exstimãdi sũt, quòd inter se vorant, ad hunc modum mutuas sibi molientes insidias. Eos enim ferunt Ægyptij, primò in orbem circumagi deinde excurrere: & cum ex vertigine currendi, & caligine, eorum aliquis lapsus fuerit, in eum, humi stratum, cæteri omnes facto impetu, ipsum laniant. Hoc quidem facere solent, cum venationis facultate deficiuntur: Ita enim præ fame omnia nugas putant, quemadmodum scelerati homines, nihil nõ præ pecunia, præclarè contemnunt Hæc ille.

*Ælianus.*

Quæ vt ad nostrum accommodemus institutum, dicendum esse arbitror, hæreticos similiter, in oues, vel maximè, & præsertim quidem, sæuire, atque luporum famelicorum instar, ne suis quidem asseclis, seu factionis eiusdem, hominibus, parcere solitos. Dicuntur namque, & meritò, sectæ dissectæ. Quibus congruit, & istud Apostolicum: Si inuicem mordetis Videte, ne ab inuicem consumamini, Lupi lupos deuorãt, impellente fame: Hæretici, rabie, ac furore, velut œstro perciti, aduersus se inuicem pugnant, mutui se conficiunt vulneribus, vnus aduersus alium calamum stringit, Lutheranus, aduersus Caluinianum, VVestphalus aduersus Caluinum, Heshusius, contra Bezã Sacramẽtariũ, sicq. de aliis. Vulgò autẽ, ac verè, nostrates

dictitant. *C'est bon temps, quand les loups s'ntremangent.* Bellum hæreticorum, ait quidam veterum Patrum, pax est Ecclesiæ. Saturati autem lupi, mansueti videntur, Sic quamuis non desit hæreticis mala nocendi voluntas Catholicis, postquàm tamen lassati sunt in via iniquitatis, ac malè agendo defatigati, atque defessi, mãsuescere ad horam videntur, dante inducias quasdã, ipsorum saturitate, ac ingluine: verumtamen redeunt statim, ad pristinam rapacitatem, concitante eos fame, hoc est, malo dæmone, ipsos agitante. De huiusmodi in S. Vatem Abacuch. c. 1. D. scribit Hieronymus, ad verba Prophetæ. Velociores lupis vespertinis, & diffundentur equites eius, &c. *D. Hieronym.*

Siquidem, inquit, Lupi sæuiores esse dicuntur, nocte vicina, & tota die, fame ad rabiem concitati. Sic ille.

Huius nostri temporis hæretici, etiam acriori vesania fuerunt, superiorum temporum vniuersis hæreticis, tanquàm nimirum, vespertini lupi. Numquàm enim nocentiores extitisse legimus, in annalibus veteribus, hæreticos, istis neotericis, ac modernis Hugnosticis nuncupatis, apud Gallos, Geusis, siue, vt VVallicè profertur, *les gueux*, apud Flandros, & inferioris Germaniæ populos, apud Angelos, Lutheranis, apud Germanos, & Sacramentariis, ac Zuinglianis, apud Heluetios, *les Suisses.* Et quid dicam? Isti ad mundi vesperam, vespertini lupi, per varias Europæ partes discurrentes, veteres omnes hæreses damnatas, atque sepultas, velut ab orco excitantes, nouásque ac recentes superinducentes, vniuersum pœnè orbem incenderunt, perturbarunt, & ad ciuilia bella, ac intestina, vbique gentium ferè, commouerunt, atque ad internecionem vsque deuastarunt, & pessumdederunt. O tempora, ô mores. *Videat Dominus, ac requirat. Exurge Domine, Iudica causam tuam.* Sed de his sit iam satis (si tamen vnquam satis.) Aliam luporum conditionem, ex Æliano, proferre placet. Lupi fluuios transmittentes, flumina, quæ transiri non possunt, ad traiiciendum facilia, hac machinatione efficiunt, ait ille, li. 3. c. 6. de animal. Caudas nimirum, inter se mordicus tenentes, resistunt, ad perferẽdos fluctus, nullóque negotio tutissimè transnant, aut, tranãt. Et lib. 8. cap. 14. vbi suprà. Maximus, inquit, luporum, in aquam prosiliens adnat. Et lupum primum, secundus similiter caudâ apprehensum, trahit, secundum tertius, hunc quartus, & ita deinceps, ad postremam vsque. Sic ille. *Ælianus.*

Hinc natũ videtur, puerile ludicrũ, quod vernaculè, *la dãce au loup,* vocare solemus, Iocus est, ac puerilis ludus, cũ plures, per

caudas vestimentorum, seu, posteriores vestium partes, veluti inuicem colligati, & concathenati, incedunt, atque discurrunt. Quod sic ad propositum applicabitur, nempe hæreticos omnes, instar luporum, caudas aliorum mordicùs tenentium, &, (vt in Iudicum volumine exaratū extat) vulpium Samsonis trecentarum, igne succensas caudas habentium illisque inuicem innotis, ac colligatis, huc, illùcque discurrentium, instar, confœderatos esse, & in malo, sic quasi visco quodam conglutinatos, vt aduersus Catholicam Ecclesiam vno ferantur impetu, arietantes, & suis cornibus superbiæ quatientes, ac impetentes orthodoxos quosque. Caudas quidem iunctas habentes, quoniam (vt ait Psalmographus) *de vanitate conueniunt in idipsum*, capita tamen ita à seinuicem dissita, ac seiuncta, habent, vt (iuxta tritum sermone vulgi Prouerbium) quot capita, tot sensus.

*Iud. 15.*

*Psal.*

*Ælianus, l. 10 c. 26. de anim.*

Refert iterum, de lupis, sæpè fatus, Ælianus, lib. 10. cap. 26. de anim. Acerrimis, atque acutissimis eos esse oculis præditos, Enimuerò intempesta nocte, vel luna ipsa silente, lucis vsura perfruuntur, & tametsi, omnibus tenebræ offunduntur, non his, tamen lux eripitur. Hinc Lycophos id temporis appellatur, cùm lucem is solus, naturæ munere, oculis perceptam habet. Et verò Homerus, mihi vocare videtur id tēpus, cùm iam tunc cernens lupus, se in viam dat, ἀμφιλύκην νύκτα. Sic ibi, Hoc, (nisi me animus fallit) tempus esse videtur, cum noctescit, & tenebræ accedunt, sub noctem: quod nostrâ linguâ (*Entre chien, & loup*) efferre, & explicare consueuimus, sic enim tenebrescit, vt non facilè secernere, ac dignoscere valeas, inter canem, & lupum, illóque tunc, lupus ad prædam, intempestæ noctis silentio, progredi solet, quod argumento est, eum acerrimo præditum esse visu. Ad hunc planè modum Hæretici prudentiores, & acutiores sunt cæteris omnibus, in malo, & (si ita fari liceat) longè ingeniosiores, De quibus verum est, quod dixit Christus (vt sequenti tractabimus Euangelio, Deo duce,) filij huius seculi prudentiores sunt in generatione sua, filijs lucis. Prudentes quidem, ac ingeniosi, vt faciant mala, benè autem agere nescierunt, vt diuina loquitur pagina, interdiu caligant, ac cæcutiunt, noctu verò, & in tenebris, lynceos habent oculos. Denique de lupis sic Plinius commemorat, li. nat. historiæ. 8. c. 22. In Italia, inquiens, creditur luporum visus esse noxius, vocémque homini, quem priores contemplentur, adimere ad præsens. Sic ille. Quod & in Decadibus quoque, priore tomo, ex eo-

*Plinius, natural. hist. l. 8. c. 22.*

dem transcripsimus, Dominica 40.3.) Hoc accommodatur perbellè, hæreticis, quippe qui, abs se deceptis, seductisque, confessionis vocem, tum peccatorum suorum, tum etiam laudis diuinæ, adimunt. Eundem lupum, in fame, vesci terra: tradit, vbi suprà Plinius. Hæretici, terrenis solummodo inhiant, animales, & planè terreni cibum serpentis, hoc est, terram, comedentes, cunctis diebus, sic namque aduersus serpentem, *Genes.* 3. pronunciauit Dominus: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes, cunctis diebus vitæ tuæ.* Deinceps adiungit Plinius: Sunt in eo genere, qui ceruarij vocantur, Huic quamuis in fame mandenti, si respexit, obliuionem cibi subrepere aiũt, digressũmque quærere aliud. Hæc ibi de ijsdem, iterùm ille, l. 11. c. 37. declinando versus finem. Insatiabilia animalium (sunt) quibus, à ventre protinus recto intestino transeunt cibi, vt lupis ceruarijs. Sic ille. Qua de re etiam Alciatus Emblem. 66. in hunc scripsit modum: Carmina recitabo: *Sac. Dec. aut. priore to. Do. 3. to.* *Gen. 3. e.* *Pli. l. 11. c. 37. post media.* *Alciatus. Ie. Emblem. 66.*

*Cum lupus esuriens mandit ceruarius escam,*
*Præque fame captum deuorat hinnuleum;*
*Respiciat si fortè aliò, vel lumina vertat.*
*Præsentem oblitus, quem tenet ore cibum,*
*Quæritat incertam (tanta est obliuio) prædam.*

Sic ille.

Ibi Minos, suprà citatus, ea est, ait, lupi ceruarij natura, vt quamuis post longa ieiunia, repertas ęgrè carnes mandere, seu, edere, cœperit, vbi quid casu respexerit, obliuiscatur, & copiæ præsentis immemor, aliud quærat. Idem planè, (vt accommodatio sit congrua) contingit hæreticis, qui cùm apud nos versarentur, in communione, ac participatione cibi cœlestis, ac diuinorum Sacramentorum, retrò respicientes (sicut vxor Loth, vt in sacra legitur Genesi, & in Euangelio quoque recolitur) cibum illum fastidiunt de cætero, dicentes cum Hebræis illis in deserto: Anima nostra nauseat, super cibo isto, (manna intelligentes) & præferunt, plurisque faciunt cępas, & allia Ægyptiorum: desiderantes (g. ill. *regrettâs*) ollas carnium, & cætera id genus edulia, quàm diuinam, & augustissimam Synaxim, seu, Sacram Eucharistiam, effecti Sacramentarij, & à mensa Domini (in qua Christus verè, ac realiter præsens in Sacramento, participatur) ad Caluini impium dogma, contrarium, & è diametro pugnans, cum verbo Domini omnipotentis (qui mentiri non potest) dicentis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Item, *Caro mea verè est cibus:* deficiunt, atque transfugiunt, perfidi. Veritatem ipsam dese- *Minos ib.* *1. Cor. 11. é. & Ioan. 6. c.*

*Pr. 2. Sac. De. hom. de Euch.* rentes, vmbram solam persequuntur. Canis Æsopici instar, de quo, Consule posteriorem, tomum, Sacrarum Decadum, Homil. de Eucharistia, Sicut etiam ceruarij lupi more, hæretici insatiabiles, nam vt ait Sapiens *Pr. 13.* versu vltimo: *Iustus* *Pr. 13. c. versu vlt.* *comedit, & replet animam suam: Venter autem impiorum insaturabilis.* Quid multis opus est? Lupus rapit, & dispergit oues, inquit Christus. *Ioan.* 10. c. & (vt Poëtæ verbis vtar.)

*Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,*
*Arboribus venti, ---*

*Virg. Eclog. 3. paulò post media.* Hactenus de lupis rapacibus, & quatenus cum hæreticis componuntur, atque conferuntur, diximus, Nunc de canibus, gregis custodibus, & truculentam luporum rabiem arcentibus, aliquid dicamus oportet: Hi fideles concionatores adumbrant, qui aduersus hæreticos, vespertinos lupos, latrare non desinunt, quibus, quod apud Xenophontem, de factis, & dictis Socratis, lib. 2. declinando, circa finem, legitur, facilè accommodabitur: Sic igitur ille: Dicitur, inquit, cùm animantia essent vocalia, ouem Domino suo dixisse: Mirum facis, profectò, qui cùm nobis, à quibus lanam, agnos, caseúmque habes, nihil des, nisi quicquid à terra capiamus: Canem, qui nihil tibi tale præbet, de quo tu comedis pane participem facis. Canem verò, cùm hæc audisset: Non immeritò, per Iouem, dixit, Ego namque sum ille, qui & vosipsas saluas facio, atque custodio, vt nec homines vos furentur, nec lupi rapiant. Quòd si ego vos non custodiam, nec ad pascua vobis proficisci licebit, timentibus, ne pereatis. His ab eo dictis, oues quoque fertur cani concessisse. Sic ibi. Murmurant aliqui, de honorario, prædicatoribus exhibito, id est, honoris causâ, & gratitudinis iure, collato liberali stipendio, ac dono: vt victui, ac vestitui: prouideatur, concionatorum: magis ad honorandos eos, quàm ad mercedis satisfactionem, contributo: quódque honoris gratiâ, dari oporteat vltrò, non tanquàm debitum exigi, ac extorqueri, cùm sit dignus operarius cibo suo, (vt Dominus in Euangelio resoluit.) Verùm ipsi respondere valent, murmúrque compescere ac, quod canem ferunt respondisse, iure sibi vendicare, & attribuere, atque dicere, Ego custos sum ouiū, vt canis, atque procurator, per quem à nullo iniuriatæ, securè, atque suauiter operando, viuunt, & à lupis defenduntur. Ego custos ouilis, & sub pastore gregis, conseruator ouium, arcens luporum truculentam rabiem. Non ergo mirum, si panis eiusdem quo Dominus vescitur, idē particeps efficiar.

*Xenophon. l. 2 declinando circa finem, de factis, & dictis Socratis.*

*Apologus elegans de ouibus & cane*

Nunc ad contextum, mihi redeundum esse censeo.

*A fructibus eorum, cognoscetis eos &c.* Rectissimè sanè, quæritur, ait Diuus Augustinus, Quos fructus nos attendere voluerit, quibus cognoscere arborem possimus? Multi quædam in fructibus deputant, quæ ad vestitum ouium pertinent: & hoc modo à lupis decipiuntur, sicut, sunt vel ieiunia, vel orationes, vel eleemosynæ, quæ omnia, nisi fieri etiam ab hypocritis possent, non superiùs diceret Christus (*Matthæi sexto.*) *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Qua sententia proposita, ipsa tria exequitur, eleemosynam, orationem, ieiunium. Hi ergò non sunt fructus, de quibus cognosci arborem monet. Ista enim cum bono animo in veritate fiunt, propriæ sunt ouibus vestes; cùm autem malo in errore, non aliud, quàm lupos tegunt, sed non ideo debent oues odisse vestimentum suum, quia plerumque illo se occultant lupi. Fructus autem dicit Apostolus, *Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis, fornicatio, immunditia &c. Fructus autem Spiritus, est charitas, gaudium, pax. &c.* Non est autem pax impiis, dicit, per Euangelicum vatem Dominus. Vel, illi sunt fructus. Nempe, *Facere voluntatem patris mei, qui est in in cælis.* Hæc Diuus Augustinus tomo quarto libro 1. de Sermone Domini in monte, non procul à fine li. 2. memorati.

D. Aug. to. 4 l. 2. de serm. Dom. in mõte 7. sub finem.

Matt. 6.

Gal. 5. c.

Psal. 48. & 57. c.

*A fructibus eorum cognoscetis*, non à vestibus, cùm sit omnis hæreticus hypocrita, & personatus (Gallicè, *masque*) Multi hæretici orant, hinc quidam dicti sunt Messaliani, Psalliani, εὐχῖται, id est, orantes, qui in vna oratione, totum meritum constituunt, & eam solum ad vitam æternam sufficere, arbitrantur: etiamsi reliqua omnia, imò & baptismus, deessent, vt notat Alphonsus noster, contra hæres. tit. Oratio. cont. 1. hæresim, & 2. Messaliani autem, quasi sacrificatores, nomenclatura, à voce, missa, deducta, nuncupantur, & psalliani, à psallendo, Cognominantur, & hi, Enthusiastæ, ait idem, quarta hæresi, tit. de Baptismo, id est, afflati, & diuini. Multi item, vt alliciant, & in suam sectam pertrahant plures, eleemosynas faciunt, distribuuntque propalàm egenis, ac mendicis. vt solebant ab initio, hac illecebra, Hugnostici ad suas synagogas, multos attrahere (Gallicè, *par tel apast, ou amorse, tiroyent plusieurs à leurs presches*) Indicuntur etiam, ab ipsorum Hugnosticorum Prædicantibus, seu, Ministris, ieiunia, quandoque, quamquàm rariùs, idque publicitus, & solemniter,

Alph. Franc. Zamorensis cont. hær. tit. Orat. aduersus. 1. & 2. hær. & tit. Bapt. cõ. 4. l. a.

vt videantur quoque ieiunare, cum tamen ventris mancipia sint,& ciborum delectum, ex Ecclesiæ præscripto, impiè dānent. Non sunt igitur præcisè isti fructus, proprij,ad discernendos hæreticos: Potiùs computari debent, ac in vestimentis ouium numerari: At verò, pseudoprophetæ prędicti, præsertim ex mala dignoscuntur doctrina, quia proprius prophetæ fructus est doctrina, scripturarum expositio,& prædicatio, sicut enim Musicus ædificat, per accidens, non per se, vt
Arist. loquitur Aristoteles, nam quatenus musicus formaliter, canere,& modulari nouit, non autem ædificare, verum latomus domum facit, gall. *le maçon*,& per se, ędificat, quia architecturam,& ędificandi artem, nosse debet architectus sapiens, sic Propheta, per se, ac propriè & formaliter, aut de futuris vaticinatur, ex spiritu prophetię, aut Scripturas interpretatur,& ad populū concionatur, hoc quippe prophetare etiam est, A fructibus proinde cognoscetis eos, quia si verus fuerit propheta, sanam proferet doctrinam, Sin falsus propheta, impiam sententiam,& falsum dogma publicabit, Non vita simulata discernit verum à falso, Nam aliquando doctor benè viuens, malam depromit doctrinam, vt de Origene, ex historia Ecclesiastica deduci posset,& contrà, malè viuens,
Matt.23. bonā profert plerúmq;, verámq; doctrinā, vt, *Matth.* scribæ,& Pharisęi, qui sederūt super cathedram Moysis. quorū doctrinam synceram, ex illa cathedra& secūdū legē Moysis & secūdū legem, procedentem, ab improba vita,& ambitionis plena, prudentissime, vt assolet, Christus discreuit. Accedit etiam,
Deut.13.c quòd, *Deuter.*13. scriptum comperitur, hoc pacto: *Si prædixerit prophetes signum,& euenerit, quod locutus est,& dixerit tibi: Eamus,& sequamur Deos alienos, quos ignoras,& seruiamus eis: non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus, Deus vester, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non? in toto corde,& in tota anima vestra. Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, vt vos auerteret à Domino Deo vestro vt errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus:& auferes malum de medio tui.* Vides quia ob doctrinam malam, talis interficiendus est, iure diuino, quomodo agnoscitur, qui
1.Ioan.4. sit Antichristus? D. Ioannem Theologum. 1. c. 4. audi ita scribentem. *In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est:& omnis spiritus, qui soluit IESVM. ex Deo non est:& hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit,& nunc iam in mundo est.* Sic ille Theologorum phœnix, Aquila Euangelistarum,& vaticinandi gratia præditus.

præditus. Ergo Muhamed, aut Mahometus, qui negat Iesum Dei filium, pro nobis crucifixum, est Antichristus, & qui prophanum ipsius, & impium, atque in multis fabulosum Alchoranum, sequuntur, siue Alfurcan, Turcæ, & Agareni (qui Saracenos se esse gloriantur, cùm tamē Ismaëlitica progenies, existat, ex serua, & ancilla Agar, non autem, ex Sarra, libera, matrefamiliâs) Antichristi sunt. Ergo omnes, in vniuersum, huiusce tempestatis hæretici, Lutherani, Caluiniani, Bezani, & quocunque tandem nomine censeantur, Antichristi etiam sunt, quia soluunt Iesum. Hoc autem est Iesum soluere, aliquid eorum, quæ illi propria sunt, auferre, detrahereque, vel scilicet deitatem, vel humanitatem, denegare, atque illi derogare, quod ab hæreticis quoquomodo factum est. Itē, negare communionem Ecclesię, corporis nimirum, mystici cuius caput Christus est. qui igitur defectionem ab Ecclesię corpore docet, Christum caput non tenet, sed soluit Iesum: quod faciunt omnes ferthē hæretici. Certè Didymus, (vt obseruat Gagneius, in præfatam D. Ioan. epistolā, sup. citato loco) sumit aliquoties, verbum soluendi Iesum, pro, negare eum in carne venisse: De Pseudoprophetis enim ait, Per quos solutus Iesus, quoniam non confitentur eum venisse in carne, Sic ibi.

*Ioan. Gagneier Parisinus Theologus ibi, Didymum citat.*

Adde, quòd hæretici, vt plurimum, malè viuunt, perperàm quoque agunt, latam voluptatum viam sequacibus suis proponunt, vt Lutherus, excucullatus Monachus, Augustinianus. vota omnia damnat, ieiunia, ciborum delectum, reijcit, omnem superioritatem, ac dominationem, euertit pro viribus, carnis licentiam, atque libertatem, Euangelij prætextu, introducit. Et quid non, suis indulget, permittitque, pro libidine agere, & ex animi viuere sententia? Quicquid libet, illis, per eum, licet, Horum fructus, qui sint? Attende, Templorum destructio, Sacrorum vasorum expilatio, altarum demolitio, Votifragia, Sacrilegia, Incæstus Nonnarum, Sacerdotum matrimonia, sic enim, proh scelus: honesto vocabulo, rem turpissimam, & tam nephariam prostitutionem, appellare, nō verentur: atque vt Poëtæ verbis vtar, Æneid. 4. ante media, De amoribus Æneæ; atque Didus, sermo est.

*Virg. Æneid. 4. ante media*

*Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem,*
*Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.*
Sic ille.

Isti consimiliter, contra ius, & æquum, contra denique Sacratum Professionis, & ordinis, iusiurandum, Monachi, cū Sā-

ctimonialibus nuptias, celebrant, vt coryphæus ipsorum, & anresignanus, Lutherus, cum quadam Catharina (non respōdet, tam sanctæ, & puritatis laude fulgenti, appellationi, tam nepharium scelus) Monachus cum Monacha, perfidus cum perfida, Apostata Augustinianus, cum miserrima transfuga (vt dignum esset tam politæ patellæ operculum) incestis nuptijs copulatus est. (Veluti Ioan. Baptista Ficklerus, I. V. doctor, lib. de Theologica Iuridica, titulo, de vita Monastica, fusiùs pertractat) &, (vt tandem finiam) cædes Catholicorum sacerdotum, conculcatio Sacramentorum Ecclesiasticorum, Violatio denique Sacrorum omnium, fructus, sunt acerbissimi, atque amarissimi, noui huius Euangelij, à Luthero, suíque similibus, cum puluere bombardico, & sclopetis prædicati in Gallia, per Vesanum Bezam, & cæteros (si dijs placet) Apostolos, imò verius dixeris, Pistolicos ministros (gal. *Predicants empistolés, desquels l'Euangile, ne sent aultre chose, que la pouldre à canon.*) Abhis proculdubiò fructibus, cognoscetis eos. non à frondibus, latisque folijs, bona arbor cognoscitur, sed ex fructu, sic nō sufficiūt verborū folia, sine operū fructu, vt infrà Dominus concludit, dicens: *Non omnis, qui dicit Domine, Domine, &c* Hęc folia quidem sunt. at facere voluntatem patris, fructus est optimus, Deóque gratissimus.

*Ioan. Baptista Ficklerus. tit. de vita Monastica, li. de Theologica Iuridica.*

Vt autem agnoscamus, qui sint gemini fructus, ac legitimi, Verorum prophetarum, obseruanda sunt, *D. Iac. 3. c.* verba ista: *Quæ desursum est, sapientia, Primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis (siue, obediens) bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.* Quæ conditiones, ac (vt ita dixerim) proprietates, octo, tanquam certa quædam symbola, seu tesseræ, orthodoxæ imprimis, ac Catholicæ doctrinæ, atque religionis, habentur: quemadmodum Franciscus Turrianus, libris, De dogmaticis characteribus verbi Dei, aduersus nouos Euangelicos, locupletissimè demonstrat. Primum, ait Apostolus prænominatus, pudica est, & casta, non solùm secundum dogmata: *Psal. vndecimo capite Eloquia Domini, eloquia casta:* sed casta quoque secundū carnem, vtilis scilicet, vt is continentiam seruet, cui non licet vxorem ducere. aut priùs ductâ, amplius vti, vel etiam si liceat, malit tamen sic permanere, id est, continens esse. Vbi ergo sunt noui Euangelistæ, vel potius noui Iouiniani, magistri luxuriæ, qui docent virginitatem, non præstare coniugio? imò nullius meriti esse? Dogma de excellentia virginitatis secundum carnem, & spiritum, proprium est verbi Dei pertinétque ad eius characteres, expressásque notas, Ex quo consi-

*Iac. 3. c*

*Franciscus Turrianus, de dogmaticis characteribus*

*Psal. 11.*

citur, vt non sit verbum Dei, verbum Euangelicorum, qui hoc dogma negant, imò tradunt, non licere votum facere perpetuæ virginitatis, quasi nihil sit in nobis, quod ad eam seruandam efficere possimus, docéntque fornicari, tanquam discipuli Balaam, tenentes, vt in Apocalypsi legitur, doctrinam Balaam, qui docebat Israel edere, & fornicari; tenentésque doctrinam Nicolaitarum. Hæc est hæresis, contra cœlibatum ministrorum sacri ordinis. Tales sunt hodierni Euangelici, nomine tenus duntaxat Euangelici, quandoquidem celebrat, & collaudat Euangelium eos, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, hic est perfectissimus Eunuchismus; Disseramus deinceps, sed paucis, de impudicitia sapientiæ terrenæ, quam Euangelici profitentur. Quæ primùm quidem impudica est, quòd continentiam & cœlibatum explodat, deinde, cum multis falsis, & impijs dogmatibus, se immisceat, quæ à principio, in occulto, & priuatim, & in paucis locis, & diffidenter, & discrepanter à proprijs eorum Euangelistis, prædicata sunt. Est alia impudicitia secundum carnem, in disciplina Euangelicorum, quę secundum propria desideria eorum, virginitatem Deo dicatam omnibus vulgat; & nullius meriti, ac laudis esse tradit, & quæ exploso cœlibatu, sacros ordines, sacrilego matrimonio copulat, & omni fide, ac religione Dei, contemptu, ex monachis facit sponsos. Qui mihi, cum eorũ scelestam, & sacrilegam impudicitiam considero, similes videntur Sodomitis, aut etiam peiores vt enim illi cum Angelis pollui voluerunt: sic hi, monasticam, id est, angelicam vitam professos, cum fœminus pollui docent. Nunc de secunda conditione aliquid attingamus atque delibemus: vt sit pacifica, qui est insignis, & illustris character verbi Dei cuius characteris, id est pacis proprietas est, esse συναγωγὸν, non congregantem dicere possumus. vt non sint in nobis schismata, sicut scribit Apostolus. ita ut vna sit omnium fides, id est, non diuisa, in, est, &, Non, id est, in verum, & falsum, & vnum baptisma non diuisum, fides verò Lutheranorum diuisa est, vt in fide Sacramentorum, nunc Septem Sacramenta ponunt, Nunc vnum, vt baptismũ, nunc Duo (vt Hugnostici neoterici hæretici, ac recentiores, Geneuenses scilicet, Baptismum, & Cœnam Domini nũc tria, Baptismum, Cœnam, & Pœnitentiam, nunc quatuor Baptismum, Cœnam, Claues, & Impositionem manuum; vt Philippus, ah ill' on ment. ingrata terra, Gręcè, Melancthon, & galli-

Apocal.

eus qui suprà Anagrammarismus totum hoc simul viri huius produnt satis ingenium,& sanctimoniam)in postrema locorum editione,4.Sacramenta posuit. Confirmationem modò esse sacramentum aiũt modò negant.Item fides Eucharistiæ diuisa est,Zuinglius, Tigurnia Confessio, Caluinus, negant corpus Christi in ea esse, & Lutherus contra regem Angliæ, & in lib.de captiuitate Babylonica,Rursus idem Luth. in ser. de Eucharistia,& in libro Visitationis,contrarium ait Negat Luth.in l.de capt.sub vna specie rectè sumi corpus,& sanguinem, rursus in catalogo sent. & in declaration. de Eucharistia,ait,rectè sumi. Rursus tradit neutram speciem necessariam esse,sed solùm fidem, in Assertion. & in lib.de formula Missæ.Plurima sunt huiusmodi, quæ longum esset, si omnia notare vellem, enumerare. quod si diuisa est fides, ergo diuisum est verbum, diuisus est Christus, in aientem,& negantem,hoc est,veridicum,&mendacẽ. Rursus,si verbum est diuisum, Non est ergo verbum pacis, sed contentionis, ex quo fit, vt non sit verbum Dei, *Non enim est Deus dissensionis*, inquit Apostolus, *sed pacis*. ergo verbi huius diuisi magistri, falsi magistri sunt, de quibus nunc ait Christus: *Attendite à falsis prophetis &c*. Verbum Euangelicorum, non est verbum Dei, quia non est congregans, sed dispergens, nõ Ecclesiasticum,sed schismaticum,non pacis, sed belli. Verbum Dei esse non potest, nisi conspiret, pacémque habeat, cum antecessoribus, repetita eorum sancta successione, vsque ad Apostolicam originem, pacem item habeat cum posteris, qui in illa quasi hæreditaria possessione, apostolicæ fidei, & doctrinæ, deinceps post multas ætates successerunt. Hoc est verbum εἰρηνικὸν, id est, verbum pacis, & consentiens. At verò hæreticorum congressus, ac conciones, ad seditionem
*Ouid.ep.2.* tendunt, vt, Exitus acta probat ---- inquit, 2 .epist. Ouidius. Ideò seriò monet Dominus, ab istis pseudoprophetis cauendum esse, hoc loco, Rursus, cum prædicaret illa aduentum suum secundum,& Apostasiam antegressuram, & fallacias Pseudoapostolorum prædixit: Tunc,inquiens, *si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*(μὴ πιστεύετε, suprà Epicharmenon citauimus) Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ. Non est proinde verbum Euangelicorum, Ecclesiasticum & εἰρηνικὸν, atque in vnum congregans, quæ est vis, ac proprietas pacis, sed potius verbum factiosum, ac seditiosum, οὐκ εἰρηνικὸν ἀλλὰ ἐριστικὸν, hoc est, non pacificum, sed contentiosum aduersus veritatem, ac litigio-

ſum eſt, Euangelicorum prætenſorum verbum, plenúmque amari Zeli. Sed tempus eſt, vt ad tertiam progrediamur conditionem, nempe quod, quæ deſurſum eſt ſapientia modeſta eſt. Deinde etiam ſuadibilis, ſiue,æqua, & obediens. Modeſtiam, ac obedientiam Eccleſia noſtra prædicat, ſingulos exhortari ſolita, Apoſtolicis verbis: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Philipp. 4. capite.* Item, *Melior eſt obedientia, quàm victima 1. Regum capite 15.* Contrà, Euangelici dominationem contemnunt, quo nihil iniquius, & modeſtiam omnem peſſundans, euerténſque magis,apud eos equidem omnes ſunt iudices,omnes Papæ,omnes Epiſcopi,omnes ſacerdotes,Veriſſimè enim à florentiſsimo(ſecundum ipſius cognominis rationem, & etymon, ita & laus) Cypriano, martyre ſcriptum eſt, non aliund e natas eſſe hæreſes,& ſchiſmata, quàm ex eo, inquit, quod neque vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, neque ad tempus iudex,vice Chriſti, cogitatur; cui ſi ſecundum magiſteria diuina,obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus Sacerdotum collegium,quicquam moueret,nemo diſſidio vnitatis, Chriſti Eccleſiam ſcinderet. De ſummo ſacerdote loquitur, qui legitimis ſuffragijs collegij fratrum,à Deo creatur. Sed Euangelici ſcilicet, cum cęteris hæreticis, dominationem, (ſicut B.Petrus,& S.Iudas, Apoſtoli Chriſti, aiunt) contemnunt,neque audire volunt,Epiſcopum Romanũ, primum iudicem eſſe,in quo totius iudicij Eccleſiaſtici nitatur, & pendeat auctoritas.Cũ tamen diſertis verbis Dominus Petrum alloquatur dicens:*Matt.16.Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, ædificabo Eccleſiam meam*. Et eidem poſt reſurrectionem, dicit: *Ioan.21.Paſce oues meas,Paſce agnos meos*. Addit. B. Iacobus,vbi ſup.Bonis conſentiens, hæc eſt Catholica Eccleſia, communio Sanctorum, cum omnibus pijs, boníſque viris, conſenſus, atque concordia,& vnio, ſicut, *Act.4.* ſcribitur, *Multitudinis credentium, erat cor vnum,& anima vna*,& Pſaltes diuinus: *Qui facit habitare vnanimes*, ſiue, vnius moris, *in domo*, & iterùm: *Ecce, quàm bonum, habitare fratres. in vnum*. Qua de re nos etiam ſuprà. Perſequamur reliquas cœleſtis ſapientiæ proprietates. Plenam miſericordia, & fructibus bonis,eam affirmat Diuus Iacobus. In eo autem vel maximè ſapientia Euangelicorum expers eſt miſericordiæ, quòd contra verbum Dei confeſsionem tollit, quæ nobis poſt peccata, miſericordiam Dei conciliat, nóſque in gratiam cum eo reducit. Qui enim (ait Salomon) abſcondit ſcele-

Phil.4.c.
1.Reg.15.ca
Matth.16.ca
Ioan.16.
Act.4.c.
Pſal.

ra sua, non prosperabitur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Ergo sapientia, quæ confessionem tollit, misericordiam tollit, & crudelis est, ac diabolica. Sciant tales, Nouatianorum fuisse hoc commentum, qui pœnitentiam post baptismum negabant, tollentes remissiones peccatorum, quæ à Presbyteris fiunt post baptisma. Testatur hoc Nicephorus, lib. 8. capite 10: scribens, quòd Constantinus, Acesium, Nouatianorum episcopum, requisiuit, quare à communione Catholicorum tantopere abhorreret? Recitauit caussam dissidij, inter Nouatum, & Cornelium Papam, sub Decio Imperatore fuisse, quia ille, post baptismum Dijs sacrificantes, à communione reijciebat, Solius Dei, & non sacerdotum, potestatem eam esse dictitans, talibus hominibus remissionem delicti concedere. Ad quem extempore, Imperator, Scalas, inquit, admoue Acesi, & solus in cœlos ascende. Quo dicto, non Acesium ille laudauit, sed potius, quòd immunem à peccatis, se fortè existimauit esse, perstrinxit. Sic ibi. Lutherani, & & Caluinistæ, consimiliter, secundam post naufragium tabulam, id est, pœnitentiam abolere conantur; confessionem sacramentalem, infami vocabulo, animarum seu, conscientiarum, carnificinam, ac lanienam, appellãtes satisfactionem, fructúsque pœnitẽtiæ, odio plusquam Vatiniano prosequentes: & vt summatim dicam, integram pœnitentiam exosam habentes, misericordiam Dei, hoc modo, peccatoribus denegant. Bona opera pariter explodunt, nihil ad iustificationem illa facere, obtendentes; nec ad salutem promerendum esse necessaria. Quod est Dogma Lutheranum, in quo tota ferme Lutheranorum ματαιολογία, i. vanoloquentia, versatur, Theologiam nolui dicere, cùm tamen, authore D. Iacobo Apostolo: *Fides, sine operibus mortua sit*, veluti & corpus, sine spiritu mortuum est. Supersunt duæ conditiones, sapientiæ, quæ desursum est, ἀδιάκριτος esse, id est, non iudicari, siue, non iudicans, & sine simulatione. Sanè ex quo Euãgelici tradere cœperũt, sola fide hominẽ iustificari, noluerũt esse factores verbi Dei, extuncque conuersi sunt in iudices eius. Qui enim nos iudicant, verbum Dei iudicant, quod tamen iudicare debet, non iudicari. Contrà, verbum Euãgelicorũ ab omnibus iudicatur, ab omnibus cõuincitur, ab omnibus deniq; Catholicis, & orthodoxis, confutatur, & flagellatur. Sic contra Centuriatores Magdeburgenses, tãquàm aduersus Ismaëlitas quosdã, manus quorum aduersus omnes armatur, scriptorũ pœnè

*Niceph. hist. Eccl. l. 8. c. 10*

*Iac. 2.*

omnium manus leuantur,& calamus,aduersus mendaciorum plaustra, horum impostorum, stringitur, omnium, hac tempestate Catholicorum auctorum. Venio tandem ad extremum verbi Dei characterem, ab eodem Apostolo, & fratre Domini, expressum.qui est ἀνυποκρισία. nos, quia vno verbo interpretari non possumus,dicamus vacuitatem simulationis. Vt autem eminentiùs appareat hic character, simulationem Euangelicorum, ex antithesi comparemus. Iactant enim, ac simulant, legem libertatis, vt velamen malitiæ habeant libertatem, sicut de eorum similibus dixit B. Petrus, libertatem promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis. Est verò apud nos verbum Dei, cuius proprius character est vera, & spiritualis libertas, & non simulata,& carnalis,vt apud Euangelicos. Ad eundem characterem τῆς ἀνυποκρισίας verbi Dei, pertinet fides item non simulata, neque ficta, id est, quæ hypostasim habet in actione, & non instar Idoli, siue inanis visi, quod hypostasim habet in mente solùm, cuiusmodi est, Sola fides Euangelicorum. Igitur, qui verbum Dei iactant, & solam fidem verbi Dei, ij mendacium loquuntur in hypocrisi,vt de quibusdam dixit Apostolus,quorum verbum, non est absque simulatione. Fides enim sola verbi Dei, fides ficta est,hypostasi vitali carens. Tametsi non negem,(ne quis hîc calumnietur) quin verus assensus sit, & eatenus vera fides, vt non sit instar animæ, in corpore vitam habentis, sed instar idoli, ac proinde non est propriè vera, id est perfecta, viua, ac non ficta fides, vt Apostolus loquitur. Est præterea ficta, ac simulata fiducia, quam iactant in verbo promissionis, vt hac quoque ratione, verbum eorum non sit sine simulatione fidei, & fiducia. Fides quippe sola, & nuda promissionum Christi,fiducia esse non potest, sed potius est fiduciæ simulatio. Sapientia ergo Euangelicorum, non est cœlestis, sed terrena, non spiritualis, sed animalis, non diuina, sed diabolica, vt quæ non doceat seminare fructus iustitiæ in pace, sed iniustitiæ,in schismate. Sed his de characteribus, hactenus satis sit dictum, Maximam sanè horum, quæ diximus, partem, ex Francisco Turriano, nos esse mutuatos, non imus inficias; Imò verò, ingenuè, per quos profecimus, libentérque agnoscimus. Ergo à fructibus, cognoscetis eos.

Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Spina, & tribulus, à fructibus cognoscuntur, quia fructum bonum ferre non possunt. Per spinas, autem, ac tribulos falsos prophetas, ac hæreticos conuenienter accipere de-

bemus: Primò, quia sub spinis latibula sunt serpentum. Istorum verò corda, receptacula sunt, malignorum spirituum. Secundò spinæ cruentant, & vndique pungunt. Quis autem dicenda consequi valeat, quantùm acriter pungant hæretici, instar vesparum, & crabronum (Gall. *ils picquent comme guespes*) instar etiam Scorpionum, aculeos figunt, reflexâ caudâ ictum imprimentes, vnde ortum est apud Nostrates adagium: *A la queuë gist le venin, &c.* Spinæ, Tertiò, non tractantur nudis manibus, at si quis eas tangere voluerit, ferro armabitur, Sicut 2. Reg. 23. Dauid ait: *Præuaricatores, quasi spinæ euellentur vniuersi, quæ non tolluntur manibus. Et si quis voluerit tangere eas, armabitur ferro, & ligno lanceato, ignéque succensæ comburentur, vsque ad nihilum.* Hæc Dauid, Vates regius: *Terra quæ maledicta est, tunc spinas, & tribulos germinat.* Quid, amabo, aliud hæretici proferunt, quàm blasphemias, schismata, & errores? Terra autem proferens spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, *cuius consummatio, in combustionem. Hebr 6. cap.*

2. Reg. 23.

Hebr. 6.

D. August.

Quoniam verò, mater hæreticorum, assertore Diuo Augustino, superbia est: Idcircò Spinæ huiusmodi dominari appetunt, quod facere refugiunt, recusántque, arbores fertiles, ac bonæ: Hæreticum namque præfatus Augustinus, describit, qui principatus gratiâ, nouas gignit opiniones, vel etiam sequitur: *Ioan. 7. cap. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, &c. Iudic. 9. cap.* Extat parabola lignorum, veluti deliberantium, vngere super se, crearéque regem. Oliua quidem, ficus, & Vitis, dominari, & aliis præfici, recusarunt; at verò Rhamnus (asperrimæ spinæ genus, vernaculè, si non hallucinor, *aubespine*, nomen sortitur) super cætera ligna suscepit, affectauitque imperium, ex quo tandem egreditur ignis, qui omnia deuorat. Animaduerte item, quomodo *Numer. 13. cap.* Exploratores redeuntes, detulerunt ficus, vuas, atque malogranata. Veri autem prædicatores, spirituales indubiè, exploratores, charitatem afferunt cœlestem, in vua designatam, dulcedinémque, per ficum, adumbratam, è spirituali contemplatione reportant. Malogranata item, multis granis, sibi inuicem connexis, sub vno corticè, constantia, referunt, quando concordiam, & in vno corpore, sub vno capite, consensionem plurimorum, docent. Cùm igitur in prædicatoribus cœleste nonnihil, quale in hac terra non reperitur, sentitur: indicium est, & argumentum, bonarum, feraciúmque arborum, fructus nempe, malogranata

Ioan. 7.

Iudic. 9.

Num. 13.

ficus, ac botros, prædicatores auditoribus suis adferre: Vnde Apostolus, *prioris ad Corinth.2.cap. Non in persuasibilibus*, inquit, *humanæ sapientiæ verbis, (veni ad vos) sed in doctrina spiritus.* Q. d. non terrena loquutus, sed planè cœlestia. Præter hanc autem fructuum prædictorum ficuum nimirum, ac racemorum, suauitatem & dulcedinem, cuius Psalmista meminit, in mysterio loquens, & dicens: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Obseruare etiam poteris, vnitatem, & charitatem, quam si doceat prædicator, veri Prophetæ argumentum est. In ficu siquidem grana multa, vna coniuncta inuolucro, & pediculo, cernuntur, & in racemo, grana multa adhærent, (ex multis namque acinis vinum confluit) Quod si prædicator docet schisma, & discessionem à fide publica, & Catholica, atque à Rom. Ecclesia defectionem, hic dubio procul, Pseudopropheta est, & diligenter cauendus. Quia, *Ephes.4. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma.*

I. Cor. 2.

Psal.

Eph. 4.

*Non potest arbor bona, fructus malos facere, neque contrà.* Nota, quod inter arborem, & hominem, magna est similitudo. Nam, ex Diuino Platone, homo est arbor euersa, radix cuius vergit sursum, nempe, capilli capitis, rami autem, cuiusmodi sunt brachia, & pedes, tendunt deorsum: modo arboribus opposito, Opera hominis, fructus sunt arboris. Bona quidem, & studiosè acta arboris bonæ fructus sunt: Mala verò, malæ quoque arboris fructus computantur. Est interim magna, inter vtrumque discrepantia. Nam quod bona, aut mala sit arbor, id ex natura habet, & essentiali proprietate, quod autem homo bonus sit, vel improbus, ac sceleratus, ex electione fit, & arbitrij libertate, quantumuis ex natura corrupta, & vitiata, in primo parente, nascamur filij iræ. Deus autem arbores nos bonas facit, vt adiutrice ipsius gratia, & cooperante, fructus optimos ferre possimus. Quod vtique in seipso sensit; qui ait: *Omnia possum in eo, qui me confortat. Philipp.4.cap.* Non potest autem homo malus, bona operari, neque vicissim bonus, mala. Sed si malus bona vult agere, primò bonus fiat. Intelligenda est igitur præfata Christi sententia, ac propositio, secundum sensum compositionis, non autem in sensu diuiso (vt loquuntur Logici) hoc est, arbor bona, & vir probus, quandiu eo in statu perdurant, & persistunt, non nisi bonos proferunt, edúntque fructus, sed neque edere possunt, in probitate nempe, semper perseuerantes, nec ab ea vllo pacto degenerantes, desciscentésve. Sic & Theologus, *1.Ioan.3.cap. Omnis*, inquit, *qui natus est ex*

Plato.

Philip. 4.

I. Ioan. 3.

*Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius* ( gratiam iustificantem intellige ) *in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Hæc ille. Quid, quæso clariùs dici potuit? Si tamen vir alioqui sanctus, à sancto iustitiæ tramite, sponte aberrauerit, & viam veritatis non tenuerit, qui iampridem bonus fuit, malus improbúsque efficietur, fructúsque malos proferet. Moyses etenim arbor bona fuit, sed cùm primùm declinauit à bono, peccauit ad aquas contradictionis, Dauid quoque arbor erat bona, sed quàm nō perseueraret in bono, malos protulit edidítque superbiæ, seu elationis, ingratitudinis, proditionis, adulterij, & homicidij, fructus. Quid plura? Diuus Augustinus, to. 4. lib. 2. de sermone Domini in monte, hoc sic illustrat. Quandiu, inquiens, quisque malus est, non potest facere fructus bonos. Si enim bonos fecerit fructus, iam malus non erit. Sic verissimè dici potuit. Non potest esse nix calida: cum enim calida esse cœperit, non iam niuem, sed aquam vocamus. Potest ergo fieri, vt quæ nix fuit, non sit: non autem potest fieri, vt nix calida sit. Sic potest fieri, vt qui malus fuit, non sit malus, non tamen fieri potest, vt malus benè faciat. Sic ille. Sit ergo vnusquisque arbor bona, nec se arbitretur habere fructus bonos, si ipse manet arbor mala: Non enim erit fructus bonus, nisi arboris bonæ. Mutet cor, & mutabitur opus, Extirpa cupiditatem, & planta charitatem, *Isa. 1. cap. Auferte malum cogitationum vestrarum*, ait per Euangelicum Vatem, Dominus. Sicut autem *omnium malorum radix, est cupiditas*, sic & radix omnium bonorum, est charitas. Sequentia iam videamus.

*D. Aug. to. 4. lib. 2. de serm. Dom. in mõte sub finem.*

*Isa. 1.*

*Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, &c. Luc.* 13. *cap.* de infructuosa ficu, legimus dictum, *Succide illam. Vt quid enim terram occupat? Matth.* 11. de alia scriptum est ficulnea, carente fructu, lata interim, patuláque habente folia, cui Dominus imprecatus est dicens: *Ex te nunquam nascatur fructus. Statimque exaruit. Ioann.* 15. *cap.* Palmitem non ferentem fructum, collectum, in ignem mittent, & ardebit. *Matth. 3. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Arbor expectat è cœlo solem, & pluuiam, vt fructum reddat: Homo nullatenus, dignos feret fructus, nisi luce, & gratia cœlesti adiuuetur. Assimilatur quoque homo arbori, in cadendo. Cadit enim arbor ad eam partem, ad quam plures ramos extenderat. Similiter homo in morte cadit, vel ad austrum, vel ad aqui-

*Luc. 13.*
*Matth. 21.*
*Ioan. 15.*
*Matth. 3.*

Ionem. *Eccles.c.11.* hoc est, vel ad salutem ęternam, vel ad æternam damnationem. Vbicumque, inquit, ceciderit, ibi erit. Quod fusiùs alibi interpretatum, comperies. Id sic Gallicè exprimimus: *De telle vie, telle fin.* Eò cadit homo moriens, quò maiorem partem cogitationum, & affectionum, viuens transmiserat.

Obserua, amabo, quia malæ arboris culpa est inexcusabilis, Sententia ineuitabilis, pœna interminabilis, gratia denique, ei irrecuperabilis. Primum patet in fici parabola: *Luc.13.* per triennium patienter expectauit Paterfamilias, vt fructum faceret arbor, nec interim defuit cultura conueniens, fossionis circa radicem, & fimi adiectio, nec tamen optatum protulit fructum. Quis igitur post tantas inducias, & curationes, siue culturam, in sua prauitate, & sterilitate, permanentem, excuset? Dicat meritò Dominus: *Quid vltra debui facere ficulneæ huic, & non feci? Succide ergo illam, vtique vt in ignē mittatur.* 2. Sententia est ineuitabilis, *Matth.3. iam securis ad radicem arborum posita est* Securis, Iudicij diffinitiuam significat sententiam: omninò, proh dolor! ineuitabilem. 3. Pœna est interminabilis, quippe cùm in ignem gehennę mittetur tandem, proiicieturque peccator. 4. Arbori malæ gratia erit tunc (in die Iudicij) irrecuperabilis. Enimuerò arefactæ ficulneæ, *Matth.21.* ait insuper Dominus. *Numquàm ex te nascatur fructus, in sempiternum.* Itaque dum adhuc spatium salutaris pœnitentiæ tibi datur, & conceditur; placeat tibi Sapientis consiliū, dicentis: *Eccl.c.9:* *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos, quò tu properas.* Hæc concionator.

*Luc.13.* *Matth.3. & Luc.3.* *Matth.21.* *Eccles.9.*

*Non omnis, qui dicit Domine, Domine intrabit in regnū cœlorū, &c.* Non sufficiunt ad salutem, verborum folia, absque operum fructu, Superiùs falsos prophetas cognoscere docuit, & detortæ scripturarum interpretatione, atque falsa doctrina, hic autem, eos quoq;, qui rectè docuerint, si bonis operibus non expresserint, quod docent, non intraturos cœlū, pronunciat. Quod ideò dicit, ne putaremus, solā bonā, sanámq; doctrinā, ad salutem sufficere, nisi fecerimus quoque volūtatem Patris cœlestis. De quibusdā namq; scribit Apostolus: *Tit.1. Confitētur se nosse Deū, factis autem negāt.* Facere, & docere, opus, ac sermo, hæc, inquam, duo, ad salutem, summè concionatoribus necessaria sunt. *Qui enim fecerit, ac docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Matth.5.c.* Ex his facilè, nullóque negotio colligitur, quantus sit eorum error, qui sola, imò sterili, ac mortua fide,

*Tit.1.* *Matth.5.*

ſine fructibus bonorum operum, putant (& falſo quidem) conſequuturos ſe ſalutem: cùm diſertis verbis, hoc loco, contrariū Dominus pronunciet. Hæc verò Dominica cenſura, nō alios, quàm Chriſtianos concernit. Non Turcas, non Mauros, non Iudæos, quod vel hinc palàm eſt: quia, cùm in Chriſtum ipſi nō credant, non ei dicunt: *Domine, Domine.* Ergo de Chriſtianis dicit, qui credunt quidē, Chriſtúmque inuocant, clamantes: Domine, Domine, non faciunt tamen voluntatē Patris, qui in cœlis eſt: *Omnis proinde, qui inuocauerit nomen Domini*, vt ait S. Ioël (in quem Enneades conſcripſimus) *ſaluus erit.* Ore quippe, confeſſio fit ad ſalutem, *Rom. 10. cap.* Quæ ſententiæ accipiendæ ſunt hoc ſenſu, vt cum hoc, faciat homo voluntatem Patris ſui, qui in cœlis eſt. *Fides enim, quæ per dilectionem operatur, Gal. 5. in Chriſto valet, alioqui, ſine operibus, ipſa mortua eſt. vt ſup.* decernit Apoſtolus, ac frater Domini, Iacobus. Facere voluntatem Patris oportet. Hæc eſt porrò, voluntas Dei, conuerſio peccatoris, quippe cū per *Ezech. c. 18. dicat: Nunquid voluntatis meæ, eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat?* Sed & voluntas Dei eſt, vt verā, Catholicámque fidem teneamus, dicēte Chriſto: *Ioan. 6. c. Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me Patris, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Denique, hęc eſt, ait Apoſtolus. *1. Theſſ. 4. c. Voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos, à fornicatione, &c.* Faxit Deus noſter clementiſſimus, vt voluntatem ipſius, facientes, ſua ipſius bonitate, ac clementia, ad regnum cœlorum, poſt iſtius vitæ decurſum, aliquando peruenire valeamus.

*Ennead. auth. in Ioëlem Vatem ſanctum.*

*1. Theſſ. 4. c.*

AMEN

# DOMINICA OCTAVA A PENTECOSTE.

## De villico iniquitatis, apud suum Dominum delato, & ab Oeconomia destituto, atque deposito, qui prudenter sibi prospexit, de bonis Domini sui & de eleemosyna pauperibus eroganda. Luc.16.c.

*Homo quidam habebat villicum, & hic diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona ipsius, &c. Vbi suprà.*



ERODOTVS, Historiæ Pater, sub secundi libri finem, & extremum, cōmemorat, quòd Amasis legem hanc apud Ægyptios condidit vt singulis annis, apud prouinciarum præsides, Ægyptij omnes demonstrarent, vnde venerunt: Et qui, aut hoc non faceret, aut nō demonstraret, se legitimè viuere, is morte afficeretur. Quam legem Solon, ab Ægyptiis mutuatus, Atheniensibus tulit, quam illi, quòd sit castissima, assiduè vsurpant. Hanc similiter, aut ab Amasi, aut à Solone, mutuati sunt Corinthii, vt Athenæus, lib 6. ex Diphilo Poëta, testis est. Si quē enim viderint, splendidè epulari, rogant, vnde victus suppetit? Si sufficit census, frui sinunt. Si verò, impensæ opes superent: Iubetur non ampliùs fecisse, ne pereat, mulctatur. Si nihil habens ganeo, & abliguritor, prodigus etiam fuerit, Carnifici datur, quia sic sine furtis vixisse, non intelligitur: Sicque pessimum genus hominum purgabant rectè Corinthij. Hæc ex Poëta apud Athenæum.

Herodotus.

Athenaeus.

Cicero. Percommodè retulit Cicero, orat. 31. pro Cn. Plancio: hūc in modum: In Cato. in principio scripsit originum suarum: Non minus otij, quàm negotij, rationem extare oportere. Collumella. Et Columella, lib. 2. c. 21. id est, vltimo, de re rustica: Tam otij, quàm negotij, rationem reddere, maiores nostri censuerunt, ait, Quæ præfari libuit, vt ad contextus interpretationē aggrederemur. Proponitur nāque Oeconomus quidam, à quo de omnibus, exacta, accuratáque postulatur ratio reddenda, quippe qui, delatus esset apud dominum suum, quasi bona ipsius dissipasset. Totius itaque negotij, vt rationem reddat, seuerè nunc quidem exigitur, cùm illi dicitur: Redde rationem villicationis tuæ, vt & nos, in eo discanius, de omnibus, reddere oportere, coram Domino, ac iudice nostro, rationem. Sic D. Athanasi. namque D. Athanasius, in suo Symbolo, docet. *Omnes*, inquiēs, *reddituri sunt, de factis propriis rationem. Matth. 12. c. etiam de verbo otioso, reddent rationem homines, in die iudicij. Rom. 14. c. Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Itaque vnusquisque nostrûm, pro se rationem reddet Deo. Et de Impiis specialiter, Apostolorum Coriphæus. 1. *Pet. Reddent*, inquit, *ei rationem, qui paratus est iudicare viuos, & mortuos. Matth.* 18. Assimilatum est regnum cœlorum, homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat ei decem millia talenta. *& c.* 25. Dominus seruorum, posuit rationem cum eis, Et accedens, qui quinque talēta acceperat, obtulit alia quinque. Constat igitur, à nobis exigendam esse tam otij, quàm negotij, rationem.

Villicus, ὁ ἀγρονόμος, Is est, quem vernaculè, *vn metays, ou fermier, ou clousier* nominare solemus, hîc verò, οἰκονόμος, id est, dispensator appellatur: οἰκονομεῖν, namque rem domesticam curare significat, vulgò dispensare, vulgata editio, villicum posuit, pro, dispensatore, cùm tamen villicare, propriè sit rusticari, à villa (Gall. *mestairie*) deducto vocabulo. Villicus iniquitatis, malum Oeconomum significat, qui bona Patrisfamilias dilapidauerat, quem nostrates, *vn mauuais mesnager*, appellarent. Cicero. Hæc de voce dicta sunto. Hoc vnum adiiciā, Ciceronem Romanæ eloquentiæ parentem, hoc villici nomine eleganter vsum fuisse, pro custode villæ, li. 4. Tusculanarum q. sub finem, hoc modo: Illud laudatur Archytæ: qui cum villico factus esset iratior. Quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem? Sic ille.

Gall. ita esset vertendum, *Estant Archytas courroucé contre son mestayer ou metayr, qui auoit laissé ses terres en friche, &c.*

Animaduerte hoc loco, In sacris, reperiri, quosdam Oeconomos, seu dispensatores, & magistros domus, valdè fidos, qualis seruus senior, domus Abrahæ, fuisse: describitur. *Gen.* 24. *c. Post mortem Sarræ, vocauit Abraham, seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat, adiurans eum, vt ad terram, & ad cognationē suam proficisceretur, indeq; acciperet vxorē filio suo Isaac*, quod strennè executus est. *c. item* 39. proponitur Ioseph, in Phutipharis principis exercitus, domo, omnibus præfectus, ab illo, gubernabàtque creditam sibi domum, Benedixit autem propter Ioseph, Dominus, domui Ægyptij, & multiplicauit eius substantiam. Gen. 24. c.

Adde etiam, capite 41. quòd is ipse præpositus fuit à rege, super regnum ac regiā domum. *Tu eris*, inquit, *super domum meam, Vno tantùm regni solio, te præcedam. Ecce constitui te, super vniuersam terram Ægypti: Vocatus est autem, & lingua Ægyptiaca cognominatus, Saluator mundi, quia aperuit vniuersa horrea regia populis, tempore famis, &c.* 47. *Acquisiuit regi vniuersam terram Ægypti, ita vt regibus quinta pars soluatur*, adeò benè, vtiliterque, creditam sibi administrauit, gubernauítque, prouinciam. Accedit quoque Abdias fidelis dispensator, cuius. 3. *Reg.* 18. fit mentio hoc pacto: *Achab habebat Abdiam οἰκονόμον. i. dispensatorē domus suæ qui timebat Dominū valdè. Cumq; interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit centum ex eis, & abscondit eos, quinquagenos & quinquagenos in speluncis, pauitq; eos pane, & aqua.* Hi profectò boni erant Oeconomi. 3. Reg. 18.

Hiciā quæritur inter dispēsatores, vt fidelis quis inueniatur. 1. *Cor.* 4. *c.* Aliqui etiam mali dispensatores reperiuntur. Talis fuit Siba, puer Miphiboseth. 2. *Reg.* 16. (Puerum, pro seruo accipe) *qui venit in occursum Dauid, cum fugeret. Absalonem cum duobus asinis oneratis commeatu & annona*, (Gal. *de victuailles, & prouision*) *Detulitq; dominum suum Miphiboseth, dicens: Remansit in Ierusalem, inquiens Hodie restituet mihi domus Israel, regnum patris mei. Atque rex, Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* Nota, quod Siba, hero suo infidus fuit, Siquidem, *capite decimonono. Post victoriam de Absalon, Miphiboseth descendit in occursum regis, in Ierusalem: Dixitq; ei rex. Quare non venisti mecum? Respondit, Domine mi Rex, Seruus meus contempsit me. Dixit enim ei, vt sterneret mihi asinum, & accusauit me seruum tuum. Sed tu fac, quod placitum est. Dixit verò Dauid fixum est, quod locutus sum; Tu & Siba, diuidite possessiones.* Malus quoque fuit iste dispensator: Eiusdem pariter farinæ, Iudas

proditor extitit, qui loculos seruabat, sed fur erat, ac sacrilegus.

Vt autem ad nostrum hæc omnia, accommodemus institutum, ac propositum dicendum existimo, Nos esse Domini villicos. 1. *Cor.* 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Non sumus bonorum istorum temporalium Domini, quippe qui, nihil intulimus in hunc mūdum, & sicut Iob ingenuè profitetur. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Hoc est, in terram, parentem communem, ac matrem omnium, sumus ergo duntaxat dispensatores, atque Oeconomi istorum bonorum. Diuites huius mundi similes sunt nuptis pauperibus, seu sponsis, quæ ad nuptialem diem mutuò accipiunt mūdum muliebrem, ac ornatum vniuersum, quo Corniculæ Æsopicæ instar (quæ alienis se venditabat plumis) prodeant in publicum exornatæ & comptæ. At verò, nuptiali transacto die, vnaquæque vicina, quod commodauit, repetit: sicque toto illo apparatu spoliatur, & quasi nuda remanet. Ad hunc fermè modum, diuites, bonis à Deo sibi gratis, liberalitérque concessis ornantur hîc, iísque perfruuntur, ac gaudent, quasi in die nuptiali. Porrò ad mortem cùm peruenerint, omnibus spoliabuntur, priuabuntúrque, ac cogentur rationem reddere veluti præsenti constat Euangelio. Possessores igitur sumus, & vsufructuarij istarum opum, sed non proprietarij. Quandoquidem, omnia sunt Dei dona.

1. Cor. 4. 6.

Simile.

D. Iacobus, frater Domini, Epistolæ suæ catholicæ, c. 1. *Omne datum optimum*, inquit, *& omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Sic ille.

Quare ergo non agnoscis donum? Quare non agis gratias donatori? Quare tibi arrogas, vendicásque, quod Dei est? Gloriaris de diuitiis? Nonne natus es nudus? Gloriaris de eloquentia, Annon mutus natus, faríque non valens? Gloriaris de fortitudine? Nonne natus es debilis, vt non posses pedibus subsistere? Gloriaris de doctrina? Nonne oportuit te discere ac edoceri à Pedagogo prima elementa? Gloriaris de pulchritudine? Annon inuolutus in menstruo natus es? Gloriaris de sanctitate? Annon in peccatis natus es totus? imò, nonne peccator, antequam natus? Gloriaris de gratia, quæ te amabilē reddit? Nōne natus es filius iræ? Omnia indubiè, quæ habes, aut habere te prætendis à Deo sunt. Quod sequenti enumeratione facilè constat.

Act. 17. c. Esse, *Psalm.* 94. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Viuere, *Act.* 17. *ca. In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Intelligere, *Psalm.* 31. *Intellectū tibi dabo,*

*tibi dabo, & instruam te.* Salus, *Psalm.* 3. *Domini est salus. Isa.* 43. *Non est absque me saluator.* Iustificatio, *Rom.* 8. *Deus est, qui iustificat,* Fides, *Ephes.* 2. *Donũ Dei est.* Spes, 1. *Pet.* 1. *c. Regenerauit nos in spem viuã.* Charitas, dicente Apostolo, *Rom.* 5. *Charitas Dei, diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis.* Bonę cogitationes. *Nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tãquã ex nobis.* 2. *Cor.* 3. *c. Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Bona voluntas. Deus operatur in nobis velle, ac perficere. *Psalm.* 2. *c.* Præparatiò ad bonum, quæ fit per gratiam, gratis datam, cùm à Deo excitamur: *Prouerb.* 8. *c.* ex tralatione 70. interpretum, ἑτοιμάζεται θέλησις παρὰ Κυρίου. Hoc est, Latinè conuersum: Paratur voluntas à Domino. Item liberum arbitrium, quo nos ad gratiã præparamus. *Eccles.* 15. *Deus ab initio constituit hominem, reliquitq; eum in manu consiliỹ sui. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam, &c.* Bona denique opera. Dicit enim Vates Euangelicus. *Isa.* 26. *cap. Omnia opera nostra, operatus es in nobis, Domine,* In summa.. *Sine me, nihil potestis facere. Ioan.* 15. *c.* ait Christus, nihil, inquam, in natura, nihil in moribus, nihil tandem in meritoriis actibus. *Ioann.* 1. *Sine ipso factum est nihil.* Totum à Deo pendet. Sumus proinde œconomi, ac villici, & vtinam non iniqui: qualis fuit iste, quo de statim subiungitur.

Rom. 8. c. | Isa. 26. b. |

*Hic diffamatus est apud eum, &c.* Defertur iste, accusatúrque à multis. Primùm quidem à Dæmone, qui accusator fratrum cognominatur, *accusans fratres nostros ante conspectum Dei nostri, die, ac nocte. Apoc.* 12. *cap.* Secundò, à propria conscientia: *Rom.* 12. *cap.* Testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter seinuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum. *Apoc.* 20. *cap. Libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Tertiò, accusat facti euidentia, quæ non eget clamore accusatoris. Adde, quòd *omnia nuda, & aperta sunt oculis Dei:* sicut magnus pronunciat Paulus, *Heb.* 4. *cap.* Quartò, accusat Angelica cura: Angeli quippe custodes nostri, *qui semper vident faciem Patris. Matth.* 18. omnia nostra opera denuntiant, eos certè accusaturi, qui eorum consilia, & suggestiones contemnentes, sub ipsorum, maiestatem diuinam offenderunt, custodia, ac procuratione, ac meritò quidem. Quintò, accusabit omnis creatura; Nam offenso creatore, offenditur consequenter omnis creatura. Vnde, *Sap.* 5. *cap.* scri-

Apoc. 12. f. | Matt. 18. a.

ptum est: *armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cũ illo, orbis terrarum, contra insensatos.* Itaque tot testibus, villicus iste conuictus est, & delatus, apud Dominum suum.

Quasi dissipasset bona illius. Illius, notanter dixit, quoniã bona, quibus hac in vita vtimur, siue naturæ, siue fortunæ (vt vulgus loquitur) siue corporis, seu animi, non nostra, sed Domini sunt, qui ex nobis, iuxta beneplacitum suum, vtenda, credidit, atque commisit. Dissipamus autem bona temporalia accepta, quando his, ad Dei offensam, proximorum iniuriam, ac scandalum, aut ad propriam abutimur perniciem, atque, in vniuersum, dum omnia illa, non ad Dei honorem, & proximi ædificationem, nostrámque salutem, sed ad luxum, & diaboli, capitalis hostis nostri, voluntatem, (instar filij prodigi) dissipamus, atque prodigimus, & profundimus. *Luc.* 15. *capite.* *Dissipauit totam substantiam suam, viuendo luxuriosè, cum meretricibus, cœpitq; tandem egere.*

*Luc.* 15. *c.*

Quid hoc audio de te? Dominus quidem, quæ in terris geruntur, omnia, intelligit, & audit, quia *auris Zeli, audit omnia, Sap.* 1. *cap.* Et tumultus murmurationum, non abscondetur. Καρδιογνώστης ὁ Θεός. *Scrutans corda, & renes Deus* inquit Psalmographus. Ita interim loquitur Deus, *Quid hoc audio de te?* vt Iudices, suo admoneat exemplo, ne cuiusquam delatione, sententiam, aduersus partem, non auditam, temerè proferant, pronuntiéntque. Multi etenim falsò deferuntur. Neque temerè delatoribus, vnquam credendum. Si Dauid Rex, Sibæ delatori, credulas nimium aures, non præbuisset, talem sententiam, sicut protulit, aduersus Miphiboseth, nequaquam pronunciasset. Imò verò illi dixisset, quod hîc dicitur: *Quid hoc audio de te? Ioann.* 7. *Nunquid lex nostra iudicat quemquam, nisi priùs audierit ab eo, & cognouerit, quid faciat?*

*Sap.* 1. *c.*

Perperàm, & inconsideratè egit Monarcha Assuerus, cùm Iudaicum populum, malo Aman proditoris consilio, absque partium audientia, neci, mortísque adiudicauit. *Esther cap.* 3. Iste primùm omnium interrogatur, vt pro se reddat rationem quantumuis apud Dominum suum infamatus, denunciatúsque fuisset. Alexander magnus, referente in ipsius vita Plutarcho, cùm iudicia capitalia disceptaret, fama tenet, manum eum alteri auri, dum diceret accusator admouere solitum, reo, vt alteram integram, & intactam, seruaret à calumniis, Sic ibi.

*Plutarchus.*

Percommodè quoque hoc loco referam, ex Amm. Marcellino, lib. 18. circa principia, quòd Numerium Narbonensis paulò antè rectorem, accusatum vt furem inusitato censorio rigore, pro tribunali palàm admissis volentibus, audiebat aliquando, Iulianus Cæsar: qui cùm inficiatione defenderet obiecta, nec posset in quoquam confutari, Delphidius orator acerrimus, vehementer eum impugnans, documentorum inopiâ percitus, exclamauit: Ecquis florentissime Cæsar, nocens esse poterit vsquam, si negare sufficerit? Circa quem Iulianus, prudenter motus ex tempore, Ecquis, ait, innocens esse poterit, si accusasse sufficiet? Hæc ibi. *Amm Marcellinus.*

Narrat Valerius Max. lib. 3. cap. 7. de fiducia sui, hoc modo: Cato superior, siue Maior, sæpenumero ab inimicis, ad causæ dictionem vocatus, nec vllo vnquam crimine conuictus est, tãtúmque fiduciæ in sua reposuit innocentia, vt Ti. Gracchum à quo in administratione Reip. ad multum odium dissidebat iudicem deposceret. Sic ille. *Valerius.*

Quæ eo tendunt vniuersa, vt accusatum esse, vel delatum non sufficiat, sed interrogandi sunt, vt proprio ore pro seipsis rationem reddant, coram iudice, qui sunt accusati. *Quid hoc audio de te?* Sic Deus, *Gen.* 19. antequam Sodomitas dãnaret, *Clamor*, inquit, *illorum, venit ad aures meas. Descendam igitur, & videbo, &c.* Non quòd eum aliquid latere possit, sed ἀνθρωποπαθῶς loquitur, hoc est, more humano, iuxtáque humanam affectionẽ. Priùs probare voluit, missis duobus Angelis, qui explorarent, antequã ciuitates huiuscemodi euerteret. Nec prætermittendũ esse duxi, quod ad hunc Geneseos locum, scripsit Philo Iudæus, li. de confusione linguarum, post media, hoc verborũ tenore: Dicitur descẽdens visere, qui omnia, priùs etiam, quã fiãt præuidet manifestissimè: vt doceamur, moneamúrque, nequis homo de absentibus rebus, & incertis putet se posse certã cõiecturã facere, sed propiùs introspecto negotio diligenter cũcta perlustret. Visus enim certus, potiùs quã fallax auditus, testis adhibendus est. Quapropter in optimè cõstituta Rep. lege cautum est, ne quis audita dicat pro testimonio, quia iudicium auditus, naturaliter facilè est corruptoribus. Apud Mosem quoque inter vetita legitur: Non admittes auditionem vanam. Vbi non tantum intercedit, ne quis falsum sermonem, aut stultum accipiat auribus, sed docet, quod ad manifestam veritatis perceptionem, longè minus, quam visus idoneus habitatur auditus, cum sit refertus vanitatibus. Hanc censemus esse causam, cur descendisse dicatur Deus, vt ciuitatem, ac tur- *Philo Iudæus.*

rim viseret. Sic ibi Philo.

Vnde, & vulgò dicit assolet. Plus valet oculatus vnus testis, quàm auriti decem. Quid hoc audio de te? Ad hunc planè modum, priusquàm puniret Adamum, primum nostrum parentem, eum ad se vocatum interrogauit dicens: *Adam vbi es?* Vt pro se rationem ipse redderet. Sic Cain, antequàm in eum, animaduerteret, ad reddendam pro se rationem, priùs vocauit, dicens: *Vbi est Abel frater tuus?* Nemo proinde indictâ causâ, & inauditus, damnari debet.

*Gen.3.& 4.c.*

Nec peccata dissimulauit, aut multa, ac impunita crimina, reliquit, quemadmodum Heli sacerdos, qui ob id, quod filios corrigere neglexit, à sacerdotio reprobatus est, & repentina morte percussus. Quid igitur audio de te? De te, inquam, sic meis ditato, incrassato, ac elato, bonis: præuento in benedictionibus, rerum mearum constituto dispensatore, & deprehenso dissipatore? Dissipasti bona mea temporalia, corpus inquinasti, animam peccatis sordidasti, imaginem meam deformasti, & corrupisti: Quid ergo restat? Redde rationem villicationis tuæ. O Verbum summè pauendum! Omnium, quæ cogitatione locutione, & operatione, gessisti, redde rationem. Villicationis tuæ, non alienæ, ratio exigitur. Vnicuique nostrûm, dictum puta. Redde rationem. Ab Episcopis, atque præpositis præsertim, *Heb.13. cap.* villicationis suæ exigitur ratio: *Ipsi enim præuigilant, quasi rationem reddituri, pro animabus nostris Iob.31. cap. Quid faciam cùm surrexerit ad iudicandum Deus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi? Iam non poteris Villicare*, ait Dominus, *Isa.22. Expellã te de statione tua, & de ministerio tuo deponã te.* O Episcope, ô prælate, ô rex, ô subdite. Vos omnes denique, siue præfecti, siue subiecti: Reddite rationem villicationis vestræ. Reddite, inquam, rationem, de populis, & Christi ouibus, vobis concreditis, de gregibus, vestrâ socordiâ, à lupis rapacibus, deuoratis: quemadmodum & Iacob, de commisso sibi grege Laban, exactissimam reddidit rationem. Et nostrûm quilibet, de talento sibi concredito, de donis, & gratiis, sibi à Domino collatis, atque de sensibus suis, de tota denique vita sua exactè, coram diuino tribunali, responsurus est: Veluti Diuus Hippolytus martyr, elegantissimè sermocinatur: Sic enim scribit oratione de consummatione mundi, & de futuro Iudicio, Aures vestras condidi, vt audiretis scripturas: at vos parastis eas, ad cantica Dæmonum, citharas, & ridicula. Oculos vestros creaui, ait Dominus, iustus Iudex, vt perspiceretis lumen præceptorum meorum, eáque exequere-

*Iob.31.c.*

*D. Hippolyt.*

mini: at vos accersistis stupra, & impudicitias, & ad reliquam immunditiam, ipsos aperuistis. Os vestrum composui ad glorificandum, & laudandum Deum, & psalmos, cantionésque spirituales pronunciandas, lectionísque continuam meditationem: at vos aptastis illud ad conuitia, deierationes, & blasphemias, dum sedentes obtrectatis proximis vestris. Manus vestras feci, vt ad preces, & obsecrationes extenderetis eas: at vos, ad rapinas, cædes, & mutuas occisiones, expandistis. Pedes vestros ordinaui, vt ambularetis in præparatione Euangelij pacis, tum in Ecclesiis, tum in domibus sanctorum meorū: at vos docuistis currere, ad adulteria, stupra, spectacula, saltationes, in sublime iactationes. Hactenus Beatus Hypolytus.

Quid aget tunc, similis mei, indignus, reúsque peccator? aduersus quem conscientia, quæ mille testium loco, ac vice esse potest: aduersus quem qui iudex simul ac testis est Deus contra denique, vniuersa armabitur (vt sup. dictum est) creatura? *Quid sum miser tunc dicturus. Quem patronum rogaturus? Dum vix iustus sit securus?* Sic sancta mater, in exequiis defunctorum, canit Ecclesia.

Nouerimus itaque, nos rationem reddituros: Primò, de nostro corpore, qualiter illud custodierimus, templum enim Dei est, dicente Apostolo, *Nescitis, quia corpora vestra, templum sunt Spiritussancti? Cor. 6. Si quis autem templum Dei violauerit*, ait idem Apostolus, *cap. 3. prioris Epistolæ, ad eosdem Corinth. disperdet illum Deus.* Secundò, de anima, quam Dei filius pretiosa morte sua redemit, & abluit. Tertiò, de variis, multiplicibúsque cœlestis gratiæ donis, qualiter his vsi fuerimus. Vnde commonefacit nos Apostolus, 2. *Corinth. 6. Exhortamur*, inquiens, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quartò, de bonis temporalibus, districtè, seueréque requiretur, qualiter. Verbi gratiâ & exempli caussâ, ea acquisiuisti, qualiter retinuisti, qualiter item expendisti, in quem videlicet vsum! Malè acquirunt, qui per vsuras, fraudes, ac rapinas, acquisierunt. Maléque partum peius disperit, iuxta tritum illud Prouerbium. Malè parta, malè dilabuntur. Malè retinent, nolentes aliena restituere, nolentes insuper de suis facultatibus egenorum subleuare inopiam. Malè verò expendunt, qui alea, luxû, pompa, voluptatibus, & deliciis carnis, turpiter huiuscemodi bona, dilapidant. Requiretur Quintò, ratio de deliciis, præscribente diuino oraculo: *Apoc. 18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum, & luctum.* Sextò, de subditorū regimine, ratio exigetur: dicente Scriptura: *Sap. 6. c.* **Iudicium**

*Ecclesia in sequentia, seu, Prosa defunctorum.*

*2. Cor. 6. c.*

*durißimum, in his, qui præsunt, fiet. Potentes autem, potenter tormenta patientur.* Auditurus est siquidẽ, vnusquisque istorũ. Quomodo huc intrasti? Per Christũ, an per nummũ? Perquã intrasti portã, charitatisne, an cupiditatis? Quomodo vixisti? vt pastor, an vt impostor? vt præcò, an vt prædo? vt sacerdos, an vt sacrilegus? vt prælatus, an vt Pilatus? vt doctor, an vt seductor? Et ad quid venisti in Ecclesiã? ad onusne, an ad honores? ad delicias, an ad laborem? ad ædificationem, an ad destructionẽ? Quibus in pascuis, hoc est, quã doctrinã, gregem meum pauisti? quomodo à lupis, & furibus, custodisti? quas vigilias, pro gregis mei salute sustinuisti? quos labores exantlasti? atque (vt sancti ex vtero Vatis, vtar verbis) *Iere. 13. Vbi est grex, qui datus est tibi pecus inclytum tuum? Quid dices, cum visitauerit te? Numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? Zach. 11. O pastor, & idolum, derelinquens gregem.* Similem planè quæstionem, & interrogationem fecisse legimus, exploratores tribus Dan. Michæ sacerdoti, siue Leuitæ: dixerunt quippe ad eum: *Quis te huc adduxit? Quid hîc agis? Quam ob causam huc venire voluisti? Iudic. 18.* Et quidem ipsius responsum, haudquaquam abludit, discõuenít ve nostri temporis plerísque prælatis: *Hæc & hæc, ait, præstitit mihi Micheas, & me mercede conduxit, vt sim ei sacerdos.* Sic ille.

Ierem. 13. c.

Et vtique pauci nunc Deo gratis obsequi, ac inseruire volũt. Hinc *Mala. 1. Quis est in vobis, ô sacerdotes qui claudat ostia, & incedat altare meum gratuitò?* Non propter Iesum tantùm, sed propter quæstum, & lucri gratiã, sacerdotio plerosque fungi videas. Exigetur Septimò, de tempore, nobis ad agendam pœnitentiam, concesso: exactissima, districtissimáque ratio. Quid ego miser respondebo, interrogatus, qualiter tempus impensum, fuerit per me expensum? nihil sanè pretiosius, nihil carius tẽpore, at verò, nihil vilius reputatur. Ne ergo tempus breue creditũ, effluat mane. *Dum tempus habemus,* ait τελσμένςος Paulus, *Gal. 6. c. operemur bonum.* Octauo, de omnibus, cogitando, loquendo, operando, malè actis ac perpetratis, reddenda quoque erit ratio (vt sup. diximus) de cordium nimirum, cogitationibus, de otiosis sermonibus, de malis item operibus, à nobis rationem postulabit Dominus. Nonò, ac postremò, de proximorum in nos offensis, non dimissis, sed rigorosè vltis, requiretur à nobis ratio. Exemplo nobis est in Euangelio is, qui conseruo suo, cõ donare noluit: cui dicitur à rege, qui voluit rationẽ ponere cũ seruis suis: *Mat. 18. Serue nequã, omne debitũ dimisi tibi, quoniã rogasti me. Nõne ergo oportuit & te misereri cõserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus.*

Gal. 6. c.

Mat. 18. c.

*Iam non poteris villicare.* Hoc est verbum amarissimæ diuulsionis, ab hac videlicet vita, In morte siquidem, omnis ab homine tollitur villicatio, adeòut exinde,nec benè, nec malè, valeat operari, cùm sit extra statum viatorum, vt mereri possit,vel demereri. *Clausa est ianua: Matthæi 25.* Iam spatium pœnitendi,non datur vllum: quandoquidem iam tunc tempus reddendæ rationis est, non villicationis excercendæ. Audiamus igitur sapientis consilium, ita admonentis: *cap. 18. Eccles. Ante iudicium para iustitiam tibi.* Benè ponderentur tria hæc verba,scilicet, Verbum rigidæ increpationis, *Quid hoc audio de te?* Verbum tremendæ discussionis, *Redde rationem villicationis tuæ.* Verbum denique amarissimæ diuulsionis. *Iam non poteris villicare.* Post mortem, nulla pœnitendi opportunitas suppetit. *Ioannis 9. Venit nox, in qua nemo poterit operari.* Et Regius vates: *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem, quis confitebitur tibi?* Diuus Bernardus, in paruis sermonibus serm. 49. *Vbi te Deus inuenerit, ibi te iudicabit. &, Luc. 16. capite. Chaos magnum firmatum est, inter vtrosque, damnatos* nempe, & saluti destinatos, qui in sinu Abrahæ, cum Lazaro quondam paupere, requiescunt, ac consolantur. Tunc sola miseris damnatis superit querela, ex *Ieremia capite 8. Transit messis, finita est æstas, & nos saluati non sumus.* Quod valdè Nota. Nec alia æstas speranda est. Transit tempus promerendi, instat solum tempus recipiendi. *Ergo, Isa. 55. capite. Quærite Dominum, dum inueniri potest, Ecce nunc tempus acceptabile, Ecce nunc dies salutis.* De tempore verò, secundum Philosophum, non habemus nisi nunc, Præsens hoc momentum. Quod enim præterit, in nostra situm non est facultate. Quod item futurum est,non est nostræ potestatis. Itaque *Ecclesiastici capite vndecimo. Si ceciderit lignum, ad Austrum, aut ad Aquilonem, In quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Austri calor, in sacris bonam solet habere significationem, *Ab Aquilone* verò, *pandetur omne malum.* Porrò, homines sicut arbores, vidit quidam,in Euangelio. Exciditur autem arbor in morte. Quocumque igitur ceciderit, ibi erit,Ibi,inquam, immutabiliter,& irretractabiliter. Vbi ceciderit, non adijciet vt se vertat,ait D. Bern. v. s.

*Matt. 25.* *Eccl. 18. e.* *Ioan. 9. e.* *Psal.* *D. Bern. ser. 49. in paruis* *Luc. 16. e.* *Iere. 8. c.* *Isa. 55. c.* *Philosophus.* *Eccl. c. 11.* *D. Bern. v. s.*

*Iam non poteris villicare.* Si seriò hæc pensemus. Quales item insidias struat diabolus,sub huius vitæ exitum, & morte iam appetente,rebus nostris meliùs consulemus, ac futuris prouidebimus. Quo loco, Sedulò obserua, dæmonem

*Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius* ( gratiam iustificantem intellige) *in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Hæc ille. Quid, quæso, clariùs dici potuit? Si tamen vir alioqui sanctus, à sancto iustitiæ tramite, sponte aberrauerit, & viam veritatis non tenuerit, qui iampridem bonus fuit, malus improbúsque efficietur, fructúsque malos proferet. Moyses etenim arbor bona fuit, sed cùm primùm declinauit à bono, peccauit ad aquas contradictionis, Dauid quoque arbor erat bona, sed quàm nō perseueraret in bono, malos protulit ediditque superbiæ, seu elationis, ingratitudinis, proditionis, adulterij, & homicidij, fructus. Quid plura? Diuus Augustinus, to.4. lib.2. de sermone Domini in monte, hoc sic illustrat. Quandiu, inquiens, quisque malus est, non potest facere fructus bonos. Si enim bonos fecerit fructus, iam malus non erit. Sic verissimè dici potuit. Non potest esse nix calida: cum enim calida esse cœperit, non iam niuem, sed aquam vocamus. Potest ergo fieri, vt quæ nix fuit, non sit: non autem potest fieri, vt nix calida sit. Sic potest fieri, vt qui malus fuit, non sit malus, non tamen fieri potest, vt malus benè faciat. Sic ille. Sit ergo vnusquisque arbor bona, nec se arbitretur habere fructus bonos, si ipse manet arbor mala: Non enim erit fructus bonus, nisi arboris bonæ. Mutet cor, & mutabitur opus, Extirpa cupiditatem, & planta charitatem, *Isa.1.cap. Auferte malum cogitationum vestrarum*, ait per Euangelicum Vatem, Dominus. Sicut autem *omnium malorum radix, est cupiditas,* sic & radix omnium bonorum, est charitas. Sequentia iam videamus.

*D. Aug. to.4. lib.2. de serm. Dom. in mōte sub finem.*

*Isa.1.*

*Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, &c. Luc.* 13.*cap.* de infructuosa ficu, legimus dictum, *Succide illam. Vt quid enim terram occupat? Matth.* 21. de alia scriptum est ficulnea, carente fructu, lata interim, patuláque habente folia, cui Dominus imprecatus est dicens: *Ex te nunquam nascatur fructus. Statimque exaruit. Ioann.* 15.*cap.* Palmitem non ferentem fructum, collectum, in ignem mittent, & ardebit. *Matth.3. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Arbor expectat è cœlo solem, & pluuiam, vt fructum reddat: Homo nullatenus, dignos feret fructus, nisi luce, & gratia cœlesti adiuuetur. Assimilatur quoque homo arbori, in cadendo. Cadit enim arbor ad eam partem, ad quam plures ramos extenderat. Similiter homo in morte cadit, vel ad austrum, vel ad aqui-

*Luc.13.*
*Matth.21.*
*Ioan.15.*
*Matth.3.*

lonem. *Eccles.c.*11. hoc est, vel ad salutem ęternam, vel ad æternam damnationem. Vbicumque, inquit, ceciderit, ibi erit. Quod fusiùs alibi interpretatum, comperies. Id sic Gallicè exprimimus: *De telle vie, telle fin.* Eò cadit homo moriens, quò maiorem partem cogitationum, & affectionum, viuens transmiserat.

Obserua, amabo, quia malæ arboris culpa est inexcusabilis, Sententia ineuitabilis, pœna interminabilis, gratia denique, ei irrecuperabilis. Primum patet in fici parabola: *Luc.*13. per triennium patienter expectauit Paterfamilias, vt fructum faceret arbor, nec interim defuit cultura conueniens, fossionis circa radicem, & fimi adiectio, nec tamen optatum protulit fructum. Quis igitur post tantas inducias, & curationes, siue culturam, in sua prauitate, & sterilitate, permanentem, excuset? Dicat meritò Dominus: *Quid vltra debui facere ficulneæ huic, & non feci? Succide ergo illam, vtique vt in ignē mittatur.* 2. Sententia est ineuitabilis, *Matth.*3. *iam securis ad radicem arborum posita est* Securis, Iudicij diffinitiuam significat sententiam: omninò, proh dolor! ineuitabilem. 3. Pœna est interminabilis, quippe cùm in ignem gehennę mittetur tandem, proiicieturque peccator. 4. Arbori malæ gratia erit tunc (in die Iudicij) irrecuperabilis. Enimuerò arefactæ ficulneæ, *Matth.*21. ait insuper Dominus. *Numquàm ex te nascatur fructus, in sempiternum.* Itaque dum adhuc spatium salutaris pœnitentiæ tibi datur, & conceditur, placeat tibi Sapientis consiliū, dicentis: *Eccl.c.*9: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos, quò tu properas.* Hæc concionator.

*Luc.*13. *Matth.*3. & *Luc.*3. *Matth.*21. *Eccles.*9.

*Non omnis, qui dicit Domine, Domine intrabit in regnū cœlorū, &c.*

Non sufficiunt ad salutem, verborum folia, absque operum fructu, Superiùs falsos prophetas cognoscere docuit, & detortæ scripturarum interpretatione, atque falsa doctrina, hic autem, eos quoq;, qui rectè docuerint, si bonis operibus non expresserint, quod docent, non intraturos cœlū, pronunciat. Quod ideò dicit, ne putaremus, solā bonā, sanāmq; doctrinā, ad salutem sufficere, nisi fecerimus quoque volūtatem Patris cœlestis. De quibusdā namq; scribit Apostolus: *Tit.*1. *Confitētur se nosse Deū, factis autem negāt.* Facere, & docere, opus, ac sermo, hæc, inquam, duo, ad salutem, summè concionatoribus necessaria sunt. *Qui enim fecerit, ac docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Matth.*5.c. Ex his facilè, nullóque negotio colligitur, quantus sit eorum error, qui sola, imò sterili, ac mortua fide,

*Tit.*1. *Matth.*5.

sine fructibus bonorum operum, putant (& falso quidem) consequuturos se salutem: cùm disertis verbis, hoc loco, contrariũ Dominus pronunciet. Hæc verò Dominica censura, nõ alios, quàm Christianos concernit. Non Turcas, non Mauros, non Iudæos, quod vel hinc palàm est: quia, cùm in Christum ipsi nõ credant, non ei dicunt: *Domine, Domine.* Ergo de Christianis dicit, qui credunt quidẽ, Christũmque inuocant, clamantes: Domine, Domine, non faciunt tamen voluntatẽ Patris, qui in cœlis est: *Omnis proinde, qui inuocauerit nomen Domini*, vt ait S. Ioël (in quem Enneades conscripsimus) *saluus erit*. Ore quippe, confessio fit ad salutem, *Rom. 10. cap.* Quæ sententiæ accipiendæ sunt hoc sensu, vt cum hoc, faciat homo voluntatem Patris sui, qui in cœlis est. *Fides enim, quæ per dilectionem operatur, Gal. 5. in Christo valet, alioqui, sine operibus, ipsa mortua est. vt sup.* decernit Apostolus, ac frater Domini, Iacobus. Facere voluntatem Patris oportet. Hæc est porrò, voluntas Dei, conuersio peccatoris, quippe cũ per *Ezech. c 18. dicat: Nunquid voluntatis mea, est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* Sed & voluntas Dei est, vt verã, Catholicámque fidem teneamus, dicẽte Christo: *Ioan. 6. c. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me Patris, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Denique, hęc est, ait Apostolus. *1. Thess. 4. c. Voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos, à fornicatione, &c.* Faxit Deus noster clementissimus, vt voluntatem ipsius, facientes, sua ipsius bonitate, ac clementia, ad regnum cœlorum, post istius vitæ decursum, aliquando peruenire valeamus.

*Ennead. auth. in Ioëlem Vatem sanctum.*

*1. Thess. 4. c.*

AMEN

# DOMINICA OCTAVA A PENTECOSTE.

## De villico iniquitatis, apud suum Dominum delato, & ab Oeconomia destituto, atque deposito, qui prudenter sibi prospexit, de bonis Domini sui & de eleemosyna pauperibus eroganda. Luc. 16. c.

*Homo quidam habebat villicum, & hic diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona ipsius, &c. Vbi suprà.*



ERODOTVS, Historiæ Pater, sub secundi libri finem, & extremum, cōmemorat, quòd Amasis legem hanc apud Ægyptios condidit vt singulis annis, apud prouinciarum præsides, Ægyptij omnes demonstrarent, vnde venerunt: Et qui, aut hoc non faceret, aut nō demonstraret, se legitimè viuere, is morte afficeretur. Quam legem Solon, ab Ægyptiis mutuatus, Atheniensibus tulit, quam illi, quòd sit castissima, assiduè vsurpant. Hanc similiter, aut ab Amasi, aut à Solone, mutuati sunt Corinthii, vt Athenæus, lib 6. ex Diphilo Poëta, testis est. Si quē enim viderint, splendidè epulari, rogant, vndè victus suppetit? Si sufficit census, frui sinunt. Si verò, impensæ opes superent: Iubetur non ampliùs fecisse, ne pereat, mulctatur. Si nihil habens ganeo, & abliguritor, prodigus etiam fuerit, Carnifici datur, quia sic sine furtis vixisse, non intelligitur: Sicque pessimum genus hominum purgabant rectè Corinthij. Hæc ex Poëta apud Athenæum. *Herodotus.* *Athenæus.*

Cicero. Percommodè retulit Cicero, orat. 31. pro Cn. Plancio: hūc in modum: In Cato. in principio scripsit originum suarum: Non minus otij, quàm negotij, rationem extare oportere. Collumella. Et Columella, lib. 2. c. 21. id est, vltimo, de re rustica: Tam otij, quàm negotij, rationem reddere, maiores nostri censuerunt, ait. Quæ præfari libuit, vt ad contextus interpretationē aggrederemur. Proponitur nāque Oeconomus quidam, à quo de omnibus, exacta, accuratáque postulatur ratio reddenda, quippe qui, delatus esset apud dominum suum, quasi bona ipsius dissipasset. Totius itaque negotij, vt rationem reddat, seuerè nunc quidem exigitur, cùm illi dicitur: Redde rationem villicationis tuæ, vt & nos, in eo discanius, de omnibus, reddere oportere, coram Domino, ac iudice nostro, rationem. Sic D. Athanasi. namque D. Athanasius, in suo Symbolo, docet. *Omnes*, inquiēs, *reddituri sunt, de factis propriis rationem. Matth. 12. c. etiam de verbo otioso, reddent rationem homines, in die Iudicij. Rom. 14. c. Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Itaque vnusquisque nostrûm, pro se rationem reddet Deo. Et de Impiis specialiter, Apostolorum Coriphæus. *1. Pet. Reddent*, inquit, *ei rationem, qui paratus est iudicare viuos, & mortuos. Matth.* 18. Assimilatum est regnum cœlorum, homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat ei decem millia talenta. *& c.* 25. Dominus seruorum, posuit rationem cum eis, Et accedens, qui quinque talēta acceperat, obtulit alia quinque. Constat igitur, à nobis exigendam esse tam otij, quàm negotij, rationem.

Villicus, ὁ ἀγρονόμος, Is est, quem vernaculè, *vn metays, ou fermier, ou clousier* nominare solemus, hîc verò, οἰκονόμος, id est, dispensator appellatur: οἰκονομεῖν, namque rem domesticam curare significat, vulgò dispensare, vulgata editio, villicum posuit, pro, dispensatore, cùm tamen villicare, propriè sit rusticari, à villa (Gall. *mestairie*) deducto vocabulo. Villicus iniquitatis, malum Oeconomum significat, qui bona Patrisfamilias dilapidauerat, quem nostrates, *vn mauuais mesnager*, appellarent. Cicero. Hæc de voce dicta sunto. Hoc vnum adiiciā, Ciceronem Romanæ eloquentiæ parentem, hoc villici nomine eleganter vsum fuisse, pro custode villæ, li. 4. Tusculanarum q. sub finem, hoc modo: Illud laudatur Archytæ: qui cum villico factus esset iratior. Quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem? Sic ille.

Gall. ita esset vertendum, *Estant Archytas courroucé contre son mestayer ou metays, qui auoit laissé ses terres en friche,&c.*

Animaduerte hoc loco, In sacris, reperiri, quosdam Oeconomos, seu dispensatores, & magistros domus, valdè fidos, qualis seruus senior, domus Abrahæ, fuisse: describitur. *Gen.* 24. *c. Post mortem Sarræ, vocauit Abraham, seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat, adiurans eum, vt ad terram, & ad cognationẽ suam proficisceretur, indeq; acciperet vxorẽ filio suo Isaac,* quod strennè executus est. *c. item* 39. proponitur Ioseph, in Phutipharis principis exercitus, domo, omnibus præfectus, ab illo, gubernabátque creditam sibi domum, Benedixit autem propter Ioseph, Dominus, domui Ægyptij, & multiplicauit eius substantiam. Gen. 24. c.

Adde etiam, capite 41. quòd is ipse præpositus fuit à rege, super regnum ac regiã domum. *Tu eris,* inquit, *super domum meam, Vno tantùm regni solio, te præcedam. Ecce constitui te, super vniuersam terram Ægypti: Vocatus est autem, & lingua Ægyptiaca cognominatus, Saluator mundi, quia aperuit vniuersa horrea regia populis, tempore famis, & c.* 47. *Acquisiuit regi vniuersam terram Ægypti, ita vt regibus quinta pars soluatur,* adeò benè, vtilitérque, creditam sibi administrauit, gubernauítque, prouinciam. Accedit quoque Abdias fidelis dispensator, cuius. 3. *Reg.* 18. fit mentio hoc pacto: *Achab habebat Abdiam* οἰκονόμον. i. *dispensatorẽ domus suæ qui timebat Dominũ valdè. Cumq; interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit centum ex eis, & abscondit eos, quinquagenos & quinquagenos in speluncis, pauitq; eos pane, & aqua.* Hi profectò boni erant Oeconomi. Hiciã quæritur inter dispẽsatores, vt fidelis quis inueniatur. 1. *Cor.* 4. *c.* Aliqui etiam mali dispensatores repeiuntur. Talis fuit Siba, puer Miphiboseth. 2. *Reg.* 16. (Puerum, pro seruo accipe) *qui venit in occursum Dauid, cum fugeret. Absalonem cum duobus asinis oneratis commeatu & annnoa,* (Gal. *de victuailles, & prouision*) *Detulitq; dominum suum Miphiboseth, dicens: Remansit in Ierusalem, inquiens Hodie restituet mihi domus Israel, regnum patris mei. Atque rex, Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* Nota, quod Siba, hero suo infidus fuit, Siquidem, *capite decimonono. Post victoriam de Absalon, Miphiboseth descendit in occursum regis, in Ierusalem: Dixitq; ei rex. Quare non venisti mecum? Respondit, Domine mi Rex, Seruus meus contempsit me. Dixit enim ei, vt sterneret mihi asinum, & accusauit me seruum tuum. Sed tu fac, quod placitum est. Dixit verò Dauid fixum est, quod locutus sum; Tu & Siba, diuidite possessiones.* Malus quoque fuit iste dispensator: Eiusdem pariter farinæ, Iudas 3. Reg. 18.

proditor extitit, qui loculos seruabat, sed fur erat, ac sacrilegus.

Vt autem ad nostrum hæc omnia, accommodemus institutum, ac propositum dicendum existimo, Nos esse Domini, villicos. 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Non sumus bonorum istorum temporalium Domini, quippe qui, nihil intulimus in hunc mūdum, & sicut Iob ingenuè profitetur. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Hoc est, in terram, parentem communem, ac matrem omnium, sumus ergo duntaxat dispensatores, atque Oeconomi istorum bonorum. Diuites huius mundi similes sunt nuptis pauperibus, seu sponsis, quæ ad nuptialem diem mutuò accipiunt mūdum muliebrem, ac ornatum vniuersum, quo Corniculæ Æsopicæ instar (quæ alienis se venditabat plumis) prodeant in publicum exornatæ & comptæ. At verò, nuptiali transacto die, vnaquæque vicina, quod commodauit, repetit: Sicque toto illo apparatu spoliatur, & quasi nuda remanet. Ad hunc fermè modum, diuites, bonis à Deo sibi gratis, liberalitérque concessis ornantur hîc, iisque perfruuntur, ac gaudent, quasi in die nuptiali. Porrò ad mortem cùm peruenerint, omnibus spoliabuntur, priuabuntúrque, ac cogentur rationem reddere veluti præsenti constat Euangelio. Possessores igitur sumus, & vsufructuarij istarum opum, sed non proprietarij. Quandoquidem, omnia sunt Dei dona.

1. Cor. 4. c.

Simile.

D. Iacobus, frater Domini, Epistolæ suæ catholicæ, c. 1. *Omne datum optimum,* inquit, *& omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Sic ille.

Quare ergo non agnoscis donum? Quare non agis gratias donatori? Quare tibi arrogas, vendicásque, quod Dei est? Gloriaris de diuitiis? Nonne natus es nudus? Gloriaris de eloquentia, Annon mutus natus, faríque non valens? Gloriaris de fortitudine? Nonne natus es debilis, vt non posses pedibus subsistere? Gloriaris de doctrina? Nonne oportuit te discere ac edoceri à Pedagogo prima elementa? Gloriaris de pulchritudine? Annon inuolutus in menstruo natus es? Gloriaris de sanctitate? Annon in peccatis natus es totus? imò, nonne peccator, antequam natus? Gloriaris de gratia, quæ te amabilē reddit? Nōne natus es filius iræ? Omnia indubiè, quæ habes, aut habere te prætendis à Deo sunt. Quod sequenti enumeratione facilè constat.

Act. 17. c.

Esse, *Psalm. 94. Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Viuere, *Act. 17. ca. In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Intelligere, *Psalm. 31. Intellectū tibi dabo;*

*tibi dabo, & instruam te.* Salus, *Psalm.* 3. *Domini est salus. Isa.* 43. *Non est absque me saluator.* Iustificatio, *Rom.* 8. *Deus est, qui iustificat,* Fides, *Ephes.* 2. *Donū Dei est.* Spes, 1. *Pet.* 1. *c. Regenerauit nos in spem viuā.* Charitas, dicente Apostolo, *Rom.* 5. *Charitas Dei, diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctū, qui datus est nobis.* Bonę cogitationes. *Nō sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tāquā ex nobis.* 2. *Cor.* 3. *c. Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Bona voluntas. Deus operatur in nobis velle, ac perficere. *Psalm.* 2. *c.* Præparatio ad bonum, quæ fit per gratiam, gratis datam, cùm à Deo excitamur: *Prouerb.* 8. *c.* ex tralatione 70. interpretum, ἑτοιμάζεται θέλησις παρὰ Κυρίου. Hoc est, Latinè conuersum: Paratur voluntas à Domino. Item liberum arbitrium, quo nos ad gratiā præparamus. *Eccles.* 15. *Deus ab initio constituit hominem, reliquitq́; eum in manu consilij sui. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam, &c.* Bona denique opera. Dicit enim Vates Euangelicus. *Isa.* 26. *cap. Omnia opera nostra, operatus es in nobis, Domine,* In summa.. *Sine me, nihil potestis facere. Ioan.* 15. *c.* ait Christus, nihil, inquam, in natura, nihil in moribus, nihil tandem in meritoriis actibus. *Ioann.* 1. *Sine ipso factum est nihil.* Totum à Deo pendet. Sumus proinde œconomi, ac villici, & vtinam non iniqui: qualis fuit iste, quo de statim subiungitur.

Rom. 8. *Isa.* 26.

*Hic diffamatus est apud eum, &c.* Defertur iste, accusatúrque à multis. Primùm quidem à Dæmone, qui accusator fratrum cognominatur, *accusans fratres nostros ante conspectum Dei nostri, die, ac nocte. Apoc.* 12 *cap.* Secundò, à propria conscientia: *Rom.* 12. *cap.* Testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter seinuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum. *Apoc.* 20. *cap. Libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Tertiò, accusat facti euidentia, quæ non eget clamore accusatoris. Adde, quòd *omnia nuda, & aperta sunt oculis Dei:* sicut magnus pronunciat Paulus, *Heb.* 4. *cap.* Quartò, accusat Angelica cura: Angeli quippe custodes nostri, *qui semper vident faciem Patris. Matth.* 18. omnia nostra opera denuntiant, eos certè accusaturi, qui eorum consilia; & suggestiones contemnentes, sub ipsorum, maiestatem diuinam offenderunt, custodia, ac procuratione, ac meritò quidem. Quintò, accusabit omnis creatura; Nam offenso creatore, offenditur consequenter omnis creatura. Vnde, *Sap.* 5. *cap.* scri-

*Apoc.* 12. *Matt.* 18.

ptum est: *armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cũ illo, orbis terrarum, contra insensatos.* Itaque tot testibus, villicus iste conuictus est, & delatus, apud Dominum suum.

Quasi dissipasset bona illius. Illius, notanter dixit, quoniã bona, quibus hac in vita vtimur, siue naturæ, siue fortunæ (vt vulgus loquitur) siue corporis, seu animi, non nostra, sed Domini sunt, qui ex nobis, iuxta beneplacitum suum, vtenda, credidit, atque commisit. Dissipamus autem bona temporalia accepta, quando his, ad Dei offensam, proximorum iniuriam, ac scandalum, aut ad propriam abutimur perniciem, atque, in vniuersum, dum omnia illa, non ad Dei honorem, & proximi ædificationem, nostrámque salutem, sed ad luxum, & diaboli, capitalis hostis nostri, voluntatem, (instar filij prodigi) dissipamus, atque prodigimus, & profundimus. *Luc. 15. capite. Dissipauit totam substantiam suam, viuendo luxuriosè, cum meretricibus, cœpitq; tandem egere.*

Luc. 15. c.

Quid hoc audio de te? Dominus quidem, quæ in terris geruntur, omnia, intelligit, & audit, quia *auris Zeli, audit omnia, Sap. 1. cap.* Et tumultus murmurationum, non abscondetur. Καρδιογνώστης ὁ Θεός. *Scrutans corda, & renes Deus* inquit Psalmographus. Ita interim loquitur Deus, *Quid hoc audio de te?* vt Iudices, suô admoneat exemplo, ne cuiusquam delatione, sententiam, aduersus partem, non auditam, temerè proferant, pronuntiéntque. Multi etenim falsô deferuntur. Neque temerè delatoribus, vnquam credendum. Si Dauid Rex, Sibæ delatori, credulas nimium aures, non præbuisset, talem sententiam, sicut protulit, aduersus Miphiboseth, nequaquam pronunciasset. Imò verò illi dixisset, quod hîc dicitur: *Quid hoc audio de te? Ioann. 7. Nunquid lex nostra iudicat quemquam, nisi priùs audierit ab eo, & cognouerit, quid faciat?*

Sap. 1. c.

Perperàm, & inconsideratè egit Monarcha Assuerus, cùm Iudaicum populum, malo Aman proditoris consilio, absque partium audientia, neci, mortíque adiudicauit. *Esther cap. 3.* Iste primùm omnium interrogatur, vt pro se reddat rationem quantumuis apud Dominum suum infamatus, denunciatúsque fuisset. Alexander magnus, referente in ipsius vita Plutarcho, quum iudicia capitalia disceptaret, fama tenet, manum eum alteri auri, dum diceret accusator admouere solitum, reo, vt alteram integram, & intactam, seruaret à calumniis. Sic ibi.

Plutarchus.

Percommodè quoque hoc loco referam, ex Amm. Marcellino, lib. 18. circa principia, quòd Numerium Narbonensis paulò antè rectorem, accusatum vt furem inusitato censorio rigore, pro tribunali palàm admissis volentibus, audiebat aliquando, Iulianus Cæsar: qui cùm inficiatione defenderet obiecta, nec posset in quoquam confutari, Delphidius orator acerrimus, vehementer eum impugnans, documentorum inopiâ percitus, exclamauit: Ecquis florentissime Cæsar, nocens esse poterit vsquam, si negate sufficerit? Circa quem Iulianus, prudenter motus ex tempore, Ecquis, ait, innocens esse poterit, si accusasse sufficiet? Hæc ibi. *Amm Marcellinus.*

Narrat Valerius Max. lib. 3. cap. 7. de fiducia sui, hoc modo: Cato superior, siue Maior, sæpenumero ab inimicis, ad causæ dictionem vocatus, nec vllo vnquam crimine conuictus est, tàtùmque fiduciæ in sua reposuit innocentia, vt Ti. Gracchum à quo in administratione Reip. ad multum odium dissidebat iudicem deposceret. Sic ille. *Valerius.*

Quæ eo tendunt vniuersa, vt accusatum esse, vel delatum non sufficiat, sed interrogandi sunt, vt proprio ore pro seipsis rationem reddant, coram iudice, qui sunt accusati. *Quid hoc audio de te?* Sic Deus, *Gen.* 19. antequam Sodomitas dãnaret, *Clamor, inquit, illorum, venit ad aures meas. Descendam igitur, & videbo. &c.* Non quòd eum aliquid latere possit, sed ἀνθρωποπαθῶς loquitur, hoc est, more humano, iuxtàque humanam affectionẽ. Priùs probare voluit, missis duobus Angelis, qui explorarent, antequã ciuitates huiuscemodi euerteret. Nec prætermittendũ esse duxi, quod ad hunc Geneseos locum, scripsit Philo Iudæus, li. de confusione linguarum, post media, hoc verborũ tenore: Dicitur descẽdens visere, qui omnia, priùs etiam, quã fiat præuidet manifestissimè: vt doceamur, moneamúrque, ne quis homo de absentibus rebus, & incertis putet se posse certã cóiecturã facere, sed propiùs introspecto negotio diligenter cũcta perlustret. Visus enim certus, potiùs quã fallax auditus, testis adhibendus est. Quapropter in optimè cóstituta Rep. lege cautum est, ne quis audita dicat pro testimonio, quia iudicium auditus, naturaliter facilè est corruptoribus. Apud Mosem quoque inter vetita legitur: Non admittes auditionem vanam. Vbi non tantum intercedit, ne quis falsum sermonem, aut stultum accipiat auribus, sed docet, quod ad manifestam veritatis perceptionem, longè minus, quam visus idoneus habitatur auditus, cum sit refertus vanitatibus. Hanc censemus esse causam, cur descendisse dicatur Deus, vt ciuitatem, ac tur- *Philo Iudæus.*

rim viseret. Sic ibi Philo.

Vnde, & vulgò dici solet. Plus valet oculatus vnus testis, quàm auriti decem. Quid hoc audio de te? Ad hunc planè modum, priusquàm puniret Adamum, primum nostrum parentem, eum ad se vocatum interrogauit dicens: *Adam vbi es?* Vt pro se rationem ipse redderet. Sic Cain, antequàm in eum, animaduerteret, ad reddendam pro se rationem, priùs vocauit, dicens: *Vbi est Abel frater tuus?* Nemo proinde indictâ causâ, & inauditus, damnari debet.

*Gen.3.& 4.c.*

Nec peccata dissimulauit, aut multa, ac impunita crimina, reliquit, quemadmodum Heli sacerdos, qui ob id, quod filios corrigere neglexit, à sacerdotio reprobatus est, & repentina morte percussus. Quid igitur audio de te? De te, inquam, sic meis ditato, incrassato, ac elato, bonis: præuento in benedictionibus, rerum mearum constituto dispensatore, & deprehenso dissipatore? Dissipasti bona mea temporalia, corpus inquinasti, animam peccatis sordidasti, imaginem meam deformasti, & corrupisti: Quid ergo restat? Redde rationem villicationis tuæ. O Verbum summè pauendum! Omnium, quæ cogitatione locutione, & operatione, gessisti, redde rationem. Villicationis tuæ, non alienæ, ratio exigitur. Vnicuique nostrûm, dictum puta. Redde rationem. Ab Episcopis, atque præpositis præsertim, *Heb.13. cap.* villicationis suæ exigitur ratio. *Ipsi enim præuigilant, quasi rationem reddituri, pro animabus nostris Iob.31. cap. Quid faciam cùm surrexerit adiudicandum Deus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi? Iam non poteris Villicare,* ait Dominus, *Isa.22. Expellã te de statione tua, & de ministerio tuo deponã te.* O Episcope, ô prælate, ô rex, ô subdite. Vos omnes denique, siue præfecti, siue subiecti: Reddite rationem villicationis vestræ. Reddite, inquam, rationem, de populis, & Christi ouibus, vobis concreditis, de gregibus, vestrâ socordiâ, à lupis rapacibus, deuoratis: quemadmodum & Iacob, de commisso sibi grege Laban, exactissimam reddidit rationem. Et nostrûm quilibet, de talento sibi concredito, de donis, & gratiis, sibi à Domino collatis, atque de sensibus suis, de tota denique vita sua exactè, coram diuino tribunali, responsurus est: Veluti Diuus Hippolytus martyr, elegantissimè sermocinatur: Sic enim scribit oratione de consummatione mundi, & de futuro Iudicio, Aures vestras condidi, vt audiretis scripturas: at vos parastis eas, ad cantica Dæmonum, citharas, & ridicula. Oculos vestros creaui, ait Dominus, iustus Iudex, vt perspiceretis lumen præceptorum meorum, eáque exequere-

*Iob.31.c.*

*D. Hippolyt.*

mini: at vos accersistis stupra, & impudicitias, & ad reliquam immunditiam, ipsos aperuistis. Os vestrum composui ad glorificandum, & laudandum Deum, & psalmos, cantionésque spirituales pronunciandas, lectionísque continuam meditationem: at vos aptastis illud ad conuitia, deierationes, & blasphemias, dum sedentes obtrectatis proximis vestris. Manus vestras feci, vt ad preces, & obsecrationes extenderetis eas: at vos, ad rapinas, cædes, & mutuas occisiones, expandistis. Pedes vestros ordinaui, vt ambularetis in præparatione Euangelij pacis, tum in Ecclesiis, tum in domibus sanctorum meorũ: at vos docuistis currere, ad adulteria, stupra, spectacula, saltationes, in sublime iactationes. Hactenus Beatus Hypolytus.

Quid aget tunc, similis mei, indignus, reúsque peccator? aduersus quem conscientia, quæ mille testium loco, ac vice esse potest: aduersus quem qui iudex simul ac testis est Deus contra denique, vniuersa armabitur (vt sup. dictum est) creatura? *Quid sum miser tunc dicturus. Quem patronum rogaturus? Dum vix iustus sit securus?* Sic sancta mater, in exequiis defunctorum, canit Ecclesia.

Nouerimus itaque, nos rationem reddituros: Primò, de nostro corpore, qualiter illud custodierimus, templum enim Dei est, dicente Apostolo, *Nescitis, quia corpora vestra, templum sunt Spiritussancti? Cor. 6. Si quis autem templum Dei violauerit*, ait idem Apostolus, *cap. 3. prioris Epistolæ, ad eosdem Corinth. disperdet illum Deus.* Secundò, de anima, quam Dei filius pretiosa morte sua redemit, & abluit. Tertiò, de variis, multiplicibúsque cœlestis gratiæ donis, qualiter his vsi fuerimus. Vnde commonefacit nos Apostolus, 2. *Corinth. 6. Exhortamur*, inquiens, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quartò, de bonis temporalibus, districtè, seueréque requiretur, qualiter. Verbi gratiâ & exempli caussâ, ea acquisiuisti, qualiter retinuisti, qualiter item expendisti, in quem videlicet vsum! Malè acquirunt, qui per vsuras, fraudes, ac rapinas, acquisierunt. Maléque partum peius disperit, iuxta tritum illud Prouerbium. Malè parta, malè dilabuntur. Malè retinent, nolentes aliena restituere, nolentes insuper de suis facultatibus egenorum subleuare inopiam. Malè verò expendunt, qui alea, luxû, pompa, voluptatibus, & deliciis carnis, turpiter huiuscemodi bona, dilapidant. Requiretur Quintò, ratio de deliciis, præscribente diuino oraculo: *Apoc. 18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum, & luctum.* Sextò, de subditorũ regimine, ratio exigetur: dicente Scriptura: *Sap. 6. c. Iudicium*

*Ecclesia in sequentia, seu, Prosa defunctorum.*

*2. Cor. 6. c.*

*Iam non poteris villicare*. Hoc est verbum amarissimæ diuulsionis, ab hac videlicet vita, In morte siquidem, omnis ab homine tollitur villicatio, adeòut exinde, nec benè, nec malè, valeat operari, cùm sit extra statum viatorum, vt mereri possit, vel demereri. *Clausa est ianua: Matthæi 25.* Iam spatium pœnitendi, non datur vllum: quandoquidem iam tunc tempus reddendæ rationis est, non villicationis exercendæ. Audiamus igitur sapientis consilium, ita admonentis: *cap. 18. Eccles. Ante iudicium para iustitiam tibi.* Benè ponderentur tria hæc verba, scilicet, Verbum rigidæ increpationis, *Quid hoc audio de te?* Verbum tremendæ discussionis, *Redde rationem villicationis tuæ.* Verbum denique amarissimæ diuulsionis. *Iam non poteris villicare.* Post mortem, nulla pœnitendi opportunitas suppetit. *Ioannis 9. Venit nox, in qua nemo poterit operari.* Et Regius vates: *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem, quis confitebitur tibi?* Diuus Bernardus, in paruis sermonibus serm. 49. *Vbi te Deus inuenerit, ibi te iudicabit. &, Luc. 16. capite. Chaos magnum firmatum est, inter vtrosque, damnatos* nempe, & saluti destinatos, qui in sinu Abrahæ, cum Lazaro quondam paupere, requiescunt, ac consolantur. Tunc soli miseris damnatis supererit querela, ex *Ieremia capite 8. Transit messis, finita est æstas, & nos saluati non sumus.* Quod valdè Nota. Nec alia æstas speranda est. Transit tempus promerendi, instat solum tempus recipiendi. *Ergo, Isa. 55. capite. Quærite Dominum, dum inueniri potest, Ecce nunc tempus acceptabile, Ecce nunc dies salutis.* De tempore verò, secundum Philosophum, non habemus nisi nunc, Præsens hoc momentum. Quod enim præterit, in nostra situm non est facultate. Quod item futurum est, non est nostræ potestatis. Itaque *Ecclesiastici capite vndecimo. Si ceciderit lignum, ad Austrum, aut ad Aquilonem, In quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Austri calor, in sacris bonam solet habere significationem, *Ab Aquilone verò, pandetur omne malum.* Porrò, homines sicut arbores, vidit quidam, in Euangelio. Exciditur autem arbor in morte. Quocumque igitur ceciderit, ibi erit, Ibi, inquam, immutabiliter, & irretractabiliter. Vbi ceciderit, non adijciet vt se vertat, ait D. Bern. v. s.

Matt. 25.
Eccl. 18. e.
Ioan. 9. e.
Psal.
D. Bern. ser. 49. in paruis
Luc. 16. c.
Iere. 8. c.
Isa. 55. c.
Philosophus.
Eccl. c. 11.
D. Bern. v. s.

*Iam non poteris villicare.* Si seriò hæc pensemus. Quales item insidias struat diabolus, sub huius vitæ exitum, & morte iam appetente, rebus nostris meliùs consulemus, ac futuris prouidebimus. Quo loco, Sedulò obserua, dæmonem

mortis ingruente articulo, nos callidiùs adoriri *solitum*, quippe qui calcaneo insidiatur, hoc est, extremæ parti pedis, siue fini nostro, & sicut astutus miles ad caput præcipuè respicit, vt vulnetato capite, lædat acriùs. Ad hanc penè formam, versipellis iste Tentator & incentor malorum, qui habet mille nocendi artes: hominem morti vicinum, aggreditur, maiore cum impetu: Neque illum tunc de luxuria tentat, cùm nequeat infirmus, semiuiuus duntaxat, illecebris carnis tunc temporis, voluptatibúsve affici venereis. Non tentat de gula, adeò enim corruptus est, viriatúsque ægroti gustus, prauísque humoribus infectum palatum, vt vix, ad circunstantium preces, possit quicquam sorbere in cochleari ( Gallicè, *humer quelque chose*) vnde paululum reficiatur: Non de superbia, quia videt se, tunc temporis, experitúrque, miserum, inualidum, aliorúmque auxilio, tantisper, dum lecto decumbit, egentem, foret igitur omnium stultissimus, si vel tunc non esset humillimus erga omnes, qui omnium ope, atque auxilio, indigere cernitur: Non tentat de ira, vel inuidia, at quia tunc non tantum habet virium, vt vel modicum accendi possit sanguis congelatus in venis. ( Est autem ira sanguinis accensio, circa cor) nec licet ei per tempus, & otium, tunc ob continuos dolores, de aliorum prospera cogitare fortuna: cùm totus, in dolendo vicem suam, deflendísque suis miserijs, sit occupatissimus. Non tentat eum de otio, seu acedia, & pigritia, Mortis quippe apprehensio vehemens, nusquam illum relinquit otiosum: nec interdiu, nec noctu, quiescere valet: huc, illúcque voluitur, ac reuoluitur, nec somnum capere potest. Non denique tentat eum de auaritia, quia non ei spes affulget, bonis, ac facultatibus, suis se potiturum, in posterum, tantùm abest, vt tunc temporis implicetur, in excogitanda arte, nouas conquirendi diuitias. De quo ergo, rogabis fortasse, tentat tunc hominem, aduersarius noster Diabolus? De summa totius rei, hoc est, de fide Catholica, tentat violentiùs, De spe Christianorum, ac similibus. Nititur tunc Dæmon Christiani totius ædificij, subuertere fundamentum: *Cui resistite*, ait Apostolorum Princeps, *fortes in fide*. *Resistite Diabolo, & fugiet*
1.Pet.5.c. Iaco.4.c. Ephes.9.c.
*à vobis*, inquit Diuus Iacobus. Et Paulus. *Ephesios sexto capite. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis: omnia*

*tela nequissimi ignea extinguere, Galeam salutis assumite, & gladium spiritus (quod est verbum Dei). Accipite igitur armaturam Dei: vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Induite vos armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo.* Sic Apostolus.

Quantò acriùs disputat, sophismata proponit, rationibus curiosis, & è media philosophia mundana, ac seculari petitis, instat, vrgétque, contra fidei articulos, tanto magis corde, & ore, respondere, palámque profiteri oportet: Credo, Credo, Credo. Nec multis verbis opus est, cum diabolo Sophista, differere. Ille enim est nobis longè acutior, atque subtilior, perspicatiórque: Pauca hæc verba, ex cordis deprompta penetralibus, & magna fide, deuotionéque, prolata: suffecerint, Credo. Atque vt ampliùs explicemus nosipsos, ne etiam verba nostra (velut hæresiarcha) in suum fauorem detorqueat, & perperam interpretetur: addamus statim & istud: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*. Ego sum verus Catholicus. Credo, & firma fide teneo, ea omnia quæ credit sancta, & Catholica Ecclesia. In hac fide mori exopto, per Dei gratiam. statim verò per Apostrophen, ad Deum tota mente conuertatur, dicátque: O Pater æterne, qui me creasti, Fili Dei, qui me redemisti, Sancte Spiritus, qui me sanctificasti, Trinitas sancta, vnitas consubstantialis, conserua, & confirma me in hac fide. Angeli, Archangeli, qui tandiu me custodistis, protestor vobis, sub quorum tutela, custodiáque fui commissus, me aliam fidem non tenere, ab ea, quam & Christus docuit, & Apostoli, successorésque ipsorum, prædicauerunt: In qua defuncti sunt omnes: quotquot sunt membra viua huius corporis mystici, quod est Ecclesia. Hac in fide etiam mori exopto. quod si tremendum, horrendúmque Dei iudicium, considerando, aut per pusillanimitatem, tentationúmque vehementiam, vel per errorem intellectus (quod tamen Deus auertat) vel tantillum hæsitarem, in capitibus fidei orthodoxæ, ac Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ: Profiteor, atque protestor, nunc pro semper, Nunc, inquam, cum speciali Dei. Opt. Max. beneficio; sana sum mente, quamquam malè affecto, & infirmo corpore: quod ex nunc pro tunc reuoco, & pro non dicto, vel cogitato, haberi supplico. Submittendo me, quantùm humillimè possum, diuinæ pietati, infinitæque misericordiæ ipsius Dei. Tunc erit confusus

Satan: Et ecce Angeli accedent, & assistent tali Catholico moribundo. Exerce quoque tunc temporis in oratione teipsum, dicque cum fiducia, ad Dominum: *Deus in adiutorium meum intende, Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, praeualui aduersus eum. Ne tradas bestijs animas confitentium tibi. Domine IESV, suscipe spiritum meum. In manus tuas Domine commendo spiritum meum: Redemisti me Domine, Deus veritatis. Dixi, Tu es Spes mea, Deus meus, Saluator omnium, maximè verò fidelium. Portio mea sit in terra viuentium*, Et cum *Iob capite* 13. exclama: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo*: Sic in mortis articulo te conuenit orare spiritu, ac mente, imò si fieri possit, etiam voce: Et senties indubiè præsentissimum Dei auxilium. His in sanctis pijsq; meditationibus, & precibus, faxit clementissimus Iesus, vt ex hoc migrem tabernaculo. Amen.

*Iob.13.c.*

*Iam non poteris villicare &c.* Miretur quispiam, & dicat, Cum iste dispensator, ex bonis Domini sui, fuisset ita locupletatus, Cur isto de gradu, œconomiáque sua, absoluto, & deposito, alij cuipiam hanc demandat prouinciam, seu, villicationem? Præstiterit sanè, (vt videtur) hunc in officio, & dispensandi munere relinquere, quàm recens, & de nouo, alium substituere, qui expilabit, fortassis, domini sui ærarium, & pecuniam. Succurrit nunc, eam in rem, Æsopi Apologus perfacetus, quem Aristoteles libro secundo Rhetoricorum, capite decimo nono his verbis commemorat: Æsopus insignis fabulator, in Samo, cùm oratorem quendam turbulentum, defenderet, qui rei capitalis insimulabatur, & de vita periclitabatur, ita dixit: Vulpes quædam, cùm fluuium pertransire vellet in voraginem decidit. & cum exire inde nullomodo posset, multa mala diu perpessa est, plurimæque caninæ Muscæ, cuti eius adhæserunt. Cùm autem Herinaceus, (Gallicè *vng herisson*) per eam regionem vagaretur, atque illam conspexisset, misericordiâ motus, interrogauit, An caninas muscas à se abigi vellet? Illa verò, non permisit: Et cum huius rei causam Herinaceus peteret: dixit, Quoniam istæ iam satiatæ sunt, & parùm sanguinis exugunt. Quòd si tu istas abegeris, aliæ fame confectæ, superuenient, quæ reliquum sanguinem meum totum absument. Eodemmodo, inquit, ô Viri Samij, nihil hic orator vobis amplius nocet. Est enim locuples. quod si hunc

*Arist.l.2. Rhet.c.19.*

interficiendum curaueritis, alij pauperes succedent, qui depeculantes Remp. pecunias omnes vestras consument. Sic ibi. Nec absimile est, quod Nicephorus libro primo historiæ Ecclesiasticæ capite decimo septimo. de Tiberio Cæsare, retulit hunc in modum. Morem illum habuit, vt non facilè, aut celeriter, magistratus, & præfecturas mutaret, aut administrationem eis abrogaret, qui Rerum publicarum gubernationem, sortiti essent. Eiúsque rei quibusdam causam inquirentibus, respondit: Naturâ esse omnes, qui rerum administrationi præsint, pecuniæ cupidos, plurimúmque studij, ad rem magis, magísque augendam, eos collocare. Cæterùm, si diutius in magistratu versentur, segniores ad quæstum faciendum fieri: Itidem vt muscas, quæ si longiùs corporum vlceribus, insideant, minus graues, aut molestæ fiunt: quippe sanie vlcerum, ad satietatem vsque refertæ: & eum, qui vlceribus scateat, durius acceptum, affectúmque iri, si saturis iam repulsis, famelicas alias ad vulnera admittere velit. Hæc ille. Quare ergo similiter non agit nunc iste Dominus, ac paterfamiliàs, relinquendo, sinendóque hunc villicare adhuc, rémque domesticam procurare, & administrare? Respondeo, peculiarem hic esse rationem, ac singularem hypothesim, in qua Dei adumbratur iudicium, quod ipse in forma humana excercebit: Ideóque intercedente omnium (quod communiùs asseritur) morte; cùm omnes adstabùnt ante tribunal Christi, reddituri de proprijs factis rationem, vnicuique à Domino dicetur, Redde rationem villicationis tuæ, & iterùm istud verificabitur; Iam non poteris villicare: quia post generalem hominum decessum, cessabit omnis in vniuersum, villicatio, neque vnus alteri substituetur, subrogabitúrve, in villicando. Niceph.l.1. hist. Eccles. c. 17.

*Ait villicus intra se. Quid faciam? quia Dominus meus aufert à me villicationem?* Non dicit, quid loquar, aut quid respondebo Domino meo? sed ait, Quid faciam? Apud Deum plus valent virtutum opera, quàm verba facunda. primæ Corinthios quarto capite, *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute*. Nec satis est credere, Sed, *Hoc fac*, ait Christus, *& viues*. quemadmodum enim ille, qui in fluuium cadit, nisi pedes, manúsque moueat, facilè submergitur, Si autem enatauerit ad littus, saluabitur: Sic, qui non admouet manuum operi, in profundum pelagi demergetur. Si verò operetur, ad portum appellere poterit salutis, faciendo cum Dei adiutorio, quod in se est. 1. Cor. 4. c. Simile.

Quid faciam? Intra se loquitur, meritóque anxiatur, cui iam dictum est. Iam vltra non poteris villicare. Q. d. Ad finem peruenisti; Tempus appetit, reddendæ rationis, citò hinc abibis, breuíque moriturus es, & quidem post hanc vitam, non est villicatio. Hîc enim villicando seruimus, ibi requiescendo à laboribus, mercedem capimus; hîc denique acquirimus, quod illic possideamus. Hîc labor, illic præmium. Nemo tamen arbitretur hac in vita, Deum cuiquam commissam auferre villicationem. Quinimò, quandiu hîc viuitur, licet agere pœnitētiam fructuosam, & esse Domino villicum acceptum. Sed de morte intelligendum est, postquam nullus erit precum, aut meritorum locus. Verùm deliberantem attende, rebúsque suis consilium inuestigantem. Quid faciam? inquit. Sunt quippe aliqui, qui nisi perpetuò occupantur, vitam sibi acerbam putent. Cuiusmodi fuit ille, cuius Seneca, lib. de breuitate vitæ, cap. 20. meminit, ad hunc modum. Quidam fuit exactæ diligentiæ senex, qui post annum 90. vacationem procurationis à C. Cæsare vltrò accepisset, componi se in lecto, & velut exanimem à circumstante familia, plangi iussit. Lugebat domus otium Domini eius, nec ante finiuit tristitiam, quàm labor illi suus restitutus est. Adeóne iuuat occupatum mori? Idem plerisque animus est, senectutem ipsam, nullo alio nomine, grauem iudicant, quàm quòd illos seponit. Sic ille. Seponit, hoc est, separat, diuidit, remouétque à gerendis negotiis. Iste ne ab officio seponatur, adeò timet, vt de reliquo, vitam sibi futuram acerbam existimet, nec satis exploratum, certúmque habeat, quid in futurum faciendum sibi sit. Quid faciam, ait, quia Dominus meus, aufert à me villicationem? Fodere non Valeo, mendicare erubesco. Duobus modis consulit sibi egenus, aut manibus laborando, aut ostiatim emendicando, manúmque ad stipem porrigendo. Neutrum verò, iste diligit, fodere non valeo, inquiens, hoc crimen est vitæ inertis, non enim affectat, sed refugit, fodiendi laborem, terrámque colendi. At verò stat sententia: *Qui non laborat, non manducet.* Et rursus, *Labores manuum tuarum, quia manducabis,* Et primo nostro parenti indicitur à Domino. *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo.* *Mendicare erubesco,* ait, Quid ergo cogitas? furari, fortè, & Domini tui corradere pecuniam, compilare, & surripere alienas facultates, Vel quid aliud? Benè Sapiens, *Prou. 20. ca.* *Propter frigus*, inquit, *piger arare noluit; mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* Mendicare probrosum videtur mundanis.

*Seneca lib. de breuitate vitæ cap. 20.*

*Genes. 3.*

*Prou. 20.*

Mendicauerunt fatuæ virgines, à prudentibus oleum, *Matth.* 25. *cap. Date,* inquiunt illæ, *nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur.* Sed reuersæ sunt vacuæ, nec absque derisione, passæ sunt repulsam. Epulo ille de quo, *Luc.16.cap.* aquæ guttam emendicabat, quam tamen accipere non meruit. *Matth.25.* *Luc.16.*

Quædam interim est mendicitas laudabilis, & Euangelica, quam profitentur quatuor ordines mendicantium, ab Ecclesia comprobati, confirmatique. Carmelitarum videlicet, Augustinensium, Dominicanorum, & sub Patriarchæ nostri, Diui Francisci regula, militātium, Fratrum Minorum: Hanc nihilominus sanctam mendicitatem. Lutherani, & Hugnostici fermè vniuersi, improbant, execrantur, & tanquam lege vetitam, eam explosam, abrogatámque, vellent. Nos autem cùm Deo adiutore, simus memores. Franciscanæ mendicitatis, quàm in nostra adolescentia vouimus, pro huius assertione, laborabimus pro viribus. Noui quidem ab aduersariis obiici, non mendicasse Christum; atque proinde mendicationem improbandam esse. Quibus vicissim respondeo, Quamquam ipse non mendicasset (quod tamen pernego) non inde conficitur, illicitam esse mendicitatem: Sed replicabis, quoniam, omnis Christi actio, nostra est instructio, Si ergo ipse non mendicauerit, neque nos licitè mendicabimus. Respondeo: Multa sunt, quæ certum est Christum non fecisse, quæ tamen licita sunt hominibus, vt inde vitę suæ prouideant. Nunquam enim Christus calceos suit, nec canistrá ex viminibus intexens, fecit: aut lapides expoliuit. (Gall. *il n'a point esté cordonnier, faiseur de panniers, & maçon*) Nunquid ideò colligere licebit inde, nullam ex artibus illis mechanicis licitam esse? Absit. A simili quoque, quamuis Christus mendicauerit nunquam, non tamen inde sequitur, vt aliis mendicare non liceat, pro vitæ sustentatione. Verùm, his prætermissis, Videamus, quid suis statuat discipulis Dominus, cùm eos ad prædicandum mittit: *Luc.10.cap. Edentes, inquit, & bibentes, quæ apud eos sunt, in eadē manete domo.* Vbi Theophylactus, Vide, inquit, qualiter discipulos mendicare instituit, & pro pretio eos nutrimentum habere voluit. Nam subditur: *Dignus est operarius mercede sua.* Hæc Theophilactus, iuxta tralationem antiquam, qua D. Thomas vtitur in cathena aurea. Vbi suprà. Hîc lectorem monitum velim, in Oecolampadij hæretici, recentiore versione Theophylacti ex Græco, mendicandi verbum non extare eo in loco; suspicor enim Oecolampadium, ab eo abhorruisse. Græca Theophylacti exscribere *Luc.10.* *Theophyl. in Luc.10.c.* *D.Thomas, in Cathena aurea, Vbi supr.*

libuit, ὅρα δὴ πῶς τοὺς μαθητὰς ἐξασφαλίζεται πρὸς ἀκτημοσύνην. Sic ibi. Quæ ad verbum ita sonant: Vide igitur quomodo, qualitérve, discipulos securos faciat, ad inopiam (subaudi, instruens eos) Ἀκτημοσύνη, ης, ἡ. Inopia, indigentia, Ἀκτήμων, ονος, ὁ, ἡ. Inops; tenuis, egenus; non possidens. Sic Lexicon Græcum magnum, siue Thesaurus linguæ Græcæ. Indigentia verò talis, siue egestas, ad mendicitatem, voluntariam etiam inducit. Nam mendicare appello, egestatem suam aliis reuelare, ad hominum misericordiam viuere, sicque Apostolica vita, ex Christi præscripto, mendicantium erat, Petebant namque Apostoli, & accipere poterant ab iis, quibus Euangelium prædicabant, quæ ad victum erant necessaria. Quod si obieceris, talia eis iure deberi. Esto, An propterea non mendicarent, sibi iure debita alimonia, & edulia? Qui in extremæ necessitatis articulo constitutus, eleemosynam, stipémque emendicat, cùm petat, id quod sibi iure, tunc temporis, debetur, an non dicendus est ideò mendicare? Sit, exempli gratia, Lazarus, ad diuitis ianuam, vlceribus plenus, mendicans panem, aut potius, panis, decidentes sub mensam, micas desiderans, efflagitánsque: *Luc. 16.* cum illi iure debeantur (perpensa istius extrema inopia, & necessitate) an non propterea dicetur mendicare, à diuite eleemosynam? Ecquis hoc neget? Memini in superioribus, ea de re egisse me fusiùs, ad Euangelium, *Cum esset Iesus annorum 12. &c.* Christum mendicasse, ex eo contextu, cōprobans. D. Bernardo interprete, Per illud triduum, inquit ille, quasi vnus ex turba pauperum, stipem per ostia mendicabat. Notum est autem ex Euangelio, quòd probæ quædam mulieres, ac matronæ, Christo, de facultatibus suis ministrabant, & quæ illi erogabantur, in loculos conferebantur, ad necessitates totius collegij Apostolici, & sustentationem pauperem, siue, eleemosynas. Obiiciunt heretici, ex *Deuteron. decimo quinto, cap. Mendicus non erit inter vos, &c.* Respondet noster Alphonsus, tit. mendicitas, aduersus hæreses, Hæc non esse prohibentis mendicitatem, sed promittentis cultoribus Dei, quod non esset ex illis quispiam, futurus egenus, aut mendicus. Obseruantibus siquidem legem, pollicetur Dominus, bona temporalia. *Isa. 1. c. Si me audieritis, bona terræ comedetis.* Sicque promissio quædam est, cùm dicitur: Omninò indigens, & mendicus, non erit inter vos, Si enim prohibitoria essent ista, peccasset Elias, mendicans à vidua panis buccellam. Lazarus, ad ianuam diuitis, mendicans victum, cuius nihilominus mendicitas, in

*Lexicō magnū Græcum, siue Thesaurus.*

*Luc 16.*

*Sup. ad Euāgelium, Cùm esset Iesus annorum duodecim, &c.*

*D. Bernardus ibidem.*

*Deut. 15.*

*Alphonsus, Minor contra hæreses, ti. Mēdicitas.*

*Isa. 1.*

Euangelio, à Christo commendatur. Nota, quòd *præfato* Deuteronomij, *cap.* subiungitur ita: *Non deerunt pauperes, in terra habitationis tuæ: Idcircò ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum versatur in terra.* Sic ibi. Igitur ad literam conformiter, responderi etiam posset, prædicta Deuteronomij verba, explicare quidem, prohibitionem aliquam, non respectu pauperis, cui mendicare interdictum sit: Sed potiùs, diuitum intuitu, quibus Deus ex professo præcipit, vt tantam pauperum curam haberent, vt non sinerent eos, propter inopiam, mendicare ostiatim: quod verba suprà allegata facilè indicant. *Deut.* 15.

Accedit his, Doctor Seraphicus, Diuus Bonauentura tō. primo Opusculorum, libello, de Christi paupertate, quærit de mendicatione, Vtrum mendicare pro Christo, sit Christianæ perfectionis? *Seraph. Bonauentura, nostri instituti tom.* 1. *Opusc. libello De Christi paupertate, quæst. de mendicatione.*

Voco autem mendicare, ait ille, eleemosynam, quærere, seu de quotidianis eleemosynis viuere; Christus verò, *Luc. decimo nono.* à Zacheo hospitium emendicauit, & à muliere Samaritana, *Ioannis quarto cap.* aquam postulauit bibendam: Adde, quod Christus à regio Propheta mendicus, & pauper, non semel appellatur. Quid autem pluribus opus est? Nonne Alexius, vir miræ sanctitatis, cum esset filius ditissimi Romani, contempto patrimonio, iuit mendicando, per mundum, vt & ex eius legenda confirmatur? Beatissimus quoque Pater noster Franciscus, non solùm mendicauit, & mendicare consuluit, dicens in Regula: *Vadant fratres pro eleemosyna confidenter, petendo eleemosynam ostiatim. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Verumetiam, mendicationem suam miraculis confirmauit: nautas quosdam ciborum suorum reliquiis, reficiens, & satians.* Quicquid, Præterea licet accipere, licebit quoque petere. At verò panem pro sustentatione, licet Religiosis, in Christi nomine accipere. igitur sustentationem huiusmodi petere licitè valent à fidelibus; Id autem est mendicare. Concludo itaque, Si quis improbare velit, ait vbi suprà. D. Bonauentura, omnem mendicandi modum, in seruis Christi, impugnare videtur non tantùm ordinem pauperum, verumetiam ipsum summum Pontificem, qui approbauit hunc viuendi modum magnum: item virorum sanctorum cœtum, qui mendicauerunt: videlicet Diuos Dominicum, Patrem Franciscum, & Alexium. *Luc.* 19. *Ioan.* 4. *Psal. Vita B. Alexij. Regula B. Francisci ab Ecclesia comprobata.*

millima, Christo Domino famulantium, nemo sanæ mentis reprobauerit. Hactenus ex D. Bonauentura. Sequentia iam expendamus.

*Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas, &c.* Salubre consilium reperit ad finem, qui perperàm administrauerat œconomiam: vt scilicet pauca daret, plura tandem cum fœnore recepturus, & in ædes alienas exciperetur, cui propriæ deerant. Eò certè spectat, totius Parabolæ scopus, vt quisquis sibi malè conscius, futurum Dei formidet iudicium, quandiu hîc bonis Domini sui potitur, pauperes sibi conciliet amicos, vt sic eorum misertus, ipsius vicissim Dominus quoque misereatur. *Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Scio,* inquit, *quid faciam.* Nam priusquam amouear à villicatione, dum adhuc rerum Domini mei dispensatio mihi permittitur, earum elargitione, ac distributione, mihi amicos comparabo, qui me, quum per mortem absolutus fuero, à dispensando, in domos suas recipiant, vt nec fodere cogar, nec mendicare. *Malach. 5.*

Prudenter sanè sibi consuluit, prouiditque rebus futuris, iste œconomus, ne in futurum egestate premeretur. Ianus Bifrons, prudentis est Symbolum, ac tessera. Vnde Macrobius, lib. 1. Saturnaliorum, cap. septimo. Creditur Ianus, geminam faciem pretulisse, vt quæ ante, quæque post tergum essent, intueretur. Quod procul dubio ad prudentiam regis, solertiámque, referēdum est, qui & præterita nosset, & futura prospiceret. Sic ille. Et comicus in Adelphis ita cecinit: Act. 5. Scena 4. *Macrob. lib. 1. Saturn. c. 7.* *Terentius in Adelph. actu 3. Scena 4.*

*Istuc est sapere, non quod ante pedes modò est,*
*Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,*
*Prospicere----* – Sic ibi.

*Conuocatis singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantum debes? Centum cados olei. Scribe, & cæt.* In isto quamplurima edocemur, in erogandis eleemosynis apprimè conducentia. Primùm; non vocatus à debitoribus, aut rogatus, eos accersit, liberalitérque eis condonauit non minimam debiti portionem, cuidam dimidiam, alij verò, quintam. Sic Abraham Patriarcha, *Genes. decimo octauo,* expectabat, præstolabatúrque, in itineribus, pauperes transeuntes, quos deprecabatur, vt ad se diuerterent. Suscepitque Angelos; Loth similiter, vbi suprà. Nunc autem, tanta est diuitum crudelitas, vt ne clamantibus quidem mendicis, stipem, & eleemosynam, conferant. *Dixit debitori. Sede citò.* Quo, *Genes. 18.*

Secundo loco, instruimur, celeriter faciendam esse eleemosynam. *Prouerb.* 3.*cap.* *Ne dicas, Vade, cras dabo tibi, cum statim possis dare.* 3. Vocauit singulos debitores Domini sui nedum vnum, aut alterum. Multis itaque, nedum vni soli, danda est eleemosyna. Aliqui solis largiuntur consanguineis, conciuibus, & necessariis, amicisque suis. Hic verò singulos debitores vocauit. Quartò, largitur, & abundanter dedit, Dimidium olei, & quintam partem tritici. Sic Tob. 4. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, &c.* Vel, saltem calicem aquæ frigidæ, Nec absque remuneratione id futurum est. Per oleum & triticum, duplex eleemosynæ genus adumbratur. Priore, spirituales eleemosynæ, Posteriore autem, corporales significantur. De oleo quidem, dimidiam, De tritico verò, quintam remisit partem Plus quippe est, animis immortalibus cõsulere, quàm morituris corporibus subuenire. maiorem impendit eleemosynam, qui docet ignorantes, quàm, qui panem largitur corporalem esurientibus. Maior namque est refectio mentis, quàm ventris. Cados olei, & Coros tritici centum, expressit contextus Sacer quibus de mensuris, sequentia, ex Ben. Aria Montano, Opusculo, de mensuris, in sacro Bibliorum regiorum apparatu, mutuati sumus. Cadus, inquit, vulgaris olim fuit, tantundem capiens, quantum aquæ virguncula, humeris imponere posset ferendum, sicut scriptum est, de Rebecca, habente hydriam in scapula sua, Hebraicè est in Genesi, Et cadus eius in humero eius. Ministeriis domesticis vulgare, atque frequens vas cadus erat, ideóque ad portandum habilis. Implete, inquit Elias, quatuor hydrias, aquâ, Heb. quatuor cados. 3. *Reg.* 18. *vers.* 34. Gedeonis milites, cados huiusmodi inclusis torribus, noctu Madianitas aggressi, ferebant: quas lagenas, noster vertit Interpres. *Iud.* 7. *vers.* 16. Atque illa vasa fictilia erant, vt ex eodem cap. liquet, singuli enim repentè suos cados fregere. non est certæ ac præcisæ alicuius mensuræ, quæ ad commercia expendenda vsui pareretur, non erat tamen nimis magnæ, neque exiguæ etiam capacitatis, sed quantum adolescentula quæpiam (vt suprà dictum est) deferret. Corus autem aridorum mensura, Sicut Cadus, liquidorum, vt in pluribus, continet Sata triginta, vel medios tritici triginta, apud interpretem vulgatum, (*trente boisseaux de froument.* Gall.) Iustum est duorum asinorum onus, (*deux charges de bled*, dicerent nostrates.) Et quidem his de mensuris, dictum sit, pingui, crassaque Minerua.

*Prou.* 3.

*Tob* 4.

*Ben. Arias Montan. De sacris mẽsuris in apparatu Bibliorum.*

3. *Reg.* 18.

*Iudic.* 7. *vers.* 16.

*Accipe cautionem tuam, & tat.* Cautio, pro chartula debiti ponitur, quæ debitoris manu scripta est; in qua se debitorem agnoscit. ( Gall. *vne scedule, ou obligation*) sic quippe mercatores loqui solent. Cum hac cautione, exhiberi nos oportet antè tribunal iudicis supremi. Cautionem hanc protulit, qui ait, *Eccles.7. Scit conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.* Sede, inquit, vt enim conscientiam tuam dignè discutias, à cæteris curis te vacare, necesse est. Anima sedens, ait Philosophus, sapientior fit. Citò sede. Nam hîc maximè locum habet, regula Iuris: Mora sua, cuique nociua est. *Non tardes,* ait, *Eccles.cap.5. conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Vnde Poëta cecinit:

*Eccles.7.* *Philosophus.* *Regul. iuris.* *Eccl.5.* *Ouidius.*

*Qui non est hodie, cras minus aptus erit.*

Villicus non procrastinandum putauit, quandoquidem, impletur plerumque hoc adagium: Herinaceus partum differt, qua de locutione, plura In Decadibus diximus.

*Sac. Dec. authoris.*

Scribe quinquaginta. Quinquagesimus annus, ex lege Iubilæus est, & annus remissionis, quod certè, mysterio non vacat. Pergamus ad reliqua.

*Laudauit Dominus villicum iniquitatis, quòd prudenter fecisset, &c.* Obserua, quòd villicus ad imitandum hîc proponitur. Non in eo quidem, quòd Domini sui bona dilapidauit, neque in eo, quòd fraudauit Dominum suum, vt de ipsa fraude eleemosynas faceret. (Hoc est enim latrocinium, latrocinio cumulare) Nec ex malè partis faciendæ sunt eleemosynæ, verùm restitutiones. Quia non dimittitur peccatum, ait alicubi. Diuus Augustinus, nisi restituatur ablatum. *Ecclesiast. 34.cap. Qui offert sacrificium, ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui.* Vulgò dicitur: *Du cuir d'autruy large courraye.* In quo igitur hunc villicum debemus imitari? Respondeo. In eo, quòd cùm dispensare prohiberetur, in futurum prospexit, cosuluitque sibi, vt ex Domini sui bonis, amicos sibi conciliaret, quorum à opibus vitam inopem, tueri posset, Hoc equidem Domino est gratissimum. Bonorum suorum distributio, in pauperum subsidium. Quod si laudari potuit à Domino, cui fraus fiebat, hæc prudentia, quanto magis Deo placent, qui liberaliter, & ex charitate, eleemosynas largiuntur? Sic etiam à iudice iniquo, *Luc. decimo octauo cap.* à vidua importunè, frequentérque interpellato, comparationem duxit Christus,

*D. Aug.* *Eccles.34.* *Luc.18.*

ad Deum æquissimum Iudicem, cui nulla ex parte, iudex iniquus conferendus est.

*Laudauit Dominus villicum iniquitatis*, non de facta fraude, & iniquitate, sed de prudentia, & circumspectione, qua sibi in futurum prouidit, rebúsque prospexit suis.

*Prou.6.* Prudentia, pigritiam condemnat, *Prouer. 6. cap. Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: Quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo?* Sic Sapiens, Addere libet quosdam Horatij versus, lib. 1. Sermonum, Satyra 1. Sic ille cecinit:

*Horat. lib. 1. Serm. Saty. 1. de formica.*

*Paruula (nam exemplo est) magni formica laboris*
*Ore trahit quodcumque potest, atque addit aceruo,*
*Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri,*
*Quæ, * simul inuersum contristat Aquarius annum.*
*Non vsquam prorepit; & illis vtitur antè,*
*Quæsitis patiens: ------* Sic ille.

** Simul, hic ponitur pro, postquā simul ac, aut simul atque ne quis hæreat.*

Terret hyems formicam; Nos quoque terrere, commouerèque, ad pœnitentiam debet, cogitatio futuri Iudicij; & examen rigorosum rationis reddendæ. Vnde vir prudens; futuris prouidet, tempori, siue, tempestiuè, & opportunè; æternæ miseriæ futuræ apprehensione, ad studiosas actiones incitatus, bonáque agenda, vt *sit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit, in tempore suo. Psal. 1.* Hæc prudentia hoc loci, à Domino commēdatur.

*Psal. 1.*

*Filij huius seculi prudentiores sunt, &c.* non quidem simpliciter, & absolutè, sed in suo genere, & pro suo modulo: scilicet in negotiis secularibus pertractandis: Attamen filij lucis simpliciter, & verè prudentiores, vel in hoc vno sunt, quod filij lucis esse malunt, potiusquàm tenebrarum. Nam licet bubones (mali ominis aues) & noctuæ, melius noctu videant, quàm homines; simpliciter tamen melior, acutiórque, est visus hominis, quàm illarum nocturnarum auium, quas nox illuminat, at clara lux excæcat. Noctu quidem, & in tenebris vident, Sed quorsum; vt prædam capiant. Ad hunc modum, Improbi plerique homines, callidissimi, & prudentissimi, comperiuntur. Sed ad quid? Vates insinuat Euangelicus, *Isa. quinto cap. Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Rursus, Sanctus ex vtero Vates (*cap. quarto Ieremiæ*) *Sapientes sunt*, inquit, *vt faciant mala, benè*

*Isa. 5. Ierem. 4.*

*autem facere, nescierunt.* Prudentes ergo appellantur. non verè sed in generatione sua. Attende verò pulchram Antithesim, filiorum huius seculi, atque filiorum lucis. *Quæ autem conuentio lucis, ad tenebras, aut quæ societas? 2.Cor. 6.cap.* Mundus, præsénsque seculum, veram lucem in se habet minimè, Imò eam persequitur odio. *Ioann 1. Mundus eum non cognouit, &* *cap. 3. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. erant enim eorum mala opera. Ergo dum lucem habetis,* ait Christus, *Ioann. 12.cap. credite in lucem, vt filij lucis sitis.* Filij sæculi huius, filij sunt perditionis, at verò, filij lucis, filij sunt regni. Prudentiam quoque duplicem Apostolus distinguit: Vna, est prudentia carnis, Altera autem, Prudentia Spiritus. Vnde Apostolus, *Rom.8. Prudentia carnis, mors est; Prudentia autem Spiritus, vita, & pax: Quoniam sapientia carnis, inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest.* Sic ibi. Consideremus nunc, quomodo filij huius seculi prudentiores sunt filiis lucis, in generatione hac terrena, Cauti sunt euitandis rerum temporalium damnis, euadendis hostium insidiis, terra, marique lucris sectandis, dormitantibus interim filiis lucis, in iis, quæ Dei, & æternæ salutis sunt. Nam & Apostolis ipsis, somno obrutis, atque grauatis, discurrebat Iudas, vt Christum proderet; noctémque totam ducebat insomnem. Quis, quæso, tanto studio incumbit, vt Deo placeat, quanto vanæ mulieres, vt mundo placeant, occupantur in comendis, atque seipsis exornandis? Hoc est, quòd deflebat vir Sanctus, nomine Pambus, cuius in historia Tripartita Cassiodori, lib.8. cap.1. fit mentio, his verbis: Is Pambus Athanasio Episcopo precante, ab eremo descendit in Alexandriam. Cúmque vidisset ibi mulierem Theatralem, fleuit: & à præsentibus rogatus, quare ploraret? Duæ, inquit, res me mouerunt; Vna, quæ est illius perditio, Altera verò, quòd ego non tantum studeo placere Deo, quantum hæc, vt turpibus possit placere hominibus. Hæc ille. Filij huius sæculi, circa temporalia, maiorem adhibent curam, quàm nos circa æterna. Vnde appositissimè cecinit Horatius, lib.1. Epistolarum, Ep.1.

2.Cor.6.
Ioan.1. & 3.c.
cap.12.
Rom.8.
Cassiod. trip. (quā vocant) hist. Eccles. lib. 8. ca.1.
Horat. lib.1. Epist. Ep.1. ad Mæcenatem.

*Impiger extremos curris mercator ad Indos,*
*Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.*

At verò, Nos æternorum, parua, aut prorsus nulla, tangit cura. *Rom.8.* Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui verò, secundum spiritum, quæ sunt spiritus, sen- Rom.8.

tiunt. Perbellè, profectò, atque concinnè, venustéque Ouidius, concinit: lib. 1. de Remedio amoris.

*Vt corpus redimas, ferrum patiaris, & ignes,*
*Arida nec sitiens, ora lauabis aqua.*
*Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis?*
*At pretium pars hæc, corpore maius habet.*

Rom. 8. *Carnis curam ne feceritis in desideriis;* clamat Apostolus: *Rom. 13. cap.* Nos, contrà cuticulam curamus, genio indulgemus, ac ventris mancipia sumus, Salutis autem animæ, minimam habemus curam. Sed & ij, quorum erat, animarum salutem curare, Nunc in vtramque aurem obdormiſſe videntur; Hugnosticorum prædicantibus; interim, animarum subuersoribus, Ministris hæreticorum, eorúmque Syministis, & cooperariis iniquitatis, negotium suum impigrè, vigilantérque, peragentibus, hac, illac, discurrendo, vt discipulos post se abducant, inque suam Nassam, implicent, ac inuoluant, vt, inquam, impia sua dogmata, (animarum vtique præsentissima venena) vbique locorum, atque terrarum, diffundant. Porrò Catholicorum, defendendæ fidei veritati, diligentia, ac studium, simile nullum est.

O tempora! ô mores! In suam ipsorum, aliorúmque quamplurimorum perniciem, Hæreticici, tot tantáque facinora, patrare non desinunt, sumptibus nullis parcunt, non vitæ propriæ, Quinimò, vt longè, latéque, virus suum spargant ferrum patiuntur & ignes, Diaboli Martyres. Nos verò Orthodoxi, adeò intuenda auita Religione, tepescimus, ne dicam, in vniuersum, refriximus, hisce calamitosissimis, bellorum ciuilium temporibus, vt Christianismus totus, inter nos penè depereat, & funditus corruat, ac collabatur. Ne derelinquas nos Domine, Deus noster. Quàm metuenda est, hæc grauissima Christi Domini sententia; in Iudæos

Matth. 21. proclamata: *Matth. 21. cap. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Festinemus iam ad postremam periodum.

*Facite vobis amicos, de Mammona iniquitatis, &c.* Cogitemus Deum, à quo iudicandi sumus, sic nobis consulere, ac dicere. Alii consulant vobis vanitates, & insanias falsas, voluptates, honores, & opes: Ego verò, Deus vester redemptor, ac æquissimus iudex, suadeo vobis, vt amicos de Mammona iniquitatis, vobis concilietis. Quod est autem Mammona illud

Ouidius. iniquũ? Ab effectu, sic dicitur; quia ex Ouidio, Sunt opes, irritaméta malorũ. Stat etenim sẽtẽtia. *Radix omniũ malorũ est cu-*

*piditas*, ἢ φιλαργυρία, id est, studium immodicum, appetentiáq; pecuniæ immoderatà. Vt est in contextu, siue, exemplari Græco. 1.*Tim.6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum, diaboli, & desideria multa nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*. Hæc ter maximus Paulus vbi sup. *Non potestis*, ait Christus, *Matt.6. Deo seruire, & Mammonæ*. Hoc est, diuitiis, à quibus ad vitia facilis patet aditus, atque transitus: veluti inter has duas voces, diuitiæ, Vitia, magna est allusio, ac Paronomasia. Esto igitur, ô Christiane, & Dei cultor, non φιλάργυρος, hoc est, auarus, auidus æris, lucríq; cupidus, sed, philaretos, φιλάρετος, (quæ maxima est cum eo cognomine vicinia) id est, virtutis studiosus, qua voce, Aristoteles in Ethicis vsus legitur, lib. (si satis memini) 1. Vel etiam, ἄδικον mammona dicitur, siue, iniquum, fallaxque, quandoquidem opponitur veris diuitiis. Fallaces diuitias appellat Christus: *Matt.13 Fallacia*, inquiens, *diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur*. Aut deniq;, sicut Latinis, afflictio, malum dicitur: Hinc, *Mat.6. Sufficit diei malitia sua*. Sic quoque Mammona malum, iniquúmq; nominatur, quoniam opes huius mundi, velut spinæ acerrimè pungunt, cruentantque, & lancinant, cõfidentes in ipsis Mammona iniquitatis, propter abusum, appellatur, quia per auaritiam, aut luxum, diuitiis plerúmque abutimur. *Mat.6.c.* *Aristoteles.*

*Facite vobis amicos, de mammona iniquitatis, &c.* Concupiscentiam Apostolus peccatum appellat, quia à peccato primi parentis nostri, trahit originem, & ad peccatum prouocat, inducitque. Ita quamuis in diuitiis iniquitas nulla sit, sed tantùm in abusu earum, verumtamen, Cùm pecuniæ obediant omnia *Eccle.10.c.* Vir pecuniosus, Dei timoris expers, ad quæuis perpetranda scelera paratissima, ac in promptu, habet instrumẽta: Ideóque meritò pronunciat Christus. *Mar.10. Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!* Materiam, & occasionem, plurimis præbent diuitiæ temporales, scelera perpetrandi, quæ debuerunt esse organa, instrumentaque virtutis. Non abs re itaque mammona dicitur, *Iniquitatis*. *Mar.10.c.*

*Facite amicos, &c. Vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ecce quàm vtile sit diuitias pauperibus erogare *Ecc.29 c. Conclude elemosynam, in sinu pauperis. Et hæc pro te exorabit, ab omni malo. Vt cùm defeceritis*, inquit, scilicet, per mortem. Tunc enim deficit vita, deficit mundus, deficiunt amici, ac necessarij, cognati, & affines, deficiunt opes, deficit tempus, atque benè operandi possibilitas. Venit denique nox, *in qua nemo*

Ioan. 9.c.

*poterit operari,* ait noster Saluator. *Ioan. 4.c.* Opibus, ac propinquis, hominem in morte destituentibus, sola misericordia comes est defunctorum. Benè ergò dictum est, *Vt recipiant vos in æterna tabernacula.* Quia misericordia propter Deum pauperibus impensa, causa est vt illic recipiamini. *Da pauperibus,* inquit Christus. *Mar. 10.c. & habebis thesaurum in cœlo. Mat. item 19. c. Luc. 14. Voca pauperes, & retribuetur tibi in resurrectione Iustorum.* Consilium igitur hoc, nobis placeat, quod per Danielem sanctum Vatem, *c. 4.* datum fuisse, Nabuchodonosor Regi legimus: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas, misericordiis pauperum.* O felices eleemosynarios! Patronos habebunt pauperes, quos iniqui trucésque diuites, sentient rigidos apud Dominum accusatores. An non pauperum oppressio atque aduersus eos crudelitas, quam diuites exercent. (*Nonne diuites,* ait Sanctus Iacobus, *per potentiam opprimunt vos?*) clamare non desinit, & ab æquissimo vindice, scelerúmque vltore, iustitiam implorat? *Exod. 22. Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamq́; vos gladio.*

Polidorus.

Percommodè retulit Polidorus Vergilius, Anglic. Hist. li. 4. circa annum Domini, 640. de Osualdo Rege Scotorum, & Anglorum, eiusque eleemosynis, hunc in modum, Osualdus bonus princeps, miræ sanctitatis, & pietatis, Eo ipso die, quo Christus Iesus, à morte vitam resumpsit, dum prandebat, discumbente fortè cum eo, Sancto viro, ac Episcopo Aidano, à ministris intellexit, frequentes pro foribus domus, circũstare pauperes, cibum petentes. Tum pius Princeps, charitate motus, lancem argenteam cùm cibariis, quæ ad manus prima aderat, pauperibus minutatim diuidendam, dedit, Aidanus, ob huiusmodi præclarum liberalitatis facinus, ad regem conuersus, & eius dexteram prehendens, inquit, Numquàm putrescat ista manus. Quod vt credere par est, vir vtique sanctus, diuino afflatus spiritu, cecinit: Equidem illa manus, consumpto post hac corpore, integra semper mansit, quæ capsula decenti condita, in vrbe regia, multa cum veneratione, diu seruata est, Sic ille.

Vides, præmium sanctæ eleemosynæ, carnis incorruptionem.

D. Gregorius

Refert quoque D. Gregorius, lib. 4. Dialogorum, cap. 36. sutoris cujusdam, pij viri, quod Romæ contigit, memorabile exemplum, hoc modo: Quidam Deusdedit nomine, vir religiosus, Romæ habitabat, calceamentáque operari, & suere, solebat: de quo alter, per reuelationem vidit, quòd eius domus

ædificabatur, sed in ea constructores eius, solo Sabbathi die videbantur operari. Subtiliter inquisitum est, & inuentum, quia ex iis, quæ diebus singulis laborabat, quicquid ex victu, atque vestitu, superesse potuisset, die Sabbatho, ad B. Petri Ecclesiam deferre consueuerat, atque indigentibus erogare. Qua ex re perpende, quia non immeritò ipsius fabrica, sabbatho, crescebat. Sic ille.

Vides, quomodo æternæ mansionis tabernacula construunt sibi parántque, in futurum, qui propter Deum, ex suis laboribus eleemosynas conferunt. Peculiaris hæc est eleemosynæ virtus, & energia.

*Date* ergo *eleemosynam*, ait Christus, *Luc.* 11. *c.* *Pauperibus*, non canibus alendis, vt diues Epulo, *Luc.* 16. *Psal.* 111. *Dispersit, dedit pauperibus*, &c. *Luc.* 11 *d*

Prudentiæ sanctæ Spiritum, ac intellectum nobis, infundere dignare Domine, Saluator, Iudéxque venture, & ad reddendã rationem, in conspectu tuo, accingamur, opportunéque nos præparemus: quatenus ad æterna tabernacula inhabitanda, abs te, ac per te, recipiamur. Qui viuis, & regnas, in Trinitate perfecta, Deus, per æterna sæcula.

*AMEN.*

# DOMINICA NONA A PENTECOSTE.

De fletu Domini super Ierusalem, déque eiusdem excidio, à Christo prænunciato.

## LVC. XIX. CAP.

*Videns IESVS ciuitatem fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses, & tu, &c. Vbi suprà,*

*Valerius.*



ALERIVS Max. lib. 5. cap. 1. M. Marcelli claruisse clementiam, narrat: in eo, quòd, captis à se Syracusis, in arce earum constitit, vt vrbis modò opulentissimæ, tunc afflictæ, fortunam ex alto cerneret. Cæterum casum eius lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit. Quem si quis ignarus vir aspexisset, alterius victoriam esse credidisset. Sic ille.

At verò Clementissimus Dominus noster, ciuitatem populosissimam, totóque orbe celeberrimam, Ierosolymam, magnis defleuit lacrymis, præuidens, vaticinánsque, futuram ipsius euersionem, qua de, præsenti lectione, amplissimè narratur, atque refertur. Nec hoc duntaxat loco, sed semel, & iterum, alibi, eadem de re mentionem ingesserat, idem Dominus noster? Nempe, *Matth. 23. cap. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, &c. Quoties volui congregare filios tuos, &c. Et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Hoc in Enneadibus nostris, fusiùs pertractatum, comperies. Rursus, cum ad mortem duceretur: *Luc. 23. cap. Mulieres lamentabantur eum.*

*Enneades.*

*Dixit verò illis* IESVS, *filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete; & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles. Tunc incipient dicere montibus. Cadite super nos, Et collibus: Operite nos.* Quod in nostris Decadibus, latiùs expoſuimus. Quod si Dauid, 2. *Reg.* 18. Absalonis mortem luxit, planxitque, dicens: *Quis mihi det, vt moriar pro te?* Quantò nunc iustiùs dicere posset Dominus, Ierusalem, quis mihi det, vt pro te mortem oppetam? Magis enim diligebat Christus Ierusalem, quàm Dauid, filium suum Absalonem. Pro ea quippe gente, mortem perpessus est Christus, omnium acerbissimam. At verò Dauid rex, pro filio suo Absalone, mortuus non legitur. Adde, quòd pro ea Iudaica gente sua, Christus in cruce, cum lacrymis orauit: *Luc.* 23. *Pater,* inquiens, *dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* *Sac. Decad.*

Obserua, quòd ea, quæ præsenti Euangelio describuntur, facta sunt, contigerúntque, Dominica in Ramis Palmarum. Videns tunc ciuitatem, in qua, post dierum quinque, elapsum curriculum, passurus esset, crucíque suffigendus. Videns, inquam, ciuitatem, famatissimam, ciuibus potentissimam, diuitiis locupletissimam, deliciis abundantissimam, splẽdidè, superbísque ædificiis illustrissimam, & ornatissimam, suæ diuinitatis intuitu: quæ, super eam mala erant ventura, præuidens: Fleuit super illam. Fleuit autem, inter summos honores, à turbis sibi, cum ingenti lætitia applaudentibus, congratulantibúsque, exhibitos: vt nos doceret, mundi huius lætitiam innumeris doloribus immixtã esse, & vt Poëta cecinit liricus, li. 2. carminum, Ode. 16.

*------ Nihil est ab omni,*
*Parte beatum.* *Horatius.*

Vnde etiam Sapiens, *Prouerb.* 14. *Risus*, inquit, *dolore miscebitur, & extrema gaudij, luctus occupat.* Et vtique inter vanos mundi applausus, maior est Sapienti fletus causa, & occasio, quàm risus. Quid enim aliud est mundanus honor, nisi spuma, fumus, somniũ? Spuma est, quia, sicut bulla (quę ad modicũ durat turget) inflat hominẽ. Fumus, quia excęcat. Sõniũ, quia mox eua nescit. Hoc autẽ Euãgelium cõueniẽter, mẽse Augusto, vt plurimũ, in Ecclesia recitatur, quòd eodem tempore, Ierosolymorũ ciuitas, in suorum vltionem scelerum, iudice Deo, bis excidio mulctata est, luítque meritissimas pœnas. Sic enim proprius Iudæorum Historiographus, Iosephus, libro 7. de bello *Iosephus.*

*Iud c. 9. & 10. c. Ruffino interprete.* Iudaico, capite nono sub finem ca. Ruffino interprete, Aderat, inquit, fatalis dies, qui erat decimus mensis Augusti, quo etiam prius à rege Babyloniorum, fuerat templum concrematum, & cap. 10. ibi: sub extremum quoque capitis, Templum quidem, ait, inuito Tito exuritur, mense, & die, quo primum à Babylonijs, templum erat incensum, Et à prima structione templi, quam Salomon rex inchoauerat, vsque ad hoc excidium, quod euenit secundo anno, Principis Vespasiani, mille centum triginta, colliguntur anni, & septem mēses, ac dies quindecim. A posteriore verò, quam Secundo anno Cyri regis, Aggæus fecerat, vsque ad excidium, quod Vespasiani secundo anno sustinuit ciuitas, anni sexcenti triginta nouem, & dies quadraginta quinque. Sic ibi. Hoc fuit, Volente DEO, loci sacri olim, fatum ineluctabile, propter nimirum Christi IESV, cædem, & interfectionem; qua de re sic quoque *Dan. 9. c.* DANIEL, 9 *ca.* vaticinatus fuerat, scribens: *Occidetur Christus, Et ciuitatem, & sanctuarium, dissipabit populus, cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio*. Antè quem, longè antè Vates regius cecinerat, *Psal. 68. Fiat*, inquiens, *habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum, non sit qui inhabitet.* *Psal. 68.* *Quoniam, quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerū meorum addiderunt &c.*

Animaduerte autem, quoniam funestissima fuit hæc Iudaica clades, atque calamitas, & dispersio irrecuperabilis, irreuocabilisque. Post septuaginta quippe annos, è Babylonica captiuitate, durissimáque seruitute, longo postliminio reuersi, terram suam rursus possederunt. Hoc vero tempore, sub Romanorum iugo, sic oppressi sunt, irrecuperabiliter vt terram, solúmque natale, amiserint: grauioréque pœna, ac diuturniore, quàm vllo vnquam tempore, progenitores eorum, mulctati fuerint. Nemini itaque dubium esse potest, eos grauiore aliquo crimine, contaminatos esse, quàm fuerint vniuersa maiorum suorum scelera, Quandoquidē illos Deus, sæpè liberauerit, Hos autem, in ea, in qua sunt, per annos iam mille quingentos, & quod excurrit, captiuitate, dispersione, & grauissimo seruitutis iugo, hactenus dereliquerit. Quod procul dubio, crimen aliud nullum est quàm incomparabile scelus interemptionis Christi. Promiserat olim DEUS, quòd reduceret captiuitatem eorum, de cunctis locis, modò legem eius seruarent, nunc autem, & legem seruant ad superstitionem vsque, nec tamen liberantur: Obstat enim eis sanguis

Christi, per eorum Patres effusus, quem, & ipsi filijs suis superinduxerunt clamantes: *Matth. 27. Sanguis eius super nos, & super filios nostros*, quem eluere propterea non possunt, quòd paternum crimen hactenus approbarint. Illi occiderunt, isti blasphemant, & oderunt, ambo facinus impleuerunt: illi manu, hi corde. Iustissimè proinde, in hunc vsque diem, dant pœnas. Constat equidem primam vrbem, non esse reædificatam. Etenim, quæ nunc extat, Ierusalem ciuitas, alio in loco sita est; quàm illa primitiua. *Matt. 27. e.*

Locus enim vbi crucifixus est Dominus, & hortus, in quo sepultus est, modò sunt in medio ciuitatis, quæ tunc temporis, erant extra portam: Diuo assertore Apostolo: *Heb. 13. cap. Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Sic Paulus. quo modo nunc patibula cernimus, crucésque reorum, extra muros ciuitatum, & vrbium. *Heb. 13. e.*

Vides igitur, Iudaici totius populi reprobationem, ac euersionem, propter interfectum Dei filium: quam futuram præuidens, ipse, fleuit largiter. Quo loco, obseruabis sedulò, multoties Christum fleuisse, risisse verò, nunquàm legimus. Fleuit ille in natiuitate sua: *Sapient. 7. capite. Primam vocem similem omnibus emisi plorans:* vnde etiam Sancta mater, canit de eo Ecclesia: *Sap 7. c. Ecclesia, in hymno de natali Domini.*

*Vagit infans, inter arcta conditus præsepia.*

Infans etenim, cùm primùm lucis, istius vsura fruitur, vagire, lacrymari atque plorare, exorditur: quod, ex Plinio etiam, alibi comprobauimus. Lacrymæ autem testes sunt miseriæ. Nondum loquitur, & iam prophetat, ac præsagit, hoc videlicet, quod ad ærumnas, fletúmque nascatur, fleuit. Secundò, Christus, in surdi, & muti curatione, *Mar. 7. ingemuit, dicens: Adaperire*, Tertiò, *capite 8. ibidem: cùm quærerent Iudæi signum de cœlo, ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista, signum quærit?* contra obstinationem ergo eorum, ingemuit, deflens populi illius incredulitatem. Quartò, in Lazari amici sui suscitatione, *lachrymatus est Iesus*, ait sacer Theologus, *Ioannes, cap. 11.* Quintò, super Ierusalem ciuitatem, fleuit: vt hic memoratur, Sextò, ac postremò, fleuit Christus in cruce *Heb. 5. c. Cum clamore valido, & lachrymis, preces offerens*, (morte scilicet instante) *exauditus est, pro sua reuerentia.* Piè quoque creditur, (vt septimo loco, hoc etiam adijciam) in horto Gethsemani, siue, Oliueti, cùm esset in agonia, Patrem suum orans, tertiò, copiosissimas effudisse lacrymas. Ait siquidem Euan- *Mar. 7. a. c. 8. Ioan. 11. f. Heb. 5. d.*

Luc.22.c. gelista: *factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram. Luc.22.* Lacrymas sanguineas, (vt ita dixerim) fudit tunc Christus, agonizans. Potest igitur meritò, ac iure, ἀγέλαστος, id est, irrisibilis, agnominari. Quod cognomentum, M. Crassum sortitum fuisse, refert Cicero, lib.5. de finibus bonorum, & malorum, sub finem, sic scribens: Hunc semel ait, in vita risisse, Lucilius, nec contigit, vt ea re minus ἀγέλαστος, vt ait idem vocaretur. Sic ibi. Rursus, lib.3. Tuscu. quæst. circa media: idem repetit, affirmans Crassum, semel in omni vita risisse, Non ergo mirum, si, veluti beatos prædicat flentes. *Matth.5. Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, Sic quoque per antithesim Christus, ridentibus imprecetur *: Luc.6.capite. Væ Vobis*, ait, *qui ridetis, quia plorabitis*. Multis porrò de causis, fleuit Christus, aliquando propter omnium communem miseriam aliàs propter amici decessum, & mortem: contra Iudaicam perfidiam, & obstinationem; pro impetranda inimicis suis, à Patre cœlesti, venia, atque indulgentia: & denique, ob Ierosolymorum euersionem, hoc loci. Fleuit verò, non diruenda quidem mœnia, non solo æquanda ædificia quamplurima Hierusalem, sed deplorat cæcitatem ciuium eius, & salutis animorum, iacturam inæstimabilem. Quamquam igitur, murorum, ac turrium Ierusalem, prædixerit subuersionem, deflet tamen principaliter, grauissima gentis huius Iudaicæ, scelera, ac peccata, quæ tantæ vastationis causa fuerunt, Subiunxit quippe rationem Christus: Eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Beneficium istud omnium maximũ, non agnouit Iudaicus iste Populus, nimirum, quòd venerit Christus, in eum potissimum finem, vt illum in libertatem filiorum Dei, à peccati miserrima seruitute, assereret, eique vitam beatam impertiretur. Quinpotius, morte turpissima condemnauerunt eum, quamuis insontem cognitum. *Sciebat enim Pilatus, quia per inuidiam, tradidissent eum. Morte turpissima, condemnemus eum, inquiunt Iudæi. Sapient.2.cap.*

Cicero, l.5. de finibus bon & mal. in fine.

Idem l.3. Tusc. q. ante media.

Matt.5.c.

Luc.6.c.

Sap.2.c.

Hoc loco animaduerte, quòd in Christi nece, omnes peccati deformitates intercesserunt. Primùm quidem, ingratitudò, quia benefactorem suum interfecerunt. Pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo: *Act.10.* Deinde, populi ingratissimi malignitas, quãdoquidem, *Sap.2 excæcauit eos, malitia eorum.* Tertiò, contemptus Diuini mandati, *Deut.18. Qui verba istius Prophetæ, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam, ait Dominus.* Vide obsecro, quãto dedecore, ac probro affecerint Christum; Barrabam, enim

Act.10.c.

Sap.2.c.

Deut.18.c.

hominem flagitiosissimum, latronem insignem, & grassatorem, seditiosumque, carceribus iamdudum mancipatum, Christo innocentissimo, prętulerunt, plurisque fecerut. quod illis Apostolorum vertex, *Act.* 3. exprobrat, próque concione, sic fatur lachrymans, (vt ego quidem facilè conijcio) *Vos negastis ante faciem Pilati, IESVM Dei filium, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum, & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis, Authorem verò vitæ, interfecistis, quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus.* Sic ibi: hoc, omne parricidium superat, immane est sacrilegium, templum Dei dissoluisse, *Ioan. 2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat, de templo corporis sui*, interpretatur, ὁ θεόλογος. Postremò hæredem legitimum, extra vineam suam eiectum, interfecerunt crudelissimè. *Matthæi 21. capite. Hic est hæres, Venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas.* Et quid amplius dicam? *Dominum gloriæ crucifixerunt*, ait Diuus Apostolus. Hoc est omnium peccatorum grauissimum, cum huius populi duræ ceruicis, obstinata peruicacia, & perfidia, In cuius demeriti vltionem æquissimam, tota armatur creaturarum machina: Romanorum præsertim exercitus, Ducibus Vespasiano, ac Tito, Patre, ac filio. Sicut enim Deus, iustus Iudex, in captiuitate, seu transmigratione Babylonica, vsus est Nabuchodonosore, tanquam virga furoris sui, (vt dicitur in prophetis.) Sic in excidio Ierusalem, Romanorũ vsus est operâ, ac ministerio, adeout Titus agnouerit, quod Deus auxiliaretur Romanis, & pugnaret pro eis, contra Iudæos, & idem apud Ioseph. l. 7. de bello Iud. cap. 1. militibus, pro concione proponebat, dicens, à Iudæis manu, vel animo superari, turpissimũ est, ô cõmilitones, idq; in fine victoriæ, cùm etiam Dei nitamur auxilio. illorũ nãque clades, fauore Dei, vestrisque virtutibus crescunt. Etenim seditio, fames, obsidio, murorúmque, sine machinis casus: quid sit aliud, quàm in illos ira Dei, nostrúmque adiumentum? Igitur non solum deterioribus inferiores videri, sed etiam diuinum præsidium prodere, nobis non conuenit. Sic ille. Niniuitæ, quadraginta dies, ad Pœnitentiam peragendam acceperunt, ex vaticinio Ionæ, Et Christus, Dominus prophetarum, Ierosolymitanis, quadraginta integros exactósque annos concessit: nec tamen pœnitentiæ condignos fructus fecerũt, sicut etiam eorum progenitoribus, & maioribus, quadraginta annos, in deserto, concesserat Dominus, quorum interim cadauera, prostrata sunt, in deserto, 1. Cor. 10. ait D. Paulus.

*Act. 3. ca.*

*Ioan. 2. c.*

*Matt. 21. c.*

*Ioseph. l. 7. c. 1. de bello Iud. ex Ruffi. tral.*

*1. Cor. 10. c.*

*Si cognouisses, & tu*. 7. Aposiopesis est, figura quædam, quæ reticentia nominatur. Si cognouisses, ruinam, scilicet, quæ tibi imminet, & tu fleuisses, quæ modò, tanquam phreneticus quispiam, non longè à morte remotus, rides, & exultas, & quidem in hac die tua, in qua lætaris, & gaudes, quę ad pacem tibi, (temporalem) vel, data est, Subaudi, quam tamen percipere noluisti, vel, vt pœnitentiam ageres, tibi est concessa: in hoc tempore, inquam, vitæ tuæ, me certè agnosceres, si saperes. Sic itaque explenda est (meâ quidem sententiâ) præfata Christi propositio, si cognouisses, & tu supple; fleres, quæ modò, quia nescis, quod imminet, infelix! exultas. Hoc modo etiam Comicus, in Eunucho sua reticentiâ vtitur his in verbis: Ergóne illā? quæ illum? quæ me? quæ non?

*Terentius in Eunucho, Actus. 1. Sene. 1 F. Fabricius & Ant. Muret. Annot. ib. ex Prisciano: l. 17.*

Aposiopesis celeberrima est. Franciscus Fabricius, & Antonius Muretus, Annotationibus suis in Eunuchum, ad hæc verba, ita habent: Priscianus, lib. 17. hanc orationem sic perficit, Egône illam? digner aduentu meo? quæ illum? prępostuit mihi? quæ me? spreuit, quę non? suscepit heri. Sic ibi. Sequitur in contextu.

Et quidem in hac die tua &c. Diem suam, in qua pacem ciuitas peccatrix habebat, tempus appellat, mundanæ prosperitatis: quæ dies ideò ipsius esse dicitur, quia, temporis beneficio, non ad Dei voluntatem, sed ad suas voluptates, luxúmque, abutebatur. In hac die tua, inquit, habes, quæ sunt tibi ad pacem, Non quidem, ad veram pacem, sed ad pacem tibi, vt liberiùs delicijs, voluptatibúsque tuis, vacare possis. Est enim pax mundana, quam diligunt impij, vt sine obstaculo, atque timore peccent. Ex qua pace, criminum, & omnium vitiorum sordes, ipsi contrahūt, quomodo rubigimē ferrum, vacans, & quod in exercitio, non occupatur. Huius pacis, & prosperitatis tempore, abscondita sunt ab oculis eorum, quæ illis ventura sunt, mala. Pręsens namque prosperitas, facit, ne futura consideretur, & prędcaueatur aduersitas.

*Pro. 27. Eccl. 9.*

Propterea Scriptura dicit, *Prouerb.* 27. *Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superuentura pariat dies.* Et *Eccles. cap.* 9. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines, in tempore malo, cùm eis extēplo (subitóue) superuenerit.* Sic Sapiens. Porrò, si consideraret anima, & præsentem suum statum in culpa, & quem horrere habet, futurum, in pœna: Vtique cum Christo, defleret semetipsam

ſam. Sed fallax in peccatis delectatio, propinquæ mortis cogitationem tollit, tollit item timorem futuri iudicij, formidinem denique tollit gehennæ. Hanc Propheta Sanctus ex vtero, plangit, dicens: *Sordes eius in pedibus eius, Thren 1. nec recordata est finis sui.* Vates similiter Euangelicus. *Isa 46. cap. Redite præuaricatores ad cor.* Sic ille. Sollicitè nos præmeditari oportet, quàm nobis erit terribilis hora nostræ resolutionis, qui pauor mentis, quanta tunc omnium malorum memoria, quæ obliuio transactæ felicitatis, quæ formido futura est, in repræsentatione, coram incorrupto iudice simul, ac teste: qui dicet vnicuique: *Redde rationem villicationis tuæ.* Thren. 1 c. Isa. 46. ca.

*Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique.* Impiæ, & sacrilegæ ciuitatis olim sanctæ nuncupatæ, excidium ineuitabile prænuntiat, dicens; Venient in te, hoc est, aduersum te, dies, & quæ nunc in hac die tua, sunt ad pacem tibi, vertentur in tuam perniciem, & euersionem. Prosperitatis tempus, numero singulari exprimitur, sed plurali, tempus aduersitatis. Siquidem modica fuit prosperitas, si calamitatibus eorum conferatur, comparetúrque. Quarum de calamitatum magnitudine, Iosephus, sic scriptum posteris reliquit. Prologo librorum. de bello Iudaico, interprete Ruffino Aquileiensi: Omnium, inquit, post condita secula, res aduersas, si cum Iudæorum calamitatibus conferantur, superatum iri, non ambigo. Ex omnibus autem, quæ Romano imperio parent, solam nostram ciuitatem contigit, ad summum felicitatis gradum, procedere, eandémque, ad vltimos gradus deponi. Hæc ille. historiographus præclarissimus, Hebræus genere, Sacerdósque ex Hierosolymis, testis oculatus, omníque exceptione maior. Ille iterùm lib. 6. cap. 2. de Tito, sic refert. Cùm exploraturus conditionem vrbis, Titus, Hierosolymam proficisceretur, Tot aduersus Titum missilibus iactis, cùm neque galea, neque thorace septus esset, (non bellator enim, sed explorator processerat) nullum in eius corpus delatum est. sed tanquàm, ne eum ferirent, ex industria mitterentur, omnia preteruolabant. Gladio vero, semper à lateribus instantes, dirimens, multósque ante ora subuertens, super cadentes, agebat equum. Sic ibi. Hoc modo, diuinitus seruatus est, è medijs hostibus Titus. Hæc ibi. Puto, Si Romani, aduersus Deicidas istos (vt sic eos appellem) venire tardassent, aut terræ hiatu, deuorandam esse ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulgura, aut Sodomitana incendia, fore passuram. Multò enim magis, impiam proge-

Iosephus, pro logo lib. de bello iudaico, Ruffi. interp.

Idem l. 6. c. 2. ibid.

niem tulit, quàm illa pertulerat Sodomorum colluuies. Bene admodum exclamat Sanctus vates, *Isaias, capite primo. Quomodo facta est meretrix, ciuitas fidelis, plena Iudicij? Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ*. Sic ille. Christum naturalem Dei filium, pro humana gente incarnatum, cruci suffixerunt. Meritò proinde internecioni dati sunt, & tanquàm vas figuli, virga ferrea, à Domino, confracti sunt, atque contriti. Captiuorum numerum retulit Iosephus, lib. 7 de bello Iudaico, cap. 17. hoc modo: Captiuorum quidem omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium, comprehensus est numerus. Mortuorum verò per omne tempus obsidionis, decies centena millia. Horum pleriq; gentiles fuere, sed non indigenæ. A totis enim regionibus, ad Azimorum diem festum congregati, bello subito circumfusi sunt: vbi primò quidem illis pestifera lues ex loci angustia nasceretur, deinde citiùs fames. Hæc ille. In summa, vt in contextu dicitur: Non relinquent in te lapidem super lapidem &c. Solo æquaberis, ciuitas pulcherrima, & fortissima, propter tuam in Deum impietatem. Non leuiter pertranseundum est, quòd hic grauiter Dominus dixit: Si cognouisses, & tu: Aduerte autem, ait Noster Didacus Stella, ad hunc locum, quòd Christus, cùm hæc verba intercisa, & abrupta, ac absque perfecto integræ orationis sensu, protulerit; nobis significauit ingentem animi dolorem, ob quē Christi vox faucibus hæsit, & lingua perfectè pronunciare, & exprimere sensum suum non potuit. Etenim fletus, à tristitia oritur: ac sicut gaudium dilatat cor, ita tristitia constringit: corde verò constricto, vix potest, quod intus reconditum est, prorūpere foras. Igitur, quia cor Domini constrictum erat, magnitudine doloris, pro peccatis populi Israël: non potuit tunc integrum explicare sermonem, sed tantùm pauca hęc proloqui potuit: Si cognouisses, inquiens, & tu &c. Simile de Patre defunctum filium suum lugente, vnicè charum: si rogetur, tāti fletus causam reddere, non poterit eius mortem exprimere, sed ex abrupto, sic responsurum putato: Filius, inquiet, solus, habilis, & ingenio pollens, adolescens. Quibus verbis, quod vehemēter dolet, filij vnigeniti videlicet, obitum, non explicat, quia dolor ingens, quo veluti obruitur, id rogantibus, narrare nō sinit. Supplenda sunt ergo, quæ desiderantur. Si cognouisses igitur, nempe ruinam, quæ imminet, vel, me redemptorem tuum. Et tu, similiter fleuisses, quę modo exultas. Et quidem in hac die tua, scilicet, qua lætaris, & gaudes, & tibi, non Deo

*Isa. 1.*

*Psal.*

*Ioseph. l. 7. de bello Iud. c. 17 ex Ruffi.*

*Did. St. to. poster. in Luc. 19*

viuis, quare tua dicitur dies, & non Dei. Quæ ad pacem tibi (faciunt) temporariam, trãsitoriámque, pœnitentiam supple, faceres in hoc tempore vitæ tuæ, méque Saluatorem agnosceres. Nunc autem tempore lætitiæ tuæ, abscondita sunt ab oculis tuis, mala tibi imminentia: Certè, non rideres, vt modò rides, sed potiùs lugeres. Si cognouisses. Ergo ignorantia, totius mali causa est, & origo. *Deut. 32. c. Popule stulte, & insipiens, Haeccine reddis Domino Deo tuo? Vtinam:* subdidit, *saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Isa. 5. c. Propterea ductus est captiuus populus meus, quia non habuit scientiam.* Deut. 32. Isa. 5.

Obserua similiter, diem vnum esse, præsentis vitæ, nobis concessum à Deo, vt ad pacem æternam, supernámque, tandem peruenire, cùm ipsius adiutorio, valeamus: Alterum item diem nos expectare, in quo Christus, in tribunali sedebit, vnum quidem pacis, ac gratiæ, Alterum verò, iustitiæ, ac seueritatis. Vnum, hominis, alterum Dei. In die quidem hominis, poterit homo, quodcumque libuerit, operari, tacente Domino. Sed cùm altera illa dies venerit, seuerè de actis, exigetur ratio; nec ampliùs tacebit Dominus, sed iusta ipsius indignatio erumpet; Furórque fiet, læsa sæpius patientia, vt ait quidam Publius in Mimis (si satis teneo) Publius, in Mimis. Præsens dies meriti est, futura autem, præmij: Ergo age, ô homo, & in hac tua die, dum vita, tempúsque sinunt, ad rectè operandum, accingere, dum non occidit hic dies, tibi necessaria compara, & prouide futuris, ne tibi illud contingat, *Iob. 24. capite. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo, in superbiam*. Iob. 24. Dederat Dominus, antequam immitteret diluuium, Spatium pœnitentię, centum viginti annos, *Genes. sexto. Erunt dies hominis centum viginti annorum.* Vbi, Lyrano nostro interprete, determinat Dominus tempus, in quo poterant pœnitere homines, à prolatione sententiæ, ad executionem vsque. Diuus etiam Hieronymus, tomo. 3. operum, in Quæstionibus Hebraicis, in Genesim, sic ad verbum scripsit: Gen. 6. Lyr. ib. D. Hier. to. 3. in q. Heb. in Gen. ib. Porrò, ne videretur, in eo esse crudelis, quòd peccantibus locum pœnitentiæ non dedisset, adiecit: Erunt dies eorum centum viginti anni. Hoc est, habebunt centum viginti annos, ad agendam pœnitentiam Non igitur humana vita, vt multi errant, in centum viginti annos cõtracta est: sed generationi illi centum viginti anni, ad pœnitentiã dati sũt. Siquidem inuenimus, quod post diluuium, Abraham vixerit annos centum septuaginta quinque, & cæteri ampliùs ducẽ-

tis, & trecentis annis. quia verò pœnitentiam agere contempserunt: noluit Deus tempus expectare decretum, sed viginti annorum spatijs amputatis, induxit diluuium, anno centesimo, agendæ pœnitentiæ destinato. Hactenus Diuus Hieronymus. Dedit & Ierosolymitano populo, quadraginta, ante ciuitatis excidium, à Christi passione, ibidem perpetrata, annorum tempus, ad pœnitentiam, quibus expletis, & frustrà expectatis, Ecce repentinus superuenit interitus. Dei misericordia, tot annis prestolata est populum istum. At iudicij seueritas, tandem, obstinatos, & contumaces, contriuit, & ad nihilum propè redegit. Hęc magna ex parte, ex nostro Stella, suprà citato, mutuati, in medium produximus.

*Poëta.* Discamus hinc alieno sapere periculo.

*Felix, quem faciunt, aliena pericula cautum.*

ait quidam, Ne dicamus, maximè misericors est Dominus, ideòque nunc fidenter peccare poterimus, Meminerimus potius, hanc Dei misericordiam, comitem esse iustitiæ: Itaque nisi pœnitentię fructibus, Dei iram præoccupauerimus, nos fore grauiter, & in sempiternum puniendos, ob nostra flagitia

*Isa. 6. c.* Animaduerte, Vatem Euangelicum, capite sexto dixisse, *Vsquequo Domine? Donec, respondit, desolentur ciuitates, absque habitatore; & domus sine homine: & terra relinquetur deserta, & longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ.* Quæ sanè, verba, explicant ad verbum penè, eam cladem, quam Dominus, in hoc Euangelio, pijssimis lachrymis lamentatur, itaque ait, vsquequo Domine? hoc ęst (vt Ludouicus Granatensis, concione prima Dominicę nouæ post Pentecost. interpretatur) Vsquequo gens hæc miserrima, propter scelera sua, ope tua nudata iacebit? Vsque eò, inquit Dominus, dum Iudęę ciuitatibus, extremum exitium, & vastitas inferatur: neque cinis vllus reliquus, à tanta calamitate fiet: & domus ab omni cultore deserantur, omnísque regio in summam solitudinem redigatur. Homines autem Deus, in longinquas terras expellet, multisque seculis Iudæa erit in medio orbe terrarum, diuino presidio destituta. Hactenus Isaiæ Visio. Quod autem Propheta ait, ciuitatem in solitudinem redigendam, & ciues omnes, ab ea exterminandos, hoc Dominus innuit quoque, cùm ciuitatem funditùs prosternendam, ait, adeò, vt neque lapis super lapidem, in ea

*Lud. Granat. conc. 1. Dom. 9. à Pentecost.*

relinquatur. Similem etiam vtrobique tantæ calamitatis causam cernimus. Quod enim Saluator ait, hæc omnia accidisse, eò quòd ciuitas non cognouerit tempus visitationis suæ, hoc Propheta designauit, cùm execrabilem Iudæorum cæcitatem, & stuporem huius tanti mali causam esse dixit: qui cùm quotidie Dominum docentem audirent, sic animo affecti erant, vt audientes non audirent: & cùm clarissima signa, in oculis, & aspectu eorum ederet, videntes non viderent, quando illi dicebant Matthæi duodecimo. *Magister volumus à te signum videre*. Adeò enim cæcitatis morbo perculsi erant, vt inter tot, támque magnifica signa, signum quærerent. Sic præfatus Dominicanus eximius, sanè, Theologus. *Matt. 12.c.*

Conformiter, nostróque instituto consentaneè, Sanctus ex vtero Vates, *Ierem. 8. cap. Miluus*, inquit, *in cælo cognouit tempus suum, Turtur, & hyrundo, & Ciconia, custodierunt tempus aduentus sui: Populus autem meus, non cognouit iudicium Domini*, Et Euangelicus Propheta, *Isaias, capite primo. Bos, ait, cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit:* Sed expendamus iam singula verba. *Non cognouisti*, inquit, *tempus visitationis tuæ*, nempe, personalis visitationis Messyæ tempus, agnoscere noluisti, de qua *Lucæ primo. Visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*. item, *visitauit nos oriens ex alto. & c. 7. Propheta magnus, surrexit in nobis, & Deus visitauit plebem suam.* *Iere.8.c.* *Isa.1.c.* *Luc.1.c.* *c.7.*

Nota sedulò, multifariam Deum nos visitare: Visitat nos primò, inspirationibus. *Psal. 79. Respice de cælo, & vide, & visita vineam istam*. Secundò, Consolando nos, in tribulationibus. *Psal. 16. cap. Probasti cor meum, & visitasti nocte*. Tertiò, affligendo nos corporaliter. *Psal. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum*. Quartò, ac omnium postrema visitatio, in iudicio, futura est. *Iudith. 16. cap. In die iudicij, visitabit illos. Dabit enim ignem, & vermes, in carnes eorum, vt vrantur; & sentiant vsque in sempiternum. Exod. 32. cap. Ego in die vltionis, visitabo & hoc peccatum eorum*, scilicet Idololatrarum, *qui non egerint pœnitentiam. prima Petri quinto capite. Humiliamini sub potenti manu* Dei, *vt vos exaltet in tempore visitationis*, nimirum vltimæ, quæ in supremo iudicio, futura est. *Psal.79.* *16.* *88.* *Iud.16.c.* *Exod.32.c.* *1.Pet.5.c.*

Visitat nos Deus, vt medicus infirmum, vt benefactor pauperem, vt magister discipulum, vt sponsus sponsam, vt Prælatus subditum, vt pastor gregem, vt viticola vineam

suam, vt Paterfamiliâs operarium suum, attulit autem secum, in hac sua visitatione, tanquàm medicus, medicinas Sacramentorum, vt benefactor, dona virtutum, vt magister, doctrinam cœlestem, vt sponsus, vinculum Diuini amoris, vt pastor, exempla suæ perfectionis, vt prælatus, suæ gratiæ influxum, vt vinitor, gaudia spiritualia, vt Paterfamiliâs, spem præmiorum æternorum. *Non est*
Matth. 9. *opus valentibus medico*, En medicum, *Matthæi nono capite. Simul*
Psal. 48. *in vnum, diues, & pauper, Psal.* 48. En benefactorem,
Ioel. 2. c. *Dedit vobis doctorem iustitiæ, Ioel secundo capite.* En Magi-
Cant. 2. c. strum. *Dilectus meus mihi, & ego illi: Cant.* 2. En sponsum: *Visi-*
Ezech. 34. c. *tabo oues meas, sicut pastor visitat gregem suum.* En pastorem:
Psal. 79. *Ezech.* 34. *capite. Respice de cœlo, & visita vineam istam Psal.* 79.
1. Reg. 17. c. En vinitorem: *Visitabis fratres tuos, si rectè agant*, En Patremfamiliâs. (Ad Dauidem 1 Regum decimo septimo capite
Psal. 67. dicta fuerunt ista.) *Dominus nomen illi. Psal.* 67. Vide prælatum. *Conuersi item, estis, ad pastorem, & Episcopum animarum ve-*
1 Pet. 2. c. & *strarum.* 1 *Pet.* 2. *rursus, c.* 5. Princeps pastorum ibi appellatur.
c. 5. Visitauit nos, homo factus, & incarnatus Deus, tanquàm creaturam suam, tanquàm redemptor captiuum, at tantum est nostri ingrati animi crimen, vt si lux in mundum venit, magis tamen tenebras iniquitatis, quàm iustitiæ lucem diligamus. Deus in mundo est, & illum creauit: Mundus tamen, eum non cognouit. *In propria venit, & sui eum non receperunt.*
Ioan. 1. c. *Ioan.* 1. *c.*

Scripta sunt hæc, fratres charissimi, vt præmonuit E-
1. Cor. 10. c. uangelica tuba, diuus Paulus, Prioris ad *Cor.* 10. *c.* ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerũt. Quòd verò Dominus ait, non esse lapidem in illa ciuitate relinquendum, qui non destruatur, hæc etiam calamitas, in vltione diuini iudicij, non deerit, quando nullus in corpore sensus (morte imminente) nullum membrum relinquetur, quod non peculiari tormento crucietur post resurrectionem (in pœnis, gehennalibúsque flammis) sicut enim improbi, exhibuerunt membra seu, arma iniquitatis peccato, ita diuinæ iustitiæ ordo exigit, vt debitas eorum peccatorum, quæ per ea membra ediderunt, pœnas pendant. Est namque pœna (ex Theologis Scholasticis) reordinatiua culpæ. vt per quæ quis
Schol. peccat, per hæc, & torqueatur. Sap. 11. cap. Sic igitur impudici
Sap. 11. c. a. oculi, sic aures, quæ detractionibus libenter patuerunt, sic fallax lingua, quæ dolum, & mendacium locuta est, quæ

nec viduæ, nec nuptæ, nec virginis famæ pepercit, sic corpus, quod multis vacauit deliciis torquendum est. Hac igitur ratione, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur: Omnia quippe sceleratorum membra, ex quibus corporis humani fabrica, velut ex lapidibus ædificium constat, proprio, & peculiari dolore, commissorum pœnas exoluent. *Timete*, ait Christus, *Matth. 10. cap. eum, qui postquàm occiderit corpus, habet potestatem mittendi animam, in gehennam.* Quam Domini sententiam, Diuus Bernardus, Serm. 16. super Cantica; adeò pauebat, vt hunc locum enarrans, diceret: Paueo Gehennam, paueo Iudicis vultum, ipsis quoque tremendum Angelicis potestatibus. Contremisco ab ira potentis, à facie furoris eius, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate valida, à voce Archangeli, & à verbo aspero. Contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugentibus præparatis ad escam; horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum, & vaporem, & sulphur, & spiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores. *Quis dabit capiti meo aquam, Ierem. nono cap. & oculis meis fontem lachrymarum, vt præueniam fletibus,* fletum, & stridorem dentium, & manuum, pedúmque, dura vincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, vrentium, nec consumentium. Heu me. Mater mea, vt quid me genuisti; filium doloris, filium amaritudinis, indignationis, & plorationis æternæ? Cur exceptus genibus, cur lactatus vberibus, natus in combustionem, & cibus ignis? Hactenus. Vir deuotus, Beatus Bernardus. Hoc igitur metu, hac trepidatione hic vir sanctus angebatur, dum huius pœnæ acerbitatem, & æternitatem cogitabat. Quid ergo nos facere par est, qui tàm longè, à viri huius sanctissimi, innocentia, & integritate, distamus?

*Matth. 10.*

*D. Bern. ser. 16. super Cantica.*

*Ierem. 9.*

Verùm enimuerò, postrema huius Euangelicæ lectionis, periodo, narratur, quomodo Christus templum ingressus, vendentes, ementésque inde eiecerit: quod non semel in Decadibus nostris pertractauimus. Quare ne actum agere, agere, (vt Prouerbio dicitur) ob idque tædio lectorem afficere, ipsiúsque abuti patientia, videremur, de industria breuitati consulere voluimus, hac in concione, quàm omnium postremam composui; Postridie Diui Patris Francisci, eámque cæteris breuiorem absolui, cùm essem

*Sac. Dec. authoris.*

in procinctu, ad Vrbem (Lutetiam, κατ' ἐξοχὴν intellectam volo) iam iam profecturis. Hoc vnum tamen, coronidis loco adiiciam, ex Olao magno, in historia de Gentibus Septentrionalibus, lib. 16. c. 26. aduersus Sacrilegos, & templorum spoliatores, qui loca sacra, Deóque nuncupata, violare, prophanaréque non verentur, qui iustum Dei iudicium, minimè euadent, effugiéntque. Perpendant illi, ait Olaus, ac reuoluant veteres, ac nouas historias, & nullibi inuenient, sacrilegos aliter, quàm infami morte defecisse. Probat hoc sufficienter Trogus Pompeius, & eius abbreuiator Iustinus: ex quibus nonnullos adducere placuit, vt formident Christiani, sacrilegia committere, quando tam infeliciter, ea temeritas successerit etiam illis, qui idola coluerunt. Cambyses (inquit) Iustinus) Persarum rex, ad Ammonis templum expugnandũ, exercitum misit, qui tempestatibus, & arenarum molibus, oppressus, interiit. Xerxes quoque Persa, quatuor millia armatorum, Delphos, ad templũ Apollinis, diripiendum, misit: quæ manus tota imbribus, & fulminibus, deleta est. Philomenes Græcorum Phocensium dux, postquàm Apollinis templum spoliauerat, sequenti prælio, primus inter confertissimos hostes, dimicans, cecidit: & sacrilegij pœnas, impiissimo sanguine luit. Brennus Gallorum dux, quasi terrena spolia sorderent, animum ad Deorum templa conuertit, scurriliter iocatus, Locupletes Deos, largiri hominibus oportere. Sed idẽ postmodum, cùm dolorem vulnerum ferre non posset, pugione sibi; & infamem, & crudelem, mortem consciuit. Antiochus Syriæ rex, sperans, se sub specie tributariæ necessitatis, excusatiùs sacrilegia commissurum, adhibito exercitu, nocte tẽplum Dindymęi Iouis, aggreditur; quare prodita cõcursu incolarũ, cum omni militia interficitur. Totus etiam ille Brennii exercitus (qui Tholosam reuersus est) comprehẽsus pestifera lue, non priùs sanitatem recuperauit, quàm aurum, argentúmque, sacrilegiis quæsitum, in Tholosensem lacum mergeret: quod longo post tempore, Cæpio, Romanus consul, abstulit: quódque Sacrilegium causa excidij Cæpioni, exercituique eius posteà fuit. Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut vltor sacræ pecuniæ, insecutus est. Cap. 27. Idem Olaus, propositum prosequitur, hoc modo: Alexander Syriæ rex, cum militibus stipendia deessent, in templo Iouis, solidum ex auro Victoriæ signum, tolli iubet, facetis iocis sacrilegium circumscribens; Nam victoriam commodatam sibi, à Ioue, esse dicebat; Interiectis deinde diebus, in sacrilegio depre-

*Olaus magnus Hist. de gent. Septentr. l. 16. c. 26.*

*Iustinus hist.*

*cap. 27. vbi suprà.*

hensus est,& à suis desertus, à latronibus capitur, perductúsque ad hostem suum Gryphum,interficitur.Hi pauci ex tota multitudine sacrilegorum adducti, documento esse possunt, non semper verum esse, quod sacrilegus, Dionysius Siculus, iocando,dixit: Ecce,quàm securi,nauigāt sacrilegi.Profectò, non omnes hactenus,secura nauigauerunt aura.

C.28.Præfatus Olaus. Vnum, inquit,hîc ex Iosue, 7.c. referre congruit, de Acham, qui inter sexcenta pugnatorum millia, iussu Domini, per tribus, familias,domos, & nomina quæsitus, repertus, & confessus est, hoc modo: Vidi inter spolia pallium coccineum, valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulámque auream,quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli, & fossa humo abscondi,&c. Quæ omnia extracta,& proiecta, ante Dominum, tulit Iosue,filios,filias, oues,boues,asinos,tabernaculum,&cunctam suppellectilem, ipsius Acham,quem & duxit ad vallem Achor,& ait illi:Quia turbasti nos,exturbet te Deus,in die hac. Lapidauitque eum omnis Israel,& cuncta,quæ illius erant,igne consumpta sunt. Lapidum aceruo,id testante,in hunc diem,locúsque vocatur. Vallis Achor, in sempiternum. Quo facto auersus est furor Domini, ab Israel, vt denuò ad gratiam recepti, de inimicis triumpharent: paucique eorum percusserunt vno die 12.millia oppressę ciuitatis,& regem suspenderunt:Sólque & Luna, vt victores, in cæteros hostes, quinque scilicet reges potentissimos, fierent, stationem sui cursus, annuerunt. Præterea cunctas gentes inimicas,eis resistentes,in omnibus terris circumiacentibus,speciali numero, Reges 31. gladio, furca, incendio, vel lapidibus deleuerunt. Sic ibi. Rursus, prædictus Olaus, lib.8.c.18. de equo Seiano,percommodè retulit,hunc in modum. Equus ille Seianus, talis erat,vt quotquot ob eius eximiam præstantiam, eum equitare volebant, tot in præcipitia,mortémque ruebant. Asseritur enim fuisse, magnitudinis inusitatæ,ceruice ardua,colore phœniceo, flaua iuba,cæterisque equorum laudibus insignis; hunc tamen quisquis possideret,cum omni domo, & familia, ac fortunis, in perniciem deduceretur. Itaque Cn.Seium,primum eius dominum, à M. Antonio capitis damnatum, miserabili supplicio,vitam constat finiuisse. Eodem tempore. Delabellam consulem,in Syriam proficiscentem, fama eius equi permotum,Argos diuertisse, emisseq; Sestertiis centum millibus; sed ipsum mox, in Syria, bello ciuili obsessum, atque interfectum fuisse, Deinde, eundem equum C. Cassium, qui Dolabellam obse-

*Idem c.28.*
*Iosue 7.*
*Olaus lib.8. c.18.*

derat, adduxisse: quem Cassium postea victis Parthis, fusōque exercitu suo, miseram mortem oppetisse, manifestum est. Deinde Antonium, post interitum Cassij, partâ victoriâ, nobilem illum equum quæsiuisse, & mox eo potitum, victum, atque desertum, miserabili exitio interiisse. Abiit itaque in prouerbium. Equus Seianus. Est in pari prouerbio etiam, communis relatio, de auro Tholosano, quod, quicumque illud attigit, à templis exportando, ille misero, ac cruciabili exitu, perierit; prout Strabo, lib. 4. reliquit manifestum. Aurum igitur Tholosanum, teste Iustino, lib. 32. fuere argenti pondo, quinquies decem centum millia: quod sacrilegium, causa excidij Cœpioni exercituique eius fuit. Pondo, interprete Budæo, de Asse, continet libras decem. Sic apud Olaum magnum, vbi suprà ne verbulo quidem immutato. Tempus est, vt stemus pollicitis, huicque colophonem imponamus concioni, Deum Opt. Max. Trinum, & vnum, summis votis deprecantes; vt lachrymarum vberrimum fontem, nobis concedere dignetur, quatenus Christi Iesu, seruatoris nostri, exemplo; grauissima peccata, & crimina nostra, seriò compuncti, incessanter defleamus, dicente Sancto vate: *Thren. 2. Deduc quasi torrentem lachrymas, per diem, & noctem*: & Psalmographo: *Psal. 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Fleuit Ezechias, pius rex, audiuitque Dominus lacrymas eius. Fleuit item rex Dauid, pœnitens, *Psal. 6. Lachrymis meis*, inquit, *stratum meum rigabo.* Pepercitque illi Dominus, Sed eą de re nunc quidem sufficiat. Nam super hunc, imò verò, super septem Pœnitentiales Psalmos, meditamur quædam non pœnitenda, quæ in concionatorum gratiam, Imò verò, studiosorum omnium publicam vtilitatem, aliquandò edentur, prodibúntq; in lucem. (Si Deus voluerit) Tunc de lachrymis, plura dicturi sumus. Fleuit denique pia illa Magdalena peccatrix, & *dimissa sunt ei peccata multa* *Luc. 7. c.* fleuit & Petrus amarè, Illique specialiter pro consolatione, denuntiatur rediuiuus Christus. Defleam ego quoque miser peccator, innumera peccata mea. *Auribus percipe lachrymas meas.* Vt peractis pœnitentiæ dignis fructibus, possim aliquandò, ad te lætus, hilarisque, peruenire. *Euntes ibant*, ait Psaltes regius, *& flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient, cum exultatione portantes manipulos suos.* De completo opere, Tibi, ô Trinitas sanctissima, non quantas debeo, sed quantas maximas possum, ago Immortales gratias. Vnde enim fluunt, & originem trahunt flumina, illuc redeunt, ac reuertuntur;

*Strabo, lib. 4.*
*Iustin. hist. li. 32.*
*Budæus de Asse.*
*Thren. 2.*
*Psal. 118.*
*Psal. 6.*
*Luc. 7.*
*Psal. 125.*

In Deum consimiliter (à quo cuncta bona procedunt) referri omnia debent, tanquàm in finem vltimum. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, Psal.113.* De omnibus Laudetur Altissimus, cuius beneficio singulari, ad vmbilicum vsq; (quod dici solet) oppellam hanc nostram, perduximus, & hoc tenue, & exile opusculum, nostrum (quod Thesseradecades tres, Dominicalium Concionum, inscribere placuit:) post aliquot interruptiones, ob grauissimos podagræ, chiragræque, dolores, (quos non rarò patimur) tandem aliquando, Deo benè propitio, Diuisque fauentibus, exegimus, & absoluimus: Affulget etiam spes, quod in Sanctorum festos dies, eadem methodo, & conscribendi charactere, ac stylo, conciones, intra paucos annos. (Vita comite, Si Deus annuerit) conscribemus: Tu, Candide lector, nostris faue vigiliis, preces ad Deum, pro nostra incolumitate, & sospitate, præcipuè verò pro peccatorum meorum indulgentia, deuotas fusurus: Omnipotenti Deo, sit honor summus, & gloria, per infinita sæculorum sæcula. *Psal.113.*

AMEN.

# DOMINICA DECIMA A PENTECOSTE.

## De Pharisæo & Publicano parabola.

## LVC. XVIII. CAP.

*Duo homines ascendebant in templum, vt orarent. Vnus erat Pharisæus, alter verò Publicanus. Pharisæus stans apud se ita orabat: Gratias tibi ago, &c.*



Apoc. 3. c. A GRAVISSIMA obiurgatione, Angelo, hoc est, prælato, seu Episcopo Laodiceæ facta, quæ *Apoc. 3.* habetur, exordiri libet. *Ditis, diues sum, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & pauper, & cæcus, & nudus?* Hæc verò appositissimè huic Pharisæo quadrare cognoscuntur: si verba Euangelica pensiculatiùs perpendamus.

Ille per iactantiam dicebat: Non sum sicut cæteri hominum raptores, adulteri, &c. Q. d. Abundo Satis, nullius operâ seu meritis indigeo. At nudus es, virtutibus, præsertim autem humilitate, carens, ac cæcus, nuditatem tuam non intelligens. Totum te habere dixisti, nec ita orasti. Da mihi, Domine, gratiam. *Sed gratias ago tibi.* Similis est Pharisæus

Esth. 6. c. iste, Aman superbo, de quo *Esther cap. 6. Interrogauit Assuerus accersitum Aman dicens: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans, quòd nullum alium rex, nisi se, vellet honorare, respondit: Homo, quem rex hanorare cupit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella regis est, & accipere regium dia-*

*dema super caput suum. Et primus de regiis principibus ac tyrannis, teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens, clamet & dicat, Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare. Dixitq; ei rex. Festina, & sumpta stola, & equo, fac vt loquutus es Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palacij* (ob merita eius nimirum, ab beneficia in ipsum regem collata, hoc eodem cap.) Caue ne quicquam de his, quæ locutus es, prætermittas. Sicut ergo Aman solum se existimabat honore dignum. Verumtamen alius honoratus est, illique præpositus: Ita Pharisæus iste, solum se iustum reputabat, ac dignum, qui honore afficeretur, at Publicanus à Christo Domino, illi anteponitur ac præfertur. Descendit hic iustificatus in domum suam, ab illo, seu, plusquàm ille, ait Sacer contextus. Hic accommodandum est. D. Augustini præclarum eximiúmque verbum, lib. 14. de ciuitate Dei cap. vltimo, tom. 5. Duo amores, inquit, duas fecerunt ciuitates. Amor Dei, vsque ad contemptum sui, erexit ciuitatem Dei, Amor autem sui, vsque ad contemptum Dei, erexit ciuitatem diaboli. Perbellè istud elucet in Pharisæo, ac Publicano. Pharisæus siquidem tanta φιλαυτία, seu suiipsius amore, ac complacentia tenebatur, vt & Deum & proximum præ se contemneret, vt ipsius verba apertè testantur. Velut hic publicanus, aiebat. Publicanus cōtra, seipsum humillimè deiecit, percutiens tundénsque pectus suum, nec oculos in cœlum erigere ausus, ita orans: Deus propitius esto mihi peccatori. Vnus ad ciuitatem pertinet Diaboli, *qui rex est super omnes filios superbiæ, Iob. 41. cap.* Alter autem ad ciuitatem pertinet Dei, qui cum sit excelsus, humilia respicit, & alta à longe cognoscit, vt regius Vates loquitur. Vnus est filius regni per humilitatem, alter verò gehennæ filium se constituit, ob diabolicam superbiam ac supercilium Pharisaicum. *D. Augustin.*

Vtrumque autem ab Euangelista productum quasi super Theatrum conspicimus, vt superbiam, pestem infernalem fugientes virtutum reginam humilitatem amplecti discamus. Siquidem, Contraria iuxta se posita, magis elucescunt, aiunt Dialectici. Id autem nostro Euangelistæ Lucæ peculiare ac proprium esse videtur, vt quasi per ἀντίθεσιν opposita inter se comparata proferat tanquam Parallela quædam, παράλληλα, id est, inuicem comparata, Græci vocant.) *Sic Luc. 6. Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestram*, atque ita de cæteris beatitudinibus ibi prolatis. *& cap. 15. de duobus filiis*, qui hos etiam

rectè adumbrasse & significasse cernuntur. Prodigus enim, qui se peccasse fatetur & agnoscit. Publicanum denotat, Senior autem, qui patri veluti exprobrat, fratri insuper reuerso insultat. Ecce, inquiebat, tot annis seruio tibi (Hæc verò beneficiorum commemoratio, vt verbis Comici vtar, quædam veluti exprobratio est.) Sed postquam filius tuus hic, non dixit, frater meus, qui dissipauit omnia cum meretricibus, (adiecit) rediit: occidisti illi vitulum saginatum, &c. Audis planè similia Pharisæum orantem ac dicentem, *Ieiuno bis in sabbatho. Decimas do omnium, quæ possideo. Non sum*, ait, *sicut cæteri iniusti &c. Velut etiam hic publicanus. Rursus c.16.* de diuite epulone, ac Lazaro mendico, per antithesim verba facit. Atque non rarò ad hunc modum procedere solet. D. Lucas. Sic itaque exorditur.

*Terentius.*

Duo homines ascendebant in templum, &c. Vulgatum ac tritum est illud, Romanis olim duo fuisse templa, Honoris videlicet ac virtutis, eo modo disposita atque constructa: vt non nisi per templum virtutis liceret, in ędem honoris ingredi. Est enim Philosopho teste, præmium virtutis honos. Plurimi ambitiosi, honoris templum petunt, atque ad honores aspirant (Honor, namque cum aspirationis nota scribi solet) quamuis indigni sint, ac immeriti. At humilis publicanus templum virtutis, profundissimæ nempe humilitatis petiit, honores, Pharisæi instar, non ambiit.

*Philosophus in Ethicis.*

*Vt orarent ascenderunt in templum*, ait contextus Euangelicus. Ad hoc factum est templum, vt scilicet in eo fiant orationes ac supplicationes. *Isa. 56. Domus mea, domus orationis vocabitur*, ait Dominus, quod apud *Matth. 21. cap. & Ioann. 2.* repetitum inuenies.

Multi (proh dolor) templis ad peccandum, denique offędendum abutuntur. Alij enim ad confabulandum, alij ad negotiandum, alij verò ad lasciuiam, ac impudicos etiam aspectus pro pudor! atque ad alia nefaria templis vtuntur, de quibus conqueritur Dominus per Prophetam *Ierem. 11. Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* ad auxesim siue exaggerationem dictum puta à Domino, in domo mea. Qui in via iniuriis afficitur, fert leuiùs, quàm si in domo propria. Vnde ægrè ferens quispiam, sic conqueri solet, Vim mihi intulit, etiam in domo mea. Cognouit *quod Esther, cap. 7. dixit Assuerus, Etiam reginam vult opprimere me præsente, in domo mea, quapropter Assueri iussu, Aman suspensus fuit.* O impudentiam eorum, qui in templis peccant contra Deum grauissimè. Gra-

*Ierem. 11. c.*

uiter indignatur Dominus contra vendentes & ementes in templo. *Latronibus eos comparans: Matth. 21. cap. Vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Quinimò flagello de funiculis facto, de templo eos eiiciens. *Ioann. 2.* Seuerissimum tunc sese aduersus loci sacri violatores exhibuit atque monstrauit, qui alias nefandis peccatoribus pepercit. Vt, verbi causa, Adulteræ, quam condemnare noluit. *Ioann. 8. cap.* Magdalenæ. *Luc. 7.* cui *grauissima peccata condonauit, & de qua septem dæmonia eiecit. Marc. vltimo cap.* Item Petro, qui ter Dominum se nosse, etiam cum anathemate, abiurauerat & abnegauerat; culpam remisit. Meritò ergo ac iure scripsit Apostolus. 2. *Corinth. 3. cap. Si quis templum Dei violauerit, disperdet eum Dominus.* 2. Cor. 3. c.

Pharisæus stans, &c. Vide, oro te, huius Thrasonis fastum, erecta ceruice, extento collo, corpore nullomodo incuruato, audet orare in templo, nullo humilitatis præbito de se argumento, cùm tamen scribat Apostolus *Philipp. 2. ca. Omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, & Propheta Euangelicus, *Isa. 45. cap. Mihi curuabitur omne genu,* ait Dominus. Non sic rex magnificus Salomon, quem vtrumque genu in terram fixisse, manúsque expandisse in cœlum sacra regum commemorat historia. 3 *Reg. 8. Et nunc reges intelligite erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei, cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta, &c.* Inuenias quosdam etiam plebeios, nedum magnates, (nominibus parco ac personis, de vitiis tãtum dico) qui præ cæteris omnibus Christiani videri volunt, qui tamen caput nunquam aperiunt, etiam cùm diuinissima populo monstratur Eucharistia, etiam cùm ad sacram accedunt sinaxim seu Communionem, Turcorum morem sequentes nescio quem, qui *turbanum* (ita *enim fasciam illam capitibus Turcorum circumuolutam nominant*) non deponunt in templis, (*Mesquitas appellare consueuerunt*) Gal. *à la turque, qui n'ostent en leurs mosquees leurs turbans de dessus leurs testes.*) cùm tamen D Apostolus, Corinthiis scribens, asseueret, Virũ tecto, velatóque capite orantem, ignominia seipsum afficere, ac in dedecus incurrere. Isa. 45. c.

Nota, quod Manasses rex seu potius immanis tyrannus, *cùm flectere genua corporis nequiret*, carceribus mancipatus, compedibúsque ferreis constrictus, nihilominus tamen, in oratione sua disertè profitetur dicens: *Incuruatus sum multo vinculo ferreo, vt non possim attolere caput meum, &c. Et nunc flecto genu*

*cordis mei, precans à te bonitatem. 2. Par. vltimo cap.* Si quis adiret regem capite tecto, nec genuflexo, aut vllo reuerentiæ exhibito signo, quomodo, amabo, exciperetur ab aulicis, vel ab ipso rege? Quàm seuerè in eum, ob eiusmodi irreuerentiam, animaduerteretur? Quid putas Deum non succensere erga Pharisæos eiuscemodi, inter audiendum sacrum, capita nusquam reuerenter aperientes denudantésve? Missam publicè & coram omnibus capitibus tectis ad finem vsque audientes? Maximo circumstantis plebeculæ scandalo. Videntes enim populi, optimates in re diuina irreuerēter se gerentes, ipsi quoque indeuoti fiunt, quandoquidem, vt ait Poëta:

Claudianus Panegyri. *----- Componitur orbis*
*Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus*
*Humanos edicta valent, quàm vita regentis.*
*Mobile mutatur semper cum principe vulgus.*

Hæc Claudianus Panegyri 7. de 4. Honorij August. consulatu.

Isocrates. Et Isocrates ad Nicoclem: Non ignores, ait, totius ciuitatis mores ad exemplum magistratuum confirmari: Græcè sic τὸ τῆς πόλεως ὅλης ἦθος ὁμοιοῦται τοῖς ἄρχουσι. Seneca in Thiest. *Act. 2. cap. Rex velit honesta, nemo non eadem volet.*

Cicero. *Et* Cicero 3. de legibus. Plus, inquit, exemplo principes, quàm peccato nocent. *Eccl. 10. c. Secundum iudicem populi sic & ministri eius, &c.*

*Daniel cap. 6. Tribus temporibus in die flectebat genua, adoraturus facie conuersa contra Ierusalem.* Et maximus Prophetarum ac legislator Moses, *Num. 16. cap. Cecidit pronus in terram Deum oraturus.* Christus ipse etiam, Idæa, ac totius virtutis nitidissimum speculum ac exemplar, patrem suum in horto deprecaturus, *Luc. 22. cap. Procidit in faciem suam.* Hoc ipsum præstiterunt. *Apoc. 4. cap. Viginti quatuor seniores, qui*
Apoc. 4. c. *procidentes adorauerunt sedentem in throno: & rursus cap. 7. Omnes Angeli ceciderunt in conspectu throni, &c.* Ergo, vt semel dictum sit, *procidamus ante Deum*, vt ait Psalmographus, *etiam reges imitentur regem ac Prophetam.* Meminerunt, quia & reges Orientis seu Magi, procidentes adorauerint Deum incarnatum. *Mat. 2. & Apoc. 4. Seniores miserunt coronas suas ante thronū.* Deponant & reges corā Domino diadema ac pileum. Verùm de his sit iam satis.

*Apud se orabat Pharisæus, &c.* Quid est apud se? Vera oratio

oratio extra se rapit orantem. Est enim, finitore Ioanne Damasceno, De orthodoxa fide, oratio, eleuatio mentis in Deū, dicente Psalte regio, *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Eleuatio manuum mearum, &c.* Inanis vero gloria faciebat, vt apud se esset Pharisæus, sibi complaceret, hoc est, quod hîc dicitur apud se orasse. *Ioann. Damascen.*

*Gratias tibi ago, Domine.* Non reprehenditur Pharisæus, quòd Gratias egerit, sicut nec, quod ieiunauerit, aut decimas omniū possessionum suarum persoluerit, sed eam ob rem reprobatum noueris, quia videlicet per tumorem, elationem animi, ac fastum hæc omnia commemorauerit, seipsum coram Domino, qui cor intuetur iustificare volens, nec seipsum accusans, insuper & vicinum publicanum deridens. *Cū tamē Prou. 18. Iustus prior accusator sit sui. Et Eccles. 7.* Non te *iustifices ante Deum, quoniam cognitor cordis est* Et denique Christus: *Luc. 17. cap. Dicite,* inquit, *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Aspernabatur publicanum, pro more Pharisaico, cùm tamen *Eccles. 7. c.* scriptum sit: *Ne irrideas hominem in amaritudine animæ.* Pharisæi alios vtique præ se contemnebant spernebántque. *Luc. 7. Quia peccatrix est,* aiebat Simon Pharisæus de Magdalena ad Christi pedes prouoluta, ac pœnitente. *Item Ioann. 9. Tu in peccatis totus natus es,* inquiebant Pharisæi cæco nato. Mundas se habere manus gloriabantur, Christi Apostolos vt immundos arguebant. *Matth. 15. Non lauant manus suas, cùm panem mãducant, &c.* *Eccle. 7. c.*

*Non sum sicut cæteri hominum, Raptores, &c.* Si dixisset Pharisæus: Non sum sicut cæteri, detractores, mundi, & arrogãtes, vtique verè dixisset, sed illum facile, in his omnes alios vincere ac superare constaret. Ne igitur eius hypocrysis ac fucus facilè conuinceretur ac deprehenderetur ab vniuersis, in prædictis iactantiam, non in aliis ostendit. Tria verò hæc commemorat: Raptores, inquit, adulteri, & iniusti. *Quoniam 1. Ioann. 2. cap. Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est.* Et concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Raptores, concupiscentia oculorum laborant, insatiatiabili auaritia, quæ non expletur, omnia sibi desiderantes. Adulteri autem concupiscentiâ & illecebrâ carnis inuiscantur. Superbia vitæ in iniustis apparet. Quæ etenim maior iniustitia est, quam nolle Deo subesse? Tria itaque pariter opposuit, ieiunium nempe, contra carnis petulantiam, seu, mauis lasciuiam, Decimarum dationem, contra rapinam, & gratiarum actionem *1. Ioan. 2. d.*

Matt.22.c. contra iniustitiã. *Reddite quæ sunt Dei Deo*, ait Christus, *Matt. 22.* Gloriabatur ille in bonis suis, At multi hodie, ex opposito exultant in rebus pessimis, de quibus ait sermo diuinus. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.*

Non sum sicut cæteri, ait, Raptores, &c. Vniuersis hæreticis supercilium istud Pharisaicum ingenitum esse videtur. Horum siquidem ingenium est, vt præ se vniuersam respuant antiquitatem, dicentes cum isto Pharisæo singuli: Ego quidem iustus sum, cæteri autem peccatores, Veritas à nobis stat, Veteres autem Doctores Papisticæ Ecclesiæ (horresco referens istorum blasphema verba) homines fuerunt, errare potuerunt, dicebat impius ille & alter Melancthon, quod si interpreteris ex Græco nigram terram, seu puluerem atrũ qualis est puluis tormentarius. Gall. *pouldre à canon.*) significat, Anagrammatismus autem indicat vanum ac mendacem, si enim literas (Melancton) permutes ac inuertas, comperies Gallicis verbis, *ach, l'on ment!* Omnes alij (aiunt perfrictæ frontis hæretici) fuerunt mendaces. *Nam, Psalm. 115. Omnis homo mendax.*
Psalm.115. Quid verò vos? An homines non estis? An non mendaciis scatent vestra omnium scripta? Imo verò, vt quidam eleganter scripsit: Plaustra mendaciorum planè sunt, quæcumque ex Lutheri, Caluini, Melancthonis, Bezæ ac similium hæresiarcharum officinis prodeunt, pura puta mendacia, inquam sunt. Se reformatos appellant, & dissolutissimè viuunt. Euangelicos se nominant, & nihil sapiunt Euangelicum. Apostolos imitari, videri volunt: cùm sint meri Apostatæ, & auitæ religionis desertores atque contemptores, ac proborum Catholicorum derisores. *Iob 30. Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Faciem meam conspicere non verentur.*

Non sum sicut cæteri, *Iob. c. 16. dixit: Nunquid habebunt finem verba ventosa?* An non raptor erat Pharisæus? Nonne Deo debitam rapiebat ad se gloriam? *Isa. 42. &* 48. *Gloriam meam alteri non dabo. Psalm. 113. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Christus non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Philip. 2. & Tim. 1. Soli Deo honor & gloria. Luc. 2. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, &c.*
Psalm.113.

Nonne etiam de adultera generatione erat iste Pharisæus? *Matth. decimo secundo capite. Generatio praua & adultera*, dixit Iesus Pharisæis.

At verò nonne apertè iniustus conuincitur? indicta causa proximum suum, nempe Publicanum, condemnans, non auditum, & sine testibus: temerariam aduersus illum proferens sententiam. Veluti hic etiam Publicanus, &c.

Q. d. Omnes sunt raptores, omnes adulteri, omnes sunt iniusti, sed non ego quasi alter Ismaël iste, de quo *Gen. 16 cap. Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Aduerte corruptissimos hominum mores. Non est, qui faciat bonum non est vsque ad vnum, ait Psalmographus. *Ierem. 5. c. Circuite vias Ierusalem, quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. Ego autem dixi, forsitam pauperes sunt, & stulti ignorantes viam Domini. Ibo ad optimates & loquar eis: Ipsi enim cognouerunt viam Domini. Et ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula, Idcirco percussi sunt.* Raptores, tyrannidem exercentes in alios, prædæ inhiantes, qualis fuit Achab, & eius coniunx Iezabel, qui vineam Naboth deprædati sunt, ac per vim abstulerũt, vt in tertio Regũ volumine habetur. Narrat Philostratus lib. 3. de vita Apollonij cap. 2. quòd Draconibus venandis Indi se exercent. Omnis enim Indiæ regio draconibus abundat, & multitudine, & magnitudine mirandis. Itaque paludes plenæ sunt, & montes. Verùm palustres tardi sunt, nec cristam habent, longitudine cubitorum 30. & dracænis similes sunt etiam in cacuminibus montium habitantes, qui quandoque in planiciem venationis causa descendunt, ea quę ad palustres pertinent rapientes. Hi in maiorem porrecti sunt magnitudinem longitudinémque. Quibus crista nascitur iuuenibus, mediocriter prominẽs, prouectis verò ætate, grandior. Montani dracones squamas habent coloris fului. E cristis verò, quæ rubræ sunt, ignis scintillare videtur, & isti Elephantos capiunt: Ipsi verò ab Indis hoc modo capiuntur: Pallium coccineum literis aureis superintextum, ante eorum cauernas siue antra extendunt; Scripta autem incantatoria verba somnium dicuntur inducere: his draconum oculi, quanquam durissimi superantur: Ipsi quoque plurima verba ex arcana sapientia superincantantes, eò draconem perducũt, vt literis pallio intextis superdormiat. Dormienti autem instantes Indi, ceruicem securi feriunt scissóque capite, lapillos intus extantes auferunt. Traditur enim montanorum draconum capitibus inesse lapillos, specie & aspectu iucundos, & splendorem

*Philostratus.*

quendam coloribus inducentes: viribus autem, potentiáque mirabiles, quod anulus testatur, quem habuisse Gygem vulgatum est. Euenit autem interdum, vt draco Indum, cum securi, & arte intra cubile trahens deuoret, ipsum etiam, vt penè dixerim, montem concutiens. Sic Philostratus.

Hæc verò de draconibus allata, typum gerunt raptorum ac tyrannorũ qui in dupplici reperiuntur differentia: Alij palustres, tanquam pratæ quidam, maritima loca ac palustria infestant. Gall. *corsaires & escumeurs de mer.*) Alij montana incolentes, & cristas erigentes, vt quidam reguli, qui Nembroth imitantur, *cuius Genes.* 10. *fit mentio*, sub his verbis. *Ipse cæpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino* (hoc est, violentus tyrannus veheménsque oppressor.) & ab hoc exiuit prouerbium, Quasi Nembrod robustus venator coram Domino. Fuit autem principium regni eius Babylon, &c.

Gen. 10. c.

Tales sunt Tyranni truces ac sæui, quorum finis interitus sicut & Draconum cristatorum. *Væ qui prædaris,* ait Propheta *Nonne & ipse prædaberis? cum consummaueris deprædationem, deprædaberis. Isa.* 33. *cap.* Sic Dracones postquàm plures absumpserint, & ederint serpentes, cristati fiunt, & tanquam coronas gestant, venantur Elephantos, & ipsi denique securibus ab Indis percussi intereunt. *Ad generum Cereris* (Plutonem intelligit) *sine cæde & vulnere pauci.*
*Descendunt reges, & sicca morte tyranni.* ait Iuuenalis Satyra 10.

Iuuenalis.

Memorabile est, quòd Diuus Augustinus, tom.5.lib.4.de ciuit. Dei, cap.24. scriptum reliquit. Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocina? Eleganter & veraciter Alexandro illi Magno quidam comprehensus pirata respondit: Nam cùm idem rex hominem interrogasset, quid ei videretur, vt mare haberet infestum? Ille libera contumacia, Quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo nauigio facio, Latro vocor, quia tu magna classe, Imperator. Hæc ibi.

D. Augustin.

Ad quem locum sic Ludouicus Viues: ex Cicerone, inquit, lib. de Rep. 3. vt est apud Nonium Marcellum, Cùm quæreretur ex eo, quo scelere impulsus mare haberet infestum, vno myoparone? Eodem, ait, quo tu orbem terræ. Porrò myoparo nauicula solebat esse piratica. Sic ibi.

Ludouicus Viues.

Lucanus Pharsaliæ lib.10.ipso statim exordio,de Alexãdro M.verba faciens, ita cecinit: *Lucanus.*

*Illic Pellæi proles vesana Philippi*
(Allexandrum intellige)
*Felix prædo iacet terrarum.*

Deinde subiungit:

*Terrarum fatale malum fulmenq;, quod omnes*
*Percuteret populos pariter, & sidus iniquum*
*Gentibus.*

Postmodum subdit,
*Occurrit suprema dies, naturaq; solum*
*Hunc potuit finem vesano ponere regi.*
Hæc ibi.

*Item Isa 1. Principes tui infideles, socij furum. Rursus, Sophoniæ ca.3. Principes eius in medio eius quasi leones rugientes, iudices eius lupi Vespere, non relinquebant in mane.*

Hactenus de raptoribus per allegoriam hæc dicta sint. Omnes consimliter reputat Pharisæus adulteros. *Ierem.5. Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. cap.9. Omnes adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum. Item cap.23. Adulteriis repleta est terra. Nũquid super his non visitabo, dicit Dominus?*

Iniustos etiam cęteros omnes præter se vnum pronunciauit Pharisæus. *Ierem.6.c. A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student.* Et in Psalm. *Non defecit de plateis eius, vsura & dolus, &c. Ieiuno bis in Sabbatho,* aiebat ille, quod Theophylactus, *Luc.18.* sic interpretatur. Vt Sabbathum Hebdomadem significet: vna autem siue prima sabbatorum, apud nos Dominica intelligitur: Ieiunabant Pharisæi, secũda & quinta feria. Hæc Theophylactus. *Theophylact.*

*Decimas do omnium, quæ possideo.* Decimarum datio ter in Deuteronomio disertis verbis memoratur. *cap. 12.14. & 26. Do decimas,* dicebat, Rectiùs dixisset, Reddo: cùm Dei sunt omnia. *Malach. 3.c. Inferte omnem decimam in horreum meum, & benedictiones Domini superuenient vobis.* Iactauit se liberalem, nec cõfessus est obligationem, cùm tamen obligatus esset ad soluendas reddendásque decimas. *Deuteronom.*

De decimis vt paulò fusius dicamus offert sese occasio ac locus. Nos igitur ex doctore Ioan. Molano, orat. 2. quæ est de decimis dandis, sequẽtia producemus in medium *Exo.c.1.* docent nos sacræ literæ, Deo non tantum dandas, sed etiam red- *Ioan. Molan.*

dendas esse decimas Abraham siquidem Patriarcha noster, cū nondum Mosaica lex scripta esset aut lata, Melchisedech regi Salem, sacerdoti Dei altissimi, quem typum esse præuidebat Christi saluatoris, filij Dei, qui manet rex iustitiæ & rex pacis & summi Dei, summus sacerdos in perpetuum decimas dedit ex omnibus, cum Dei protegentis beneficio, domum rediret deuictis quinque regibus, ac spoliatis Sodomis: Loth quoque fratre suo cæterisque captiuis, per expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo liberatis. *Intuemini*, exclamat Apostolus, *Heb 7. quantus hic sit, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Damus autem Deo & filio Dei vero nostro Melchisedech, qui interpretatur rex iustitiæ, decimas, non quod ei aliquam vtilitatem adferamus. Nos serui sumus, qui nobis quidē, & fratribus nostris, vtiles esse possumus, sed Domino nostro prorsus sumus inutiles. Quod igitur damus, nobis, potius damus, quàm illi. Vnde D. Augustinus to. 10. serm. 219. de temp. de reddēdis decimis, ita scribit: De offerēdis imò reddēdis decimis cogitemus. Deus enim qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatus repetere, nō sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Deinde subiungit: Hæc est Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris. Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti. Postea subiicit, Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuasit. Hucúsque D. pater Augustinus. Quæ verba S. quoque Eligius, Nouiomensis Episcopus (vt est apud Surium to 6. lib. 2. vitæ eiusdem, authore S. Audoeno Rothomagensi præsule cap. 16.) consueuit pro concione ad populum dicere: Vnusquisque de arte sua vnde viuit, decimas det Deo in pauperibus vel Ecclesiis. Deus noster qui dignatur totum dare, decimas de suo dignatur à nobis repetere, non sibi vtique, sed nobis, profuturas. Sic enim per Prophetā promisit: Mat. 3. Nolite de omni substantia vestra fraudare decimas, ne vobis nouem partes auferantur, & sola decima remaneat. Si voluntariè dederitis, plus semper vobis Dominus dabit Si non dederitis quot pauperes in locis, quibus habitatis, fame mortui fuerint, tot homicidiorum rei eritis, Sic D Eligius. *Quotquot igitur filij Abrahæ estis, & opera eius facere vultis. Ioan. 8. Intuemini quantus hic sit, cui & decimas omnium de præcipuis dedit Abraham patriarcha* Intuemini quantus hic sit, qui non tā sibi dari: quàm reddi vult decimā. *Decimas tuas, & primitias tuas nō tardabis reddere*, ait Dominus. *Exod. 22.* Sequimini filij Abrahā ducē & patriarchā vestrū, qui naturali lumine

D. Augustin.

Surius.

dictante, legem nondum scriptam perfecit. Cuius pietatis etiam æmulus fuit Filius eius, patriarcha Iacob. Gen. 28. Cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi: vouit ille votum Domino. Idem Molanus cap. 3. *Tobias senior, cap. 1. sacræ historiæ, pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiua sua & decimas suas fideliter offerens &c.* Decimæ autem propriè loquendo non sunt sacrificia, neque oblationes: quia non immediatè Deo, sed ministris diuini cultus exhibentur. Oblatio siquidem, directè dicitur, cùm Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat: sicut dicuntur, offerri denarij, vel panes in altari, circa quos nihil fit. hæc D. Thomas 22. q. 85. ar. 3. ad tertium argumentum. Eatenus igitur decimæ oblationes frequenti Phrasi scripturarum nominatur, quia hilari & grato animo, Deo & ministris eius donantur, ait præfatus Molanus. Item *c. 6.* Decimæ dantur, quia Deo debentur, à quo bona cuncta procedunt. in signum vniuersalis domini. Ipsius enim est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo, ait Psalmographus. Secundò, debentur decimæ propter ministros Dei, Hanc rationem dat Dominus apud *Malachiam. vbi ait: (c. 3.) vt sit cibus in domo mea. Dignus est autem operarius mercede sua, vt est apud Lucam (c 10) & Paulum. (1. Timoth. 5.) vel, cibo suo, vt est apud Matthæum. (c. 10.)* Et qui benè præsint presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborāt in verbo, & doctrinâ. Tertiò, debentur clero decimæ propter pauperes. Dantur enim clericis, non solùm vt seipsos pascant, sed etiam quia sunt patres spirituales, ad quorum officium pertinet, non solùm verbis, sed etiam factis, omnem humanitatem exhibere pauperibus, afflictis, & miseris hominibus, idcóque non tantùm propter se, sed etiam propter pauperes vt in eis Christum cibent, potent, vestiant, visitent, suscipiant, decimas sibi dari agnoscant. Vnde. D. Prosper Aquitanicus Episcopus Regiensis lib. 2. de vita contemplatiua. c. 9. scripsit: Nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, idcirco non eas vendicandas in vsus nostros, vt proprias, sed vt commendatis, pauperibus diuidendas esse. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune. Sic ille. D. Thom. resolutionem hoc loci proponendam esse existimaui. Is. 2. 2 q. 87. ar. 1. in corpore quæstionis, ita doctissimè ac verissimè scripsit. Preceptum de solutione decimarum, partim quidem erat morale, inditum naturali ratione: partim autem erat iu-

*Gen. 28. e.*
*Molanus c. 3. v. f.*
*Tob. 1. c.*
*D. Th. 2. 2. q. 85. art. 3. in solutione ad 3.*
*Molanus c. 6. v. f.*
*Luc. 10. e. & 1. Tim. 5. ac Matt. 10. 1. Tim. 5.*
*D. Prosp. de vita cont. c. 9*
*D. Th. 2. 2 q. 87. ar. 1. in corp. q.*

diciale, ex diuina institutione robur habens. Quod enim eis, qui diuino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victui ministraret: ratio naturalis dictat, sicut & his, qui communi vtilitati inuigilant, scilicet principibus & militibus stipendia victus debentur à populo, vt Apostolus probat. 1. Cor. 9. Sed determinatio certæ partis exhibendo ministris diuini cultus, non est de iure naturali, sed est introducta institutione diuina, secundum conditionem illius populi, cui lex dabatur, qui cum in 12. tribus esset diuisus, duodecima tribus, scilicet Leuitica, quæ tota erat ministerijs diuinis mancipata, possessiones non habebat, vnde conuenienter institutum est, vt reliquæ vndecim tribus, decimam partem suorum prouentuum Leuitis darent, vt honorabiliùs viuerent. Vnde quantum ad determinationem decimæ partis, erat iudiciale, ad æqualitatem inter homines adinuicem conseruandam. secundum populi illius conditionem. Determinatio decimæ partis soluendę, est auctoritate Ecclesiæ tempore nouæ legis, instituta secundum quandam humanitatem: vt scilicet nonminus populus nouæ legis ministris noui testamenti exhiberet, quàm veteris testamenti populus exhibebat, cùm populus nouæ legis ad maiora obligetur. *Matth. 5. nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*. & cùm ministri noui testamenti sint maioris dignitatis, quàm ministri veteris testamenti, vt probat Apostolus. 2. *Cor*. 3. Hic ergo pater, quòd ad solutionem decimarum homines tenentur partim quidem ex iure naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiæ. Quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum, & personarum, posset aliam partem, determinare soluendam. Hactenus D. Thomas. Animaduertendum insuper nos non obligari ad quatuor illa genera decimarum, ait Molanus ca. 7. vbi sup. quæ populum veteris legis. D. Hieronymus soluisse scribit in Ezechielem cap. 45. ad verba: Et hæ sunt primitiæ &c. Dicamus primum iuxta literam, ait ille, δεκάδα, hoc est, decimam partem omnium frugum, Leuiticæ tribui populus ex lege debebat. Rursum, ex ipsis decimis, Leuitæ, hoc est, inferior ministrorũ gradus, decimas dabat Sacerdotibus, (summis, intellige) Num. 18 Et hæc est, quæ appellatur δευτεροδεκάδα. Erant quoque & aliæ decimæ, quas vnusquisque de populo Israel in suis horreis separabat, vt comederet eas, cùm iret ad templum in vrbe Hierusalem, & in vestibulo templi: & sacerdotes ac Leuitas inuitarent, ad conuiuia, Deut 14. c. Erãt

*1. Cor. 9. c.*
*Matt. 5.*
*2. Cor. 3. c.*
*Molan. c. 7. v. sup.*
*D. Hier. in Ezech. c. 45. Et hæ sunt primitiæ &c.*
*Num. 18. c.*
*Deut. 14. c. 28.*

autem & aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant quæ Græco sermone appellãtur πλωχοδέχαδαι. Ibid. Hæc. D. Hie. Præcepit Ezechias rex, vt sacra refert historia (2. Para. 31.) populo Hierosolymitano, vt sicut scriptum est, in lege Moysi, darent partes Sacerdotibus & Leuitis, vt possent vacare legi Domini. quòd cùm percrebruisset in auribus multitudinis, omnium quæ gignit humus, decimas obtulerunt. Fecerúntq; aceruos plurimos, & benedixit Dominus populo suo, - Sic Sacer contextus, quo etiam referri potest illud quondam apud Romanos vulgatum, inquit cap. 8. vbi su. Molanus, Diues fieri qui vult, Herculi decimam soluito. Sic Ethnici velut simiæ veritatis. Plut. to. 1. opusc. q. Rom. q. 18. Cur multi diuitũ Herculi decimam suorum bonorum cõsecrant. An quòd is quoque Romæ decimam boum Geryonis partem deposuit? Et quæ ibi scribuntur. Ex quibus satis deprehenditur, id Romæ factitatum. Nec prætermittẽda est D. Aug. to. 10. l. 50. Hom. ho. 48. ita scribentis: Maiores nostri ideo copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cęsari censum reddebant. Modo autem, quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci: Noluimus partiri cum Deo decimas, modo autẽ totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. Sic illi & habetur in Decreto. 16. q. 7. c. Maiores, Ex his notum est decimas esse Deo dandas, ac reddendas. vt Hilari animo Deo, quæ Dei sunt reddamus, in sacerdotibus eius. *Matt. 22. Hilarem enim datorẽ diligit Deus. 2. Cor. 9.* Verè dicamus, ac humiliter cognoscamus & profiteamur quod Pharisæus ille tumidè dixit: *Decimas do omnium, quæ possideo. Luc. 18. c. Eccl. 35. in omni dato, hilarem fac vultum tuum, & in exultatione, sanctifica decimas*, Verùm de decimis, sit iam satis. Hucúsque verba ventosa Pharisæi. Benè Ioannes de Gersono quondam Cancellarius Parisiensis, contra vanam superbiam cecinit his verbis:

*Vidi ego vesicam modico turgescere flatu:*
*Quæ pisis sonuit quatuor impositis.*
*At puer vnus acu pupugit, displosa repente.*
*Vilis & absque sono flaccida detumuit.*

Vt igitur ad superbum illum Pharisęum nostra conuertatur oratio. quamobrem ô Pharisæe teipsum ore proprio cõmendas? cùm scriptum sit: *Prouerb. 27. Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* Non enim, vt scribit Apost. *Qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Laus in proprio ore sordescit, ait vulgatus sermo. Non ergo in hoc iustificatus es, quòd ampullatis sesquipedalibusque (vt

*2. Par. 31. ca. Molanus, c. 8. v. s.*

*Plut. to. 1. op. q. in Rom. q. 18.*

*D. Aug. to. 10 l. 50. hom. ho 48. & canonizatur. 16 7. c. Maiores.*

*Matt. 22. c. 2. Cor. 9. c. Eccl. 31.*

*Ioan. Gers.*

*Pro. 27. c.*

ita loquar) verbis, in teipso extollendo vsus fueris: Imò non tam Deum orasse dicendus es, quàm teipsum iactasse quàm vicino ac humili publicano arrogantissimè insultasse. Sicque Deum magis exacerbasse, quàm placasse, Benè dictum est ab Euangelista, quòd apud te oraueris, & non apud Deum, Apud se orat, qui cogitat preces, quas fundit, eò quòd suæ sunt, mereri vt exaudiantur. Etsi Dominus in eum beneficia confert, id propterea esse, quoniam ipse illis dignus est. Quam quidem orationem Deus omninò execratur, ob fastum nimirum, non ob gratiarum actionem, à qua ducendum exordium monet Diuus Apostolus, *Philipp. 4. cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. & 1. Thessal. 5. In omnibus gratias agit, hæc est enim voluntas Dei* Inde Saluator noster orationem suam exorsus legitur: *Matth. 11. c. Gratias tibi ago, siue, confiteor tibi pater Domine cœli & terræ,* Non reprehenditur ergo Pharisæus, quia Deo gratias agebat, sed quia nihil sibi addi cupiebat, tanquam si iam plenus & abundans esset, nec haberet, cur diceret: Dimitte nobis debita nostra &c. Sequentia iam videamus. Publicanus à longè stans non audebat oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori &c.* O Verbum mirabile, satis breue sed vehementer efficax, atque vt Homericis vtar verbis. Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. Iliad. γ. De Menelao. *Pauca quidem, sed valdè argutè.* Sed priusquàm orationis verba exactiùs perscrutemur, age, circunstantias, orantisque habitum perpendamus. A longè stetit Publicanus, magnam illius id indicat modestiam ac reuerentiæ exhibitionem. Sic D. Petrus, *Luc. 5. Exi à me, Domine, quia homo peccator sum. sic etiam Centurio. Matth. 8. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meũ &c.* *Non audebat oculos ad cœlum leuare*, ad hunc modum Rex Manasses *2. Par. vlt. Non sum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ. 1. Esd. 9 c. Dixi, Deus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum.* Quia Deum offenderat, non ausus est oculos in cœlum leuare, Ita prodigus reuersus ad patrẽ. *Luc. 15. Pater peccaui in cœlum & coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus.* Quod à longè stetit, eorum impudentiam damnat, ac redarguit, qui Sacrum seu Missam audientes, superiora loca occupant, altaribus nimium propinqui, imò suprà ipsũ sacerdotem actu sacris operantem existentes, cùm tamẽ eos in inferioribus manere deceat.

*Percutiebat pectus suum*, reum se recognoscens, quia *Matt. 15. de*

Ph. 4. 1. Th. 5. Matt. 11. c. Iliad. γ. Hom. Luc. 5. c. Matt. 8. c. 2. Par. vlt. 1. Esd. 9. c. Luc. 15. c. Matt. 15. c.

*corde exeunt cogitationes malæ adulteria, blasphemiæ &c.* Tundebat, inquam, pectus suum, non alienum, non in alios retorsit aut transtulit culpam, vt protoplastus, *Gen. 3. ca. Mulier, quam dedisti mihi, decepit me.* Verùm seipsum accusauit, Refert Xiphilinus ex Dione, in Neronis vita, quomodo Anicetum aduersus Agrippinam matrem, Nero destinauerit: Quę de lecto desiluit, discissa veste, denudatáque aluo exclamans. Hanc tu percute, Anicete, quoniam peperit Nerone: sicque interfecta est. Sic tu peccator ictu valido pectus tuum tunde, ex quo horrendum peccati monstrum prodijt, & è cordis tui penetralibus erupit. *Ioel. 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* quod aduersus hypocritas, & personatos pœnitentes quosdam Achab regi similes. 3. Reg. 21. c. dictum est, qui exterius quidem saccum induunt, verùm ex operibus deprehenduntur omniũ nequissimi *Psal. 140. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusationes in peccatis.* Simij aut Simiæ dicẽdi potiùs, quàm verè pœnitentes, Simia autem semper simia est, etiam si aurea gestet ornamenta, quod perpulchra historiâ Greg. Nyss. D. Ba. Germanus frater opusculo, professio Christianorum, quid sibi velit, comprobat; Eam, quia prima conc. Dec. nostris sacris exscripsimus: scienter hoc loco prætermittimus. Orationem publicani nunc exponamus. In qua maxima sanè relucet humilitas. *Eccl. 35. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit. & Iudith. 9. c. humilium & mansuetorũ semper tibi placuit deprecatio. Iob. 22. Qui humiliatus fuerit erit in gloria, & qui inclinauerit oculos, ipse saluabitur.* Deus propitius esto. *Psal. 129. Quia apud te propitiatio est*, item, *apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio*. Nota sedulò hæc Duo, *Mihi*, & *Peccatori*. *Mihi*, hoc tuum est Domine, *Peccatori*, hoc meum. Tu me creasti. Ego me peccatorem constitui. Homo in innocentia, & rectus conditus fuit, verùm cũ in honore esset non intellexit, cõparatus est iumentis insipiẽtibus, & similis factus est illis. Ne velis, bone Iesu, propter meum, perdere tuũ. Sana animã meã, quia peccaui tibi, dicebat Psal. regius. Ne quæso, peccata mea perdãt animã meã, quæ tua est, à te creata, per te redempta, sanguine tuo aspersa, ad imaginem & similitudinẽ tuam facta. *Tibi* propono, quòd homo sum, me peccasse agnosco & confiteor, perdidi mea culpâ, tuam gratiam. *Tua*, obsecro, benignitate ac misericordia, tuam mihi propitius impartire clementiã. Omnipotẽtiã tuam parcendo maximè ac miserando manifestas, ait Sancta mater Ecclesia in Collecta. *Fac mecum signum in bonum, huius tuæ omnipotẽtiæ*, & inexhaustę potestatis atq. benignitatis *Propitius*

*Gen. 3. c.* *Xiphilinus in Nerone Imp.* *Ioel. 2. c.* *3. Reg. 21.* *Ps. 140.* *Greg. Nyss.* *Dec. anth.* *Eccl. 35.* *Iud. c. 9. &* *Iob. 22. c.* *Ps. 129.* *S. Ecclesia in Collecta.*

Sap.11. *esto mihi peccatori. Sap.11. misereris omnium, quia omnia potes, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Tu es Deus summæ

Num. 23. veritatis. *Numer.23. Non est Deus vt homo, vt mentiatur.* Da mihi

Psal.142.& 50. signum eius veritatis. *Psal 142. in veritate tua exaudi me, in tua Iustitia. Psal.50. vt iustificeris in sermonibus tuis.* Tu, Domine, per prophetas tuos spopondisti, ac pollicitus es, dicens: *In quacumque*

Ezech. & alij Prophetæ. *hora ingemuerit peccator: omnium peccatorum eius non recordabor.* Tu es ipsa charitas. 1.Ioan.4. *Deus charitas est.* Fac me

1.Ioan.4. Domine, sentire tuum amorem. *Sap.11. qui parcis omnibus, Qui*

Sap.11. *amas animas* Propitius esto mihi, *quia tu es Pater misericordiarum,*

2.Cor.1. *& Deus totius consolationis. 2. Corinth.1.* Tu es pater omnis pie-

Psalm.32.& 50. tatis, *Psal.32. Misericordia Domini plena est terra.* Igitur. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. *Psal.50.* Vide huius orationis vehemētiam ac feruorem, non despon-

Iob 13. det animum, *Etiam si occiderit me in ipso sperabo. Iob 13 cap.* Regnum cœlorum duplici iure Christus obtinet, scilicet hæreditate patris, quia consubstantialis ac charissimus, Dei filius, merito item suę passionis, quia per passionem intrauit in glo-

Luc.24. riam suam. *Luc.24.* & propter hoc, exaltauit eum Deus, *&*

Philip. 2. & *dedit illi nomen, quod est super, omne nomen. Philipp.2. Item Hebr.2.*

Hebr.2. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Altero ipse contentus, Alterum mihi peccatori, quem admissi pœnitet & omissi, liberaliter contulit & donauit. Itaque ô

Ioan.6. & Deus summæ clementiæ, *propitius esto mihi peccatori. Exaudi me,*

Matt.11. quia promisisti, *Eum qui venerit ad te, non eiecturum foras.* Omnes vocas, & nullū respuis. *Venite,* inquiens, *ad me, omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā vos, & inuenietis requiē animabus vestris,* ait Dominus, *Descendit hic iustificatus ab illo,* id est, pro illo, plusquàm ille. Magis iustificatum dixit Publicanum. *Descendit iustificatus de templo Publicanus magis quàm Pharisæus.* Sic legit D.Augustinus, to.10. de verbis Domini. Ser.49. Nam concludendo dixit Christus. *Omnis qui se humiliat exaltabitur & vicissim, omnis, qui seipsum exaltat humiliabitur.* Pharisæus seipsum extulit arrogantiùs, & depressus est. Publicanus contrà, seipsum demisit, & coram Deo, qui cordis inspector est, humiliauit: sed à Deo exaltatus est, Iustificatus à peccato & absolutus, atque exauditus. Conuenit valdè nostro instituto,

Laërt.lib.1.in Chilone Lacedæmonio. quod à Diogene Laërtio, lib.1. in Chilone Lacedæmonio, memoriæ proditum est. Ferunt Æsopum oratorem, qui ea tempestate florebat, Chilonem interrogasse. Quidnam fa-

Horat. lib.2. Carm.Ode 10 ceret Iupiter? Illum verò respondisse: *Excelsa humiliat, & humilia extollit.* Vnde & Horatius, *l. 2. carminum. Ode 10.* cecinit:

*Sæpius ventis agitatur ingens*
*Pinus, & celsæ grauiore casu*
*Decidunt turres, feriúntque summos*
*Fulmina montes.* Sic ille.

1. *Reg.* 2. *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat.* 1. *Reg.* 2.
*Prouerb* 3. *ex* 70. *versione*, seu tralatione Græca: κύριος ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν. Hoc est: *Dominus* 70. *Interpret.* *Prou.* 3.
*superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, quod* 1. *Petr.* 5. & *Iac.* 4. 1. *Petr.* 5. & *Iac.* 4.
*legimus*, sub eadem verborum serie ac forma. *Luc.* 1. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Hoc ipsum, *Matth.* 23. & *Matth.* 23. &
*Luc.* 14. *nedum hic, Luc.* 18. Christus disertis asseruit verbis, vbi *Luc.* 14. *item*
ter eadem repetitur sententia. *Omnis qui se exaltat, &c.* vt insinuetur, quòd triplex est humilitas, Cordis, oris, ac operis. *c.* 18.
Solet Deus etiam hic superbos humiliare, hoc est deiicere, pessumdare, atque deprimere. Nam qui se ipsum exaltat, honores ambiendo, quia elatio in crimine est, deprimetur, Qui non à Deo exaltatur, sed seipsum arroganter extollit, humiliabitur. Qui autem se humiliauerit, exaltabitur. Humiliat Deus suos, vt exaltet. Mundus contrà, suos eleuat, vt deiiciat. *Claud. li.* 1. *in*
*Psal. proiecisti eos dum alleuarentur.* Vnde poëta Claudianus, li. 1. *Ruffinum.*
in Ruffinum.

*Vt lapsu grauiore ruant, tolluntur in altum.*

Quemadmodum luctator eum, cum quo luctatur, eleuat in sublime, vt faciliùs eum inde prosternat in terram; Sic mundus extollit, vt grauiùs præcipitet. *Psal.* 36. *Vidi impium eleuatum, & superexaltatum super Cedros Libani, Transiui, & ecce non erat.* *Psal.* 36.
Cornices vt frangant nucem, ex alto deiiciunt super petram aut durissimũ silicem, aut quemuis, alium lapidem. Et Aquilæ testitudines in rupem deiiciunt, vt carne potiantur, effracta allisáque ad petram testa, alioqui durissima, quam rostro effringere nequeunt. vt author est Plinius, & concione Dominic. 1. in Quadrag. citamus in Decadibus nostris. hoc est, mundi ingenium, hic est Dæmonis astus, vt ad pinnaculum templi extollat, vt præcipitem dare possit, quem sic extulerit, *Similia quadam.* *Plinius.*
*Matth.* 4. *Statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei: mitte te deorsum. Lucæ item* 4. *Conterranei* ac contribules Christi Nazarithæ, ad supercilium montis deduxerunt Christum, vt inde eum præcipitem agerent. Animaduertendũ, quòd Superbos semper humiliat Deus, O. M. quod Inductione, & exemplorum enumeratione satis liquet. Erexit se superbiens Angelus, & è cœlo empyreo est præcipitatus. Exaltauit se per superbiam primus parens, & è terrestri paradiso expulsus fuit & *Matth.* 4. & *Luc.* 4.

eiectus. Elatione animi nimia permoti, filij hominum tanquam gigantes, θεομαχῶν, aduersus Deum pugnare contenderunt, ædificantes ac excitantes turrem Babel, sed dissipauit eos Dominus,diuisisq, linguis ab ædificando cessarunt. Exaltauit se Pharao, & subuersus est in mari rubro. Exaltauerunt se Dathan,Chore & Abiron, eorúmque assėclæ,& complices & viui descenderunt in infernum. Exaltauit se superbus ac inobediens Saul,& regnum cum vita amisit. Erexit se contumeliosus, & in Deum blasphemus, ac impius Goliath, & ab opilione,seu pastore inermi, nempe à Dauide proprio iugulatur gladio, sic retūditur eius arrogantia & superbia. Dauid populum suum numerando, ob animi elationem, in Dei incurrit iustam indignationem, vnde ex eius populo septuaginta hominum millia peste detinētur ac de medio tolluntur. Exaltauit se aduersus patrem suum parricida ille Absalon arrogantissimus, & è quercu pendens tribus lanceis cōfoditur, Erexit se Adonias, regnum ambiens, & vita pariter ac regno priuatur. Exaltauit se Roboam filius ac hæres Salomonis, & scissum est ab eo regnum patris sui. Erexit se contra Deum blasphemus rex Assyriorum Sennacherib, & vna nocte percussit in exercitu ipsius Angelus, centum octoginta quinque millia virorum. Exaltauit se Nabuchodonosor, & in belluæ morem transformatus, cum feris ac bestiis tandiu conuersatus est, donec Deum verum resipiscens, agnosceret, ac reueretetur. Erexit se Holofernes, & à viragine Juditha, suo ipsius gladio truncatur. Exaltauit se ambitiosissimus hominum Aman, Iudæorum hostis capitalis, adeò vt ob vniuersis adorari curauerit; sed in patibulo, quod Mardochæo Iudæo parauerat,tandem suspēsus occubuit. Exaltauit se Antiochus; supra humanum modū in superbiàm elatus, & intestinis putrefactis,viuus à vermibus corrosus memoratur. Erexit se impius Nicanor, sed tandem à Iuda Machabæo deuictus ac superatus, frustatim comminutus, auibus cœli comedendus ac deuorandus proiicitur. Exaltauit se crudelis ac sæuus Herodes Agrippa Galilææ rex, seu potius tyrannus, de quo,
*Act.12.* *Act.*12. & Antiochi exitu periit,vt narrat Actuum Apostolicorum sacra præfata historia: Populus,dum ille concionaretur,acclamauit,adulando,Dei voces,& non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit.
*Suet. in Dom. Imperat.* Erexit se monstrum illud, veriùs quàm homo Domitianus, qui authore Suetonio in eius vita, se Deum vocari iussit, & à

suis interfectus est per insidias. Quid plura? Pharisæus iste seipsum exaltauit, sed exaudiri à Deo non meruit, qui nullius rei indigentem se iactauit. Contrà, Humiles Deus semper exaltauit. Saulē enim, cùm esset humilis regnare fecit. 1. Reg. 15 *Cùm eras paruulus in oculis tuis, caput in filiis Israel factus es.* Dauid minimus inter fratres suos, rex vngitur & inauguratur. Humilis Esther ad regnum assumitur, Vasthy arrogās & superba repudiatur, Mardochæus humilis euehitur postremò ad magnos honores, reiecto, ac suspenso superbissimo Aman. Sic nummus, qui in statera appenditur, ac Iusti ponderis inuenitur, in thesauro reconditur: quippe qui ob pondus descendit & vergit ad partes inferiores; Qui autem ob lenitatem ascendit, repellitur, nec in vsu habetur. Descendit pluuia super montes, sed ad valles delabitur. Ideòque, iuxta Psalmographi sententiam. Valles abundabunt frumento, Montes verò ipsi, steriles manent, quia aquam non retinent. Vnde idem Psaltes: *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* Hæc dixerim Auditores, vt studeamus, cum publicano hîc ex animo, ac verè, syncerèque humiliari, ac iustificari à Deo, vt in cœlo tandem exaltari mereamur: dicente Apostolorum coryphæo: 1. *Petr.* 5. *c* Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis, Fiat, fiat.

*1. Reg. 15.*

*Similia quædam.*

*1. Pet. 5.*

## Appendix ad hoc Euangelicum dictum:
*Decimas do omnium, quæ possideo, &c.*

ADuersus eos, qui fraudem faciunt, & decimas persoluere nolunt, operæprecium duxi ex Ioanne Molano, præter ea, quæ suprà posita sunt à nobis ac commemorata, per appendicis formam sequentia etiam haud pœnitenda exempla, ex probatis classicisq; scriptoribus attexere, atque congerere in hunc locum. Is igitur oratione secunda: de decimis dandis, cap. 9. Ioannē Magnum, Archiepiscopum Vspalensem, in Gothorum historia, li. 18 c. 13. ita scribentem, citat: Canutus rex cùm summo ac pio studio contenderet, vt Christi ministris liberalius, & commodiùs de decimis & primitiis prouideretur, insigni cuiusdam Blacconis perfidiâ traditus, ab insana plebe trucidatur. Quo facto tanta frumentorum penuria vniuersam Daniam inuasit, vt maxima populi pars, alimentorum inops, inedia consumeretur: Nec prius Danicis agris fœcunditas restituta est, quàm populus ad cor reuersus, pœnitētiam ageret, se tam sanctum regem occidisse, qui tam iusta &

*Ioan. Molanus orat. 2. de decimis, ca. 9. ex Ioan. Magno in Gothorum hist. l. 18. c. 13.*

honesta pro Christi ministris postulasset: Iámq; experimento didicerant se iustè nouem frumentorum partes amisisse, qui decimam ex eis Deo & Dei ministris reddere noluissent. Hæc ille Vspalensis Archiepiscopus, referente Molano. Rursus, Orat.3. de decimis defendendis, ex lib.11. Saxonis, eiusdem regis Daniæ exemplum, pro religione decimarum defendenda proponit his verbis, cap.6. illius orationis: Habetur etiam apud Surium, to.4. Iulij 10.) Kanutus Danorum rex, populares adhuc sacrorum rudes, decimarum religioni assuefacere conabatur. Sed propositi irrita suasio fuit: quippe maturitatem rerum capere nouelli cultus rudimenta nequibant. Is à Blaccone proditus, propassis vtrinque brachiis ante aram occubuit in Albani æde sacra. Ex lib.12. Saxonis Grammatici historiæ Danorum, circa exordium sic habetur: Criminosis semper infensa diuinitas, ne diu scelus impunitate floreret, petulantiam penuria rependere voluit: Summa aëris intemperantia, annorum quibus Kanutus regnum gesserat numerum adæquauit. Quamobrem tanta ciborum penuria incessit, vt maxima populi pars, alimentorum inops inedia consumeretur. Enimuero abunde seges finitimis erat, vt priuata gentis, non publica terrarum vltio videretur. Sanè tam euidens pœna, aliis fruge abundantibus, Danis priuatim ingruens, & parricidarum noxam, & perempti innocentiam, liquidò argumentata est. Sic ille. Daniæ Ecclesiæ, ait Molanus, eum inter Martyres Christi celebrant ad diem 10 Iulij & inter alia legunt: Anno incarnationis Domini millesimo octuagesimo sexto, in Ciuitate Ottoniensi gloriosus rex & protomartyr Danorum Canutus, pro zelo Christianæ religionis, vt Christus à proprio conuiua traditus, sic à suo familiari, Blacco nomine, lucri causa proditus est, & in basilica S. Albini martyris ante altare manibus solotenus expansis in modum crucis, latere lanceatus, sexto Idus Iulij, & feria sexta mortem pro Christo passus, requieuit in pace. Hæc apud Molanum. In Vsuardi Martyrologio sexto Idus Iulij, sic minutioribus characteribus scriptum comperitur: Ciuitati Ottoniensi, sancti Canuti regis & protomartyris Danorum, qui Anno millesimo octuagesimo sexto in basilica S. Albani martyris, manibus in modum crucis solo tenus expansis orans, mortem pro Christo passus est à suo familiari. Hęc ibi. Idem Molanus cap.7. vbi suprà, citat Ioannem Maiorem Scotum Theologum Parisiensem lib.4. de gestis Scotorum, cap.10. referentem, quod Anno Domini 1222. Episcopus Cathenensis,

*Idem Orat.3. de decimis defendendis c.6. Ex l.11. Sax. habetur etiam apud Surium to.4. Iul.10. de S. Kanuto Danorũ rege & martyre. Saxo, lib.12. hist. circa initia.*

*Vsuardi Martyrolo. 6. Idus Iulij. Molanus c.7. vbi sup. Ioan. Maior lib. 4. hist. Scotor. c.10.*

nensis, decimas & Iura Ecclesiæ à suis quærens, ab eis in propria sua coquina crematus est. Et quia Ioannes Comes Cathenensis vicinus suppetias non tulit, postulanti, magna parte sui comitatus, in peccati pœnam ab Alexandro priuatus est, & multa eius bona mobilia Ecclesiæ data, & finaliter hic comes à suis anno 7. post factum occisus est. Alexandrum Scotorũ, tunc tẽporis regẽ intellige. Hęc maior Hector Boëthius, lib. 13. historiæ Scotorum, circa media, hoc sic commemorat. Cathenenses Episcopum suum, cui nomen Adamo erat, decimas more consueto, fortè à popularibus exigentem, ac quùm non persoluerẽt, diris, vt mos, execrationibus eos persequentem, correptum domi suæ, flagris prius fœdè cæsum, in propria ipsius culina concremarunt. Quod flagitium, vbi perlatum ad Alexandrum est (Regem Scotię intellige) contractis paucis quibusdam copiis, illuc extemplo ipse proficiscitur, ac statim comprehensis sceleris authoribus, qui supra quadringentos erant, omnes supremo affecit supplicio. Postea subditur. Comitem verò Cathenensium, quod nec succurrisset inuocanti auxilium Adamo, nec trucidato, de homicidis supplicium mox sumpsisset; comitatu primauit. Pontifex vbi Alexandri in puniendis hominibus flagitiosis diligentiam ac curam audisset, plurimis verbis eum per legatum laudauit. Tertio inde anno, cùm Alexander rex, in festo Regum genio liberalius indulgeret, captata opportunitate, Comes Cathanesius, supplex ad eum veniam rogatum venit cædis Adami; cuius quum innoxium se esse diceret, eum Alexander seueritate exuta, pristinæ fortunæ, accepta prius ingenti pecunia, restituit. Sed impunitatem hanc ab homine concessam, haud inultam Deus dimisit. Nam famuli eius, quòd eos asperiùs æquo tractasset, post paucos annos, noctu trucidatum, ac in grabatum impositum (quò facinus occultum maneret) accensis ædibus concremarunt. Periit igitur ille eodem supplicij genere (etsi aliquot annis postea) vt diuinitus factũ videri possit, quo Adamum Episcopum affecerant, cuius in mortem ipse haud dubiè consenserat. Hucúsque Hector. Iam Molanum, cap. 10. vbi suprà, scribentem, ex Historia Patauina, Referentémque memorabile, S. Bellini martyris exemplum, audiamus. Magis, inquit, versari placet in illustriori exemplo sancti Bellini, qui natione Germanus, sed dignitate Episcopus Patauinus, numero. 71. Anno Domini 1149. die 26. Nouembris, decimarum ius suo martyrio consignauit. Quod quale fuerit, audiamus, à Bernardino Scardeonio Canonico

*Hector Boeth. l. 13. hist. Scot. circa medi, aut paulò post.*

*Molan. c. 10. vbi suprà, ex hist. Patauina Bernar. Scardeonij.*

*Scardeonius l. 3. hist. Pat.*

Patauino, qui de antiquitate vrbis Patauij tres libros conscripsit. (lib. 3. classe 13.) Thomas, inquit, Capinacius, cognomẽto Capiniger, cùm iustè conuictus atque iudicatus fuisset à Bellino Episcopo Patauino viro sanctissimo, ad soluendas decimas agrorum, quos sub Dioecesi Patauina latiùs possidebat: cùm esset agri ditissimus, Cui ea sententia, vt homini auaro, videretur multum iacturæ adferre, non valens id æquo animo ferre, Aggressus Bellinum Romam fortè pro Ecclesiæ suæ negotiis proficiscentem, in itinere iuxta Rodigium Pollicini oppidum, vt quidam volunt, canibus, vel vt alij affirmant gladiis immaniter interemit, Anno Domini 1149 Qui quidem vir sanctus, cùm cœpisset post mortẽ miraculis supra modum nitere, & miracula multa facere, à summo pontifice Eugenio, biennio post mortem honorificè ascriptus est. Homicida autem ille, etsi pœnas impietatis, vt dignus erat, tunc fortè legibus humanis, propter potentiam, non dederit: diuino tamen iudicio postmodum acriter punitus est. Nam iusta Dei vindicta, grauissima posthæc inopia afflictus, quoad vixit, vitam traduxit miserrimã, & tanta æris alieni magnitudine oppressus, vt in carcere infeliciter reliquũ vitæ suæ tempus degens, maxima egestate confectus, & ab omnibus derelictus, miser interierit. Insuper in vltionem tanti flagitij, omnis etiam eius soboles, quæ ab eo ipso defluxerat, donec superfuit, vt fertur, templum in honorẽ Diui Bellini Deo dicatum, ingredi nunquam potuit. Sed huius progenies, vnà cum fundis & facultatibus, haud multo post ita penitus defecit, vt nulla ex ista radice, omninò proles, Deo permittente, pullulata remãserit. Hactenus in Patauina historia Scardeonius In Martyrologio Vsuardi ex Molano 26 Nouembris, ita adnotatum legimus. Eodem die S. Bellini martyris, Episcopi Paduani. Quem immaniter interemit, anno millesimo, cẽtesimo quadragesimo nono, vir nobilis, sed auarus, Thomas Capinacius, à Bellino iustè conuictus atque iudicatus, ad soluẽdas decimas agrorũ, quas sub Dioecesi Patauina latius possidebat. Hic cum cœpisset post mortem miraculis supra modum nitere, ab Eugenio tertio, biennium post mortem, in Catalogo martyrum honorificè ascriptus est. Sic ibi. In Martyrologio Petri Galesini ad Gregorium 13. Pont Max. in sexto Calendas Decembris, seu 26. Nouemb. die, ita habetur: Pataui j, Sancti Bellini Episcopi & Martyris: cuius sanctitate diuinitùs testificata miraculis, eũ in sanctis Eugenius quartus, Pontifex maximus, adscripsit. Sic ille. In Notationibus verò ita legitur. (S. Belini Ep ) Ex Ca-

*in catalogo Martyrum.*

*Martyrolog. Vsuardo ex Molano 26. Nouemb.*

*Martyl. item Petri Galesini ad Gregor. 13. Pap. 6. Cal. Decemb.*

lendario Eccl. Pat. Tu vide Scardeonium lib. 3. hist. Pat. Ex his omnibus satis súperque clarum euadit, Decimarum persoluendárum religionem, à Pontificibus magnæ sanctitatis viris (quales fuerunt, Belinus, ac Episcopus Cathanensis, Scotus, nomine Adamus) item à deuotis regibus (cuiusmodi fuit sanctus Canutus Daniæ rex ac Martyr) strenuè defensam fuisse ac propugnatam. Terino ille sanctissimus, Martyrij laureâ, pro religione decimarum, coronatus est. Imitentur Reges ac principes Christiani, Ezechiam regem, de quo suprà dictum est, qui valde sollicitè præcepit dari decimas Sacerdotibus & Leuitis, vt possent vacare legi Domini. Ob quod factum tale eius est elogium. *Operatus est ergo Ezechias bonum & rectum, & verum coram Domino Deo suo in vniuersa cultura ministerij domus Domini, iuxtà legem & cæremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo, fecitque, & prosperatus est.* 2. Par. 31. Volunt sibi tributa reddi reges terreni, Curent & satagant ipsi, vt ministris etiam Dei, decimæ debitæ reddantur ac persoluantur. *Matth.* 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt* Dei *Deo.* Ipsi gloria per æterna secula. 2. Par. 31. Matth. 22.

AMEN.

liberans, & huius surdi ac muti calamitatem miseratus, non fine mirandis ceremoniis illum curauit, vt in huius concionis progressu ampliùs patebit.

*Adducunt ei surdum & mutum, &c.* Non talis natus est homo iste, aut ex accidenti, sed insidiis diaboli, qui in illo habitabat. Surdos reddit peccatores, ne audiant verbũ pœnitentiæ: & ad confessionem reddit mutos & verecundos. Ita enim quidam interpretes sentiunt, hunc surdum & mutum à dæmone fuisse possessum, sicut de alio legimus, quem mutum dæmoniũ reddiderat; In qua sentẽtia sunt, Ioãnes de la Fuente Toletanus, ad hunc locũ, & Soarez Episcopus Conimbricensis, commentariis in Marcum. Quod si ita est, Dęmoniacã obseruare licet astutiam atq; malitiã. Surdos namque atque mutos eos efficit, quos possidet, quod in modernis hæreticis à Dæmone obsessis videre est, qui neque verbum Dei audiunt, neque confiteri volunt peccata sua sacerdotibus, Audire Christi Ecclesiã contumaciter detrectant confessionis Sacramentum contẽnunt, Insuper carnificinam & conscientiarũ lanienam illã vocant. vtrumque proscindunt, & comitiis afficiũt, Ecclesiã, Papisticũ Idolum, Confessionis ac Pœnitentiæ sacramentũ, traditionem humanam libertati Euãgelicę repugnantẽ calũniantur. Tales igitur hęretici, Lutherani ac Caluinistæ, confessionẽ peccatorum negãtes, & Romanã Catholicã Ecclesiã audire nolentes, Iure omniũ optimo per hunc surdum & mutum intelligi designatiq; possunt. Quos dignetur Dominus aliquando ad veritatis semitam, à qua deflexerunt & aberrauerunt, reducere & ad Ecclesiæ gremium reuocare, atque cor lapideum ab eis auferrre, aures ad audiendam Ecclesiam aperire, & vinculum linguæ in accusationem suorum scelerum soluere, vt Domino confiteantur in Ecclesia magna & Catholica, ac in populo graui laudent Deum, profitentes & dicentes singuli: *Dirupisti Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

*Luc. 11.*
*Ioannes de la Fuente, & Zoarez in Marcum.*
*Psal. 115.*

Surdum & mutum, ait Euangelista, Prius de minori, quàm de maiori malo facit mentionẽ. Grauius enim maiúsq; incommodũ censetur obmutescẽtia, atque linguæ impedimentum, quàm surditas. Et peccator quidem (qui per hunc hominem significatur) à paruis ad maiora scelera facilè delabitur. Vnde *Ecclesiasticus. Qui spernit modica, paulatim decidet.* Consentit & D. Gregorius scribens sic: Peccatum, quod per pœnitẽtiam mox non diluitur, suo pondere ad aliud trahit?

*Eccles. 19.*
*D. Greg. Pap.*

Surdum. Simile aspidis obturãtis aures suas, *ex Psalmographo,* cuique obuium est. quod & in Decadibus nostris comperies,

*Simile, Ps. 57.*

Vlysses etiam vt Syrenum cantus posset effugere, aures suas diligenter obserauit, ne fortè periret cum plerisque aliis in ipso mari. Cuius exẽplo,& nos effugiamus maxima cum sollicitudine Syrenum cantus,hoc est, titillantes carnis lasciuias & voluptates.

Eccl. 15. Mutum similiter reddidit hominem istum, malignus Dæmon,à Dei laude ritè proferenda: *Nam Eccles. Non est, inquit, speciosa laus in ore peccatoris.*

*Et apprehendens eum seorsum à turba, misit digitos suos in auriculam eius,&c.* Obserua ordinem. Primùm apprehendit illum manu, scilicet,propria. Secũdò, digitos in aures eius immisit. Terriò, expuens tetigit linguam eius Quartò ingemuit. Quinto,vsus est verbo imperãdi. Vtriusq; naturæ suæ proprietatẽ,in huius curatione hominis ostẽdens .Ingemiscere enim hominis cõdolentis est. Verbum autem, Adaperire, (Gall *sois ouuert*) imperantis & iubentis est,non autem deprecantis. Expuit verò,& sputo suo, sicut aliâs,curare voluit Christus hunc hominẽ,qui

Ioan. 4. *apud Ioannẽ*,sputi collyrio,cæcũ à natiuitate illuminare voluit.

*Deprecabatur eũ vt imponat illi manũ,&c.* Non est silentio committendũ,quod Dominus duas habet manus, quas super homines imponere solet,& sunt illę de quib^9 regius Vates dicit:

Psal. 100. *Misericordiam & Iudiciũ cantabo tibi Domine.* Manus iustitiæ adeò

Iob 19.ca.13. grauis est,vt patientissimus,*Iob* exclamare cogatur. *Miseremini mei,&c. quia manus Domini tetigit me & Manum tuã longè fac à me,*

Psal. 20. *& formido tua non me terreat.* De hac quoque Psalmographus, *Inueniatur manus tua,* ait, *omnibus inimicis tuis*,id est,graue Iustitię tuæ manũ super hostes tuos, Hæreticos,Turcas, Ethnicos & infideles aggraua,& nõ super nos. Quin potius manũ tuæ diuinæ misericordiæ nobis porrige atq; extende, *Emitte manum*

Psal. 143. *tuam de alto,eripe me de aquis multis.* Hanc misericordiæ manum à Domino postulare debemus,vt super peccatorem ponat,vt audiat atque loquatur. Vnde sequitur, misisse Christum digitos suos in auriculas eius, ac tetigisse linguam eius,vnde consequutus est auditus pariter & affatus.

Nota quoque, quòd est manus Dei supportantis, confortantis,castigantis & conseruantis. Supportantis,inquã,vt nutrix puerũ incedere, incipientẽ manu supportat,ne casu ledatur. Christus verò est nutritius noster. *Ego inquit per Oseam quasi*

Osee 11. *nutritius Ephraim,portabam eos in brachiis meis,& nescierunt,quòd curarem eos In funiculis Adam traham eos,in vinculo charitatis. Cùm ceciderit iustus scribit Psaltes non collidetur, quia Dominus supponit manũ*

Psal. 36. Ezech. 3. *suã.* Est etiã manus Dei confortantis. *Ezechiel, Manus inquit Do-*

*mini erat mecum, confortans me.* Manus autē Dei castigantis ea est: cuius locis supra commemoratis Iob disertis meminit verbis. *Iob. 19.* Manus denique Dei conseruantis ea est, qua iustos suos conseruat ac tuetur. *Iustorum animæ in manu Dei sunt*, hoc est, in *Sap. 3.* protectione & gubernatione ac Dei prouidentiâ, vnde consequens est, vt non tangat eos tormentum mortis. Quod continuè & assiduè homo in manu tenet, benè, conseruat. Christus autem in manibus suis nos descripsit. *In manibus meis descripsi te, &c.* Ideo nunquam nostri obliuisci poterit. *de electis Christi* *Isa. 49.* *ouibus* dicitur: *Nemo poterit eas rapere de manu mea neque de manu* *Ioan. 6.* *patris mei.*

*Ingemuit.* Maximè mirabile videtur, quòd Christus cùm sit omnipotens nunc tamen, ac etiam alias ingemiscat. Maximum malum sit, necesse est, quod potentissimo Domino gemitum excutere potuit. *Cùm omnis caro corrupisset viam suam, tactus fuit* *Gen. 6.* *clementissimus Dominus dolore cordis intrinsecus, Christus item videns* *Luc. 19.* *ciuitatem, fleuit super illam, &c.* excidium præuidens hierosolymitanum. Et nunc surdum & mutum cōtemplatus: ex imo pectore gemitum duxit, O miseros peccatores! qui miseriam suā non considerant, Cùm tamen Dominus propter hominū peccata ingemiscat. Nos verò eò dementię deuenimus, vt tanquā Phrenetici, & mente capti, peccatis nostris redeamus. Si scires, ô peccator miseriam tuam, cùm Deum offendis, Si lesæ maiestatis attenderes sublimitatem. Et tu vtique fleres, Quis enim temperet à lacrymis, recolens se tam sæpè offendisse illum, qui ad suam imaginem nos condidit? Offendisse item illum, qui ad nobilissimum finem, vt summum bonum consequeremur, nos ordinauit? Rursus, offendisse illum, qui in vsum nostrum omnia creauit, *dicente Psal. Omnia subiecisti sub pedibus e-* *Psal. 8.* *ius, &c.* Quòd si hæc pauca nobis videantur. Considera (amabo) quòd offendis illum, qui pro te è cœlis descendere dignatus est, è sinu patris, in vterum dignatus est descēdere matris, Propter nos homines, & propter nostram salutē, triginta tribus annis, sudauit & alsit, esuriit ac sitiuit, ac tandem crucifixus est, vt nos redimeret. Quintò offendis illum, qui tibi spatium dedit pœnitentiæ, nec te statim puniuit: Sed dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Vnde exclamat sanctus propheta: *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti, quia* *Thren. 3.* *non defecerunt miserationes eius* Postremò, offendis illum, *qui postquam occiderit corpus potestatem habet mittendi animam in gehennam.* *Vide quàm amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse* *Luc. 12.* *se timorē Dei apud te.* Attende pariter personæ offendētis vilita- *Ierem. 2.*

tem, atque Dei offensi maiestatem. Tu verniculus, illam summam ac infinitam Dei optimi Maximi offendis maiestatem. Ob quam, quæso, caussam? *Propter quid irritauit impius Deum?* Ob breuissimam nempe voluptatulam? Ob rem nihili! ob lucrum momentaneum, ob turpem quæstum. Vide quàm parui facias, & æstimes illum. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, &c.*

*Ibid.*

*Plutarchus. lo 1. opusc. in Apoph. Imp.*

Memini eius, quam Plutarchus refert in Apophteg historiæ, de Lysimacho ad hunc modum: Lysimachus in Thracia circumuentus à Dromichæta, quum se exercitúmque propter sitim in potestatem hostium tradidisset, postquam captiuus bibit, proh Deum fidem, inquit, quàm exiguæ voluptatis gratia seruum me de rege feci. Hæc ille.

Sic & peccator propter aquas furtiuas, putridásque huius mundi, propter blandimenta, carnísque illecebras, exiguæ, inquam voluptatis gratia, in Deum & cōtra animam suam peccans, seruum se mancipiúmque peccati ac Diaboli constituis de filio regni fit filius perditionis & gehennæ, de filio gratię filius irę. Hinc illæ Christi lachrimæ: Ideóque ingemiscit, quia surdus iste & surdus obdurationem peccatoris denotat.

Notatione dignum fuerit, quòd hunc Christus apprehendit seorsum de turba, ad designandum quod qui volunt laborare ad peccatoris conuersionem, primùm ad hoc eum inducere debent, quòd separetur à pristina societate eorum, cum quibus ante vixit in peccatis, & summopere eorum fugiat cōsortia, cùm *Eccles. 13. dicat: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo induet superbiam. & Qui se iungit fornicariis, erit nequam.* Recessit Petrus à cœtu malignantium, vbi Christum amantissimum magistrum ac præceptorem suum abnegauerat. Qui seriò ab hæresi ad Ecclesiæ sinum & gremiū reuertitur, ac ex animo resipiscit, non amplius cum hæreticis gradietur, sed coniurationem talium auersabitur, cane peius & angue oderit, ac detestabitur huiuscemodi conciliabula. Qua de argumento, nimirum, non conueniendum esse cum hæreticis, opusculo quodam à nobis Gallicè composito, ac in lucem emisso, aliquammulta dicta & congesta à nobis comperies. Petrus Blesensis, in Rhetoricis, inquit, argumentum trahitur à conuictu,

*Ecc. 13. & 19.*

*Luc. 23.*

*Opusc. auth. gal. de non cōuenendo cum haeret.*

*Petr. Blesensis epist 94.*

*Iuue. satyr. 2.*

*Vuáq; conspecta liuorem ducit ab vua,*

Inquit, Iuuenalis. Demosthenes autem Græc. eloquentissimus versus quosdam ex Euripide, de improborum consuetudine citat huius modi:

*Demost. orati. de falsa legat.*

*Mala improborum consuetudo cui placet,*
*Is qui fiet vir, non rogo: sciens satis*
*Sodalum illum conuenire moribus.* *Iambi è Phœnice Euripidis*

Hi Iambi è phœnice sunt Euripidis, Græcos ex eodem, sic accipe:

Ὅς τις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνὴρ
Οὐ πώποτ' ἠρώτησα γιγνώσκων ὅτι
Τοιοῦτός ἐστιν οἷς περ ἥδεται ξυνών.

Seorsum de turba duxit istum Christus, *sic apprehenderunt Angeli manum Loth*, & eduxerunt eum extra ciuitatem Sodomorum. *Gen. 19.*

Sed de his sit satis.

Secundò misit Christus digitos suos in auriculas eius. Digiti nomine in sacra scriptura intelligitur Spiritussanctus propter distinctionem variam donorum eius, *dextræ Dei digitus*, in hymno Ecclesiastici appellatur, & quod apud vnum Euangelistam dicit Christus: *si in digito Dei eiicio dæmonia, &c.* alius dilucidius expressit, *si in spiritu Dei eiicio dæmonia, &c.* Vnde consequitur, Digiti nomine Spiritum sanctum intelligendum esse, hinc in Exodo magi exclamasse referuntur: *Digitus Dei est hic.* *Luc. 11. & Matt. 12.*

Digiti quinque in manu his nominibus exprimuntur; Pollex primus, qui præ cæteris polleat. Secundus Index seu demonstratorius. Tertius, Medius, Quartus Annularis seu etiam medicus. postremus autem vocatur, auricularis, quia eo aures scalpimus. In manu verbi incarnati fuerunt hi quinque digiti, quibus humani generis surditatem Christus curauit, Pollex in conceptione. vbi pollet Christi filij Dei, summa humilitas, atque exinanitio, *Philipp. 2.* Index in natiuitate, indicante Angelo ac dicente: *Et hoc vobis signum, Luc. 2.* Medius in prędicatione, Diuo Baptista attestāte: *Medius vestrum stetit, & cæt.* Medicus in miraculorum operatione. Auricularis denique in hodierno miraculo adde quod in aure obedientia significatur. *Factus est obediens patri, vsque ad mortem crucis.*

Tertiò Christus expuens tetigit linguam eius saliua sua & sputo. per saliuam autem intelligitur Dei sapiētia Saliua quippe ex capite defluit in ore. Obserua autē similes Ceremonias in baptismo adhiberi solitas, quæ ex hoc Christi facto suam sumunt trahūntque originem. Vnde in Catechismo Tridentino vbi de Ceremoniis baptismi agitur. Sic habetur.

Baptizandi nares & aures saliua liniuntur, statímque ad baptismi fontem mittitur, vt quemadmodum cæcus ille Euan-

gelicus, quem Dominus iusserat oculos luto illitos, Siloës aqua abluere lumen recuperauit, ita etiam intelligamus sacræ ablutionis eam vim esse, vt menti ad cœlestem veritatem perspiciendam lumen afferat. Sic ibi.

*Enchiridion.* Insuper ex Enchiridio Coloniensis Concilij Prouincialis, de Sacramentis noui testamenti, sic ea de re habetur: Illinitur sputum naribus & auribus, exemplo Christi, qui prius cæci nati oculos luto è sputo facto subliniuit, & sic ad aquas Siloe misit. Dicitúrque ei verbum Euangelicũ, quod Iesus, quando mutum & surdum sanauit, taugens sputo linguam eius, & mittens digitos in auriculas eius, dixit: *Epheta, quod est adaperire.* Verbum sanè sacramento conueniens. Admouētur enim baptizandi per Saliuam typicam, & Saluatoris factum, vt aperiantur ipsis nares, ad odorem uotionis Dei, & *2.Cor.2.* vitæ æternæ capiendum, quo baptizati dicant: *Bonus odor Christi sumus.* Vtque aperiantur eis aures ad audiendum verbum & mandata Dei. Saliua typus est sapientiæ & gratiæ Dei & discretionis fidei, cuius acceptio in auditu. & discretio in naribus significatur. Hactenus Enchiridion.

*Epist. Magist. Albi in li. de diui. offi.* Ex Epistola Albiui ad Oduinum presbyterum, quæ in libro de diuinis officiis habetur, sic dicitur: Tanguntur & nares, vt quandiu spiritum naribus trahat: in fide accepta perduret. Iuo *IuoCarn. ibid.* Carnotensis Episcopus de Ecclesiasticis officiis sermone de Sacramentis, ita scribit: Postea tanguntur aures & nares cum saliua. Saliua quippe à capite descendit in os, supernam significans sapientiam, cuius tactu & aures cordis aperiuntur, ad intelligendum Verbum Dei, & nares ad repellendum fœtorem noxiarum delectationum. Vnde ait B. Ambrosius. Quid *D. Ambros. li. de Sacram.* egimus in Sabbato? nempe apertionem, quia Sacramenta celebrata sunt apertionis, quia aures tibi tetigit & nares. Quod significat in Euangelio Dominus Iesus Christus, cùm ei oblatus esset surdus & mutus, cuius os tetigit, quia mutus: & aures, quia surdus erat, & ait: Epheta, quod est adaperire. Sic ille.

*Statim apertæ sunt aures eius & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Obserua admirandam huius viri curationem. *D. Ambro. in Lucam.* Apertæ sunt aures eius in momento, vt iam perfectè & clarè audierit, surditate repulsa, statim, inquam, Nam D. Ambrosio teste, nescit tarda molimina, Spiritussancti gratia: Solutum est item vinculum linguæ eius, ita vt loqueretur rectè, hoc est, expeditè, Deum vtique laudans, Confestim ab illa obmutescentia, & loquendi impotentia liberatus est. Sunt qui lo-

quantur non recte, vt detractores, *Et susurrones Deo odibiles*, blasphemi, ac maledici. Sunt & qui loquantur otiose At verò *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij*. Quantò magis de omni verbo criminoso? *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*, Christus præmonuit iudex viuorũ & mortuorũ. Ideo monet Apostolus: *Omnis sermo malus, de ore vestro non procedat. Idem rursum: Sermo vester sale sit cōditus*. Et quia dicente scriptura, *In multiloquio non deerit peccatum. Si quis loquitur, quasi sermones Dei, ait Apostolorum vertex ac columen, & Psalmographus, Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, Posui ori meo custodiam, &c.* Non dixit, vt taceam, sed vt non delinquam in lingua mea. *Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi, ait Ecclesiastes, Vnde Euangelicus Propheta, Va mihi*, inquit, *quia tacui*. Sancti illi anachoretæ & eremitæ, olim non semper tacebāt, sed certo quodam tempore conuenire in vnũ solebant. Ibique de rebus sanctis, & ad spiritualem ędificationem pertinentibus differebant, ac colloquebantur. Nonmurmurationes ibi audiebantur, vt sæpè in quorundam claustris fieri consueuit, sed omnia ad sanctum & pium suum referebant institutum, quod ex libris facilè deprehendas, præsertim si Collationes sanctorum patrum à Cassiano scriptore classico exaratas, legere non graueris. At verò, quod sine lachrymis dici non potest, hoc nostro tempore, aliter à plerisque fieri videmus. Vtinam ponerent ostium circumstantiæ labiis suis, vt regij vatis verbis vtar. Scriptum est enim ab eodem. Vir linguosus non dirigetur in terra. Ideò B. Serapin, referente Petro Blesensi, Epistola 120. dicere consueuit. Non est membrum in meo corpore, quod timeam, sicut linguam. Et quidem verbum beati Iacobi verum est. *Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio*.

*Rom. 1. Mat. 12. Ephes. 4. Prouerb. 10. 1. Pet. 4. Psal. 38. Eccl. 3. Esa. 6. Cassia. in SS. Patrũ Collat. Psal. 13e. Petr. Blesensis.*

Qui ergo religionis prætendunt habitum. *Prohibeant linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum. Psalm. 33.* Nocet esse loquutum, ait ille. Et Seneca: Epistol. 40. Quemadmodum sapienti viro incessus modestior conuenit, ita oratio pressa, non audax, summa ergo summarum hæc erit: Tardiloquum te esse iubeo. Sic Seneca Cui consonat & illud. Diuus Iacobus, *capite primo. Sit homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum & tardus ad iram*. Rursus Seneca apud Pythagoram, inquit, discipulis quinque annis tacendum erat.

*Iac. 1.*

Quæ omnia eo consilio huc congessi, vt intelligamus sobriè loquendum, vt & id compleatur in nobis: Loquebatur rectè. Sint, inquam, examinata & casta atque adeò religiosa nostra colloquia, prædicatores, præcipuè, sanam & orthodoxam imprimis proferant doctrinam, loquantur rectè, & ad fidei normam catholicæ. Non in eo sita est recta locutio, vt quis verbis elegantibus, variisque vtatur coloribus Rhetoricis, & verba sola & inania fundat, De huiusmodi enim verbosis hominibus, non autem sententijs abundantibus, dicere solent Itali: *Parole assai, concetti pochi*; hoc est, Plus satis verborum, Sententia penè nulla. σπερμολόγυς tales vocant Græci, nuda & inania verba profundẽtes, & seminiuerbios veluti Paulo obiectum legimus Athenis à quibusdam philosophis dicentibus· Quid vult seminator verborum, siue, seminiuerbius hic, dicere? Et apud Stobæum Pythagoras: Μὴ ἐν πολλοῖς ὀλίγα λέγε, ἀλλ' ἐν ὀλίγοις πολλά. i. Ne multis verbis pauca comprehendas, sed paucis multa. præfertur Laconismus siue, vt græci significantissimè efferunt, βραχυλογία, hoc est, breuiloquentia, vel, breuiloquium, redundanti & superfluæ orationi, siue garrulitati, & loquacitati: vnde eodem Stobæo referente, Zeno ad volentem plura loqui, quàm audire: adolescens, dixit, natura nobis linguam vnam, aures verò binas dedit, scilicet vt duplo plus audiamus, quàm loquamur. Celebratur & Theocriti apophtegma: Cùm enim Anaximenes orationem habiturus esset: Incipit verborum quidem flumẽ, mentis autem gutta, dixit Theocritus. ἄρχεται, εἶπε, λέξεων μὲν ποταμός, νοῦ δὲ σταλαγμός. Zenon è discipulis suis aliquos aiebat esse φιλολόγυς, id est, variæ rerum cognitionis studiosos, alios verò λογοφίλυς, id est, loquendi tantum studiosos. Verùm vt Eusebius ibidem citatus asserit, Homines magnum possident vallum dentium, ad coërcendos leues sermones. hactenus ex Stobæo. Recta ergo locutio illa est, in qua vtilia quæque traduntur, & ad ædificationem comparata. Qui verò inania tantùm & inutilia profundunt verba, similes sunt hirundinibus garrulis supràmodum, ranísque coaxantibus, cùm nihil interim dicant vtile atque commodum, quinpotius verborum strepitu obtundere audientium soleāt aures. Sed de his satis.

*Act. 17.* *Stob. ser. 35. & 36.*

Sequentia videamus.

*Et præcepit illis ne cui dicerent, illi verò tantò magis plus prædicabant, & eò amplius admirabantur, dicentes: Benè Deus omnia fecit. &c.*

Sanè hoc dedit illis præceptum Dominus,ad dandum nobis morale documentum,quòd non debemus ex bonis operibus nostris,quærere gloriam nostram apud alios, neque ea facere ad iactantiam & ostentationem,dicente eodem Christo:Matth.6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus,vt videamini ab eis &c.* Idcirco expetere non debent, qui præclara faciunt opera, quòd illa innotescant alijs, vt inde consequantur laudem humanam. Hoc etiam illis præcepit, ad significandum,quòd beneficia alijs conferentes, non debent ea alijs commemorare,ne,iuxta Comicum, hæc beneficiorum commemoratio,quædam exprobratio sit:& ne inde videantur quęrere gloriam huius mundi. Nam per hoc perderent suorum beneficiorum mercedem apud Deum, quando ex illis quærerent humanæ laudis præconium, & auram venarentur popularem.Quod autem subiungitur: *Eò magis prædicabant* non caret difficultate.Quidam enim subdubitare possent.Num populus iste peccauerit,faciens cõtra id, quod Dominus præcipiebat? Multi etiam hic adiungunt quæstionem,quare scilicet præcepit Dominus huic plebi,vt taceret, quam nouerat non facturam?Ad quod breuiter respondetur, quia Dominus pro discipulorum & plebis exemplo, atque informatione præcepit vt tacerent vt nos,nimirum, suo doceret exemplo,gloriam,dum benè facimus,non captare populorum.Nec tamen populus iste, Dei miracula euulgando, &diuina opera prædicando,peccauit,quoniam,non, vt Deo non obediret,clamabat palamque profitebatur? *Bene Deus omnia fecit &c.* Sed quemadmodum Christus ex humilitate iniunxerat, vt tacerent,sic populus,non ex contemptu pręcepti, sed ex magno deuotionis feruore, atque merito gratitudinis,se non potuit continere, sibique temperare, quin in eius prorumperet laudes,& clamaret:*Benè omnia fecit*. Considera etiam,non sine Dei nutu, hoc fecisse turbam illam piam & gratam,cùm hoc miraculum esset vnum,ex consignatis per Euangelicum Vatem,in Messiæ aduentu exhibendum: *Tunc aperta erit lingua mutorum,& aures surdorum patebunt: Surdos fecit audire,& mutos loqui,aiebant illi.*

*Matt.6.*

*Terentius.*

*Isa. 35.*

Impensum beneficium prędicantes,non contra præceptum fecerunt:quin potius gratos sese ostenderunt. Nec verbum hoc inhibitiuum,vt sonat,accipiẽdum est, eò quòd voluntate absoluta rem hanc non voluit reticeri Saluator:sed ad nostram id factum fuit instructionem. vt pauló superiùs dictum est,& rectè quidem id faciebant,atque bona intentione, sci-

licet vt exinde diuina Christi virtus, apud alios innotesceret, Deique nomen ampliùs celebraretur, & laudaretur; Similiter, vt per hanc miraculi prædicationem inducerentur alij ad credendum in Christum, & ad consequendam salutem æternam. Quæ enim publicata cedunt ad Dei honorem, & animarum proximiorum salutem, ea nequaquam debent ingrato obrui premique silentio: *Nam opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est.* Adde quòd, qui beneficia acceperunt, debent illa alijs commemorare in commendationem eorum, qui eis benefecerunt, & ne immemores videantur acceptorum beneficiorum, aut ingrati. Vnde est illud præclarum verbum: Beneficium commemoret, qui accepit, non qui contulit. Obijcies, eos Christo non paruisse iubenti vt tacerent, cùm alijs propalauerint tam eximium miraculum. ad quod dicendum existimo, eos à Spiritusancto edoctos, interiusque illustratos, id promulgasse, magisq. attendisse eos intentionem ipsius præcipientis, & significationem dati præcepti, quàm exteriorem præcepti prolationem. Vnde Diuus Augustinus pertractans ex professo hæc verba; ita scribit: Si sciebat eos, sicut ille, qui notas habebat, & præsentes & futuras hominum voluntates, tantò magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat: vt quid hoc præcipiebat? Nisi pigris volebat ostendere, quanto studiosius, quantoque feruentius eum prædicare debeant, quibus iubet vt prædicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant. Hæc ille. Vbi meritò torpor fidei nostræ arguitur, qui Dei innumera beneficia prædicare iussi, silemus: sceleris vtique arguendi, vt ingrati. *Eccl. 43. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis, maior enim est omni laude:* O admirandam fidei viuæ energiam: quippe quæ etiam adiurata, Dei laudes tacere nequeat, huc pertinet illud: *Act. 4. Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Si: *Matth. 9.* duobus cæcis à se illuminatis præcepit Christus dicens: *Videte Ne quis sciat. Illi autem exeuntes, diffamauerunt, seu diuulgauerunt eum in tota terra illa.* At dices, *Mar. 5. Cuidam Dæmoniaco præcepit Christus postquam illum curasset, dicens. Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui, & abijt, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur.* Quare huic præcipit loqui, alijs verò comminatur vt sileant? Respondeo non tam verba prohibendi attendẽda esse, quàm iubentis, v

*Tob. 12. c.*

*D. Aug. to. 4 l. 4. c. 4. de consen. Euang.*

*Eccl. 43.*

*Act. 4. c.*

*Matth. 9.*

*Mar. 5.*

Dei prædicemus magnalia, pia intentio considerãda venit, Aequum namque & rationi consentaneum est, in Dei prorumpere laudes,& gratitudinis iure eiusdem celebrare beneficentiam. Igitur isti hoc Domini comminatorium præceptũ ad literam non seruantes, nil peccauerunt, sed potius id fecerunt, quod debuerunt, eo magis suspicientes magnitudinem Iesu, ac magis per hoc prouocati, vt apud omnes prædicarẽt, quòd cum tantæ esset potestatis, nonsolum nil exigeret præmij, sed ne gloriã quidem tam insignis facti cuperet frui: Vt enim est hominis verè beneficij, non exigere laudem ac gratiam aliquam pro beneficio: Ita grati est hominis hoc impensius referre gratiam, quòd qui beneficium dedit & cõtulit, nullam expectet gratiam. Itaque passim de Iesu isti prædicabant dicentes: *Bene omnia fecit &c.* Discamus istorum etiam exemplo grati esse. Gratus fuit Iethro erga Mosem, cùm filiabus suis diceret: Quare non introduxistis hominem? Gratus fuit Eliseus erga hospitam, cùm diceret: *Si habes aliquod negotium cum rege. &c.* Gratus fuit Dauid erga Berzellai, cum filio suo Salomoni iuberet, vt ad mensam admitteret filios Berzellai, à quo Absalonem fugiens, benignè susceptus fuerat.

Eodemmodo Miphiboseth Ionathæ filium conuiuam fecit suum, & commensalem. memor amicitiæ, quàm cum patre ipsius Ionathas inerat. Sollicitus fuit denique iosue, ne Raab, quæ nuntios absconderat, ruente vrbe periret, Elias consimiliter. se gratum viduæ, à qua alebatur exhibuit. 3. Regum 17. Aliàs in Decadibus nostris longè plura aduersus ingratos protulimus. *2. Reg. 9.* *3 Reg. 17.*

*Bene omnia fecit &c.* Hoc certè elogium in solum Deum competit. Nemo est enim mortalium qui omnia benefecerit. *Quia non est iustus, qui non peccet, &c. in multis offendimus omnes,* atque vt falsè dixit quidam. Nil est ab omni parte beatum. Et, nemo sine crimine viuit. Sed vt scripsit Ecclesiasticus cap. 39. *Opera Domini vniuersa bona valdè.* *Horatius. Cato, vel, Ausonius. Eccl. 39.*

Nota quomodo eadem verba Spiritussanctus per os horum populorum pronunciat in opere redemptionis nostræ, quæ pronunciauit in principio de opere creationis mundi: *Gen. 1. cap. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* vt sic vtique ostendat hunc, qui operatur nostram restaurationem & salutem, idipsum esse verbum, per quod in principio facta sunt õia. Vtiq; benè omnia fecit, qui vidit cũcta, *Gen. 1. c.*

quæ fecerat,& erant valdè bona. In hoc autem Deum nescientes, eum confitentur : Nempe de nullo alio poteſt dici: *Bene omnia fecit*, niſi tantùm de illo, qui ſolus abſolutè dici bonus poteſt, & eſſentialiter ac independenter, iuxta illud : Nemo bonus niſi ſolus Deus. Sancti procul dubio, qui benè multa faciunt, non à ſe, ſed à Deo accipiunt hæc bona: proinde ſoli Chriſto dicitur : *Bene omnia fecit*.

*Deut.* 32.c.& Obſerua, multifariam multiſque modis benè omnia fecit. Primum quidem, in mundi productione hinc. *Deut.* 32. *Dei per-*
*Pſal.* 103. *fecta ſunt opera. & Pſal* 103. *Quàm magnificata ſunt opera tua, Domine? Omnia in ſapientia feciſti.* Secundò, Deus omnia benè fecit, in humani generis reparatione: *Miſit enim Deus filium ſuum,*
*Ioan.* 3.c. *vt ſaluetur mundus per ipſum. Ioan.* 3.c Tertiò, Deus benè omnia
*Pſal.* 118. fecit, in mundi gubernatione ordinatiſſima & regulari. *Pſ.* 118. *Fundaſti terram, & permanet, ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.* Quartò. Deus benè omnia fecit, in miraculorum operatione, quæ Chriſtus humana indutus carne, facere dignatus eſt, In atteſtationem quidem ſuæ diuinitatis, Item in ſubleuationem humanæ infirmitatis ac fragilitatis, Tum demum, ad procurationem promotionémque humanæ ſalutis, vt nimirum per illa inducerentur homines, ad credendum in Chriſtum filium Dei, & vt credentes ſalui fiāt per eum. In ſumma, Bene Deus omnia fecit, qui cuncta in numero, pondere, & menſurâ condidit, quíque ſapienter vniuerſa diſponit, vt Diuina teſtatur ſcriptura.

Antequàm dicendi finem faciamus, pauliſper exſpatiari & excurrere libet, ſuper tam fœcundo argumento : *Benè omnia fecit &c.* Stulti homines variè Deum in ſuis reprehendunt operibus. Primò, De inæqualitate diſtributionis bonorum. Cauſantur enim conqueruntúrve quidam pauperes : quare dat Deus vni multa bona temporalia, vnde centum ſufficienter alerentur egeni, & viciſſim mille mendicare cogantur præ inopia facultatum? Reſpondeo, Id non ſine cauſa fieri. Neque enim negligit Dominus pauperes, quibus temporalia non largitur. Quinimò in ſignum maioris dilectionis, pauca admodum temporalia dat pauperibus ; & promittit æterna. Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu*, quoniam ipſorum eſt
*Matt.* 9.c. regnum cœlorum. Chriſtus pauperibus tanquam filijs, confert ſuum patrimonium nempe paupertatem. Pauper ſiqui-
*Luc.* 9. dem natus, pauper vixit, & pauper mortuus eſt. *Luc.* 9. *Vulpes*
*Iac.* 2. *foueas habent &c. Filius hominis non habet vbi caput reclinet. Iac.* 2.

Nonne

*Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Psalmographus verò in Domini persona sic vaticinatur. *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei.* Sint ergo in sua paupertate patientes pauperes. Dat autem diuitias locupletibus, vt mediantibus illis, velut quibusdam instrumentis, mereantur vitam æternam. *Luc. decimo sexto capite. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.* Vt etiam per huiusmodi beneficia conuertantur ad Deum, talibus allecti, attractíque illecebris & occasionibus. *Luc. 16.*

Alij sunt, qui arguunt Dominum, de ordinatione temporum, dicentes: Iam nimis pluit, vel nimius est æstus. Quibus vicissim respondetur. *Act. 1. capite. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate; &c.* Solet quandoque Deus temporis excitare intemperiem, ad punienda peccata, vt patet in diluuio. Tonitrua & fulgura eiaculatur, vt deterreat, & conuertantur homines ad pœnitentiam. *1. Reg. 2. Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos de cælis tonabit.* Vnde *Iuuenalis Satyra 13. cecinit:* *Act. 1.*

*Hi sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,*
*Cùm tonat exanimes, primo quoque murmure cœli.*

Refert autem Suetonius in Tiberio Cæsare § sexagesimo nono ad hunc modum: Ille circa Deos negligentior, Tonitrua præter modum expauescebat, & turbatiore cœlo nunquam non coronam lauream ceruice gestauit, quòd fulmine afflari negetur id genus frondis. Sic ille.

Tertij Deum reprehendunt de inæqualitate prolis, eo quod pauperibus frequenter numerosam, prolem tribuat, quam vix alere possint, diuitibus autem per paucos, vel nullos concedit liberos filiósve, cùm tamen plurimos educare valerent. Quibus semel sit responsum: Non temerè vel, sine causa id fieri. Magnæ siquidem dilectionis est indicium, & argumentum, erga pauperes, quòd multorum filiorum parentes illos Deus esse voluit. Non diffidant, quin eos pascat Dominus, *Qui dat etiam escam pullis coruorum inuocantibus eum. Numquam vidi iustum derelictum*, ait idem sacer Vates, *nec semen eius quærens panem.*

Diuitibus verò prolem denegat, quippe qui cùm sint auari, & ad rem auidiores eos, multiplicis prolis prætextu, ampliùs per auaritiam peccare contingeret, ac in sibi subditos exactiones facilè multiplicare. Adde quòd propter vtriusque, aut alterius parentis sterilitatem id accidat.

Quarti arguunt Deum, de deformitate creationis, quare alios fecerit deformes, morbosos, leprosos, & corpore vitiatos, alios autem pulchros, eleganti forma & specie?

Respondeo. Id subinde fieri, vt ipsis & aliis tollat occasionem peccandi, quia, vt ait scriptura. Propter speciem multi perierunt. Si enim in deformi corpore, vix sibi à fastu & luxuria quis temperet, séque contineat, quid faceret in corpore specioso? cùm caro concupiscat aduersus spiritum, dicente Apostolo. At regerere posses & opponere. Cur ergo pulchros ac formosos Deus creauit?

Respondeo, quia vt ait Sapiens. *A magnitudine speciei creatura, cognoscibiliter poterit creator videri. Sapientiæ decimo* Sap. 13. c. *tertio. & Psalmista. Delectasti me, Domine, in factura tua. Psalm.* 91.

5. Rursus alij Deum de tentatione redarguunt, quarè scilicet permittat homines tentari? Quibus vicissim respondeo. Vt vincendo cum Dei adiutorio, coronam ipsi mereantur. 2. *Timoth.* 2. *capite. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Sed dices: Quare Deus, quos præsciuit lapsuros tentari permisit?

Respondeo, quòd Deus nullum cogit, vúltque sibi liberè ac voluntariè ab hominibus inseruiri, dedit enim homini rationem discernēdi inter bonum & malum, liberum homini concedens arbitrium, vt possit reprobare malum & eligere bonum, Dátque ei auxilia ac remedia, Eccl. 15. c. vt vitet peccata, & resurgat post lapsum. *Ecclesiast.* 15. *cap. Reliquit Deus hominem in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua. Si volueris mandata seruare conseruabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hactenus Ecclesiasticus. Igitur *Ose. c.* 13. *Perditio tua ex te Israel: tantummodo in me auxilium tuum.*

6. Postremò reprehendunt Deum aliqui, de permissione

mortis, quare videlicet plures iuuenes mori permittit, Senes verò debiles & decrepitos diu viuere sinit? Quibus satisfacere possis, hac ratione. Priores ad se vocat, & per mortem ad se rapit, magno iuuenum bono, & commodo spirituali, *Sap. 4. capite. Raptus est ne malitia mutaret animum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Heb. 11. cap. Quibus dignus non erat mundus.* Posteriores vero diu viuere sinit, & ad decrepitam peruenire senectam, vt peccata eorum, & delicta iuuentutis, longa expientur pœnitentia, tandémque salutem ipsi consequantur, æternósque effugiant cruciatus, vnde sanctus pater optabat Augustinus. Hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas.

Concludo itaque, quod Deus benè omnia fecit, neque inueniri potest in eius operibus, quod mereatur reprehendi & redargui. A bono nil nisi bonum, à pulchro omnia pulchra à sapiente, quid nisi absolutum & perfectum proficisci potest? Eius, vt sancta profitetur Ecclesia, *est totum, quod est optimum Ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum.*

AMEN.

# DOMINICA XII. A PENTECOSTE.

## De dilectione Dei ac proximi, necnon de eo, qui incidit in latrones.

*Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Luc. 10.*

TOB. XIII. *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei, ad videndam claritatem Ierusalem. Istæ reliquiæ fuerunt Apostoli, quos nunc Christus affatur.*



I regina Saba, vt inde exordium dicendi ducamus, de seruis regis Salomonis dicebat *Beati viri tui, & beati serui tui, hi qui stant corā te semper, audiuntq; sapientiam tuam.* 3. *Reg.* 10. Quantò veriùs æquiúsve Christū suis Discipulis dixisse æstimare debemus. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis? Nec solū de corporali visione intelligere oportet, Quandoquidem sic beati essent etiam Pharisæi, Christi crucifixores: neque verò tantùm de visione secundum fidem accipere conuenit, quia sic etiam beati essent Prophetæ antiqui, ac Patriarchæ, qui Christum per fidem viderunt assertore Christo, ac dicente de Abraham. *Ioann.* 8. *Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Prophetæ idcirco dicebantur Videntes. 1. *Reg.* 9. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns. *Vnde Isaias cap.* 6. *scripsit, vidisse se Dominum sedentem, &c.* ad differentiam tamen illorum, hoc loci profitetur Christus, quia *Multi reges & prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* De vtraque igitur visione, intelligere oportet. Ni-

3. Reg.

1. Reg. 9.

mirum, quia Apostoli corporaliter viderunt, & quia in Christum crediderunt, quòd esset filius Dei, quemadmodum & sanctus Simeon senex, *Luc.* 2. confitetur dicens: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Erat profectò quædam beatitudinis portio in Apostolis, cum Christo conuersantibus, videre hominem illum, quem sciebant ex fide verum Deum esse sicut & Apostolorum coriphæus professus est: *Matth.* 16. *Tu es Christus filius Dei, &c* in quo omne bonum nostrum continetur. Meritò itaque illis dicit Christus modo: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, &c.* Non tamen de beatitudine in patria accipiendum est hoc, verùm de alia, quæ huius vitæ gaudium superat & excedit. *Matt.* 16.

Erant enim tum Apostoli viatores, nondum autem comprehensores. Beati erant per fidem & spem, nondum per speciem, & facialem seu claram Dei visionem coniuncta autem erat cum charitate fides, siquidem Christum illi diligebant. Verùm obiicies. *Ioann.* 20. *cap. Beati qui non viderunt & crediderunt*, inquit idem Christus.

Respondeo illos etiam esse beatos, quadantenus interim beatiores iudico Apostolos, qui etiam videntes crediderunt. Quod enim Patres optauerunt videre Messiam incarnatum. Hoc ipsum suis conspexerunt oculis sancti Apostoli. Ideo magna libertate ac constantia testantur ipsi. *Quod fuit ab initio quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, (& vita manifestata est: & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem & apparuit nobis) quod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis.* 1. *Ioann.* 1. Benè admodum dicitur. Plus valet oculatus vnus testis, quàm auriti decem. 1. *Ioan.* 1.

Et vulgò iactatur illud: *Quod vidimus testamur. & Actorum cap.* 4. *Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.*

Adde quòd, hac vti solet Phœnix Theologorum & Aquila Euangelistarum. D. Ioannes, periphrasi & circumlocutione, in conscribendo suo Euangelio. *Et qui vidit testimonium perhibuit. cap.* 19. *Et ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis. Ibidem.* Omni exceptione maius est eiuscemodi testimonium, quod ab oculato perhibetur teste. Beati proinde oculi, qui vident, quæ vos videtis, &c. qui intelligunt, quæ vos. Apostoli meliùs intelligebant quàm omnes mundi sapientes. Fides enim cum charitate coniuncta, ita claros reddit oculos, vt qui eam habet, apertè possit ac clarè, (quod ne-

mo alius) cognoscere & intelligere. Sic Elisæus, 4. *Reg.* 6. Angelos videbat astantes iuxta illum, quod nemo alius videbat, & Stephanus, *Act.* 7. *vidit cœlos apertos*, quod nemo videre poterat. Apostoli igitur per fidem viuam, nedum oculis corporis viderunt & agnouerunt nostræ fidei mysteria, & ideò Beati prædicantur hoc loco.

*Multi Prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis & non viderunt, &c.* Dicet aliquis Dominus. *Numer.* 12. *cap.* *De Mose testatus est dicens: Si quis fuerit Propheta, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, ore enim ad os loquor ei: & palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.*

*Num.* 12. *c.*

Respondeo, Mosem vidisse quidem, Dominum in subiecta creatura nempe angelica. Omnes enim manifestationes patribus veteris testamenti factæ, per inferiores Deo creaturas factæ sunt, id est, per angelos. Si enim in seipso absque vllis imaginibus Deum sancti viderunt sicuti est, quid est quod idem Moyses obsecrabat Dominum dicens: *Exod.* 33. *cap.* *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, & rursus, ostende mihi gloriam tuam.* Vnde subiicitur Domini responsum. *Non poteris videre faciem meam: Non enim videbit me homo & viuet. Videbis quidem posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Sic ibi.

*Act.* 7. *cap.* protomartyr Stephanus, de eodem Mose sic refert. *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine, cum Angelo (nota obsecro) qui loquebatur ei in monte Syna, & cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis.*

*Lyranus.*

Quamuis aliter quoque respondere possemus de Mose, iuxta Lirani nostri doctam animaduersionem ac obseruationem, ad 12. cap. Numerorum. Vbi ita disertis verbis adnotauit.

*Palàm & non per ænigmata Deum videt.* Quidam gradus prophetiæ dignior erat in Moyse, quàm in cæteris prophetis, tamen secundum Hebræos non vidit diuinā essentiam, secundū quod dictū fuit sibi. *Exod.* 33. *Non videbit me homo & viuet.* Augustinus verò dicit, quòd cōcessum fuit ei in præsenti vita videre Dei essentiam, quod accipit ex hoc, quod dicitur hîc. *Palàm & non per ænigmata Deum videt*, quia omnis cognitio Dei citra visionē diuinæ essentiæ enigmatica est, secundū quod dicitur. 1 *Cor.* 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Vbi autem & quando fuerit concessa Moysi talis visio, non vidi determinatū ab aliquo doctore. Hactenus noster

*Exod.* 33.

Liranus. Posset igitur dici, quòd fuit hæc Mosis prærogatiua, hoc illius priuilegium singulare. Nec trahendum est in consequentiam, vt dici solet. Porrò longè aliter sancti Apostoli Dominum videre meruerunt, qui ipsum præsentem habebant, & ei conuictu familiarissimo adhærentes, quicquid cognoscere voluissent, non per speculum vel ænigmata non per Angelos, aut alias visionum species, sed ipsum Dominum, eternam ac increatam Patris sapientiam interrogantes, dicebant: Vnde omnibus sanctis iam præteritis, beatitudinis priuilegio præferuntur. Nam illi qui in veteri testamento Deum vidisse narrantur, Vt Iacob in Genesi, Isaias, in suo vaticinio, Micheas libro regum tertio. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes. Hebr.* 11. *Heb.* 11.

*Beati oculi, &c.* Contrà verò dici potest, de calamitosissimis deploratissimísque temporibus nostris, & seculo plusquàm ferreo, Miseri profectò, sunt oculi, qui vident, quæ nos videmus. Dicere iure potest quilibet vir pius, cum Mathathia. 1.*Machab.* 2. *Væ mihi, vt quid natus sum videre, contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ, & sedere illic, cùm datur in manibus inimicorum.* Et Iudas Machabæus filius eius, *cap.* 3. consimiliter dicebat: *Melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum.* Vnde apud Socratem, hist. Eccles. lib. 3. cap. 10. legitur, quòd Maris Chalcedonis Episcopus cæcutiens senex, manu ad Imperatorem Iulianum deductus, illum grauiter reprehendit apostasiæ, & impietatis. Ille contrà cæcum vocare, & dicere ausus est Deus tuus Galilæus, Non est te curaturus (Sic Christum significans) Maris verò liberiùs respondit: Gratias ago Deo, qui me orbauit luminibus, ne tuum vultum, qui tam ad omnem impietatem proiectus es, aliquando aspicerem. Nihil autem respondit Imperator, sed Episcopum acerbè persequutus est. De eo etiam, Sozomenus lib. 5. cap. 4. mentionem facit hoc modo: Maris Episcopus Iuliano Constantinopoli Fortunæ sacrificanti obuius factus est ἄθεον, & desertorem fidei appellans. Gratias ago, inquit ille, quòd cæcus sum, ne te, qui à pietate excideris, oculis aspiciam. Hæc ibi. 1.*Mach.* 2. & *cap.* 3. *Socr. hist. Eccl. l.* 3.*c.* 10. *Sozomen. l.* 5. *c.* 4. *Idem Nicephorus l.* 10. *c.* 20.

Quidpiam, Non dissimile in Martyrologio Bedæ. 9. Kalendas Aprilis narratur de Pigmenio presbytero. Hic, inquit scriptor, Iulianum apostatam à puero nutriuit, & literis sacris erudiuit, In cæcitatem deinde Pigmenius incidit, & Romæ cum vno puero, stipem petebat. Offendénsque Iu- *Martyr. Bedæ* 9.*Cal. April. Idem in Martyrol. Adonis.*

lianum Imperatorem, in Rheda aurea sedentem, ab eo vacari iussus, dixit ei Apostata, Gloria Diis Deabúsque meis, quia te video. Cui Pigmenius. Gloria Domino meo Iesu Christo Nazareno crucifixo, quia te non video. Ad hanc vocem iratus Iulianus, iussit eum per pontem in Tyberim præcipitari. Sic Venerabilis Beda. Nunc sequentia videamus.

*Multi reges ac Propheta, &c.* Tanto enim videndæ salutis huius desiderio incensi veteres inueniuntur, vt ipse Dominus desideratus cunctis gentibus apud Aggæum Prophetam, *cap. 2.* dicatur: *Et veniet desideratus cūctis gentibus.* Meritò ergo discipuli Domini beati prædicantur, qui desideratum cunctis gentibus viderunt, & tam larga manu hujus gratię primitias acceperūt. Igitur discipulis iure dicitur: *Matth. 3. Vestri beati oculi, quia vidēt, & aures vestræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi propheta & Iusti cupierunt videri qua videtis, & non viderunt: & audire, qua auditis, & non audierunt.* Hæc ibi. Beatas aures, nedū oculos prædicat ibi Dñs: Quo loco ex Plutarcho, to. 1. vt in Numa, obseruabis. Beatum reuera esse virum sapientē. Beatos etiam auditores sermonum, qui ex ore promanant Sapientis. Sic ibi. Demum quod addit; Multos prophetas & iustos non vidisse, quæ discipuli viderunt. Id solum docet, inquit Paulus de Palacio Granatensis in Matthæum 13 ca. mysteria diuina nunquam ita fuisse explicata, videlicet velo templi scisso, Velamine Mosis ablato, Sigillis libri apertis, propalata denique Sanctorum via, iuxta diuina oracula. Sic ille. Non viderunt, exactè & clarè, supple, sicut & vos. Alioqui, An non viderunt Abraham & Isaias? Respondeo, vidisse quidem illos, sed non ita manifeste, *Aliis enim generationibus, non est agnitum filiis hominū, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius. Eph. 3. c.* Viderunt antiqui illi, sed non in carne vt Apostoli, Sed rursum est argumentum Quia Beati, qui non viderunt & crediderūt vt suprà quoque citatum est. Respondeo. Non videre & credere, est beatitudo ad meritum. Sed videre, est beatitudo ad fœlicitatem. Rectè enim dictum cōperimus à Magno illo Gregorio, Fides non habet meritum, ait, vbi humana ratio præbet experimentum. Nota autem ex Michaële de Palacio Granatensi in Ioannem c. 20. quòd non ex hoc (Beati, qui non viderunt, & crediderunt) consequitur, nostram fidem maiori gloria esse donandam, quam Apostolicam fidem: Siquidem beatitudinis pondus, non correspondet fidei soli, sed fidei cum charitate: Maximo autem excessu nostra charitas superatur ab Apostolica charitate: ob hāncque causam, ipsi sunt beatiores multò,

Aggæi 2.

Matth. 3.

Plutar. to. 1. vitarum in Numa.

Paul. de Pala. in Matth. 13.

Ephes. 3.

D. Greg. Pop.

Mich. de Pal. in Ioan. 20. c. Beati qui non viderunt.

quàm erunt fideles. Ceterùm hoc sibi iusto nomine vendicat laudis fides posteriorum fidelium, quod minori motiuo credunt, quàm crediderunt Apostoli. Thomas ex visu & tactu credidit, spontaneus, & ingenuè professus Christi diuinitatem: *Dominus meus, inquit, & Deus meus.* Nos verò ex solo auditu. *Rom.10. Fides ex auditu.* Pronuntiat autem Dominus beatos esse, qui credunt ex auditu. Vnde forsan crederet aliquis, beatos non fuisse Apostolos, quia ex visu & tactu crediderunt: At verò eosdem beatos profert Christus, dicens, vbi suprà. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, &c. Cùm ergo fides, *Hebr.11. Argumentum non apparentium sit. teste* D. Paulo, Quomodo Thomas fidelis dicendus est, cui à Domino dicitur: Quia vidisti me Thoma, credidisti? Respondeo, quòd aliud videbat Thomas, & aliud credebat. Vidit quidem vulnera: At credidit vulneratum esse Deum & Dominum suum: Istud non vidit, quod tamen credidit: Nã quod vidit hoc non credidit, & quod credidit, hoc non vidit. Cæterum ad habendam hanc fidem notus fuit ex visu & tactu. Nihil enim obstat ad concipiendam fidem inuisibilium, ex visibilibus hominem moueri, Nos autem fideles, nõ ex visu vel tactu mouemur ad fidem concipiendam, sed solùm ex auditu: At verò quia inefficacior est auditus, ad mouendã mẽtem, quàm visus vel tactus. Iuxta illud Poëtæ Lyrici, de arte Poëtica ita scribentis:

Rom.10.

Heb.11.

*Segnius irritant animos demissa per aurem.*
*Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ*
*Ipse sibi tradit spectator.* -----

Horat. de arte Poëtica.

Ideo Dominus beatiorem pronunciat esse fidem, quæ ex auditu, quàm sit, quæ ex visu, vel tactu paratur: quandoquidem ita certò credere, ex minori motiuo, vt certò credebãt, qui ex maiori motiuo credebant, nobilioris gradus est fides, id est, maior laude digna fides. Quod ergo, ait, Beati qui non viderunt, &c. hunc habet sensum. Valdè laudãdos esse non videntes, & credentes. Hucúsque Palacius præfatus. Facit ad hoc, quod apud Suriũ, to.6. Nouemb.17. in vita S. Hugonis Lincolinensis Episcopi (in Anglia) ita naratur: Crebrò pius Dominus in forma speciosissimi pueruli, sacrificanti illi visibiliter apparere dignatus est: quod quidem religiosis personis quibusdam diuino nutu, non rarò intueri concessum fuit. In villa quadam sacerdos, erat valdè dissolutæ vitæ, quem hoc ordine diuina bonitas ad pœnitentiã vocauit. Celebrans ille missarũ solemnia manibus cœpit indignis regem tractare maiestatis. Cúmque ad illum venisset locum, vbi hostia frangenda erat,

*Surius tom.6. in vita S.Hugonis Lincoli. Epi Nouemb. 17. die.*

sanguis protinus emanauit. Territus ille, vitã mutauit in melius, cunctísque audire volentibus, factum publicauit. Accidit autem B.Hugonem per eam villã, iter facere, sacerdotémq; accersitum, ob vitæ sanctitatem de quibusdam spiritalis vitæ studiis interrogare. Cúmque sancto Episcopo narrasset prodigium, quod ipsi acciderat: hortatus est eum, vt cruorem ipsum tanquam veritatis testem inspiceret. Sed penitus non acquieuit: (S.Hugo) quinimò famulis suis idem suggerentibus, ita fertur respondisse: Habeant ipsi signa infidelitatis suę, Nobis autem, qui verè credimus sub speciebus sacramentalibus verũ corpus & sanguinem Christi cõtineri, signa quid proderunt? Quosdam etiam abire volẽtes, vt viderent, duriùs obiurgabat, quòd non deuotione, sed curiositate id facerent.

Ioan. 21. Siquidem scriptum nouerat: *Beati, qui non viderunt, & crediderũt.* Sed hoc vulgò persuadere quis poterit? Quinimò videmus eos tanta diligentia ad huiusmodi confluere: qui si perfectam haberent fidem, magis vtique ab eis se elongarent. Hactenus ibi. Textum nunc prosequamur. Quid faciendo vitam æternam possidebo? Tametsi hic doctor improbus esset, longè latéque tamen ab hæresi Lutherana dissidet ac remotus est, quę opera bona, ad vitam æternam consequendam non esse necessaria, sed solum fidem sufficere, impiè contendit. Hic legis peritus probè intellexit, non posse nos regnum Dei consequi, otiosos ignauósque. Vnde non dixit: quid credẽdo, sed, Quid faciendo? Æterna prædestinatio quidem sine nobis est quantum ad principium, quia Deus sine nobis eligit nos, nempe ante mundi constitutionem. *Matth, 25. Possidete paratum vobis regnũ, ante mundi constitutionẽ,* Et *Ephes. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, &c.* Sed non est sine nobis, quantum ad complementum, quia sine nobis non glorificamur, vnde pater Augustinus. Qui fecit te sine te, non iustificabit te, sine te, non saluabit te sine te. (Citatum comperies in Decadibus nostris sacris, concione de Piscina, Ioh. 5. ad verba: Vis sanus fieri? Decade prima) *Matth. 25.* Paratum, *dixit Dominus, regnum Iustis, ab æterno quidem,* sed statim addit, quòd fuit comparatum piis misericordię operibus & actibus. *Esuriui enim,* ait, *& dedistis mihi manducare, &c.* non solùm, quia credidistis, sed quia misericordiæ opera fecistis, inquit, regnũ habebitis, Vnde. 2. *Petr. 1. Satagite vt per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hac enim facientes, non peccabitis aliquando.* Ergo per bona opera certam facimus & reddimus futuram gloriam sicut Saluator ait: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Matth. 19.* Non

[Margin notes: Curiositatem reprehẽdit, nõ pietatem, S. Hugo. — Matth. 25. — Ephes. 1. — Sac. Decad. conc. de Pisc. — 2. Petr. 1. — Matth. 19.]

*enim auditores leges iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Rom.2. & Iac.1. Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.* De Iustis etiam, regius vates, *Memores sunt,* inquit, *mandatorum eius ad faciendum ea. Psal.102.* Paterfamilias non dedit denarium, per quem æterna intelligitur retributio, nisi illis, qui in vinea Domini laborauerunt. Operarios enim ille conduxerat, non verbosos. *Matth.20.* Esaiæ denique, *cap.1. Discite benefacere, sic scribitur, non* autem discite benedicere. Satis igitur supérque constat bona opera esse necessaria ad vitam æternam consequendam. Ideò nunc legis doctor iste quęrit & interrogat. Quibus operibus esset vitam æternam consequuturus?

*Rom.2.*
*Iac.1.*
*Matth.20.*
*Isa.1.*

*Magister, dixit ille.* Magistrum vocauit, vt faciliùs eum decipiat, si incautum inuenisset, amicitiam & beneuolentiam simulans, Sicut Scorpio ore blandiens, cauda pungit. De huiusmodi, ait Psalmographus, *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Tentans eum, dicebat hæc,* ait Euangelista. vbi obserua quosdam huius instar, per dulces sermones, insidias parare simplicioribus. Hinc Iulius Capitolinus de Pertinace Imperatore ita scribit: Cùm verbis esset affabilis, re erat illiberalis ac propè sordidus, lucri cupidus, auaritiæ deditus, eloquentiâ mediocri. Omnes Chrestologum eum appellantes. Hæc ille. χρηστολόγος autem dicebatur, qui benè loqueretur, & malè faceret. Nulla gens adeò pestifera, vt literatorum virorum turba, qui deprauatam habent conscientiam. Plus siquidem damni infert illa quàm simplicium cætus. Perlege Euangelium, & legisperitos ac scribas capitales Christi fuisse hostes comperies, Quinimò legisperiti, referente Diuo Euangelista *Matthæo secundo cap. dum sciscitaretur ab eis Herodes, vbi Christus nasceretur?* cùm possent sententiam Prophetæ, *Michea 5. cap.* explicare, quæ de diuinitate Christi agebat, & de regno eius spirituali, noluerunt, sed subticuerunt, Atque ita fuerunt in causa, vt Herodes innocentes interficeret, veritus ne à recens nato rege Iudæorum regno pelleretur: Ideò *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Lucæ 11. cap.* Et Diuus Pater Augustinus libro suarum confessionum. Surgunt indocti & rapiunt, cœlum, inquit, Et nos cum scientiis nostris, Ecce vbi volutamur in carne & sanguine.

*Iul. Capito. de Pertin. Imp.*
*Matth.2.*
*Mich.5.*
*Luc.11.*
*D. August. in suis Confess.*

*Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Q. d. Diliges quia Dominus, quia Deus, & quia Tuus est. Diliges quia bonus, quia

delectabilis quia vtilis. Nemo bonus, nisi solus Deus. Psaltes autem dicit. *Delectationes in dextera eius.* Et rursus. *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.*

*Ex toto corde, ex tota anima, &c.* Non vult Deus cor diuisum, sed
3. Reg. 3. c integrum. Sapientissimus Salomon integrum viuumque infantem matri tradendum adiudicauit. 3. *reg.* 3. Noluit autem vt diuideretur, sed meretrix illa perfrictæ frontis, quæ non erat vera germanáque mater, *Nec mihi nec tibi*, clamabat, *sed diuidatur.* Tu verò ô peccator similis illi effici vis, cùm alteram partem cordis tui Deo tribuis, alteram verò mundo. Deus autem iubet ne diuidatur, sed vt totum sibi tribuatur: Mundus verò occinit, quòd diuidatur. Osee c. 10. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Diuisio siquidem cordis mors animæ est. Nam vt corpus diuisum, & sine anima viuit minimè, sic cor diuisum nullam habet vitam. *Quousque claudi-*
3. Reg. 18. *catis in duas partes*, dicebat zelator diuinæ legis Elias 3. *Reg.* 18.
Genes. 4. c. *Cain*, *Genes.* 4. *male diuisit*, cum totum cor Deo non tribuit. Ideòque fuit reprobatus Ita enim 70. Grecè transtulerunt:
70. interpre- οὐκ ἂν ὀρθῶς προσενέγκῃς. ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; *An non si rectè obtuleris, rectè autem non diuiseris: peccasti?* Sic illi verterũt. Hinc *Iac.* 4. *nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicunque voluerit amicus huius sæculi fieri, inimicus Dei constituitur.* Deus sic est zelotypus, vt maritus in vxorem, qui neminem ab ipsa vult amari, præter se, *Exo.* 20. *Ego sum Deus Zelotes, ait*
Exod. 20. c. *ille.* Idcirco si nimio & inordinato amore filium vel vxorem videt à vobis amari, aufert, & euocat adse, per illorum obi-
Prouer. 23. c tum ac mortem. vt omnis prorsus amor in ipsum tendat. *Prouerb.* 23. *fili prebe mihi cor tuum.* Idem, animam alloquitur à se creatam: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super*
Cantic. 8. c *brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio*, *Cant.* 8. Corde nimirum & opere Deum amemus super omnia, æstimatiuè & appretiatiuè, vt loquuntur Scholastici, licet quandoque ardentius contingat creaturam diligi. Mors omnes inuoluit, ab eáque nullus immunis inuenitur, sic & dilectio ad inimicos etiam, nedum ad amicos extenditur. Ibidem: *Aqua mul-*
Math. 5. c *tæ non potuerunt extinguere charitatem. Math.* 5. *Diligite inimicos vestros.* Igitur ô anima ingenue profitere. *Diligam te, Domine, for-*
Psal. 17. *titudo mea*, *Psal.* 17. Quandoquidem in Deo comperies infinitam bonitatem, delectationem immensam, & ineffabilem
Exod. 33. pulchritudinem, omne denique tuum bonum simul. *Exo.* 33. *Ostendam tibi omne bonum.*

*Diliges Dominum, &c.* Tribus nempe de causis Deum dili-

gamus, ratione suæ potentiæ (*Dominum.*) suæ sapiẽtiæ (*Deum*) suæ clemẽtiæ (*Tuum*) Dominum, inquam, qui te creauit, quoad esse. Te redemit, quãtùm ad bene esse: Te glorificabit quoad optimum esse. Deum, qui in tuam commoditatem nouit omnia cõuertere: *Rom. 8. Diligentib. Deum omnia cooperãtur in bonum.* Et qui postremo per summam suam bonitatem factus est noster. *Psal. 94. Ipse est Dominus, Deus noster.* Adeo clemens est vt tuum esse dubitare nequeas. *Rom. 8. e.* *Psal. 94.*

Obserua, quòd modus diligendi Deum est sine modo Amandus Deus quantum fieri poterit, ex omnibus videlicet viribus nostris. Cumque sit summè bonus, super omnia diligendus venit. *Maior est omni laude. Eccle. 43.* Omnem etiam superat amorem nostrum. Quod si non valemus, quantum debemus ipsum amare, saltem quoad possumus, pro viribus, illum amemus, aut potius redamemus. Prior enim, vt sanctus ait Ioannes, dilectus Dei apostolus, *Christus dilexit nos. 1. Io. 4. c.* amore, inquam, vt Diuinus appellat Paulus, nimio: *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Ephes. 2.* Ideóque vocauit Euangelista *Luc 9. excessum Christi loquebantur*, ait, *de excessu, in transfiguratione Christi.* Verùm de his in decadibus copiosius fusiusque egimus. *Eccle. 43. e.* *1. Ioan. 4. c* *Ephes. 2. c* *Luc. 9. c*

*Diliges Deum super omnia.* Quod ex omnibus particulis, quæ hoc præcepto continentur, liquidò colligitur. Hoc sic habe & accipe posito Deo ex vna parte, & toto mundo ex alia, potius debet homo velle totum mundum, quàm Deum amittere. Pluris Deum, quàm creata omnia simul, facere debet, magisque illum appreciari. Sic Leuitæ fecerunt, quibus morti vicinus Moses benedicens. *Deuter. 33 sic aiebat: qui dixit patri suo & matri sua, Nescio vos: Et fratribus suis ignoro illos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, &c.* Sic & Christus in Euangelio docet: *Qui amat patrem aut matrem aut vxorem aut filios, plusquàm me, non est me dignus. Math. 10.* Non prætermittam D. Bernardi sapientissimam & purissimam explicationem huius præcepti. Sic enim ille, Serm. 20. super cantica disserit: Disce ô Christiane Deum amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppressi ab amore Domini auertamur. Ne mundi gloria, seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus. Ne seducaris spiritu mendacij & erroris, lucescat tibi veritas Christus. Ne aduersitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Et vide ne forte tria, ista tibi & in lege *Deut. 33. c* *Matth. 10. c* *D. Bernardus super Cantica Salom. 20. Ser.* *Deuter. 6. A.*

tradita fuerint, dicente Deo: *Deuter.6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Mihi videtur trina hæc distinctio id indicare. Ergo non abduci blandicijs, nec seduci fallacijs, nec iniurijs frangi toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. Rursus idem in tractatu de diligendo Deo. Causa, inquit, diligendi Deum, Deus est. Modus, sine modo diligere. Dignus planè, qui redametur, præsertim si aduertatur, quis, quos, quantumque amauerit. Dilexit Deus & gratis, & inimicos. Sed quantum? Quantum dicit *Ioan. c. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt vingenitum daret.* Postmodùm subiungit: Nondum tempus fidei aduenerat, nondum innotuerat in carne Deus, cùm iam mandatum est homini (in lege Mosis) diligere Dominum Deum suum, toto corde, tota anima, tota virtute sua, id est, ex omni quod est, quod scit, quod potest. huiusque mellifluus Bernardus, cui adiungam D. Bonauenturam nostri sodalitii, opusculo suo, de perfectione vitæ, cap. 7. de perfecta Dei charitate. Tomo posteriore opusculorum. ita scribentem· qualiter creatorem tuum diligere debeas, ipse tuus sponsus docet in Euangelio. *Math. 22. dicens: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Quomodo ex toto corde? Audi B. Ioan. Chrysostomum dicentem. Ex toto corde diligere Deum est, vt ad nullius rei dilectionem magis sit inclinatum cor tuum, quàm Dei. vt non delecteris in specie mundi ac pulchritudine eius, amplius, quàm in Deo. non in honoribus aut parentibus. Si autem in aliquo istorum sit animus & amor cordis tui, iam non ex toto corde Deum diligis Quomodo ex tota anima? Audi beatum Augustinum docentem: Est tota anima, inquit, Deum diligere, ex tota voluntate, sine contrarietate. Certè tunc ex tota anima Deum diligis, quando non quod tu vis, non quod mundus consulit, non quod caro suggerit, sed quòd Dominum Deum tuum scis velle, sine contradictione libenter facis. Certè tunc Deũ ex tota anima diligis, quando pro amore IESV CHRISTI animam tuam, si necesse fuerit, morti libenter exponis. Si autem in aliquo istorum negligens fueris. Iam non ex tota anima Deum tuum diligis. Dilige ergo Dominum Deum tuum ex tota anima tua, & conforma voluntatem tuam voluntati diuinæ in omnibus. Et non solùm ex tota anima, sed etiam ex tota mente. Audi iterum B. Augustinum te docentem: Tota inquit, mente diligere Deum, est diligere

*D. Bernardus tractatu de diligendo Deo 7.*

*Ioan. 3.*

*D. Bonauentura to. 2. lib. De perfectione vitæ c. 7.*

*Matth. 22. c*

*D. Bonauent. tom. 2. in Antidotario.*

*Matth. 2.*

eum ex omni memoria fine obliuione. Hactenus ille.

Præterea, idem sanctus, sic in libello, Amatorij nomine inscripto, circa principia, eodem tomo, exponit hæc verba: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, &c.* Ad hunc modum: id est, ex toto intellectu tuo, & ex tota voluntate tua, & ex tota memoria tua. Sic ille. Iuxta enim tres animæ facultates ac potentias tribus hisce gradibus & modis venit diligendus Deus. Ergo intelligitur in toto corde vt nihil in voluntate contrarium amemus. Nam hinc Deum diligere, inde verò dæmoni parêre, est in parte diligere tota anima, id est, in vita animali, seu, in delectationibus tuis sensualibus nihil ei contrarium admittas. (Mente) similiter nihil contrarium in intellectu admittendo. Benè Lyranus noster totum hoc dilectionis Dei præceptum interpretatur. hoc modo: *In Deuter. 6. c. habetur, toto corde, anima, fortitudine. Math. 22. habetur, corde, anima, mente: Marcus c. 12. addit his, virtute. quod apud Lucam c. 10. dicitur, ex omnibus viribus tuis.* Igitur primum, quod à nobis requiritur, est vt amemus Deum ex nostra voluntate, quæ cor est. Secundò ex appetitu sensitiuo, qui vocatur anima, Tertiò, ex intellectu, Quartò, ex viribus motiuis, & exequutiuis, quæ vocantur vires, siue, fortitudo. Totum verò sonat perfectum. Licet autem non exigat à nobis Dominus totam perfectionem possibilem amoris (hæc enim in patria erit) requiritur tamen perfectio amori debita, id est, vt nihil contra Deum diligatur Hæc illè valdè apposite. Sequitur in textu *Diliges proximum tuum sicut teipsum, &c.* Id est, eo modo, quo diligis te. Sic autem te amas, vt omne bonum tibi desideres, & ad felicitatem, ad quàm creatus es, peruenias. Non dicit: Dilige proximum tuum, quantum teipsum. Quia charitatis ordo habet, vt plus me, quàm proximum diligam. Nemo siquidem sibi secundus, vt ait prouerbium. In canticis verò dicitur: *Ordinauit in me charitatem. c. 2.* Dicit autem: Diliges sicut teipsum, hoc est, quo modo teipsum diligis, in tribus: Sanctè, propter Deum, iustè, in bonis non in malis actibus: quandoquidem in Psalmo *scriptum est: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.* Denique verè, scilicet, non propter vtilitatem propriam, vel, voluptatem, sed ex amore amicitiæ, non ex amore concupiscentiæ, vt distinguere scholastici solent, vt nempe, ea ratione velit proximo benè, qua sibi. Sic diliget proximum suum, sicut seipsum, id est, ad id, quod seipsum. Dilige proximum

*Lyranus in Matth. 22 c.*
*Deut. 6. c. & Matt. 22. Matt. 12. Luc. 10. c*
*Cantic. 2. c*
*Psal.*

ſicut te, hoc eſt, eo fine, quo te, ſcilicet, propter Deum, iuxta illud: *Omnia in gloriam Dei facite, prioris ad Corinth. cap.*10. Hic
1. *Corinth.* 10. *c* duæ occurrunt difficultates: Prior, cum Deum ex toto corde præcipiamur diligere, quomodo proximos etiam diligere iubemur? Reſpondeo, id propter eumdem Deum fieri debere. Atque ita amor proximorum, nequaquam diuerſus eſt ab amore Dei ſed idem: ſiquidem finis minimè diuiditur, aut mutatur, quia, vt ait Philoſophus, vbi vnum propter alterum:
*Philoſophus.* Vtrobique tantum vnum. Diligimus potionem amaram, propter ſanitatem, & totum, ſub vna amoris ratione. Ita quicquid propter Deum amatur, intra amorem, quo ipſe diligitur continetur. Poſterior quæſtiuncula eſt, ſi prius meipſum, quàm proximum diligere debeo, quomodo dicitur: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum? Reſpondeo, quod illud, ſicut teipſum, non dicit commodam æqualitatem, ſed ſignificat (ſicut teipſum) ad quod teipſum, vt ſuprà dictum fuit: videlicet ad gratiam & gloriam, opere & veritate, nedum lingua & ſermone, proximum ſicut teipſum diliges. Obſerua, duo hæc mandata charitatis ac genuinæ dilectionis, Dei nimirum & proximi, frequenter in ſacris occurrere Euangelijs. Nempe hîc, *& Math.* 22. interrogantibus Chriſtum legis doctoribus: Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege? ait illi
*Luc.*18. *c. & Math.* 22. IESVS: Diliges &c. *Item, Luc* 18. *& Math.*19. adoleſcens quidam Chriſtum rogauit, Magiſter bone, *quid faciendo, vitam æternam poſſidebo? Cui Domine: ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Deinde, quibuſdam nominatim expreſſis, ſubiungit: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* Haudquaquam intempeſtiuum fuerit hoc loco proferre Diui Pauli teſtimonium, ita
*Luc.*18. *& Math.*19. *c*
1. *Timoth. c* ſcribentis: 1. *Timoth.* 1. *finis præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona & fide non ficta,* finis, id eſt, perfectio, ſcopus, ſtatus cauſæ, vt Rhetores loquuntur, terminus, & complementum, ſiue plenitudo legis, dilectio eſt, vt alibi quoque
*Rom.*13. *c* idem aſſerit apoſtolus: *Rom.* 13. *c.* Ex puro corde eſſe charitas debet, vt ſcilicet, omnia interiora noſtra Dei nuncupentur ſeruitio & obſequio, dicente Pſalmographo: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. Pſal.* 102. Sit autem noſtra erga Deum dilectio, ab omni extrario & peregrino amore aliena & vacua, ſicuti in figura &
*Pſal.* 102. typo ſatis demonſtratur: 4. *Reg.* 4. *de oleo vidua,* cui ab Eliſeo Propheta iniunctum eſt, vt quæreret vaſa vacua, & infunderet, oleum atque ita ditata eſt, repletis omnibus vaſis mutuo acceptis, non ſine grandi miraculo multiplicationis olei.

Vt

vt fusius sacra complectitur historia. Vult Deus, vt suæ gratiæ pretiosum recipiamus oleum. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te Cant. 1.* Sint proinde animæ nostræ potẽtiæ, ab omni proprio amore & mundano, vacuæ; nec terræ, nec terrenis occupatæ. Cum Deũ debeamus integre diligere nec malè (vt quondam reprobus Cain. *Genes.* 4.) diuidere. Animaduerte sedulo, vt Doctissimus Theologus & Episcopus Franciscus Sonnius, Buscoducensis, adnotauit: tractatu vndecimo de diligendo Deum & proximos, cap. 3. quòd ad maiorem explicationem, multis circum loquutionibus vsi sunt sacri sciptores, in describendo primo mandato; *Diliges Dominum ex toto corde &c,* Nam Moyses dixit tertio loco, ex tota fortitudine tua, pro quo posuit Matthæus 23. tertio loco; ex tota mente tua. Alij vero Euangelistæ aliud, vt suprà retulimus ex Lyrano. Verùm enimuerò Omnis talis varietas, vt nullam contrarietatis notam habet: ita causa veritatis explanandæ facta est. Nam vnum & idem sunt, ex tota fortitudine tua, ex omnibus viribus tuis, & ex tota virtute tua. Virtus enim hoc loco fortitudinem significat: & id quidem propriè. Nam teste Cicerone, quæst. Tusculanarum lib. 2. appellata est enim à viro virtus: viri autẽ propria maximè est fortitudo, sic ille. Sed & textus Græcus apud *Marcum. c.* 12. *&* *Luc.* 10. habet vocẽ *ἰσχύος*, que fortitudo, aut vires, aut virtus pro potentia interpretatur. Sic vtrobique legitur græcè, *ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου.*

*Cantic. 1. 3*

*Genes. 4. 8*

*Sonnius de diligẽdo Deum & proximos Tract. 11. c. 3*

*Cicero lib. 2. quæstionum Tusculanarũ*

*Mar. 12. & Luc. 10. c*

Quod autem Mathæus & reliqui Euangelistæ addant: Et ex tota mente tua, quod non habetur in veteri lege, nemini debet mirum videri. An enim mirum, quòd reuelatæ veritatis lex multa prodit in lucẽ, que olim sub vmbris, aut aliàs tecta manebãt? hoc quippe illi propriũ est, atque inde veritatis nomen sortitur. Sunt itaque quatuor modi quibus iubemur diligere Deum: Nempe Ex toto corde. Ex tota anima, ex tota mente, & ex tota fortitudine. Idem vbi sup. c. 4. subiicit: Diligere corde, est affectuosè diligere, promptè, ardenter, zelose. Diligere verò toto corde, est idipsum prorsus, ac pleno affectu facere, ita vt ad nihil aliud magis, aut æque tendas corde, hoc est, studio affectus, ardore aut zelo, quàm ad Dominum Deum tuum. Alia licet tibi arrideant, tanquàm bona aut suauia, vel, vtilia, non tamen illis cor apponas, iuxta illud: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Diligere autem aliquid propter me, ait Dominus, non veto, imò præcipio, quod diligas proximum sicut teipsum. Sed dilectionem ex

*Sonnius, vbi sup. c. 4.*

*Psalm. 61.*

toto corde, alijsque circumstantijs suprà enumeratis, mihi conseruatam esse volo Iterumq; proponit præfatus Sonnius hanc quæstionē. An Christianus fidei illuminatus, & Spiritussancti gratia adiutus, possit in hoc mūdo sic diligere Deum, sicut obligatio requirit? Respondet primùm quidem in genere hoc hoc pacto: Beatus Hieronymus ad Damasum in Symboli explicatione docet in hunc modum: Execramur eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse: & mandata Dei, non à singulis sed ab omnibus in commune posse seruari. Sed præstat expressum ea de re producere Dei verbum: *Deuter. 30, Mandatum hoc, quod præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum nec in cælo situm, vt possis dicere, quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, vt causeris & dicas: quis à nobis poterit transfretare mare; & illud ad nos vsque deferre vt possimus audire & facere, quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & econtrario mortem & malum: vt diligas Dominum Deum tuum.* & quæ sequuntur ibi: Ecce, quàm eleganter præoccupat, ne quis diceret: impossibile est obseruare, quod præcepit nobis Deus. Adhæc Saluator noster cum tractat de iugo suo, & onere Euangelico: constanter asserit *iugum suum suaue esse, & onus suum leue. Matt. 11. c.* Si autem leue, si suaue, ergo possibile valde. Quis enim dixerit impossibile, quod ipse Christus asserit leue & suaue? quodque Apostolus eius Ioannes graue, esse negat 1. *Ioan. 5.* dicēs. *In hoc cognoscimus, quoniā diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus & mandata eius faciamus. Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, Et mandata eius grauia non sunt.* Concludendum itaque non esse hoc impossibile præceptū, absit. Verùm, cùm Dei adiutorio, & cooperante ipsius gratia, maxime possibile Dicente *Apostolo Omnia possum in eo, qui me confortat. Philipp. 4.* Amor Dei dulces labores reddit. *Amanti sicut & credenti omnia possibilia sunt Marc. 9. c. Si, Genes. 29. seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, videbanturque ei dies pauci præ amoris magnitudine.* Quid de diligente Deum dicendum est? Si pro muliercula septem anni, pro vno die reputantur, quanto facilius dilectio Dei hoc faciet? *Charitas omnia suffert, omnia sustinet. 1. Cor. 11* Amara efficit dulcia, veluti in typo dicitur 4. *Reg. 4. Mors in olla.*. Sed missa farina dulcescit edulium. Charitas Dei, per farinam Elisei adumbrata, omnem

*D. Hieronymus, ad Damasum Symboli explicatione.* | *Deuter. 30. c* | *Matth. 11.* | *1. Ioan. 5. c.* | *Philip. 4. c.* | *Marc. 9. c.* | *Genes. 29. c.* | *5. Cor. 13. c.* | *4. Reg. 4. c.* | *Ouidius.*

tollit amaritudinem, omnemq; submouet difficultatẽ & impossibilitatem. Omnia denique vincit amor, vt cecinit poëta. Quod si de amore carnis, id verum est, quantomagis in verè diligente Deum id comprobabitur? In specie autem dicendum de hoc præcepto. *Diliges Dominum Deum tuum, ex omnibus viribus tuis &c.* quod cum Dei gratia & fidei adiutorio in via adimpleri potest, secundum intentionem præcipientis, Sed vt scribit capite 7. prædictus Sonnius: Aliud est implere hoc præceptum perfectè, perfectione viæ; aliud perfecte perfectione patriæ. Quemadmodum inquit, alia est perfectio currentis, alia apprehendentis: quas duas perfectiones exprimit simul Apostolus, vno & eodem loco. *Philipens.* 3. *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem si comprehẽdam* & subdit. *quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Ecce Apostolus quia nondum assecutus erat brauium supernæ vocationis: ideo se nondum perfectum asserit, Quia autem pleno amore totum se extendebat, vt aliquando apprehenderet, omnibus alijs posthabitis: ideo cõnumerat se inter perfectos. Propter iustitiam, quæ inerat pro capacitate huius vitæ, se perfectum propter eam verò, quæ adhuc expectãda erat in futura vita, se imperfectum asserens. Verùm de his etiam in Decadibus nostris, concione de inimicorum dilectione, & perfectione iustitiæ Christianæ, aliquam multa tractauimus Decade prima. Pulchre autem idem Sonnius, cap. 8. hunc Euangelicum locum quem versamus, sic expendit: Vt certo certius, ait agnoscas recte à nobis doceri, posse hominem hic immortali corpore diligere Deum ex toto corde anima: & mente, iuxta exigentiam præcepti, ita demonstratur ex hoc loco, ponderaudo singula. Quærit legisperitus, quid faciendo vitam æternam possidebo? Remittit Christus ad legem; Illoque proferente mandatum dilectionis præscriptum in lege, Respondet Christus: Hoc fac & viues. Quæ hic insinuatio impossibilitatis? Imò, quæ non hoc loco demonstratio possibilitatis perficiendi, quod propositum erat? Nam si factu erat impossibile Cur dicit Christum, hoc fac? Nunquid falsum respondendo fallere voluit ipsa veritas? Interrogabat ille de eo, quod hic est faciendum, vt ad vitam æternam perueniatur: Itaque si id, quod mandato dilectionis fieri præcipitur, fieri nequit in hac mortalitate, debuisset dicere Saluatori Fili relinque illud mandatum; quia ad futuram dumtaxat spectat immortalitatem, neque præceptum est, vt fiat

*Sonnius c. 7. vbi sup.*

*Philip. 3. c.*

*Decades sacra conc. de inimicis diligendis Dec. 1.*

*Sonnius vbi sup. c. 8.*

in hoc mundo: sed vt per ipsum quò sit tendendum hominibus insinuetur. At nunc respōdet Saluator fac hoc, non autē, disce ex hoc, aut quantum tibi hic deest, aut quo sit tibi properandum, vt tandem facias: Verùm, fac hoc nunc temporis. Hoc, dico, quod mandatum legis per te citatum præcipit, nempe diligere Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Et addit Christus: Et viues, viues inquā hoc faciēdo. Ne arbitreris quòd faciendo hoc, solummodo culpam euadas trāsgressionis: Viues, inquam, non sanè corporali vita, qua iam vixisti tempore multo, sed viues, vita illa, quæ semen est, & prægustatio illius vitæ eternæ, de qua quæris, imò, quæ est veraciter ipsamet vita æterna. Itaque certissimum relinquitur ex saluatoris sententia, posse hîc fieri id, quod mandato dilectionis præcipitur sic, vt per id viuas vita gratiæ, hactenus Sonnius. Adiicio & istud: *Hoc fac, inquit*, Non ait, hoc dic, hoc tantum crede, sed hoc fac. Regnum enim Dei non est in sermone, sed in virtute ait Apostolus. 1. *Ioan.* 3. *non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Et viues*, nempe per dilectionem. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ibidem q.d. Christus: Deum dilige, & proximum, sicque vitam æternam possidebis. hæc est tuæ quæstionis solutio & responsio. Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Nota sedulo & accuratè ex Petro Rebuffo iurium Doctore & comite, de priuilegijs vniuersitatum, & scholasticorum, priuilegio 104. Veteres amorem satis accommodè depinxisse. Primò autem depingebatur, per poëtas, forma viri, facie iuuenili, capite discooperto, indutus tunica viridi, & in eius fimbrijs scriptum erat aureis litteris, Vita & mors, in fronte erat scriptum, æstas & hiems, & iuxta cor, erat quædam apertura, per quam totum cor poterat videri, & ibi scriptum erat, longè & propè. Ob id autem forma virili depingebatur, licet aliæ virtutes in forma fœminea pingi essent solitæ, ad denotandam constantiam, quæ inesse vero amori debet, quæ magis consistit in viro, quàm in muliere, quia Varium & mutabile semper fœmina, dicit Virgilius. Item facies iuuenilis significat, quod verus amor perdurat sicut iuuenis & permanet. fictus verò statim cadit. Præterea aperto pingebatur capite, quod signat inter amantes nihil debere esse coopertum, sed omnia palàm. Reuelatio enim secretorum, veri amoris signum est, etiam, teste Christo. *Vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Ioan.* 15. c. Tunica viridis, significat vi-

*1. Ioan. 3. c.*

*Petrus Rebuffus Iurium Doctor. lib. de priuilegijs Priuil.* 104.

*Virgilius poëta.*

*Ioan.* 15. c.

riditatem veri amoris Nam arbores virides & herbæ continuo crescunt. sicut & verus amor. Litteræ aureæ, Vita & mors, notant, quòd verus amor diligit in vita & morte. vnde Salomon, *Omni tempore diligit, qui amicus est* Mariæ(*Mar.16.*) venerunt post mortem, vt vngerent Christum. ibi Papin explanat verum amorem durare etiam post mortem, quia amicus pro amico saltem orat post mortem. item æstas & hiems, descripta in frontè, denotant statum prosperitatis, & aduersitatis, in quibus verus amicus semper diligit, & in aduersitate, & in prosperitate; sed ficti amici, in aduersis deserunt. *Mar. 16. s.*

*Cum fueris felix, multos numerabis amicos*
*Tempora si fuerint nubila, solus eris,*
*Horrea formica venient ad inania nunquam,*
*Ibit ad amissas nullus amicus opes.*

Intellige; nullus amicus fictus. Omnia enim ficta, vt loquitur Seneca ad Neronem, de clementia, celeriter tanquam flores decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. Senecæ verba tibi cap. 1. hæc sunt: Nemo potest ait, personam diu ferre. ficta citò in naturam suam recidunt. Quibus veritas subest, quæque (vt ita dicam) ex solido enascuntur, tempore ipso in maius meliusque procedunt. Consentit & sermo, Biblicus. *Iob. 20. c. Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Apertura cordis significat, quòd veri amici habent cor apertum, adinuicem, & sciunt inuicem voluntatem amici, ac cordis intima & secreta. vt sup. de capite discooperto. Longè & propè significat, quòd veri amici absentes, tanquam præsentes se mutuò diligunt. Amicitias immortales esse oportet. Hæc Rebuffus vbi sup. Aristoteles rogatus, quid sit amicus? Vna, inquit, anima, in duobus corporibus habitans. Sic refert in eius vita Laërtius lib. 5. item interrogatus Zeno Citticus (vt scribit Laërtius lib. 7. de illo) quis esset amicus? Alter, inquit, Ego. Quæ cùm ita sint: meritò in dilectione proximi addidit Christus: Sicut teipsum. vt significaret syncere & ex animo in absētia æque ac in præsentia, in aduersis, sicut in prosperis constanter & perseueranter proximum esse diligēdum. quod amicitiæ imago sup. descripta sufficienter insinuat, Noster Philippus Diez, concione 2. ad hoc Euangel. eodem penè modo amorem depinxit, ita scribens. Olim Romani amicitiam ita depingebant, scilicet iuuenem pulcherrimum habentem caput discoopertum, hirsuta veste indutum & in fimbria vestimenti eius scri-

*Seneca lib. de clementia primo c. 1. ad*

*Iob. 20. c.*

*Laërtius lib. 5 in Aristotele. Idem lib. 7. de Zenone.*

*Philip. Diez franciscanus conc. 2. præsent. Euangel.*

ptum erat: Vita & mors, in fronte verò ipsius, litteris exaratum erat, æstas & hiems. habebatque latus vsque ad cor apertum, brachium verò retortum, illud digito demõstrabat, in corde denique hæc verba continebantur: Longè & propè. iuuenilis habitus, amorem nunquam veterascere indicat Villosa, hirta, hirsutáque vestis, labores pro amico perferendos, detectum caput, amicum nunquam esse negandum, latus apertum, amicum ex animo & puro corde esse diligendum, digiti seu manus indicium, & demonstratio cordis, amoris qui in cordis penetralibus existit, per facta ipsa ac opera manifestationem adumbrat. Verba autem, vita & mors, æstas & hiems, longè & propè, per seipsa satis clara sunt, & amoris ingenium sufficienter exprimunt. Sic ibi. Quæsiuit autem à Saluatore legisperitus, *Quis est meus proximus?* Cui arguta admodum & pulcherrima quadam parabola demonstrauit Saluator, omnem hominem omni homini esse proximum. Verùm operæ pretium me facturum existimaui, si Sonnij ipsissima referrem verba. cap. 9. sic scribentis: Dominus audita interrogatione legisperiti mox suspexit, ad modum ingemiscentis & admirantis ineptiam hominis, quod ipse enutritus in lege, & titulo eruditionis candidatus, velut dubius interrogaret de eo; cuius idiotę satis exactam notitiam habent. introducit itaque Dominus hominem Samaritanum, alienũ à lege, & quærendæ salutis notitiâ, qui ex sola naturali ratione intellexit sibi proximum esse illum, in quo nihil aliud potuit cognoscere, quàm quòd homo esset Nam cùm pertrãseundo casu in via reperisset quẽdam dispoliatum à latronibus atque adeò vulneribus saucium, sanguinéque cruentatum, vt vix forma ac vita hominis illi superesset: nihilominus vbi considerando intellexisset hominem esse, mox agnouit sibi proximum esse, & tanquàm proximum diligendum, tractandúmque, prout in ea necessitate tractauit, alligans vulnera eius, &c. Nulla omnino facta interrogatione, sanguinéne esset, aut gente, aut religione propinquus, meritóne an immeritò, iure an iniuria, eam calamitatem perpessus? At eo vno dūtaxat cognito, quòd homo erat, mox inter proximos numerandum intellexit, & officium, quod homo debet proximo suo, illi à se debere impendi Sic iudicauit homo Samaritanus, sicque misericordiam fecit in eum, quem prætererat sacerdos & leuita vestri Iudaici generis, ô legisperite, nullo misericordię aut humanitatis beneficio in eum collocato. quis igitur horum trium videtur tibi proximus illi, qui incidit in latrones? at ille dixit, qui fecit misericordiam in illum.

*Sonnius c. 9. vbi sup.*

At ille dixit: *Vade & tu fac similiter.* (quæ vox, *similiter*) ad totam actionem Samaritani, nedum ad responsionem legisperiti immediatè præcedentem, refertur, In qua actione hoc potissimum erat, quod reputarit sibi proximum, & vt talem misericordissimè tractauit eum, de quo nihil aliud cognouit, quàm quod homo esset. Vade igitur legisperite, & tu fac similiter, hoc est, tu simili modo intellige, reputa, æstima tibi proximum, quemcumque cognoueris hominem esse, illique sedulo misericordiam impende, dum in necessitate constitutum videris: etiam si nec genere, nec gente, nec religione, nec amicitiâ tibi proximus existat. Optima sanè certissimáque demonstratione ostendens Saluator, & quis sit proximus nimirum, omnis homo, & quomodo idem in sua necessitate diligendus, nempe opere & veritate, vt ex Epistola D. Ioannis in superioribus allatum est. Itaque diliges proximum tuum, sicut teipsum. Diliges, inquam, debitè, & secundum virtutem, ea scilicet dilectione, quæ reuera est dilectio, & non potius odium ac perditio tuiipsius, in malis nempe actibus. Sic etiam exponitur illud: *Matth.* 7. Omnia quæcumque vultis (vultis, inquam, voluntate debita, ratione moderata) vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Sic reuera diliges proximum sicut teipsum, Implens hoc secundum præceptum charitatis, adeò debitè, vt & Dominus vitã promittat, dicendo: Hoc fac & viues. Quod autem (ait Sonnius cap. 7.) Saluator noster. *Ioann.* 13. *c. Mandatum*, inquit, *nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Rursum. *Ioann.* 15. *cap. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*: Animaduerte ideo vocari nouum mandatum, quia numquàm antea datum. Anteà quidem præceptum erat, Diliges proximum tuũ sicut teipsum: verùm à Christo præcipitur. Diligite inuicem sicut dilexi vos. Dilectionis, quæ anteà præcipiebatur exemplar erat dilectio suiipsius. Dilectionis verò per Christum præceptæ exemplar, est dilectio, qua Christus dilexit nos. Illa sequitur formam iuris naturalis: quia amicabilia, quæ sunt ad alterum naturaliter surgunt ex amicabilibus, quę sunt ad seipsum, secundum Philosophos. Ista verò ordinem ingreditur rerum supernaturalium. Nam Christus dilexit nos diuinè, affectu plusquàm naturali vel humano, purè gratis, purè spiritualiter, purè propter Deum, nostrámque salutem, purè ad omnium, quæ habuit, communionem: Præcipit ergo vt Euangelicæ Philosophiæ duces & discipuli, ita se mutuò diligant, sicut ipse dilexit nos.

*Sonnius.*

Hoc verò loco perpendendum quòd vox (sicut) non quantitatis sed similitudinis significationem habet. Non enim præcipitur à Christo, vt tantùm diligamus nos mutuò, quantum Christus dilexit nos, sed vt simili modo nos diligamus; nempe diuinè, spiritualiter, prorsus gratuito, non ob sanguinis vel cognationis rationem, non commodi vel relationis beneficij gratiâ, sed tantummodo hoc spectando, vt sint vnum nobiscum in Deo & Christo filio eius, & vt verè Christianè diligamus quoscumque diligimus. Hoc est præceptum meũ, inquit Christus, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Q. d. Nunc à me datur vobis, hoc mandatum, quod antè mandatũ est numquam, sicuti nec dari potuit. Siquidem exemplar primùm exhibendum, ac deinde, quod ad eius imitationem fieri debet, præcipiendum.

Atque eam ob caussam non dedit hoc mandatum, nisi cùm accessurus esset ad mortem, iam iam positurus animam suam pro amicis suis: Imò pro impiis, etiam mortuus est vt diuinus testatur Apostolus. Et dilectus Deo discipulus expressè docet: *Quoniam ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* hoc est, vitam, qua corporaliter viuimus, & sanguinem (si opus est) debemus profundere. Sicuti & innumera agmina sanctorum suas vitas deposuerunt pro fratribus.

*1. Ioan. 3. c.*

Non vtique vt illis sanguinis sui effusione salutem pararét, hoc enim ad vnum spectat mediatorem generis humani Christum, qui est vitis vera, cunctis palmitibus succum præbens & fructum, sine quo nec sancti Martyres quicquam facere potuerunt.

*D. Augustin.* In peccatorum fraternorum remissionem, ait D. Augustinus in Ioannem, nullius sanguis martyris funditur. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? 1. Corinth. 1. Christus est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Ioan. 2. non pro nostris autem tantùm, sed etiã pro totius mundi peccatis.* In summa. *Ioan. 19. c. Consummatum est: quicquid scilicet pertinet ad mysterium redemptionis generis humani* Nullius hominis sanguis fundendus restat, pro animabus fratrum redimendis. Verùm, quia omnia benefacta, omnia gloriosa certamina, aliáque merita Sanctorum, cedunt in communem vtilitatem membrorum Christi corporis, Iuxta *illud: Psalm. 118 particeps ego sum omnium timentium te*, & Apostolici Symboli articulum: *Credo sanctorum communionem.* Multo maximè ea confessio fidei, quæ sub tormentis, velut lux quædam eximia fulget, constantiáque animi, qua cruces ac mortem sustinent

*Symb. Apost.*

potiùs vel sexcentis vicibus, quàm latum culmum à Christo vel Euangelio eius declinent, & mundum, charósque amicos ac vitam propriam, omnia dénique posthabentes, quò se, multósque fratres secum Christo lucrifaciant. Eo, inquam, respectu, ac intuitu, pro fratribus pij viri dicuntur animas suas ponere. Eiusmodi enim præclara facinora suprà commemorata, admirandam vim habent exempli, & beneficentiæ in communitate fidelium. De exemplo *habes 2. Mach. cap. 6. quomodo* Eleazarus nonagenarius dicebat: Adolescentibus exemplum relinquam, si prompto animo ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. *2. Mach. c. 6.*

De beneficẽtia certũ est. Nam sancti sæpè multò plures lucrifecerunt Christo, moriendo fortiter pro fide, quàm antea exemplariter viuendo. Atque hinc est, quod Apostolus asserit suas afflictiones, quas patiebatur in carne sua, esse pro corpore Christi, quod est Ecclesia: quia cedunt in communem vtilitatem Ecclesiæ, incitando illam, adiuuando, roborando ditando denique ipsam sanctissimarum actionum & tolerantiarum vberrimis meritis.

Habet itaque charitas erga proximum, sua incrementa ac gradus, quorum primus est. Diligere proximum sicut teipsum. Secundus, Diligere proximum sicut Christus dilexit nos. Tertius, Sic affectum esse amore erga fratres, vt velis omnia tua, tàm illis quos diligis, quàm tibi communia esse. Quo gradu cœperunt sese diligere Christiani, post datum Spiritum sanctum. *Act. 2. & 4. cap. Erant illis omnia communia, Erat cor vnum & anima vna multitudinis credentium.* Quartus ac supremus gradus charitatis est, ponere animam suam pro fratribus suis, dicente Saluatore: *Ioann. 15. ca. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* *Ioan. 5. c.*

Hucusque doctissimus & dilucidissimus Sonnius. Dilige proximum. Sicut teipsum, &c. *Ecclesiast. 31. Intellige, quæ sunt proximi tui, ex teipso*, ac si diceret: Fac illi, quod tibi vis fieri: secundum regulam rectæ rationis, non deprauatæ, sicut apud multos inuenitur. *Eccl. 31.*

Nunc reliqua persequamur: Suspiciens Iesus, vel, vt Grecè legitur: ὑπολαβὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς, &c. Suscipiens autem Iesus vel, excipiens (sermonem) quod Gallicè dicimus, *prenant la parolle Iesus-Christ dist*: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, &c. Acceptauit enim Iesus quæstionem, & respondentis personam excepit.

Descendebat, inquit, ab Ierusalem in Ierícho, Ierusalem enim in montanis est locis, Ierícho verò in conuallibus. Et

D. Hieronym. in via incidit, homo ille in latrones Vbi obserua ex D. Hieronymo tom. 1. in Epitaphio Paulæ matris ad Eustochium Virginem. Recto itinere, ait, descendebat Iericho, recogitans illum de Euangelio vulneratum, ac sacerdotibus & leuitis, mentis feritate prætereuntibus, clementiâ Samaritæ, id est, custodis: qui seminecem suo iumento impositum, ad stabulum Ecclesiæ deportauit. Et locum Adomin, quod interpretatur sanguinum, quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebatur incursibus. Hæc ibi.

Rursus idem in Matthæi 20. caput. Multi latrones, inquit, erant in Iericho, qui egredientes & descendentes de Ierusalem interficere & vulnerare consueuerant. Idcirco Dominus venit Iericho, cum discipulis suis, vt liberet vulneratos, & multam turbam secum trahat. Sic ille.

Incidit in latrones miser ille ac pauper. Bone Deus! Quid latronibus cum paupere? Nonne Poëta cecinit:

Iuuen. Sat. 10 (Iuuenalem intellige)

*Cantabit vacuus coram latrone viator.*

Quem mundus persequitur? (amabò) Pauperem. Quem opprimit diues? Pauperem. Diuiti omnes tribuunt: Pauperem omnes expilant, & prædantur. Milui prædam è terra rapiunt, pullos, nunquã Aquilam aut Accipitrem aggrediuntur. Idem

Idē saty. 2. Poëta cecinit

*Dat veniam coruis, vexat censura columbas.*

Sic diuites, non diuitibus, sed pauperibus, quia resistere nõ valent, lites intentare, mouerêque solent. *Eccles. 13. Venatio leonis onager in eremo, sic pascua diuitum sunt pauperes.* Sic Achab rex Naboth vineam rapere audet: Sic *denique*. 2. *Reg.* 12. Diues pauperis vnicam ouiculam abstulit. *Semiuiuo relicto*, ait sacer contextus, *Ecc.* 34. *Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Quando tu bona pauperi surripis, tu semiuiuum eum relinquis. Sic cum pauperibus hac in misera vita agitur.

Nec prætereundum censeo illud, quod hic Dominus dicit: Semiuiuo relicto, cùm vsus habeat, quando aliquem grauiter vulneratum narramus dicere: Reliquit illum semimortuum, non autem, semiuiuum. Quod ideo existimo dictum,

inquit Soarez in hunc locum, quoniam genus humanum grauiter percussum à dæmone semiuiuum relictum est, remanēte semper libero arbitrio. Etsi enim vulneratus sit (homo) per peccatum, perdita gratiâ, & in primis parentibus etiam originali iustitia, remansit tamen arbitrium liberum, & rationis (quæ semper ad optima deprecatur) synderesis, ac stimulus, Conscientiam vulgò appellamus. Sic ille. Soarez in Luc. 10. c.

Sacerdos & Leuita præterierunt, &c. Nemo istorum, qui de altari viuunt, pauperis miseretur. *Ierem. 8. A minimo vsque ad maximum, omnes auaritiam sequuntur, à Propheta vsque ad sacerdotem &c. Qualis sacerdos, talis Leuita,* minor quippe exemplum sequitur maioris. Et iuxta tritum illud prouerbium:

*A boue maiore discit arare minor.*

*Duxit in stabulum.* Græcè sic. ἤγαγεν αὐτὸν εἰς πανδοχεῖον, duxit eum in diuersorium vbi itinerantes hospitio excipiuntur. Stabularij hospites dicuntur, qui locum habent hospitandi causâ. (Gallicè *l'hostellerie, la tauerne, ou le logis. L'hoste, qui loge les passans.* Caupones huiusmodi Latinè dicuntur, & stabularij. Stabulum autem apud Iurisconsultos, locum ad stationem iumntorum paratum significat, (à stando dicitur.) Vnde Vlpianus Caupones autem & stabularios æquè eos accipiemus, qui Cauponam vel stabulum exercent, institoresve eorum. l. 1. D. Nautæ, Caupones, stabularij, vt recepta restituāt l. 5. D. eodem. Caupo mercedem accipit vt viatores manere in Caupona patiatur stabulariusvt permittat iumenta apud eum stabulari, & tamen custodiæ nomine tenentur. Aliàs etiam apud eosdem, stabulum ad hominum mansionem constitutum diuersorium significat. l. vnica, in fine. D. Furti aduersus nautas, Caupones stabularios. Viatorem sibi eligere Caupo vel stabularius non viedetur, nec repellere poteſt iter agentes, ait idem Vlpianus. D. Cyprianus epist 67. ex distributione Pamelij, aut ex vulgata editione, lib. 3. epistolarum, epist. 13. Sin via stabulum aliquod obsideri & teneri à latronibus cœperit, vt quisquis ingressus fuerit, insidiantium illic infestatione capiatur. Nonne commeantes, hac opinione comperta, stabula alia in itinere appetunt tutiora, vbi sint fida hospitia, & receptacula commeantibus tuta? In quem locum, sic Pamelius obseruauit: stabulum pro diuersorio accipitur etiam à Plauto quàm dicit in Aulul. Neutrobi habeam stabile stabulum: siquid deuortij fuat. D. Nauta. D. Cyprianus Pamelius Plautus.

Leuitam, vtrumque, ex populo Iudæorum electo fuisse, nihil tamen charitatis homini misero impenderunt. At Samaritanus, qui natione gẽtilis ac idololatra erat, à Iudęis despectus & odio habitus, misericors fuit erga vulneribus confossum. Hac in parte melior (sanè) Iudæis, etiam sacerdotibus & Leuitis. Christus cõsimiliter à Chananęa suscipitur. *Matth.* 15. à Pharisæis autem (qui de Patriarchis descendebant) calumniam passus est: ab Ethnico Centurione magna animi demissione ac fide excipitur, cùm tamen à Iudæis impiè ac impudenter. blasphemaretur *Matth.* 8 *Non inueni tantam fidem in Israel. Filij regni eiicientur in tenebras exteriores.* Rursúsque apud Matthæum Dominus; *Publicani & peccatores præcedent vos, ait Iudæis, in regno cælorum.* Et certè mirum, quod ex tribus vnus solus misericordia vtitur cum vulnerato. Quod si illa tempora, cum nostris comparare liceat, inuenientur profectò longè feliciora. Nunc enim ex centum vix vnum reperias, qui pauperis recordetur, nec alia probatione opus est, cùm quotidie istud, in libro experientiæ legatur: Est autem experientia rerum magistra: Multi adstant pauperes, stipem emendicantes hostiatim, & ad Ecclesiæ valuas eleemosynam postulant. Interea trãsit populus, nec vllus, aut rari admodũ, illis benefacere curant. Tu autem Christiane, Samaritani exemplo pauperi ac medico, in tanta necessitate, ex charitate subueni. Vade & tu fac similiter, opem indigentibus fer; *quandoquidem fides sine operibus, Iac.* 2. *mortua est.* Quemadmodum ex pulsu medicus colligit viuátne homo, an mortuus sit, Non quod hominis vita sit pulsus, sed est ipsa anima, verùm ex pulsu deprehenditur viuere homo. Sic vita & forma fidei est ipsa charitas, sed colligitur nos hanc habere vitam ex pulsu, id est, ex operibus. Cæterùm, sedulò animaduertendum est Venerandam antiquitatem exponere atque intelligere per illum hominem, genus humanum, Adami primi parentis inobedientiâ deperditum: per Sacerdotem ac Leuitam, sacrificia antiqua, & legem veterem, Per Samaritanum, Christum redemptorem nostrum. Sacerdos nempe Aaron, & Leuita, nimirum Moyses, de Leui descendens, hoc est, Lex vetus, atque legale sacerdotium, à vulneribus lethalibus hominem curare, haudquaquam potuerũt. Sed Christus, adhibito vino & oleo, sospitati eum restituit, quod quomodo sit accipiendum in sequentibus dicetur:

*Matth.* 15. *Matth.* 8. *Iac.* 2.

*Homo quidam descendebat, &c.* Considerandus est triplex hominis status. Primus, in quo Deus hominem conditum col-

locauit in paradiso deliciarum. Secundus, in quem delapsus homo, cùm deliquit. Tertius, in quem Christus eum restituit, quùm illum redemit. Alium enim statum habuit, antequàm descenderet ab Hierusalem. Alium, quùm incidit in latrones, qui eum spoliauerunt: Alium, postquam, à pio Samaritano curatus, pristinæ redditus fuit sanitati. In primo, sanus & integer erat, in secundo grauiter vulneratus, in tertio, salutem, quam amiserat, recuperauit, per Samaritanum. Spoliatus fuerat à Dæmonibus, donis gratiæ; Vulneratus autē in bonis naturæ, ac semiuiuus relictus, quia sublata est ab eo, ex peccati demerito, vita gratiæ, remanente vita naturæ Infudit verò oleum misericordiæ, cum vino iustitiæ, quia miscenda est lenitas cum seueritate, vt ad iustum reducatur temperamentum huiusmodi medicamētum, quod vulnerato prodesse possit. In arca testamenti, simul cum virga, erat & manna reconditum. Virga districtionis, & māna dulcedinis. Semiuiuus relictus fuit: partim quidem viuus, partim etiam mortuus, ad quædam opera viuus, & ad quædam alia mortuus. Sapientes sunt, vt faciant mala, benè autem facere nescierunt, ait Scriptura, ad quædam moralia opera, habiles; ad meritoria autem & condigna vitæ æternæ opera Christiana, non nisi diuinâ cooperante gratiâ, sufficientes. Neque verò lex Mosaica, neque illius legis sacrificia, naturam ægram sanare, & in pristi-

*Hebr.* 7. num statum restituere potuerunt, *Hebr.* 7. neminem ad perfectum adduxit. Lex, ait Diuus Paulus, *Per legem quidem cognitio, peccati, ait alibi.* Idem Apostolus, non autem per legem, gratia, quæ fugam, odiúmque parit peccati, Quid peccati, vel virtutis cognitio, ad benè viuendum conferat, declarant sequentia:

*----- Video meliora probóque*
*Deteriora sequor. -----* Item.
*----- Probitas laudatur, & alget.*

*Rom.* 7. Et *Roman.* 7. *Infelix, quis me liberabit de corpore mortis huius?* id est, de corpore peccati, in quo est concupiscentia peccatorum omnium, mortisque seminarium. *Gratia Dei, per Iesum Christum,* (quæ passionis eius merito petentibus donatur. Vnde in sequentibus Samaritanus erga vulneratum misericordia mo-

*Luc.* 1. *ca.* & *Tit.* 3. tus memoratur: quoniam, *Luc.* 1. *per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto.* & *Tit.* 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secūdum suam misericordiam magnam, saluos nos fecit.*

*Alligauit vulnera eius.* Per hæc ligamina, aut, ligamenta

sancti Patres Sacramentorum medicamenta commodissimè accipiunt, quæ sanandis animæ nostræ vulneribus, à piissimo illo Samaritano instituta sunt, per quæ etiam passionis Christi virtus & efficacia nobis salutariter applicatur. Obseruatione dignum est, quòd qui per seipsum incidit in hanc miseram peccati conditionem, non ita potest per seipsum redire in pristinum gratiæ statum, sed ad id alieno indiget auxilio, Dei scilicet imprimis, & hominum piorum. Quemadmodum potest quis ex propria culpa incurrere morbum, sed non nisi ope medici ab illo liberari. Et potest se quis proiicere sua sponte in puteum profundum, à quo tamen non potest exire, nisi alieno subnixus adiutorio. Hinc igitur peccator saucius, & à latronibus spoliatus, indiget Samaritano spirituali ac mystico, pastore scilicet ac doctore Catholico, quibus commissa est peccatoris custodia, vt ad Samaritani significatum, fiat allusio. Samaritanus enim interpretatur custos, vt fusiùs in Decadibus nostris Sacris, Dominica in Passione egimus. *Sacra Decad. Dominica in Passione.*

Debet verò pastor Ecclesiasticus, eidem peccatori pœnitenti, & eius vulneribus infundere vinum & oleum spirituale, Vinum scilicet, timoris Domini ac futuri iudicii, quod asperè acritérque mordeat vulnera, inculcando illud Apostolicum: Horrendum est incidere, in manus Dei viuentis. *Hebr.* 10. *Hebr.* 10. Debet item infundere oleum spei, dulcorãs & leniens doloris acerbitatem, vt de peccati venia consequenda minimè despondeat. Increpatio aspera, per vinum, quod mordet intelligitur: Exhortatio autem dulcis, per oleum significatur, quod vulneribus infusum emollit ac deluit. Oleo fouet Christus, ait in hunc, D. Lucæ contextum, B. Ambrosius, remissione peccati, sicut vino compungit denunciatione Iudicij. Et imposuit, inquit, in iumentum suum, hic peccata nostra portat in corpore suo, & pastor imposuit ouem lassam super humeros suos, Vt per nostri corporis assumptionem infirmitates nostræ carnis aboleret, Deinde duxit nos ad stabulũ. Est autem stabulum, ait ille, in quod fessi longo itinere succedere solent. Protulit duos denarios, &c. Qui sunt isti duo denarii, nisi fortè duo testamenta, quæ imaginem in se habent æterni regis expressam, quorum precio vulnera nostra curantur? Hactenus immortali nomine ac famâ D. Ambrosius. Aureum illud eloquentiæ flumen, & os facundiâ refertum, sic, tom. secundo, ex 10. cap. Lucæ, hac de re scripsit: Hic homo, id est Adam protoplastus; iacebat confossus vulneribus *D. Ambr. in Luc. 10. c.* *D. Chrys. Ex Luc. cap. 10. to. 2.*

delictorum fluentíque tabo cruentus,&marcens,vix exiguam partem animæ spiritúsque trahebat. Cui nec Sacerdos Aaron transiens sacrificio potuit profuisse, nec eius frater. Moyses Leuita, per legem potuit subuenire. Samaritanus autem quidam transiens solus dissimulare non potuit,quia propter eum à Patre missus aduenit. Hic est Samaritanus Dominus Christus,cui hoc nomen sceleratus Iudæorum imposuit populus. Hic, inquam, vinum oleúmque vulneribus infudit: vinum, inquam, id est, sanguinem passionis & oleum charismatis, quibus & delictorum vulnera curantur; & sanctificationis, tutela præstatur, vt indulgentia daretur per sanguinem, sanctificatio conferretur per Chrismatis vnctionem. Mox ad stabulum adduxit, atque illum stabulario commendauit. Stabulum Ecclesiam accipimus, Stabularium Episcopum confirmamus. Est, inquam, stabulum, Ecclesia,quæ itinere mūdi lassatos,& peccatorum sarcinis defessos suscipit venientes,&c. vbi deposito onere peccatorum: viator lassus reficitur, & refectus salubri pascuâ reparatur. Ad hoc ergo stabulum adduxit Samaritanus hominem à latronibus vulneratum. Protulitque duos denarios. Duo itaque denarij,duo legis testamenta sunt, id est,vetus & nouum, Lex & Euangelium. Alterum per Moysem in præteritum datum, alterum per Christum in Euangelio consignatum. Siquid plus erogaueris,infit,reuersus quùm fuero,ego tibi restituam. Videamus igitur,quid à duobus denariis,id est,à duobus testamentis Ecclesiæ rector plus possit impendere,quid amplius possit in Dei populum erogare, in quo se ei Dominus promisit debitorem existere. Nam cum addi ad duo testamenta nihil possit,nec quicquam augmenti detrimentíve lex sancta suscipiat: quid est ergo, quod possit plus erogare rector, quàm accipit, nisi illud, quod est proprij officij, in quo debet eniti, vt credita eroget, accepta dispenset, aperiat obscura, reuelet occulta, inuoluta pandat, quæstiones in lucem deducat,insistat fortiter, perseueret instanter? Deinde subdit Chrysostomus: Sic fit,vt dum hominibus feruenter insistit, Dominum sibi constituat debitorem. Sic ille. Quædam supererogationis opera à Theologis appellantur; Fundamentúmque habent in his verbis:Quodcúmque supererogaueris reddam tibi, dicit Dominus. Consilia Euangelica,vt Sacer cœlibatus, altissima paupertas, & propriæ voluntatis abdicatio, Supererogationis sunt,de quibus vota solemnia emittuntur. Cúmque per duos denarios duo charitatis præcepta, de quibus hoc

Ioan. 8.

hoc etiam loco agitur, accipiantur, non inepte, per supererogationem, ex debita analogiâ ac proportione intelligere poteris, ex Diui Patris Augustini interpretatione, de quæstionibus Euangeliorum, lib. 2. quæst. 19. to. 4. ipsa consilia. Sic namque scribit, Diuus Augustinus. Duo denarij, sunt duo præcepta charitatis, quam per Spiritum sanctum acceperunt Apostoli ad Euangelizandum cæteris: Vel, promissio vitæ præsentis, & futuræ. Secundum enim duas promissiones dictum est: *Matth. 19. Accipiet in hoc seculo centies tantum, & in seculo futuro, vitam æternam consequetur. Addo, quod, 1. Timoth. 4. scribit Apostolus: Pietas ad omnia vtilis est: promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futura:* Stabularius ergo est Apostolus. Quod supererogat, aut illud est consilium, quod ait, *1. Corinth. 7. De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Aut, quod etiam manibus suis operatus est, ne infirmorum aliquem in nouitate Euangelij grauaret, cùm ei liceret pasci ex Euangelio. Hactenus Augustinus. Ex quibus satis constat, ea dici supererogatoria, ad quæ non ex præcepto tenemur, seu obligamur: Vt, opera consiliorum, Vota emittenda, & perfectionis Euangelicæ consilia. De quibus aliàs erit dicendi locus. Studeamus omnes sic ab Hiericho in Ierusalem hîc ascendere per salutarem pœnitentiam, vt tandem ad cœlestem Ierusalem peruenire valeamus.

*D. Aug. to. 4. lib. 2. quæst. Euang. q. 19.*

*Matth. 19.*

*1. Cor. 7.*

AMEN.

kk

# DOMINICA XIII. A PENTECOSTE.

## De decem leprosis à Christo curatis, & ad Sacerdotes destinatis.

*Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam, & cùm ingrederetur quoddam castellum occurrerunt ei decem viri leprosi.* Luc.17.

CVM Christus sic honorauerit legale sacerdotium, vt sacerdotibus semper debitum impenderit honorem & obedientiam, vt ex hoc contextu præsertim cōstat, eo suo opere satis insinuat, sacerdotium nouæ legis longè venerabilius esse, ac Euangelicos sacerdotes, congruis honoribus esse prosequendos atque colendos. Ad hoc enim nos salubriter hortatur Ecclesiasticus, *cap.7. dicens: In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit: & ministros eius ne derelinquas, Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes.* Vbi obserua, canonicum hunc scriptorem coniungere in tribus sententiis sacerdotes cum Deo in singulis aliquid Deo tribuendum monens, & propter Deum, aliquid sacerdotibus, quod congruat ei, quod Deo tribuendum est, cuius ipsi ministri existunt.

In prima ergo monet, vt in tota anima timeatur Deus, hoc est, in reuerentia & veneratione habeatur. hinc cōgruit quod de sacerdotibus adiungit: Et sacerdotes eius sanctifica, vel, sanctos habe & reputa, eos propter ministerium ipsorum suspice, & in veneratione habe. Quod sanctum habemus, id
Eccles.7. reueremur, & in magno honore habemus. Sic *Sanctificetur nomen tuum, Matthæi, sexto cap.* hoc est, sanctum habeatur & venerandum. Post reuerentiam Dei secundo loco, etiam

dilectionem eius requirit. Cui congruit, quòd ex dilectione Dei, ministri eius sint derelinquendo, itavt de necessariis omnibus eis prouideatur & subueniatur. Alluditur enim ad id, quod in lege toties præcipitur: *Deut. 12. Caue ne derelinquas Leuitem in omni tempore, quo versaris in terra.* Ergo ministros, λειτουργοὺς, eos nimirum, qui sacris operantur curare ac reficere, & alere oportet. Tertio loco requirit honorem Dei, & propter Deum honorationem sacerdotum, & loquitur non de honore reuerentiæ interioris, quo de, primâ sententiâ egit, sed de honore externo, per oblationem sacrificiorum, primitiarum, & decimarum Deo debitarum. *de quo Prouerb. 3. Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum.* Per hæc sic vult Deum honorari, vt etiam honorificentur Sacerdotes: Nam honor in scripturis sæpè pro subuentione ponitur, vt cùm dicit B. Paulus. *Prioris ad Timoth cap. 5. Qui benè præsunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè, qui laborant in verbo & doctrina, Dignus est enim operarius mercede sua.* Est namque debita eis subuentio. Sunt ergo subuentione honorandi. Hactenus Ecclesiastici verba expendimus. Hoc vnum addam, patriarcham nostrum D. Franciscum, maxima in veneratione Sacerdotes semper habuisse, vnde in eius decantatur officio, Presbyterósque monuit, præ cunctis reuereri. Et in suo testamento ita loquitur de sacerdotibus: Et ipsos volo amare & honorare, sicut meos Dominos. Et nolo in ipsis considerare peccatũ, quia filium Dei discerno in ipsis, & Domini mei sunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc seculo de ipso altissimo filio Dei, nisi sanctissimum corpus & sanguinem suum quod ipsi recipiunt, & ipsi soli aliis ministrant. Et hæc sanctissima mysteria volo super omnia honorari & venerari, & in locis pretiosis collocari. Hæc Sanctus, Pater noster Franciscus. Non prætermittam Alexandri illius magni præclarum facinus, quo de Iosephus ita refert, Antiquitatum Iudicarum, lib. 11. cap. 8. ex Gelenij recentiore versione seu interpretatione: Alexander, inquit, expugnata Gaza, Hierosolyma propere petiit. Iaddus verò pontifex, postquã hoc audiuit sollicitus hærebat inops consilij, nec inueniens quomodo regem deberet excipere, iratum eo quod antea neglexisset imperata eius facere. Alexander enim scriptis ad illum literis petebat aduersus Darium Persarum regem, auxilium, & vt forum rerum venalium præberet exercitui, ac vt quæ prius Dario conferre sit solitus nunc det Macedonibus, prælata eorum

Deut. 12.

Prou. 3.

1. Tim. 5.

S. Francisc. in suo testam.

Ioseph. lib. 11. antiq Iud. ca. 8. Gel. interp.

amicitia: Fore enim vt illam non pœniteat.

Cúmque pontifex nuntiis respondisset, sacramento se obligatum Dario, ne arma contra eum sumeret, idque ratum fore, quandiu ille vixerit: Iratus est Alexander, minatúsque est mox se ducturum contra pontificem. Ergo indictis populo supplicationibus, & immolatis Deo victimis, ad opem eius confugit, illi publicam salutem cõmendans. Proxima deinde post sacrificium nocte, in somnis ei Deus apparuit, Iubens vt bono esset animo, & coronata vrbe portas aperiret: vtque populus in albis vestibus prodiret obuiã, Ipse verò cum reliquis sacerdotibus solemni cultu sui ordinis, securi de Dei prouidentia. Experrectus autẽ è somno, lætis ciuibus hoc oraculũ indicat, & paratis omnibus, vt in somnis præmonitus fuerat, regis aduentum præstolabatur: Et cùm renũciatum esset eum iam non procul ab vrbe adesse, progressus est cum sacerdotibus, & vrbana multitudine, pompa quadã noua & venerabili, vsq; ad locum, qui dicitur Sapha, quæ vix speculam significat, quod ibi & vrbs & tẽplum in prospectu sit. Et cùm Phœnices ac Chaldęi sperarẽt sibi licere, quicquid iratus rex posset permittere direptionẽ vrbis, & Põtificis exquisitũ suppliciũ, planè contrarium euenit. Alexander enim vt vidit è longinquo candidatum populũ, & sacerdotes ante agmen in amictu byssino, pontificémque in stola hyacinthina auro distincta, tiaram in capite gestantem, cum præfixa aurea lamina insculpta Dei nomine: solus ad eum accedens, nomen illud adorauit, & salutauit Pontificem. Iudæis autem omnibus vno ore Alexandrum consalutantibus, & in orbem cingentibus, Syriæ reges & reliqui obstupuerunt, vix credentes regem mentis compotem: Solus Parmenio propius accedens rogauit familiariter, quid ita cum ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudæorum Pontificem? At ille non hunc se adorasse respondit, sed Deo cuius pontifex esset, honorem eum exhibuisse. Hunc enim, inquit, vidi & anteà hoc ipso habitu, cùm adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem, quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo, & sine mora exercitum traiicere. Nam suo ductu potiturum me Persarum imperio. Quapropter, quia nunc primùm talem habitũ vidi, agnoscens hunc, & visionis memor, quæ me ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine numine in Darium exercitum ducere, & breui fore victoriæ compotem: & sublato Persarum imperio, cessura mihi omnia ex sententia. Hæc locutus ad Parmenionem, & comiter complexus pontificem

deducentibus sacerdotibus, in vrbem peruenit, & ascendens in templum immolauit Deo, ex sacerdotis prescripto, ac pontifici quoque suum honorem exhibuit. Ostensóque sibi Danielis libro, in quo Græcum quendam Persas debellaturum significat, hunc ipsum se esse interpretatus, lætus dimisit multitudinem. Hactenus Iudæorum hystoriographus. Vides, Alexandrum Iaddo pontifici honorem, propter Deum summum, cuius ille sacerdos erat, exhibuisse. Quantomagis debet Christianus Euangelicis sacerdotibus ac presbyteris, debitam rependere venerationem, propter Deum Opt. Max. cuius illi sunt ministri? Quid de Attila Hunnorum rege hîc commemorem? Ille flagellum Dei vocitatus. Nihilominus tamen diuino quodem nutu, Leonem optimum maximum Dei Pontificem veneratus est; Referente Paulo Diacono, de Romanorum gestis, lib. 5. c. 1. Cùm aduenturus esset ac Romam profecturus Attila, per se vir sanctissimus Leo Papa ad eum accessit. Qui cùm ad regem Barbarum ingressus esset: cuncta vt optauerat obtinens: non solum Romæ: sed & totius Italiæ salutem reportauit. Territus namque nutu Dei Attila fuerat; nec aliud Christi sacerdoti loqui voluit: nisi quod ipse præoptabat. Fertur itaque post discessum pontificis, interrogatum esse Attilam à suis, Cur vltra solitum morem tantam reuerentiam Romano pontifici adhibuerit? quandoquidem penè ad omnia, quæ sibi ille imperasset, obtemperârat. Tunc regem respondisse: Non se eius, qui aduenerat, personam reuetitum esse: sed alium se virum iuxta eum in habitu sacerdotali adstantem vidisse: forma augusta & canicie venerabilem: Illúmque euaginato gladio sibi terribiliter mortem minitantem: nisi cuncta, quæ ille expetebat, explesset. Igitur Attila tali modo à sua sæuitia repressus (relicta Italia) Pannonias repetit. Hæc ille. D. Chryso. to. 1. hom. 4. de verbis Esaiæ. Vidi Dominũ, &c. declinãdo versus finem, sic ait: Quum videris sacerdotem indignum ne traducas sacerdotiũ, Non enim oportet damnare res, sed eum qui re bona malè vtitur. Quandoquidem & Iudas proditor fuit, verum non ob id accusatur ordo Apostolicus, sed illius animus: nec crimẽ est sacerdotij, sed malum animi. Et tu igitur ne sacerdotium vituperes, sed sacerdotem malè re bona vtentem. Quot medici facti sunt carnifices, ac venena pro pharmacis dederunt? Non tamen artem vitupero, sed malè vtentem arte. Quod Nautæ male rexerunt nauigia? Verùm non ars nauigandi mala est, sed illorum animus. Si Christianus fuerit improbus, ne incuses pro-

*Paul. Diac. l. 5. c. 1. de Romanor. gestis.*

*D. Chrys. to. 1. de verb. Esaiæ, vidi Dominũ, Hom. 4.*

fessionem ac sacerdotium, sed re bona vtentem malè. Regi corpora commissa sunt. Sacerdoti animæ. Ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia. Maior hic principatus, propterea rex caput submittit manui sacerdotis, & vbique in veteri scriptura, sacerdotes inungebãt reges. Sic Chrysostomus. Hæc autem præfari libuit, quoniam ad sacerdotes hos decem leprosos Dominus destinare ac dirigere voluit, docens ipso facto Sacerdotes esse in precio ac honore habẽdos, tanquam Dei dispensatores & ministros, secundum quod sacra testantur oracula, Ite, ait Christus, ostendite vos sacerdotibus. Nunc textum ipsum pensiculatius pertractemus.

*Transibat Iesus per mediam Samariam, &c.* Pondera (amabo, transeundi verbum. q. d. Non commorabatur inter malos, sed transibat. Ne videlicet approbare videretur eorum Idolatriam. Docens hoc exemplo, ne peccatoribus cōmisceamur.

2.Par.19. 1.Paral.19. *Iosaphat reprehensus fuit à Iehu propheta, quia impio Achab praeberet auxilium, & his, qui oderunt Dominum amicitia iungeretur. Idcirco iram Domini merebatur.* Nota, quod inter aulicos Petrus ter Dominum abnegauit. Sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna, vt habet Ecclesiæ

Collecta. collecta. Transiens Christus ibat in Ierusalem. Sic hortatore

Hebr.4. diuo Paulo. *Festinemus ingredi illam requiem, &c.* Ne moremur

Num.20. cunctabundi. *Numer.20. Dixerunt Hebræi ad regem Edom, cum transirent per desertum ad terram promissionis: Hæc mandat Israel. Per tritam gradiemur viam, tantùm velociter transeamus.* Sic nobis ad promissionis terram tendentibus agendum. *Tempus breue*

1.Cor.7. *est.* 1.Corinth.7. Ergo non manendum inter Samaritanos, sed duntaxat per mediam Samariam pertranseundum nobis est.

*Occurrerunt ei leprosi* Olim expellebantur ab hominum consortio, quia morbus est contagiosus. Sic, Osias rex lepra in-

2.Par.26. fectus, ac respersus. 2.*Par.*26. expulsus fuit, & regnauit filius eius pro eo. Obserua, cum leprosis minimè conuersandum, ne suo nos contaminent ac inficiant morbo. Fugienda est malorum societas, quo de argumento nos aliàs multa produximus.

*IESV praeceptor miserere nostri.* Aduerte, quòd aduersa nos ad

2.Reg.14. Deum ire compellunt. Vnde, 2.*Reg.*14. *scribitur, quomodo serui Absalon succenderunt segetem seu messem agri Ioab, quia noluerat ipse venire, vocatus ab Absalon, quo permotus incendio, venit ad Absalon in domum eius, & ingressus Ioab ad regem Dauidem, introduxit tandem ipsum Absalonem, & reconciliauit patri suo.* quo insinuatur aduersis rebus nos ad Deum pertrahi: iuxta illud Psalmographi:

*Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Si leprosi pro recuperanda valetudine, ac cohabitatione & societate hominum, tantam adhibuere diligentiam, quid nos facere debemus, pro animæ salute, & decore interiori, (*De quo Psal. 44. Omnis pulchritudo filiæ regis ab intus*) conseruando, & ne à societate Dei, & ciuium cœlestium expellamur. Clamauerunt & deprecati sunt leprosi. Miserere, inquiunt. De ara misericordiæ Athenis erecta, & de Dei misericordia, aliàs in Decadibus nostris me dixisse fusissimè, satis memini. Euangelio de muliere Chananæa. *Psal. 44.* *sacra Decades.*

*Ostendite vos sacerdotibus.* Solos leprosos misit Dominus ad sacerdotes, quia sacerdotium Iudaicum typus erat sacerdotij Christiani. At dices cur ad sacerdotes, & non magis ad medicos missi sunt? Quandoquidem medicorũ est de morbis corporis ferre sententiam. Respondeo id factum, propter specialem rationem, quia Lepræ nomine peccatum intelligitur, quod propriè ad sacerdotum pertinet iudicium. *Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Magis verò, de spirituali animarum lepra curanda sollicitus erat Dominus, quàm de corporis sospitate. Ideò ad sacerdotes misit. Primùm quidem, ob humilitatem, vt sacerdotibus deferre honorem videatur. *Leuit. 14.* leprosi à lepra mundati efferebant munera sacerdotibus. Secundò, vt mundatum videntes leprosum, si crederent saluarentur: Si non crederent inexcusabiles forent. Tertiò, ne, quod in eo sæpè criminabantur, legem videretur infringere, *qui non venerat eam soluere sed,* vt ipse ait, *adimplere. Math. 5.* quasi dixisset tunc Christus mittendo eos, se procul esse ab omni arrogantia, vt vel Moysi vel sacerdotibus vellet repugnare, vt eos, quos curauit, ad iudicium illorum remitteret. Neque est, quod illum appellent transgressorem legis, quæ præcipit: Nequis leprosus ad aliorum consortium admittatur, quin prius sacerdotes eum mundum esse declarent. Quartò, vt dum offerrent se sacerdotibus, intelligeret sacerdos legalis, non legis ordine, sed gratiâ Dei supra legem, esse curatos à Christo. *Ostendite vos &c.* Poterant hi, si solam rationem consulerent intra se dicere. Quorsum nos ad sacerdotes misit? illi non vim sanandi, sed dijudicandi potestatem habent. ideo nemo ad eos, nisi iam sanatus proficiscitur. Nos ipsis oculis testibus, corpora lepra infecta gerimus, nihil in eis sanũ cernimus. quorsum cõtra legem in vrbes ibimus, & ad sacerdotes? Leprosum (*Matth. 8.*) prius mũdatum ad sacerdotes ire *Ioan. 20. c.* *Leuit. 14. c.* *Math. 5. c.* *Math. 8. c.*

iussit, At nobis nondum expurgatis iniungit dicens: Ite ostendite vos sacerdotibus. Quomodo nos sacerdotibus repræsentabimus, quos (nisi cæcutiant) leprosos deprehendent? Nihil horum dixerunt, Nec rationis iudicium secuti, sed supra rationem eleuat, cōtra spē in spē (Patriarchæ Abrahami exemplo) crediderunt: obedientes verbo Domini fuerunt, Ideoque dum irent, (ait Sacer contextus) mundati sunt, sicque obedientiæ suæ præmium non exiguum acceperunt. Siquidem, vt ait *Ecclesiasticus c. 30. Non est census super censum salutis corporis.* Nos gallicæ sic efferimus, *Il ny a thresor que de santé* Ita enim sonant Græca: οὐκ ἔστι πλοῦτος βέλτιων ὑγιείας σώματος. Hoc est, Nullæ sunt diuitiæ prestantiores salute corporis. Cui contingit sanitas corporis, etiam si desint diuitiæ, merito gaudendum est. Iustum ergo erat, rationique consentaneum, vt de tanto thesauro gratias agerent. *Prouer. 21. Vir obediens loquetur Victoriam. Isti non sicut Naaman Syrus Leprosus. 4. Reg. 5. irati à* conspectu Christi abcesserunt, dicentes: Quare non in præsentia creauit nos? quomodo in absentia, ipse nos sanabit? Simpliciter verò & magna animi promptitudine, illi obedierunt, tanquam preceptori. Sic namque eum affati erat, Iesus præceptor. Sic Petrus præceptorem christum appellauit. *Luc. 5. Præceptor, inquit per totam noctem laborantes nihil cepimus. In verbo autem tuo, laxabo rethe. Ioan. 13. c. Vos vocatis me, magister & Domine &c.*

Eccl. 30. c.

Prouer. 21. c.

Luc. 5. c.

Ioan. 13. c.

*Ostendite vos sacerdotibus,* Si apud Ægyptios, sacerdotes fuerūt in honore, iuxta quod sacra Geneseos refert *historia c. 47. In vniuersa terra Aegypti regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, que libera ab hac conditione fuit.* Vide quomodo sacerdotes erant in reuerentia, etiam apud Ethnicos quanto æquius veri Dei sacerdotes apud Christianos, debent in veneratione haberi? De his intelligendum est istud: *Matt. 23. Super cathedram Moysi sederunt scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quacumque dixerint vobis seruate & facite &c.*

Genes. 47. c.

Matth. 23. c.

In Genesi. vbi suprà Subiecit Ioseph omnem terram Aegypti Pharaoni, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, Præter terram sacerdotum, que à rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas, sic ibi. In quem locum doctissimus Hamerus ita scribit: Ideo Moyses tàm studiosi sacerdoti j meminisse volunt, vt summum honorem sacerdotio habendum disceremus, Sed & Plato scribit Aegyptios tantum honorem

sacerdotibus detulisse, & illos ab alijs hominum generibus, honoris ergo separasse, tanquàm omnibus superiores. πρῶτον μὲν τὸ τῶν ἱερέων γένος ἀπὸ τῶν ἄλλων χωρὶς ἀφωρισμένον. Id est principiò quidem sacerdotum genus, ab alijs seorsim separatum est, hæc Hamerus refert. Sic verò Marsilius Ficinus vertit: Principiò, sacerdotes separati ab omni turba vitam agunt. Hoc sacerdotium summis semper honoribus dignum ab orbis Monarchis habitum est, Nam Constantinus imperator, in conuentu sacerdotum, quàm humilis erat, quàm non agnouit in se imperij principatum? Ita enim de eo in tripartita historia. lib. 2. caput 5. narratur. Conuenientibus vniuersis, aduersus Arium patribus Nicænæ Synodi, maximam domum præparauit in Regalibus imperator, sedes & subsellia in ea poni præcipiens, quæ sufficerent ordini sacerdotum: ita dicentem præparans eis honorem, inuitauit ingredi, & de præsentibus habere concilium. Introiuit autem & ipse princeps vltimus, cum paucis, Laude dignam sui magnitudinem habens, & mirabilem speciem, mirabilioremque gerens dignitatem pudoris in fronte. Minore verò sedequam alijs posita, in medio eorum sedit, primò tamen petens sibi hoc Episcoporum iussione concedi. Tũ cũ eo ressedit sacratissimus ille chorus Hęc ibi ex Theodorito. Rursus idem hist. Eccles. lib. 1. c. 2. Constantinus inquit, præsidibus, quos gentibus ac prouincijs præfecit, dedit mandatum, vt sacerdotes honore afficerent: illis autem, qui eosdem contumeliosè insectari aggrederentur, exitium minatus est. Quo quidem tempore, alij Ecclesias dirutas de integro exexère, alij alias ampliores, splendidioresque exædificauere, Sic ille.

*Plato in Timeo.*

*Hist. tripartita lib. 2. c. 5.*

*Theodoritus hist. Eccl. lib. 1. c. 2*

Item Valentinianus huius nominis primus Imperator hunc Constantini Christianum animum postea sequutus est. Sic enim lib. 7. hist. tripartitæ, ex eodem Theodorito, refertur, caput 8. Auxentio namque defuncto, qui Mediolanensem præsulatum tenuerat, multisque fuerat concilijs abdicatus, euocans, Episcopos Imperator huiusmodi apud eos verba loquutus est. Nostis aperte, eruditi vtique diuinis eloquijs qualem oporteat esse pontificem, & quod non deceat eum verbo solum, sed etiam vita gubernare subiectos, & totius semetipsum imitatorem virtutis ostendere, teste nque doctrinæ conuersationem bonam habere. Talem itaque in Pontificali constituite sede cui & nos, qui gubernamus Imperium, Syncere nostra capita submittamus, & eius monita

*Hist. tripartita lib. 7. c. 8. & canonizatur. 63. distin. 3 Valentinianus Imperator.*

dum tanquam homines deliquerimus necessario, veluti curantis medicamenta suscipiamus. Hæc Imperator. Tuncque communi consensu, pastor gregis ordinatur Ambrosius, cui tunc præsidialis fuerat cura commissa. Quo facto hunc hymnum optimus imperator Saluatori & Domino obtulisse fertur (His enim, quæ gerebantur, intererat) Gratias, inquit, ago tibi, Domine omnipotens & Saluator noster. quoniam huic viro, ego quidem commisi corpora. Tu autem animas. Hæc igitur Imperator Mediolani & duxit & fecit. Sic ibi in Christiani huius sacerdotij laudem & præconium subinde expatiantur veteres Theologi. D. Chrysostomus, to. 5. lib. 3. de sacerdotio. ita de sacerdotibus Euangelicis scribit: per hos Christum induimus quo nomine sacerdotes merito non modò plus vereri debemus, quàm vel principes vel reges, verumetiam maiori honore, quàm parentes proprios honestare, Hi enim ex sanguinibus, & voluntate carnis nos genuerunt; illi verò authores nobis sunt natiuitatis eius, quàm à Deo habemus. beatæ regenerationis illius, libertatis veræ, atque adeò adoptionis eius, qua nos per gratiam filij Dei sumus effecti. Deinde, mox, quod ad institutum nostrum maximè facit, subiungit: Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudęorum sacerdotibus solis licebat: neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio, ac concertatione sacerdotalis dignitas tunc temporis acquireretur. At verò nostris sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus, concessum est. Quare iudicio quidem meo, qui istos despiciunt, contemnúntque multo sceleratiores ac maiori supplicio digni fuerint, quàm fuerit Dathan vnà cum suis omnibus: illi enim tametsi principatum ad se non spectantem sibi vendicabant, tamen miram quandam de eo principatu opinionem animo conceperant, id quod declarauit ingens rei concupitæ studium. Hi autem tum quum iam sacerdotalis honos incrementum, ornatum, præstantiam magnam accepit, contrà quàm illi: sed tamen multò maiora audent. Et vt eò, vnde digressa est, se referat oratio: Parentes, nos in præsentem, sacerdotes in vitam æternam generant. Hucvsque os aureum. Neque his dissimilia, sed prorsus germana sunt quæ D. Hieronymus epistolâ omnium prima ad Heliodorum, de clericorum dignitate scribit, hoc modo: Absit vt de his quicquam sinistrum loquar; qui Apostolico gradui

*D. Chrysostomus to. 5. lib. 3. de sacerdotio.*

*Numer. 16. c.*

*D. Hier. to. 1. ep. ad Heliodorum ep. 1. & canonizatur 11. q. 3. c. absit, &c. sub Anacleto Papa no nine.*

ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt: per quos & nos Chriſtiani ſumus. Qui claues regni cælorum habentes, quodammodo ante iudicij diem iudicant, qui ſponſam Domini ſobria caſtitate conſeruant. Hæc ille. Addam & D. Ambroſij, præclarum ſuffragium ac teſtimonium: Is namque diſertis verbis libello de dignitate ſacerdotali inſcripto cap. 2. ſic loquitur: Honor & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, & principum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas regum colla & principum, ſummitti genibus ſacerdotum, & ex oſculatis eorum dextris, orationibus eorum credant ſe communiri. Idem. c. 3. Hæc ideo nos præmiſiſſe debetis cognoſcere, vt oſtēderemus nihil eſſe in hoc ſeculo excellentius ſacerdotibus, nihil ſublimius epiſcopis reperiri. Ideo ne ſit nomen inane & crimen immane. Ne ſit honor ſublimis, & vita deformis. Ne ſit deifica profeſſio, & illicita actio. Ne ſit religioſus amictus, & irreligioſus prouectus. Ne ſit gradus excelſus & deformis exceſſus. Rurſus c. 6. Quid aliud interpretatur Epiſcopus, niſi ſuperinſpector? maximè cum ſolio in Eccleſia editiore reſideat, & ita cunctos reſpiciat, vt & cunctorum oculi in ipſum reſpiciant. Ergo quia ita eſt, cur te velut tetrum ſpeculum vniuerſorum oculis demonſtras, ita vt non poſſint obſcuritate tua ſe comptius exornare? Hæc. D. Ambroſius. Iuſtinianus Imper. collat. 1. conſtit. 6. Quomodo oporteat Epiſcopos, &c. ad ordinationem adduci, ita præfatur: Maxima quidem in hominibus ſunt dona Dei, à ſuperna collata clementia, ſacerdotium & imperium: Et illud quidem diuinus miniſtrans: hoc autem humanis præſidens, ac diligentiam exhibens, ex vno eodemque principio vtraque procedentia, humanam exornant vitam. Ideoque nihil ſic erit ſtudioſum imperatoribus, ſicut Sacerdotum honeſtas: cùm vtique & pro illis ipſi ſemper Deo ſupplicent. Græcè, pro ſacerdotum honeſtate, habetur: ἡ τῶν ἱερέων σεμνότης. hoc eſt, Sacerdotum maieſtas, authoritas, veneratio, reuerentia, ac grauitas. Sic Imperator, ſatis manifeſtè indicans, Sacerdotium primas tenere, & in honore ab Imperatoribus etiam ipſis habendum ſedulo. Quod ſi Regibus honor debeatur, iuxta illud Diui Petri *Deum timete, Regem honorificate.* quantò æquius ſacerdotibus, qui illis præferēdi ſunt, honor congruus

*D. Ambroſius lib. de dignitate ſacerdotali. c. 2. & 3. & rurſus 6. c.*

*In Autēticis, collat. 1. conſtitutione. 6. in præfatione.*

*1. Petr. 2. c.*

Epist. Ioannis Pap. ad Iust. Imper. Inter claras Cod de summa Trini. & fide Cath. Item, leg. red dentes, C. eod.

exhibendus est? Idem Iustinianus Romanæ sedis reuerentiam conseruauit, quo nomine Ioannes Papa Romanus ad eum scripsit his verbis: Inter claras, C. de summa Trinit. & fide Catholica. Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes Christianissime principum, puriore luce, tãquam aliquod Sydus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subiicitis, & ad eius deducitis vnitatem. Sic ille.

Item leg. reddentes, Cod. eodem, sic Iustinianus præfato Ioanni rescribit: Reddentes honorem Apostolicæ sedi, & vestræ sanctitati (quod semper nobis in voto & fuit & est) & vt decet patrem, honorantes vestram beatitudinem, omnia, quę ad Ecclesiarũ statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis. Hæc ille. Refertur cõsimiliter 11. qu. 1. cap. Sacerdotibus, &c. ex D. Gregorio, Mauricio Imp. scribente, ad hunc modum: Sacerdotibus autem non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione, propter eum, cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquiis sacerdotes aliquando Angeli, vocantur. Nam & per Moysem de eo, qui ad iuramentum deducendus est, dicitur: *Applica illum ad Deos*, id est, ad sacerdotes. Et rursus scriptum est. *Diis non detrahes*, scilicet, Sacerdotibus, Et Propheta ait. (*Malach. 2. c.*) *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Quid ergo mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos ipse etiam appellat Deus? Pagani item in Rep. principes, verum Deum nescientes, ac Deos ligneos & lapideos colentes, tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. quid ergo mirum si Christianus Imperator veri Dei sacerdotes dignetur honorare, dum Pagani, vt prædiximus, principes, honorem impendere sacerdotibus nouerunt, qui Diis ligneis & lapideis seruiebant? Hæc pietati dominorum non pro me, sed pro cunctis sacerdotibus suggero. Sic Diuus Gregorius, li. 4. registri, epist. 31. seu, cap. 75. Est igitur honos sacerdotibus debitus, etiam ab ipsis Imperatoribus ac principibus. Quod autem præ cunctis debeant Sacerdotes honorari satis probat sequens. D. Martini exemplum, præclai ũ que facinus, à Seuero Sulpitio in eius vita relatum. Hoc verborum contextu: Cùm ad Imperatorem Maximum ferocis ingenij

Gratian. decr. 11. q. 1. c. Sa-

Exod. 22.

Ibidem.

Malach. 2.

D. Greg. l. 4. Registri epist. 31 seu c. 75.

Seuerus Sulp. lib. 1. vita D. Martini.

virum, & bellorum ciuilium victoria elatum, plures ex diuersis partibus Episcopi conuenissent, & fœda circa principem omnium adulatio notaretur, séque degeneri inconstantia regiæ clientæ sacerdotalis, dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica authoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum regi fuit, imperauit potius quàm rogauit: & à conuiuio eius frequenter rogatus abstinuit, dicens: se mensæ eius participem esse non posse, qui Imperatores, vnum regno, alterum vita expulisset. Tandem victus (subiungit ibidem, nempe lib. 1. Sulpitius) præfati Maximi precibus ad conuiuium venit, mirum in modum gaudente rege, quod id impetrasset. Conuiuæ autem aderant veluti ad diem festum euocati, summi atque illustres viri, præfectus, idémque consul Euodius, Comites duo summa potestate præditi, frater regis & patruus. Medius inter hos Martini presbyter accubuerat: Ipse autem sellula iuxta regem posita consederat. Ad medium ferè conuiuium (vt moris est) pateram regi minister obtulit. Ille sancto admodum Episcopo potius dari iubet, expectans atque ambiens vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus vbi edibit, pateram presbytero suo tradidit; Nullum scilicet existimans digniorem, qui possit prior bibere: nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum, aut eos, qui à rege erant proximi, presbytero prætulisset. Quod factum Imperator, omnésque qui tunc aderant, ita admirati sunt, vt hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant placeret. celeberrimúmque per omne palatium fuit fecisse Martinum in regis prandio, quod in infimorum Iudicum conuiuiis Episcoporum nemo fecisset. Hactenus Seuerus Sulpitius.

Nota, quòd in hoc mundo duæ sunt potestates, sacerdotalis ac regia, spiritualis & temporalis, quæ inter se differunt, sicut Sol & Luna, sicut cœlum & terra, sicut aurum & plumbum. Et ideo si illi, qui præest in dignitate minori ac potestate, est à subditis honor impendendus, multò fortiùs illi, qui præest in potestate maiori, est à quibuscúmque sibi subditis honor debitus exhibendus, sicut expresse dicitur. extra., cap. Solitæ benignitatis, &c. De maioritate & obedientia, ex Innocentio 3. Constantinopolitano Imper. scribente, hoc modo: Non negamus quin præcellat Imperator in temporibus illos duntaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia: Sed pontifex in spiritualibus antecellit: quæ tantò sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur cor-

*Extra, de maioritate & obédientia, cap. Solita, &c.*

pori. Potuisses prærogatiuam sacerdotij ex eo intelligere, quod dictum est: non à quolibet, sed à Deo; non regi, sed sacerdoti: non de Regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, de sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot (*Hierem. 1.*) *Ecce constitui super gentes, & regna, vt euellas & dissipes, ædifices & plantes.* Præterea nosse debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, Luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti: vtrumque magnum, sed alterum maius.

Ad firmamentum igitur cæli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ, sponsæque Domini charissimæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas. Sed illa, que præest diebus, id est, spiritualibus, maior est: quæ verò carnalibus minor: vt quanta est inter solem & lunam, tanta inter pontifices & reges differentia cognoscatur. Hæc autem si prudenter attenderet imperatoria celsitudo, nō faceret aut permitteret Constantinopolitanum patriarcham, magnum quidem & honorabile membrum Ecclesiæ, iuxta scabellum pedum suorū in sinistra parte sedere: cū alii reges & principes, Archiepiscopis & Episcopis suis (sicut debent) reuerenter assurgant, & eis iuxta se venerabilē sedem assignēt. Hactenus sanctissimus atque doctissimus Pōtifex Innocētius tertius. Refertur quoque illo ipso nonagesimæ sextæ distinctionis capite, In scripturis, sub ijs verbis. In scripturis narratur Constantinus Imperator dixisse, verè si proprijs oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monachico habitu circumamictisunt, peccantem, chlamidem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. Et hoc quidem diximus (alloquitur autem Pontifex maximus Imperatorem ibi) cautos vos reddere cupientes, vt si de Domini sacerdotibus, qui iure patres dicūtur, aliquid cōtigerit vos audire, quod confusionem piis mentibus ingerat, non infrunitum, sed pudoratos filios Noë imitantes, paternam de reliquo verecundiam contegatis, vt affluenti, quemadmodum & illi, benedictione repleri, moderante Domino, mereamini. Item Gelasius Papa Anastasio Imperatori. Ibidem. Duo sunt, inquit, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto grauius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum, in diuino sunt reddituri examine rationem. Nosti

*Decretum Gratiani. 96. distinct. c. In scripturis &c. Duo sunt, ex Galasio Papa.*

itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem. B. Ambrosius etiam in suis scriptis ostendit (supra citatum fuit.) quòd aurum non tam pretiosius sit plumbo, quàm regia potestate, sit altior dignitas sacerdotalis. Hæc ibi Adiicere hoc loco libet, florentissimi Martyris Cypriani dictum, quod etiam in Decretum suum Gratianus. 93. distinct. cap. Dominus noster retulit in hæc verba: Dominus noster ipse Iesus Christus, rex & iudex & Deus noster, vsque ad passionis diem seruauit honorem pontificibus, & sacerdotibus, quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi seruassent. Nam cum Leprosum emundasset, dixit illi: *Matth. octauo. Vade & monstra te sacerdoti, & offer donum.* Humilitate ea, qua nos quoque esse humiles docuit, sacerdotem adhuc appellabat, quem sciebat esse sacrilegum. Item sub ictu passionis, cùm alapam accepisset, & ad eum diceretur, (*Ioannes 18.*) *Sic respondes pontifici?* nihil ille contumeliose locutus est in personam pontificis: sed magis innocentiam suam tutatus est dicens: Si male locutus sum, exprobra de malo, Si autem bene, quid me cædis? Quæ omnia ab eo ideo facta sunt humiliter atque patienter, vt nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum. Docuit enim sacerdotes veros legitimè & plenè honorari, dum circa falsos sacerdotes ipse talis extitit. Hæc in Decreto falsos vocat, quia Caiphas erat Symoniacus, & sacerdotes tempore Christi, hypocritæ erant, de supercilio Pharisaico, Imò de fermento Pharisæorum, & hæresi, atque deprauatione legis per traditiones impias, plurimùm retinentes; Christi ipsius filii Dei insuper gloriam ac diuinitatem sua perfidia inpugnantes. Sequitur autem apud Cyprianum, vbi supra: *Honorifica sacerdotes. ait Sapiens, Ecclesi. septimo.* Quorum præceptorum memor beatus Apostolus Paulus, secundum quod in Actibus Apostolorum legimus, cùm ei diceretur: *Sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo?* Respondit, & dixit: *Nesciebam fratres, quia pontifex est: scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Post multa subiungit: Hæc sunt initia hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorum malè cogitantium, vt sibi placeant, vt præpositum superbo tumore contemnant atque diffugitur Sic de Ecclesia receditur, altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, & ordinationem atque vnitatem Dei rebellatur: Sic ibi scribitur iterum *tertia quæstione capite primo.* Nulli dubium, ex

*B. Ambrosius.*

*Decretum Gratiani. 93. dist. c. Dominus noster ex D. Cyprian lib. 1. epist. 9. vel epist. 65. (Pamelio.)*

*Matth. 8. c.*

*Ioan. 18. c.*

*Eccl. 7.*
*Act. 23.*
*Exod. 22. c.*

Alexandro Papa in fine epist. tertiæ. Dominum crucifigunt, qui eum in sacerdotibus suis persequuntur, quia crux à cruciatu dicitur. Magnum verò cruciatum sustinet, qui vim patitur. Item 6.q. 1.cap. Sacerdotes ex Telesphoro epist. vnicâ cap. 3. Sacerdotes, ait, qui proprio ore corpus Domini conficiunt, ab omnibus sunt audiendi, atque timendi, non dilacerandi, aut detrahendi: quia à quibus se Domini populus benedici, saluari, & instrui cupit, nullatenus debet eos arguere; nec vulgus in eorum accusatione suscipi. Populus enim ab eis docendus est, & corripiendus, non ipsi ab eo: quia non est discipulus super magistrum. Hucusque Telesphorus.

*Item, 6.q.1.c. ex Telesphoro.*

Memorabilem D. Chrysostomi ea de re sententiam producere placuit: Is to. 4. hom. 2. in cap. 1. posterioris ad Timoth. morale pertractans, ita scripsit: Hoc nempe est malorum omnium causa, quod rectorum authoritas perit, nulla illis reuerentia habetur. Nullus honor, nullus metus. Obedite, inquit, præpositis vestris, & subditi estote illis. At nunc peruersa & confusa sunt omnia. Neque istud præpositorum gratia dico. Quid enim illi de nostro honore lucrantur, nisi inquantum obtemperantes habebunt, idque pro vtilitate nostra? Hi enim licet honorentur, nihil ex eo honore in futurum lucrantur, maiorémque damnationem inde suscipiunt (sub. si malè vixerint, & si ambiendo, honores expetierint) Etsi patiantur iniurias, nihil ex eis detrimenti in futurum acquirunt: Imò & meritorum illis accedit cumulus, atque defensio. Nostri denique causa cuncta illi faciunt. Itaque illis contumelia lucrum, honor verò onus est. Non ergo, hæc illorum gratia; sed vestri causa dico. Qui honorat sacerdotem, Deum quoque honorat: qui verò sacerdotem spernit, ad id sensim prolabitur vt in Deum ipsum aliquando contumeliosus euadat. *Qui vos*, inquit, *suscipit me suscipit*. Sacerdotes eius in honore habete. Hinc Iudæi Deum aspernere didicerunt, quia Mosem contemplere, quia lapidibus eum impetebant. Nam qui piè sacerdoti afficitur, longè maiore pietate Deum reuerebitur. Hactenus Diuus Chrysostomus.

*D. Chrys. to. 4. homil. 2. in c. 1. posterioris Timoth. in morali exposit.*

Ex professo verò, tam latè hæc proferre placuit de præeminentia sacerdotali, quoniam hac nostra tempestate ab hæreticis pessundatur, conculcatur, & proscinditur; vnde in maximum abiit contemptum. Papè, quàm modo degeneratum est, ab hoc tanto honore, quem veteres Theologi clericis vendicarunt, atque id potissimum Pseudoeuangelicorum

gelicorum

gelicorum auspicio, qui vulgi affectionibus seruientes, sacerdotium ipsum sanè odiosum laicis reddiderunt. Odiosum est & sordet presbyteri vocabulum & sacerdotis deridicula est appellatio, Ludibrio sunt omnes Ecclesiastici ordines, An non audis quotidie ab iratis laicis quàm atrociter & hostiliter nobis in os iaciant sacerdotis appellationem, atque id non alio furore agunt, quàm si nobis incestum aut furtum, vel denique homicidium seu parricidium exprobrarent. Nonne vnctos, rasos, missificantes, sacrificulos scurriliter & satyricè nominare solet Caluinus impius? Et tamen Pharao profanus & Barbarus rex Ægypti (vt suprà citauimus) suum in deos suos studium, sacerdotum honore declarabat, & quo magis pleniore obsequio deos suos sibi conciliaret, à communi & misera illa totius regni sorte, sacerdotes illorum immunes & exortes esse volebat. Vtinam Christiani orbis monarchiæ in Pharaonem tanquam in Archetypum & exemplar aliquod intenderent. Si enim tanti vitrum quanti preciosum margaritum?

Non prætermittam Tyberij Imper. (ex Xiphilino) mores. Veniebat sæpissimè, ait ille, ad sacrificia, non solùm vt honoraret eos, qui ea facerent, sed etiam vt plebem ornaret, atque vt vnà cum ea dies festos celebrare videretur. Sic ibi. *Xiphilinus ex Dione Niceo in Tyberio.*

*Ite ostendite vos Sacerdotibus, &c.* Quoniam nostri æui hæretici deblaterant, non esse Dei sacerdotibus in aurem peccata confitenda, sed sufficere illa soli Deo (qui nouit corda nostra) confiteri, Idcirco ex hoc Euangelico contextu, erroneam ac hæreticam illorum assertionem confutandam suscipimus. Quando quidem Christus hîc, decem leprosos misit ad Sacerdotes, vt se eis ostenderent, Sic, *& Matth. octauo. Leprosum illum*, quem in descensu de monte, mundauerat attactu & imperio, misit ad sacerdotem, vt se illi coràm exhiberet. Et vtrumque fecit Dominus, secundum sanctionem legis Mosaicæ, *Leuit.* 14. *ca.* decernentis, *leprosum debere adduci ad sacerdotem.* Eius namque erat Iudicare & *discernere, ex lege, inter lepram, & non lepram, Deut.* 17. Atqui per lepram corporis, valdè appositè, & mystica expositione, vniformi & vniuoca, veneranda antiquitas peccatum mortale semper intellexit, & sacerdotium legale & vmbratile, Euángelicum designabat sacerdotium. Sicut ergo olim adducendus erat leprosus ad sacerdotem, vt purgatus ostenderetur, & ritu legis sacrificiis præscriptis expiaretur, vt cum sanis liberè versari ac ciuiliter posset, A simili igitur & nunc debet *Luc. 10. c. & Matth. 8.* *Leuit. 14.* *Deut. 17.*

se sacerdotibus ostenderent, & inter eundum mundantur. Aberrant igitur plurimum dicentes: Occultè agimus, pœnitentiam, Deo confitemur, Deus nouit, quæ in corde agimus. Ergo inaniter dixit, *Ecclesiasticus, cap.4. Non confundaris confiteri peccata tua*; vbi hortatur Sapiens ille, ne propter erubescentiam retrahatur peccator à confessione facienda, de suis peccatis. Atqui siquis soli Deo, sua confiteatur peccata, nullam inde contrahit erubescentiam. Sed vbi homini facienda est peccatorum confessio, tum confitens pudore suffunditur ac erubescit, alteri reuelans, quæ ille semotis arbitris, & nullo conscio commiserat. Ergo frustra & sine causa dixisset hîc Christus. Iste ostendite vos sacerdotibus, ac rursus, Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis, &, Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Ergo frustrà Christus, claues dedisset Petro, Apostolorum vertici. *Matth.16. Et tibi dabo claues regni cœlorum, Et quodcumque ligaueris, vel solueris, & cæt.* Ergo abs re sanctus Iacobus Apostolus scripsisset, *cap.5. Confitemini alterutrum peccata vestra*; hoc est, vnusquisque alteri, vtpote sacerdoti (de eo namque præcesserat sermo Apostolicus, sub hac verborum serie, *Inducat presbyteros Ecclesiæ*) *confiteatur peccata sua.* Velut in Actis Apostolicis, *cap.19. scriptum legimus, quòd multi credentium (vel, qui crediderant) veniebant (ad Paulum Apostolum) confitentes & annuntiantes actus suos.* Confessione scilicet secreta peccatorum, sacerdoti facta. Vnde efficax desumitur argumentum, quòd ab ipsius nascentis Ecclesiæ exordio, fuit Sacramentalis confessionis (auricularem quidam vocant) praxis, seu vsus & obseruatio. Nec perfunctoriè pertranseunda sunt Christi verba hæc: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.*

Eccl. 4.

Matth. 16.

Iac. 5.

Act. 19.

Notentur ista tria, inquit Diuus Antonius Paduanus in præsenti Euangelio, In *ite*, cordis contritio. In *Ostendite*, oris confessio, In *Sacerdotibus*, operis satisfactio. Benè igitur dicit, *Ostendite vos, & cæt.* per vos, non per alios. Peccasti enim per te; ideo per te debes te ostendere: Sacerdotibus à quibus pœnitentia iniungitur: Ideo per ipsos satisfactio figuratur. Per hoc verbum apertè habes, quòd peccatores sacerdotibus se debent ostendere, quibus auctoritas ligandi & soluendi est tradita. Super his tribus *Iob quadragesimo secundo cap.* Conformiter habetur: *Ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis dixit Dominus amicis Iob.* In Euangelio dicitur, *Ite: in Iob, Ite; Ibi ostendite, & hic offerte.*

D. Ant. Pad. ord. Minor. præsent. Euang.

Iob 42.

*ibi Sacerdotibus, & hic ad seruum meum Iob.* Nota etiam, quòd hic alienigena tria fecit, *Rediit, in faciem cecidit, gratias egit.* Sic Diuus Antoninus ordinis nostri ac instituti. Iterum singula perpendamus hoc modo: Ite, ait, voluntariè confitendum innuit. Non enim vi & violentia pertrahi debemus ad confitendum sacerdotibus. Non enim placent Deo coacta seruitia seu, obsequia. *Ostendite*, indicat syncerè, non per ambages, sed integrè & nudè, absque dissimulatione vlla, detegenda esse scelera nostra in confessione. Quod dicit: *Vos*, propria, & à nobis perpetrata & commissa peccata, docet esse confitenda. Nam alia persona non est in confessione nominanda, nisi fortè peccatum ex parte alterius personæ (quia cum illa commissum) esset grandius & enormius vt incestus cum patre, non tamen expedit nominare patrem, vel alteram personam, cum qua peccauerimus. *Ostendite vos*, non alios, ait Christus. *Sacerdotibus*, quibus data est à Christo ligandi & soluendi potestas. Quia autem sacerdoti non potest constare, cuius peccata remittenda, & cuius retinenda sint, nisi singulatim, & per enumerationem singulorum, omnia ei reuelentur, & dicantur: Omnia idcirco, ei sigillatim confitenda sunt: vt scire possit cuius peccata retinere, & cuius dimittere debeat.

Animaduerte, quòd per decem istos leprosos, omnes in vniuersum significantur peccatores, qui peccant contra decem præcepta Decalogi, varietate peccatorum, ceu distincti & respersi maculis lepræ. Hîc verò obseruabis, quòd per lepram figuratur pecatum mortale, quod in septem genera distribuitur. Superbia figuratur per lepram Oziæ, qui ex præsumptione nimia, cùm esset rex, sacerdotij munus sibi
2.Paral.26. vendicauit, ac vsurpauit. Ideóq; leprosus effectus. 2.*Paral.*26. Auaritia figuratur per lepram Giezi, qui propter auaritiam,
4.Reg.5. lepram incurrit. 4.*Reg.*5. Luxuria figuratur in lepra, quam
2.Reg.3. Dauid Ioab imprecatus est. 2.*Reg.*3. *Non deficiat de domo Ioab leprosus, & fluxum seminis sustinens, &c.* Inuidia figuratur per le-
Num.12. pram Mariæ, *Num.* 12. quæ ex inuidia murmurauerat contra Moysem fratrem suum, idcirco leprosa effecta est. Gula adumbratur in quatuor leprosis Samaritanis, qui accesserunt ad tentoria hostium, ad ventrem explendũ & sedandam famem.
4.Reg.7. 4 *Reg.*7. Ira adumbratur in Naaman Syro leproso, qui iratus ac indignatus recedere volebat, renuens lauari in Iordane,
4.Reg.5. ad Elisei iussionem. 4.*Reg.*5, Acedia adumbratur in lepra Mosis, cuius manus missa in sinum suum, prolata est inde

leprosa instar niuis. *Exod.* 4. Ita piger in sinu manum continet, nec operari curat. Nota insuper, lepram multipliciter curatam fuisse. Primò per ablutionem in Naaman. Secundò per ostensionem, vt hic in decem leprosis. Tertiò per separationem, sicut in Maria sorore Mosis. Quartò per inclusionem, vt patuit in manu Moysi. Quintò per tactum, vt in leproso à Christo mundato. *Matth.* 8. Sextò per humilem sui recognitionem, vt in his decem leprosis à Christo mundatis, qui steterunt à longè. Septimò, curatur lepra per feruens desiderium, atque orationis clamorem. Nunc enim de iisdem hic dicitur: *Leuauerunt vocem dicentes: Iesu præceptor miserere nostri.* Hæc ad propositum accommodare, non fuerit difficile. Nunc Diui Patris Augustini expositionem breuibus non pigebit referre. Is, tom. 4. quæstionum Euangelicorum, lib. 2. cap. 40. de his decem leprosis sic scribit: Nullum eorum, quibus hæc corporalia beneficia Dominus præstitit inuenitur misisse ad sacerdotes, nisi leprosos. Nam & illum à lepra mundauerat, cui dixit: *Vade ostende te sacerdotibus.* (*Luc.* 5.) Leprosi non absurdè intelligi possunt, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Nulla porrò falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinatè permixta, in vna disputatione vel narratione hominis, tanquam in vnius corporis colore apparentia, significant lepram. Deinde quibusdam interpositis subdit: Ideo præceptorem vocant, quo nomine, nescio vtrum quisquam Dominum interpellauerit pro medicina corporali, quód satis puto significare, lepram falsam esse doctrinam, quam bonus præceptor absterget. Et postmodum concludit. Vt illi nouem, qui gratias non egerunt, reprobi effecti, à consortio vnitatis exclusi sunt: Ita vnus ille, qui gratias egit, vnicæ Ecclesiæ significatione approbatus atque laudatus est. Et quia illi erant Iudæi amisisse per superbiam declarati sunt regnum cœlorum, vbi maximè vnitas custoditur. Iste verò, qui erat Samaritanus, quod interpretatur custos, illi à quo accepit tribuens quod accepit, & quodammodo cantans illud è *Psalmo: fortitudinem meam ad te custodiam*, per gratiarum actionem regni subiectus, humilitatem regni, humili deuotione seruauit. Sic August. Hic obiter exponendum existimaui illud: fortitudinem meam ad te custodiam, hoc est, tibi acceptam feram. vires meas ad te referam. Sic sanitatem & valetudinem, Christi singulari beneficio recuperatam, Samaritanus à lepra expur-

*Exod.* 4. *Matth.* 8. *Luc.* 17. D *Aug. to.* 4. *l.* 2. *qo. Euãg. c.* 40. *Luc.* 4. *Psal.* 58.

gatus, adſcribit Chriſto,& Deum magnificè laudare cepit,vt ſacer indicat contextus,

*Vnus ex illis vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum,&c.* En accepti beneficij agnitio,& gratitudo huius Samaritani. Erat enim, ait textus, Samaritanus. Quia Ezechias Domino poſt victoriam gratiarum canticum, non cecinit: ideo in infirmitatem cecidit, ait, D. Antonius Paduanus hoc loco. Tres illuſtres Samaritani in Euangelio leguntur, Superiore concione: ex *Luc.10.cap.* & hoc loco. Item, *Ioan.*4. de Muliere Samaritana, quæ in Chriſtum credidit,& conciues ſuos ſicimitas, ad eum pellexit & adduxit. Præterea in Actis, Samaria recepit verbum Dei ad Philippi prædicationem. Hic occurit Quæſtio. Quis hunc Samaritanum leproſum, Iudæis leproſis adiunxerat? Siquidem non coutuntur Iudæi Samaritanis. *Ioan.*4. Illos enim velut excommunicatos reputabant. Reſponſio in promptu eſt,quòd idem morbus eadem ægritudo, & calamitas, ſeu aduerſa valetudo ſociauerat, quos proſperitas alioqui ab inuicem diſiunxiſſet & ſeparaſſet. Non potuerunt habitare communiter Abram & Loth. *Erat quippe ſubſtantia eorum multa, vnde & facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram & Loth nepotis ſui. Geneſ.*13.*ca.* Sic diuitiarum copia & abundantia, propinquos & conſanguineos à ſeinuicem ſeparat, nec ſimul habitare ſinit. At paupertas vnanimes colligit: veluti, de primis fidelibus in Eccleſiæ naſcentis primordiis, dicitur: *Act.*4. *Multitudinis autem credentium, erat cor vnum & anima vna, erántque illis omnia communia.* Illi paupertatem Euangelicam, & proprietaris abdicationem profitebantur, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: vt Diuus Lucas Apoſtolicæ ſcriptor hiſtoriæ diſertis verbis teſtatur. Lyranus noſter ad hunc locum ſic obſeruat & annotat. Ex eo, quod hîc dicitur: Et hic erat Samaritanus. Innuitur, quod alij nouem erant Iudæi, nec reuerſi ſunt ad gratias agendas: quia decepti à Sacerdotibus, quibus ſe repræſentauerant, Qui doctrinæ Chriſti & miraculis detrahebant, & ſecundum eorum informationem, attribuerunt ſuam ſanationem obſeruantiæ legis, & non virtuti Chriſti, licet à principio fideliter & deuotè petiuiſſent ab eo ſanari. Sic ille.

*Luc.*10. & 17. & *Ioan.*4.

*Act.*8.

*Ioan.*4.

*Geneſ.*13.

*Act.*4.

*Lyranus, in Luc.*17.

Debuerant Sacerdotes, illos virtutes docere, contrà verò, illos corrumpunt, & à vero aberrare faciunt. Miſerat Dominus leproſos ad ipſos, vt eos honore afficeret, & illi conuerterentur, videntes decem leproſos in inſtanti

mirabili potentia Christi fuisse mundatos: Ipsi contrà duriores remanserunt, & honori siue, gloriæ Christi detraxerunt. Piscis, quò magis in aqua salsa nutritur, eò magis insalsus est, ac nisi sale condiatur, omnino insipidus. Fontes, æstate, quò maiori calore circundantur, per antiperistasim, vt loquuntur Physici frigidiores sunt. Eadem ratione (Hippocrati) *Ventres hyeme & vere naturâ calidißimi sunt*. Etenim tunc calor innatus, plurimus est. Sic ille. Nimirum propter circunstantem extrinsecus oppositionem contrarij, id accidit, ἀντιπερίστασις, propriè verbum est τῶν φυσιολόγων, pro illa coarctatione & cohibitione, quæ præsertim est à frigore, tum etiam à calore. Ad hunc modum, quò maior credendi in Christum occasio sese offerebat Sacerdotibus illis, eò frigidores comperiebantur: ac tanto magis frigebat eorum fides, quanto plura Christus edidisset miracula Ierem. 6. sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit (filia Sion siue Hierusalem) malitiam suam. Sequitur in textu: Cecidit in faciem, ante pedes eius, gratias agens. In decadibus nostris, concione de transfiguratione Domini, puto me adnotasse, quomodo in faciem cadere propriè electorum sit, Reproborum verò, retrorsum abire, (veluti de Iudæis tempore passionis in horto prostratis, videre est) Electi namque vident, vbi cadunt, quia se lapsos esse non nesciunt, citiúsque opitulante gratia, per pœnitentiam resurgunt: vnde sacer vates, *Iustus, inquit, cum ceciderit, non collidetur* Dominus enim supponit manum suam. Rebrobi verò, non vident vbi cadunt, sicut scriptum est, *Prouer*. 4. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruunt*. Nam grauiter allisi, peccata sua paruipendentes se lapsos esse nesciunt, Ideóque in iudicio discussionis suorum peccatorum, non resurgunt, quia peccata sua defendentes, se minimè deliquisse contendunt.

*Hippocrates lib. 1. Aphorism. Apho. 15.*

*Ierem. 6. c.*

*Sac. Deca de authoris.*

*Ioan. 18. c.*

*Prouer. 4. c.*

*Hic erat Samaritanus*. Iudæi semper de curationibus acceptis extiterunt ingrati. *Ideò Isa.* 1. *filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Sæpè autem legimus, quia Gentiles sanitate à Christo percepta, gratias Deo referre studuerunt. Et Samaritani ex tribus virtutibus in Euangelio commendantur. Nempe quòd facilè crediderunt, sicut patet. *Ioan*. 4. Populus ciuitatis Sichar in Samaria credidit Christo. Quòd misericordiam & charitatem proximis exhibuerint, vt de illo Samaritano, qui semiuiuum fouit, & Iumento suo imposuit. *Luc*. 10. Denique

*Isa. 1. c.*

*Ioan. 4. c.*

*Luc. 10. c.*

ſet ei gratiam. Quippe æs alienum, vel hæredibus diſſoluas licet creditorum, beneficentiæ niſi repenſæ viuis torquent bonum & rectum virum. Sic ibi. Quod Iouianus Pontanus to. I. operum. De liberalitate cap. 37. ita retulit: Memoriæ proditum eſt Pyrrhum regem Epirotarum Æropi mortem permoleſtè tuliſſe: & quamuis cum illo benè actum diceret, mirificè tamen cruciari, ſéque improbum dicere, quod dum proſequi illũ differt, gratiam viuenti nõ retulerat: Creditam quidem pecuniã poſt mortẽ creditoris, hæredibus ſolui honeſtè licere, at gratiam, cui ea debetur, niſi viuenti vir honeſtus & gratus retulerit, iure plurimum offendi ipſum debere. Hæc ille, quod ex Plutarcho ſumpſiſſe, nemini dubium eſſe debet, quamuis eum non nominet. Videbatur iam Pyrrhus didiciſſe illud Eccleſiaſtici. c. 14. *Ante mortem benefac amico tuo.* Vt verò ad inſtitutum noſtrum reuertatur oratio: Non perfunctoriè tranſeundum eſt, quod dicitur: Niſi hic alienigena. Ac ſi diceret. Ciues oderunt, alienigenæ amplectuntur. Iudæi perſequuntur, Gentes venerantur, ac honore proſequuntur. Hi dant operam, vt poſt accepta ab eo, Chriſto nimirum, beneficia, eum tandem interimant, illi contrà certant, vt de perceptis gratias agentes, maioribus donis digni exiſtant. Eorum proinde exemplo, Deo, de tot ſuſceptis beneficijs haudquaquam ingrati gratias agamus, vt tandem aliquando, ad ſanctorum cœtum, & ſupernam Hieruſalem peruenire valeamus. Faxit Deus. O. M. Ipſi honor & gloria per infinita ſecula.

*Iouianus Pontanus to. I. De libertate. c. 37.*

*Eccleſ. 14.*

AMEN.

# DOMINICA XIIII. A PENTECOSTE.

## Quòd nemo duobus possit inseruire Dominis, & quòd oporteat primùm quærere regnum Dei. *Math. 6. cap.*

*Nemo potest duobus Dominis seruire. Non potestis Deo seruire & mammonæ.*
Math. 6. & Luc. 16.

*Math. 6. c. & Luc. 16. c.*



CVM natus sit homo, vt Deo inseruiat, quid mirum si illi soli additus esse debeat, præsertim cum *Deut. 6. & Math. 4. scriptum sit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Si soli ei sit seruiendum, Meritò nunc dicit idem Dominus noster: Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Hoc loco notanda est D. Augustini præclara sententia: Is to 9. libro de diligendo Deo aliâs, Meditationum, & incipit, Vigili cura, cap. 2, ita scribit: Fecit Deus rationalem creaturam, quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & possidendo frueretur. Ex quo patet hominem ratione præditum, ad Dei seruitium natum esse, & conditū esse, & conditum fuisse, vt soli Deo inseruiret. Cùm Pharao permitteret Hebræis, vt Deo in Ægypto victimas immolarent, Respōdit Moyses. Non potest ita fieri. Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro, &c. Fieri certè non potest, vt Pharaoni, hoc est, vt diabolo, & Deo simul seruiamus: quasi dixisset Moses: Hęc immolaturi sumus, quæ abominātur Ægyptij, & propterea in Ægypto non possumus, quòd si mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent. Assertiuè ergo legendum, potiusquàm interrogatiuè, illud: Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino, hoc est, ea quæ abominantur Ægyptij occidi, sacrificabimus Domino. Creditur autem, quòd ideo abominabile erat Ægyptijs occidi oues, quia colebant ouem seu arietem, huic in Genesi scriptum est: *Omnes pastores ouium de-*

*Deut. 6. & Math. 4. c.*

*D. Augustinus to. 9. lib. Meditationū, aliâs, de diligendo Deo c. 2.*

*Genes. 46. c*

*testantur Ægyptij.* Et Ammonem Iouem in Ariete venerabantur, Apin quoque colebant in tauro. *Abominabantur autem Ægyptij, oues ipsas ad esum*, nedum earum occisionem, etiam ad sacrificium, Adde quod cùm talia colerent pro dijs,& Deus Idola vocat abominationem rectè Moses abominationes Ægyptiorum appellauit, ac si dicat: Non æquo animo ferent Ægyptij, nos alteri Deo sacrificare in terra eorum, maximè in oculis ipsorum. Et nos vero Deo ac viuenti, non alteri inseruire statuimus. Nemo verò potest duobus Dominus seruire. *Philistæi (1. Reg. 5.) in templo Dagon arcam fœderis comprehensam collocarunt. Inuentumq; est idolum ante arcam deiectum, & quamuis ipsum cum arca Dei coniungere conati fuerint, nunquam tamen id efficere potuerunt.* Quod nihil aliud significat, nisi Deum nullomodo perpeti, vt idem templum Deo & Idolis commune sit, dicente Apostolo. 2. Cor. 6. c. *Qui consensus templo Dei cum Idolis? quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Et 1. Cor. 10 Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* Aduersus eos, qui claudicant in duas partes, magno inuehitur Zelo Domini, Elias Propheta hoc modo. 3. Reg. 18. *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, Si autem Baal, sequimini eum*: Impossibile est eum ambobus simul obsequi ac inseruire. De Samaritanus refert scriptura. 4. Reg. 17. *quòd Diis suis, seu veriùs, Dæmonibus in Idolis suis seruiebāt* (Nam regio Vate teste, *Omnes Dij gentium Dæmonia*) & nihilominus colebant Dominum. Et cum Dominum colerent Dijs quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam. Similes illis sunt, qui duobus contrariis Dominis complacere nituntur. *Disperdam,* ait Dominus apud Sophoniā Vatem, c. 1. *eos, qui iurāt in Domino, & iurant in Melchom.* (Idolum.) Qui per Deum & per Idolum iurant, vtrique summum cultum ac seruitium exhibere conantes, significant & adumbrant eos, qui duobus Dominis seruire volunt, quod factu est impossibile, in sensu compositionis, vt loquitur Dialectici, non autem in sensu diuisionis. Quandoquidē pro diuersis tēporibus, diuidendo tempora, posset, quis duobus Dominis seruire, sed in sensu composito, simul & semel, id fieri nequaquam potest, Sic Turcam nō posse saluari, verū est, ait Stella, in Luc. 16. in sensu cōposito, si viuat, scilicet, vt modo viuit, (in lege ex-lege, & profano ac impio Alkorano Mahumeti) sed in sensu diuiso falsum

1. Reg. 5. c.
2. Cor. 6. c.
1. Cor. 10. c.
3. Reg. 18. c.
4. Reg. 17. c.
Psal. 95.
Sophon. c. 1.
Stella in Luc. 16.

est quia se conuertatur ad Christum, & benè vixerit saluabitur. Vnde quicunque infidelis & impius in hac vita saluari potest in sensu diuiso, quia potest in melius mutari. Sic in sensu composito intelligendum est id. 1. *Ioan.* 3 *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare; quoniam ex Deo natus est.* Hæc ille sic & accipiendum illud: Math. 7. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Intelligendum est etiam istud: *Nemo potest duobus dominis seruire:* De contraria iubentibus, aliàs non essent duo Domini. Nam si idem iubeant pro vno domino habendi sunt. *Act.* 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna,* quamuis in corpora multa essent diuisi multasque personas, Concordia tamen vnum effecit ex plurimis *Eccl.* 2. *Væ duplici corde,* ait sapiens, & Apostolus *Iacobus c.* 1. *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis.* Memoriæ proditum est, Alexandrum magnum. Dario Persarum regi nuntiandum iniunxisse, hoc modo: Nec mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa regna saluo statu terrarum potest habere. Proinde, aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum patet, sic refert Q. Curtius, lib. 4. de rebus gestis Alexandri magni. Pari ratione dicendum. quòd sicut ille Dario respondit (authore Plutarcho is Apophtegmat. to. 1. opusculorum) Neque terram duos soles, Neque Asiam duos reges sustinere], Ita neque potest ali quis duobus contrarijs pugnantibusque Dominis seruire. Qui non colligit mecum dispargit, Qui non est mecum contra me est inquit Christus: *Math.* 2. *& Luc.* 11. Præclara profecto dixit Diuinus Homerus, Iliados. β. siue, lib. 2.

*1. Ioan. 3. c.*
*Matth. 7. c.*
*Act. 4 c.*
*Eccl. 2. c. & Iac. 1. c.*
*Q. Curtius li. 4. de rebus gestis Alexandri magni.*
*Plutarch. in Apophteg. to. 1 opusc. de Alexandro, 1.*
*Mat. 12. & Luc 11. c.*
*Homer. Iliad b.*

ὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. ἓις κοίρανος ἔστω.
ἓις βασιλεὺς.---- Sic ille. Id est,

*Nec multos regnare bonum, Rex vnicus esto.*

Pluralitas principatuum mala est, vnus princeps sit, & vnus Rex. Hac verborum serie vsum fuisse Aristotelem, & clausisse Metaphysicorum librum vndecimum satis constat. Eius verba, Iachimo Perionio interprete, c. 10. præfati libri, hæc sunt: Rerum natura malè administrari non vult: & multorum dominatus ac principatus non est vtilis. Vnus ergo sit princeps Hæc ibi. Consonat & illud D. Pauli: *Ephes.* 4. *Vnus Dominus, Vna fides vnum baptisma. Vnus Deus & pater omnium.* Soli itaque ipsi summo principi, cultus summus seruitutis, exhibendus iure est. Salomon, quia templa Idolis construxit diuisum est, in eius posteritate, regnum ipsius, nimirum in

*Arist. libi 1. Metaph c. 10 Perionio interpretec*
*Ephes.*

*rege Roboam.* 3. *Regum duodecimo. Deuter.* 13. *Qui dixerit, seruiamus dijs alienis, interficiendus erat ex lege. totum caput in eo versatur argumento. Item, Exod.* 22. *c. qui immolat dijs occidetur, praeterquam Domino soli.* Non igitur duobus Dominis seruiendum. Porro, ait Christus, Luc 10. *Vnum est necessariũ.* Hîc subijciam D. Hyeronimi sententiam eximiam. Ille ad Rusticum monachum, epist. 4. prout à Gratiano 7. q. 1. c. In apibus, citatur, ita scribit: In apibus princeps vnus est, grues vnam sequuntur ordine litterario, Imperator vnus, Iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est, duos fratres simul habere reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Esau & Iacob bella gesserunt singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbiteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. Sic ibi: Sequitur in Epist. D. Hieronymus. In naui vnus gubernator, in domo vnus Dominus, in quamuis grandi exercitu, vnius signum expectatur. Quod verò dixit Hieronymus, Grues ordinem literarum, siue literatum seruare dum vnam sequuntur. Exponunt quidam, voluntates quod exprimunt A alpha, quod sic pingebant antiqui vt V inuersum referat. Et quod de duob⁹ attigit fratribus Remo & Romulo, ita Lucanus eleganter expressit, lib. 1. belli ciuilis:

*3. Reg. 12. c.*
*Deuter. 13. c.*
*Exod. 22. c.*
*Luc. 10. c.*
*7. q. 1. c. In apibus ex D. Hier. epist. 4. ad Rusticum monachum.*
*Lucanus lib. 1. belli ciuilis.*

*Nulla fides regni socijs, omnisque potestas*
*Impatiens consortis erit, nec gentibus vllis*
*Credite, nec longè fatorum exempla petantur.*
*Fraterno primi maduerunt sanguine muri.* Sic ille

Quod denique addidit, vnum esse in naui gubernatorẽ &c. sic, expresserat Aristoteles libro, de mundo ad Alexandrũ c. 6. Quod in naui, inquit, gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu imperator, hoc idem in mundo est Deus, nisi quòd illis ipsis principatus laboriosus, perturbatus, & anxius est: Deo autem expers omne mœstitiæ, laboris, nullámque corpori adhærens imbecillitatem. Nam cùm in re immobili collocetur, omnia quò vult mouet, arbitratúque suo in diuersis rerum generibus & naturis versat, & quæ ibi sequuntur. Proinde quum vnus sit tantùm Deus, & vna sola religio ac fides Catholicæ Ecclesiæ, quam oportet vnumquemque, qui saluari velit, tenere: Et nemo possit duobus dominis seruire, impia vtique est libertas erroris quando scilicet liberum est in aliqua Rep. quamlibet

*Aristoteles lib. de mundo. Ad Alexandrum, c. 6.*

sequi opinionem, vel religionem: vnde D. Augustinus. to. 2. epist. 166. contra Donatistas, exhortans ad concordiam ecclesiæ ita scribit: Iulianus (scilicet Apostata) libertatem perditionis parti Donati permisit. Tunc reddidit basilicas hæreticis, quando templa dæmoniis, eo modo putans Christianum nomen posse perire de terris, si vnitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, inuideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret. Et infrà. Quæ est peior mors animæ, quàm libertas erroris? sic ille, fides & hæresis. Vera religio, & noua opinio ac erronea, religionis nomine palliata, veluti nec ignis & aqua, simul esse vel permanere nequeunt: Sicuti neque Elias & veri prophetæ Dei, cum Baalistis commanere potuerunt. Neque Athanasius & Catholici illius temporis, cum Arianis consociari. Hinc factum, vt Lucifer Episcopus Calaritanus, (est autem Calaris, ciuitas Metropolis Sardiniæ) clarissimum sui æui sydus, ad Constantinum Imperatorem, librum de non conueniendo cum hæreticis scripserit, ex quo pauca subiiciam. Quomodo simul esse Arriani & Christiani potueramus? Quomodo vobis iungeremur, cùm dicat Dominus ad Apostolos: Attendite vobis à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum, & vt fermentum fuisse doctrinam non sanam, quam videlicet aut tunc illi Pharisæi, aut Sadducæi, aut nunc vos omnium sectarum profertis hæretici, nobis manifestaret, sequitur scriptura dicens: Intellexerunt tandem discipuli, quia non dixit à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum intenderant sibi. *Nolite iugum ducere cum infidelibus, ait Paulus 2. Cor. 6.* Et Sermone ad Constantium conuersо, Dixisti, inquit, facite pacem cum Episcopis sectæ meæ Arrianis, & estote in vnum. Quomodo vobiscum Arrianis societatem poteramus habere? Væ nobis si Constantium Imperatorem Deo præposuerimus. Sed hæc sint satis. Ex his sufficienter comprobatur verum esse istud; *Nemo potest duobus Dominis seruire. Iosu. 24. ita habetur: Nunc timete Dominum, & seruite ei perfecto corde, atque verissimo: & auferte Deos, quibus seruierunt patres vestri, in Mesopotamia, & in Ægypto, ac seruite* Domino. *Et respondit populus: Absit à nobis vt relinquamus Dominum, & seruiamus dijs alienis. Et Iosue ad populum, Testes, inquit vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, Vt seruiatis ei. Responderuntque, Testes. Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestri.* Obseruabis, Dominum non ideo prohibere seruitutem temporalibus Dominis, exhibendam, quia dicat: Nemo potest duobus Dominis seruire, in iis nimirum, quæ diuinæ legi minimè repugnant, quamuis

*Lucifer Calaritanus episcopus opusc. de non conueniendo cum hæreticis ad Constantinũ Imp.*

*2. Cor. 6. c.*

*Iosue cap. 24.*

*Hierem. 17. c.*

ipsi improbi sint, vnde Iere. 27. dicitur. *Seruite regi Babylonis, vt viuatis,* Et rursus ibidem, *Gens & regnum, quod non seruierit Nabuchodonosor regi Babylonis, in gladio, & in fame, & in peste, visitabo super gentem illam, ait Dominus: donec consumam eos in manu eius. Vos ergo nolite audire prophetas vestros, & somniatores, qui dicunt vobis: Non seruietis regi Babylonis, quia mendacium prophetant vobis. &c.* In his autem & similibus obseruandum illud. B. Petri ac Apostolorum cæterorum liberum responsum Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Act. 5. c. Et illud. B. Polycarpi egregii martyris, dictum, apud Eusebium, lib. 4. c. 15. hist. Eccl. Docemur, inquit, principibus & potestatibus iis, quæ à Deo sunt, honorem deferre, eum scilicet qui religioni non sit contrarius. Quod valde notabis ac sedulò. Idem fatetur apud Platonem Socrates, & ne auctoritate grauissimi scriptoris defici videamur, Augustinum Stuchum pro ducemus lib. 5. de perenni philosophia cap. 12. sic scribentem: In Apologia Plato adeò Deum colendum obseruandúmque dicit, & ob amorem eius, nunquam iustitiam violandam, vt fateatur Socrates ab antiquis philosophis acceptum, se Deo potius obsecuturum, quàm hominibus omnibus πείσομαι δὲ τῷ θεῷ μᾶλλον, ἢ ὑμῖν. Id est, nempe quod veri, ac sancti Theologi: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Sic ibi. Marsil. Ficinus ita Latinè vertit: Deo parere malo, quàm vobis Hæc ille. Nihil igitur obstat vetatúe, quin seruus hominis, etiam Deo seruire possit, dicente Apostolo *Ephes. 6. Serui obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus.* Sic ille. Quod si mortalis dominus aliquod eorum, quæ lege vetita sunt diuinâ seruo præcipiat. Ille fiducialiter respondeat & ingenuè: *Nemo potest duobus dominis seruire Matth. 6.* Obserua, quòd cum Moses. *Deut. 22. præcipit: Non seres vineam tuam altero semine: Non arabis in boue simul & asino. Non indueris vestimento, quod ex lana, linóque contextum est,* perinde est ac si illam Euangelij vocem emitteret. *Nemo potest duobus dominis seruire. Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Nota, quòd duo regna, statuit dominus ab initio, deditque homini potestatem vt alterius regni portio fiat, diffinitum enim est apud Deum, non posse hominem vnum vtriusque regni esse seruum. Fuit enim regnum mundi, & regnum *Dei.* De his verum est quod *S. Paulus Gal. 1. c. scribit si adhuc hominibus placerem, Christi*

*Act. 5. c. Euseb. hist. Eccles. lib. 4. c. 15. Ruffino interprete.*

*Aug. Eugubinus lib. 5. de perenni philosophia c. 12. seu vltimo. 7. Plato in Apolog. hoc.*

*Mart. Ficinus in Apologia Socratis apud Platonem.*

*Ephes. 6. c.*

*Matth. 6. c. Deut. 22. & i*

*seruus non essem*, *contra* quosdam, qui duobus dominis, Christo nimirum & mundo inseruire & obsequi cupiunt, quod est contra Euangelium, nedum contra Apostolum. Quandoquidem Diuus Iacobus capite 4. scripsit: Nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est Dei? *Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi huius inimicus Dei constituitur.* Et diuus Pater Augustinus, libro 4. de ciuitate Dei capite 28. seu vltimo, fecerunt, ait ciuitates duas, amores duo, terrenam scilicet amor sui vsque ad contemptum Dei, celestem vero, amor Dei, vsque ad contemptum sui. Denique illa in seipsa, hæc in Domino gloriatur. Illa quærit ab hominibus gloriam, huic autem Deus conscientiæ testis maxima est gloria. Idem lib. 15. c. 1. vbi supra. Genus humanum in duo genera distribuitur, Vnum eorum, qui secundum hominem, alterum eorum, qui secundum Deum viuunt. Quas etiam mystice appellamus ciuitates duas, hoc est, duas societates hominum: quarum est vna, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo; altera æternum supplicium subire, cum diabolo. Prior Cain genitus pertinens ad hom inum ciuitatem. Posterior Abel, ad ciuitaem Dei. Prior est natus ciuis huius sæculi, posterior autem, isto peregrinus in sæculo, & pertinens ad ciuitatem Dei. *Scriptum est de Cain. Genes. 4. quod condidit ciuitatem. Abel autem peregrinus non condidit.* Superna est enim Sanctorum ciuitas, quamuis hic pariat ciues, in quibus peregrinatur, donec regni eius tempus adueniat. Sic diuus Augustinus satis indicans illud esse extra omnem controuersiam positum, quòd hîc a Domino adstruitur. Nemo potest duobus Dominis seruire. Quo ex loco, septima generalis Synodus, (vt habetur, 21. q. 1. c. 1.) collegit, quod nullus clericus duabus debeat annumerari eccles. q. 5. Verba sunt: (ex 15. cap. Synodi Nicænæ secundæ, quæ septima generalis appellata est habeturque. to. 3. Conciliorum) Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesijs. Negotiationis enim hoc est, & turpis lucri proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine penitus alienum Audiuimus enim, ex ipsa Dominica voce, quòd Nemo potest duobus Dominis seruire, Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. *Vnusquisque enim* secundum Apostolicam vocem, *in quo vocatus est, in hoc debet manere,* & in vna locari Ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus efficiuntur: aliena consistunt à Deo. Hæc ibi:

*D. August. to. 5. lib. 14. de ciuitate Dei c. vlt.*

*Idem lib. 15. c. 1. vbi sup.*

*Genes. b. c.*

*21. q. 1. Cler. ex 7. Synodo. c. 15. to. 3. Conc.*

*1. Cor. 7. c.*

Non puto ſilentio premendum, quod Ioan. Molanus Louanienſis Theologus, lib. 3. de Canonicis, c. 43. adnotauit ad hunc modum: Quid de his dicemus, qui duos aut tres, aut etiam plures poſſident Canonicatus? Dicam quod puer è Pipini Roſæ ſacris concionibus excepi. Exclamabat ille in miſeros homines, quibus non ſatis ſit plura poſſediſſe beneficia, ſed quaſi hoc honorificum ſit, etiam poſt mortem in marmoribus & Epitaphiis memoriam eius conſeruari cupiunt, cùm ipſe non aliter hoc interpretari potuerit, quàm vitæ anteactæ accuſationem, quomodo ad patitulum aſcribi ſolent cauſæ, ob quas nebulo laqueo ſit adiudicatus. Extant contra huiuſmodi plurales editi complures libelli, & tractatus, in quibus paſſim concluditur, eos qui plures ſunt in beneficiis, plures quoque futuros in pœnis inferni. Sed præſtat aſcribere Decretum Concilij Tridentini, cui acquieſcere & obedire nolle, magna eſt impietas & improbitas. Seſſ. 24. c. 17. ſic Patres inquiunt in Decreto de reformatione. Cum Eccleſiaſticus ordo peruertatur, quando viuus plurium officia occupat clericorum: ſanctè ſacris canonibus, cautum fuit neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi. Verùm quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, ſeipſos, non Deum, decipientes: ea quæ benè conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt: ſancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto, quod in quibuſcumque perſonis, quocumque titulo, etiam ſi cardinalatus honore fulgeant, mandat obſeruari: ſtatuit vt in poſterum vnum tantùm beneficium Eccleſiaſticum, ſingulis conferatur: Quod quidem ſi ad vitam eius, cui confertur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficit: liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo vtrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modò ad cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia omnia beneficia tam ſecularia, quàm regularia, quæcumque etiam commendata, pertineant, cuiuſcumque tituli, ac qualitatis exiſtant. Illi verò, qui in præſenti plures parochiales Eccleſias, aut vnam Cathedralem, & aliam parochialem obtinent: cogantur omnino, quibuſcumque diſpenſationibus ac vnionibus ad vitam non obſtantibus, vna tantum Parochiali, vel ſola Cathedrali retenta, alias parochiales infra ſpatium ſex menſium dimittere: alioquin tam Parochiales: quàm beneficia omnia, quæ obtinent ipſo iure vacare cenſeantur: ac tan-

*Ioan. Molanus lib. de Canonicis c. 43.*

*Concilium Tridentinum Seſſione 24. cap. 17. in decreto de reformatione.*

quam vacantia liberè aliis idoneis conferantur: nec ipsi antea illa obtinentes, tuta conscientia, fructus post dictum tempus retineant. Hactenus œcumenicum Concilium. Sed sunt nulla tenuia beneficia, quæ etiam, si duo aut tria possideantur, vix sufficiunt vitæ sustentandæ: vnde nonnulli moniti, vt se à pluralitate exonerēt, respondēt (Matth.21.) Dominus his opus habet. Plura possidere beneficia res est turpis, & non tolerāda. Si autem nec duo beneficia, propter attenuatos fructus sufficiāt; lōgè præstat tenuia beneficia vniri, iuxta Decreta in eodem Concilio, de vnionibus prolata, quam triplicem aut quadruplicem esse in beneficiis. Quod si ordinarij negligentes sint in huiusmodi vnionibus, nihil saltem absque auctoritate summi pastoris attentetur. Hucusque Molanus.

Cùm dicitur duobus Dominis non posse seruitium reddi ab vno & eodem, exponendum est de Dominis contrariis & inter se diffidentibus, quibus obtemperare est impossibile, quales sunt Deus & diabolus, vt explicat Christus: non potestis Deo seruire & mammonæ. Aliàs benè posset id fieri, vt leg. penultima, Duorum &c. D. de operis libertorum. Duorum libertus (ait Gaius Ic.) potest aliquo casu singulis diuersas operas vno tempore in solidum edere: veluti si librarius sit, & alij patrono librorum scribendorum operas edat, alter verò peregrè cum suis proficiscens operas custodiæ Domus ei indixerit. Nihil enim vetat, dum custodit domum, libros scribere. Hoc ita Neratius libris membranarum scripsit. Quod autem de contraria iubentibus Dominis Euangelicus sermo exaudiendus sit: satis innuunt dilectionis & odij vocabula, contrariæque proprietates; Sustinentiæ item, vel sufferentiæ ac contemptus inter se comparata verba in textu posita. *Non potestis Deo & mammonæ inseruire.* Huic cōsonat D. Paulus scribens: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.*

*l. penultima, Duorum D. de operis libertorum 7.*

*2. Timoth. 2. c.*

*Duobus Dominis.* Non dixit, duobus regibus, Nam idem artifex Salomoni inseruiebat & Hiram regi Tyri 3. *Reg.* 5. *Lapides, ad templi constructionem dolauerunt cæmentarij Salomonis, & cæmentarij Hiram*: Sed dixit duobus Dominis, quia Dominatio superbiæ fastus est, quæ cum sit in factiones diuisa, (*Nam inter superbos semper sunt iurgia*) duos admittere nequit. Neque enim quis Dauidi & Absaloni hærere poterat, illi adhærebat bonus Chusai amicus Dauid, hunc non diligebat sed sustinebat malus Achitophel, & proditor Da-

3. *Reg.* 5. *c.*

*Prouer.* 13. *c.*

iudiis 2. Reg. 15. & 17. Deus cùm vnus sit, vnúmque filium habeat, vnum mundum creauit, vnam cuique animam dedit & vnum corpus, & licet duos homini oculos, aures, & nares dederit, duas manus ac duos pedes, vnum tamen visum in duobus oculis, vnum auditum fecit in auribus, vnum etiam odoratum posuit in naribus, vnum tactum denique in manibus, & progressum, seu motum in pedibus vnum constituit, ideò vnitatem vehementer amat, eamque diuidi cauet. *Igitur nemo potest duobus Dominis seruire.* 2. *Reg.* 15. 16. 17. *cap.*

*Nemo potest thesaurizare in cœlo & in terra.* Matth. 6. *simplicem oculum & nequam habere.* Ibidem. Ideò in baptismo renunciamus diabolo & pompis eius, quia nemo potest duobus Dominis seruire. Et in Decretis de pœnitentia dist. 5. c. 1. §. Animaduertere etiam oportet. D. Augustinus lib. de pœnitentia colligit ex illo loco, quòd omnia opera bona, quæ in mortali facta sunt, pereunt, quia, qui seruit Diabolo, Deo non seruit, Dicit tamen esse pium credere, quòd si peccator ad gratiam redeat, Deus remuneret bona, quæ in malo statu fecerat. Quæ sententia refertur, de pœnitentia dist. 3. c. pium est. Idem tenere videtur D. Hieronymus, eadẽ dist. capitul. si quando. Textus est huiusmodi: priore loco, dist. 5. Timeat, ne omnia bona quæ fecit, dum in vno peccato perseuerauerit, ex contaminatione mali perdiderit, vt qui seruiuit Diabolo per crimen, Dei, quam obtulit, amiserit seruitutem. Timeat illam veritatis sententiam, non potestis duobus Dominis seruire. (Math. 6. c.) Pium est tamen credere, vt recepta Dei gratia, quæ in eo destruit mala priora, etiam remuneret bona: vt cum destruxerit, quod situm non inuenit, amet & diligat bonum, quod etiam in peccante plãtauit. Quod etiã dist. 3. de pœnit. c. pium est, ex eodem repetitur, & ex D. Hieron. c. Si quando posteriore loco habetur: Si quando videris inter multa mala opera peccatorum, facere quempiam nonnulla, quæ iusta sunt, non est tam iniustus Deus, vt propter mala multa, paucorum obliuiscatur bonorum. Sic ibi. Rursus dist. 1. de pœnitentia c. Resuscitatus §. Item sic ex Aug. dicitur: Nemo filius Dei & diaboli simul esse potest: Nemo enim, vt ait Christus, duobus dominis seruire potest. sic ibi. Ex his constat, quàm latè pateat vsus huius vniuersæ propositionis: Nemo potest duobus Dominis seruire &c.

*Math. 6. c.*

*D. Aug. lib. de pœnitẽtia, & canonizatur dist. 5. de pœnit. c. 1. §. animaduertere. Dist. 3. de pœnit. c. pium est ex D. Augustin. & c. si quando ex D. Hierony. ad c. 1. Aggei. Dist. 1. de pœnit. c. resuscitatus §. Item. Ex August.*

*Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Hoc nomen Syriacum est Diuo authore Hieronymo, ad hunc locum: Mam- *D. Hieron. in Matt. c. 6.*

*Paulus de palacio in Matt.6.c.* mona sermone Syriaco, diuitiæ nuncupantur. Arbitratur Paulus de Palacio ad hæc verba: non significare Dæmonem præfectum diuitiis. quod hinc colligit, quia alibi dicit Dominus. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*, & rursum: *Luc 16.c.* *Si in iniquo Mammona fideles non fuistis &c.* Luc.16. Vbi aperte nequit intelligi de Dæmone, sed de opibus: pari ergo iure & hoc loco non de Dæmone, sed de substantia. & diuitiis *D.Hier. vbi supra.* mentio est. Hęc ille. Audiat hoc auarus, ait D. Hieronymus, vbi supra, audiat, qui cēsetur vocabulo Christiano, non posse se simul diuitiis, Christoque seruire. Et tamen non dixit, Qui habet diuitias: sed qui seruit diuitiis. Qui enim diuitiarum seruus est, diuitias custodit vt seruus: qui autem seruitutis excussit iugum distribuit eas vt Dominus. Sic *Psal.75.* Hieronymus. Hoc pacto *Psal. 75. viri diuitiarum vocantur*, non autem diuitiæ virorum, eo quòd auari non sunt Domini diuitiarum, at contrà, Dominantur eis ipsæ diuitiæ, qui- *Valerius l. 9. ca.4. de auaritia.* bus ipsi seruiunt. Sic Ptolemæus rex Cypriorum (de quo Valerius lib.9.c.4. De auaritia.) Proculdubio hic non possedit diuitias, sed à diuitiis possessus est: titulo rex insulæ, animo pecuniæ miserabile mancipium.

Ne solliciti sitis animæ vestræ. Meritò hoc loci tractan- *D.Hier. in Math.6.c.* dum mihi est, an liceat sollicitum esse Christianum? Primò apertum est, ex D. Hieronymi hoc loco sententia, quòd sancta sit cura & sollicitudo de rebus spiritualibus. Cæterum, ait ille, de spiritualibus cibis & vestimentis semper de- *Rom.12.c.* bemus esse solliciti. Sic ille. *Rom.12 Sollicitudine non pigri, &* *2.Cor.11.c.* *qui præest in sollicitudine.* Ibidem. *Item 2.Cor. 11. quotidiana sol-* *Ephes.4 & Colloss.4.c* *licitudo mea omnium Ecclesiarum. Et Eph.4. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* & *Colloss.4. Epaphras semper sollicitus pro vobis in orationibus.* Secundò etiam apertum est, quòd *Gal.4.c.* sit sancta sollicitudo de temporalibus, quando in spiritualium commodum cedunt. *Gal. secundo, Dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis: tantùm vt pauperum memores essemus, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.* Tertio non est mala sollicitudo de temporalibus, vbi prius sunt æ- *1.Cor. 7.c.* terna quæsita. 1. *Cor. 7. qui cum vxore est sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: & quæ nupta est mulier cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Quod igitur Dominus damnat hoc loci id est, quòd temporalia quæras, æternorum oblitus, ita curare hæc, quæ videntur, ac si nihil essent æter- *Psal.16.* na. Hoc enim est, quod dicit *Psaltes: Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Hi habent hic ciuitatem manentem, nec fu-

turam inquirunt. Hi non se reputant vt peregrinos & hospites super terram. Prouidentiam ergo non damnat Dominus, nec prudentiam humanam à suis expellit, sed similiter fecit (ait de palacio vbi sup.) ac faciunt, qui virgã recuruam in rectum flectere contendunt, in diuersam partem eam reflectentes. Ita Dominus à cura secularium rerum omnino nititur corda nostra diuellere, vt vel hac ratione minus illa curemus. Adde quod huius præcepti virtus ex præcedentibus pendet. Nemo, inquit, duobus, potest seruire, Deo & mammonæ. Ideo si sollicitudo secularis à Dei seruitio auocare vos debet, præstat nihil sollicitũ esse. Non igitur veto vos esse sollicitos, veto tamen esse sollicitos, si hæc sollicitudo mammonæ seruire coegerit. sic ille. Ergo *nolite sollicitì esse* (sub) nimium, sed confidendum in Domino. 1. *Cor.* 1. *non sumus fidentes in nobismetipsis, sed in Deo, qui suscitat mortuos.* *Paulus de Palacio vbi supra.* *2. Cor. 1.*

Denique distinguendum existimo de sollicitudine. Alia enim est prouidentiæ, alia autem cupiditatis. Prouidentiæ, non prohibetur vel improbatur; sed in Martha etiam à Domino commendatur: *Luc.* 10. *c. Martha sollicita es, & turbaris circa plurima: symbolum est vitæ actiuæ. Item.* 1. *Timoth* 5. *si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit,* &c. *Luc.* 10. *c.* *1. Tim. 6. c. & Luc. 8. c.*
Sollicitudo autem cupiditatis mala est, *Radix enim omnium malorum cupiditas.* 1. *Timoth.* 6. *& Luc.* 8. *Quod in spinas cecidit semen, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus & diuitijs & voluptatibus vitæ, euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Sollicitudo ergo superflua nobis hic prohibetur, non ob id tamen inerti otio marcescamus & torpeamus, dicente Domino *Genes.* 3. *in sudore vultus tui, vesceris pane tuo. Et Regius vates, Labores, ait, manuum tuarum, quia manducabis. Paulus denique.* 2. *Thess.* 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.* *Genes. 3. c.* *2. Thess. 3. c.*

*Ne solliciti sitis* Græcè *μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν.* hoc est, ne cum animi anxietate, de vita vestra seu anima sitis solliciti. & infrà de vestimento, quid solliciti estis *τί μεριμνᾶτε.* ac Rursus quis, ex vobis, cogitans. Græcè quoque habetur, *μεριμνῶν*, id est, sollicitè: & anxiè cogitãs, & postrema periodo huius cap. sic dicitur. Ne sitis solliciti de crastino, Græcè *μὴ μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον.* Vides quomodo exactè & disertè de ea sollicitudine loquitur, quæ Græcis *Μέριμνα, ης, ἡ,* dicitur, ærmunam Latini dicunt, angorem & animi anxietatem. gall. *chagrin, soucy,* Vulgus, *se chesmer d'ennuy* *Μεριμνάω*, verbum, anxiè & sollicitè cogito, *μεριμνᾶν* in curam incumbere.

Plus est μεριμνᾷν, quàm simpliciter curare, sollicitum esse, itaque μεριμνᾷν deriuant Grammatici, παρὰ τὸ μερίζειν τὸν νοῦν. ab eo quod est mentem distrahere ac veluti diuidere, quod sollicitudo animum, vt inquit Virgilius, rapiat in partes varias. Cicero lib 4. Tusculanarum quæstionum, ea de re ita scripsit: Sollicitudo est ægritudo cum cogitatione. Idem lib. 1. de finibus bonorum & malorum, de improbis loquitur. Quòd si qui satis opibus hominum sibi contra conscientiam septi esse & muniti videntur, Deorum tamen numen horrent, cásque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctésque diésque exeduntur, à diis immortalibus supplicij causa, importari putant. Hæc ille. Perspicis, quòd ex propria huius verbi vi & significatione pendet tota explicatio huius doctrinæ, quùm Christus non vetet, imò verò iubeat nos labore victum quærere, & curare frugali quadam prouidentia rem domesticam, sed angorem, & nimiam sollicitudinem prohibet, anxietatémque animi & inquietudinem, cui semper coniuncta est diffidentia. Iac. de Vitriaco hunc sic explicat nodum, Dominica 15. post octauas Pentecost. Auari anxietate & sollicitudine acquirendi temporalia, à Dei seruitio retrahuntur. Sollicitudo siquidem spinarum, semen verbi Dei suffocat, & cœlestibus vacare non finit. Ne solliciti sitis ea sollicitudine culpæ, que mentem perturbat & confundit, & anxietate acquirendi transitoria, ab æternis retrahit. Hæc principaliter in duobus consistit, in quantitate rerum, quæ supra necessitatem curiosè acquiruntur, & hanc sollicitudinem comitatur auaritia, & immoderata acquirendi anxietas. Consistit item in qualitate, in colore, scilicet, splendore forma, & in adiectione vestium extrinseca. Insuper in ciborum lautitia & apparatu, potúque superfluo. Vnde cum Deus ait: nolite solliciti esse, quid mãducetis, aut quid induamini. Videtur illos arguere, qui spreto victu vel vestitu communi, lautiora sibi alimenta, vel preciosiora præ his cum quibus viuunt, indumenta requirunt. Vetat igitur sollicitudinem, quæ mentem turbat, & ab æternis reuocat, non laborem aut prouidentiam. Vnde non ait: Non curetis, vel laboretis de anima vestra. Sed ne solliciti sitis. Et ideò nemo debet scandalizari, si aliquis iustos viderit hæc necessaria, victum & vestitum, sibi suísque procurare. Non igitur præcipitur, vt nihil ad vsus necessarios, à sanctis reseruetur, cùm ipse Dominus loculos habuisse legatur, ac collegisse fragmẽta reliquiásque panum, ne perirent,

*Cicero lib. 4. Tusc. quæst.*

*Iac. de Vitriaco Dom. 15. post. octauas Pentec.*

ipsos Apostolos Domini iussu, comperiamus. Sed præcipitur, ne propter ista Deo seruiatur, & ne timore inopiæ iustitia deseratur, vel nimia sollicitudine animus suffocetur. Non enim debemus Deum tentare, vt velimus sine labore habere, quod Deus instituit cum labore acquirẽdum, dicens primo parenti: *In sudore vultus tui, comedes panem tuum. Gen. 3.* Genes 3.c.
Hactenus. Iac. de Vitriaco. Nunc ad sequentia transeamus. *Respicite volatilia cœli.* Cur à volatilibus cœli, vt à magistris, omnium magister homo docebitur? Video iam, quòd *homo qui in honore erat, non intellexit, sed,* vt ait Psalmographus, *comparatus est iumentis insipientibus, & ita* dignè ad bestias erudiendus mittitur. Porrò consolabor meipsum: is enim (ait De Palacio vbi suprà) qui me respicere volatilia De Palacio iussit, ideo iussit, vt dum in volatilia cœli oculos erigo, ad vbi supra. cœlum erigam: Imò ad Deum potius, qui multò locupletius me docebit, quàm ipsa volatilia cœli docere poterant. Nec enim missus sum videre bestias terræ, vt terram spectarem: & à terrenis oculi detinerentur. (Verùm vt Anaxagoras respondisse perhibetur, apud Laertium, lib. 2. in Anaxagora, inspiciendi cœli, & solis & lunæ causa, se natum esse, sic homo, ad cœlos contemplãdos, vel potius cœli terræque opificem ac creatorem intelligendum ac colendum, natus ac conditus fuit) Quòd si volatilia pascit Deus, quæ non seminant, quantò magis pascet vos seminantes? *Nonne pluris estis vos, quàm illa?* At profectò si homo otio & desidia torperet, non esset plùris quàm volatilia, imò longè minor. Illa enim nunquam torpere & otio marcescunt. *Iob cap. 5. Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum. Vel, sicut auis ad volatum.* Iob 5.c.
Sic Paulus de palacio. Licet potuisset Dominus Israelitas in deserto. 40. annis cõmorantes, Mosem & Heliam ac Ioannem Baptistam, à Dominó in eremo sustentatos, adducere in exemplum diuinæ ac mirabilis suæ prouidentiæ; noluit tamen, sed irrationalium attulit securitatem: ne quis se excusaret, quòd nondum ad Patrum illorum sanctitatem conscendisset peruenissetne; atqui adductis exemplis de ratione carentibus volatilibus, tollitur, omnis contradictio. Imitatus est Salomonem, qui. *Prouer. 6. ad formicam pigrum mittit,* Prou. 6.c. *quæ parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.* Item Sanctum Vatem. *Ieremiam c. 8, qui* ad hirundinem Ierem. 8.c. & alias aues remittit dicens. *Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit Iudicium Domini.* Sic Chri-

*Ierem.8.c.* stus. *Luc.12. Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, & Deus pascit illos, Nolite ergo solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, &c.* Non dicit in exemplo auium quòd non volant, sed quòd nõ seminant, neque metunt, neque cõgregant in horrea. Non enim prohibet honestum laborem, neque studium acquirendi temporalia: sed nimium ipsorum amorem. Ita enim alienum & extraneum est ab homine vsurarium esse, siue latronem, vt esset auibus cœli seminare, arare, vel metere. Et sicut aues solùm volando sustentantur, Ita vos solo honesto labore vestræque naturæ consentaneo, vi-
*1. Pet.5. c.* tam degite, nec modos illicitos quærere velitis. *Ergo.1.Pet.5. omnem sollicitudinem vestram in eum proijcientes, quoniam ipsi*
*Psal.54.& 39.* *cura est de vobis. & Psal.54. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. & Psal.39. Ego autem mendicus sum & pau-*
*Stella in Luc. 12. c.* *per. Dominus sollicitus est mei.* Animaduerte autem (ait Stella in *Luc.12.cap.*) quòd cùm vniuersis volatilibus Dominus escam prouideat, specialiter tamen dicitur pascere coruos: quia nulla adhibita parentum diligentia pulli coruorum educantur & aluntur, cùm cæteris omnibus volatilibus labore & ministerio parentum cibus ministretur. Ferunt naturam corui esse, vt statim in ipso ortu, à parentibus pulli destituantur. Nam cùm parentes videant coruos natos esse albos, existimantes suum non esse fœtum, eos relinquunt ac fugiunt: interim tamen dum alæ nascuntur, & nigri fiũt cœli
*Psal.146.& Iob.38.c.* rore sustentantur. Ideo *Psal.146. Qui dat escam pullis coruorum inuocantibus eum & Iob.38. Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quòd non habeant*
*Cassiodorus in Psal.146. item.* *cibos.* Hactenus Stella. Cassiodorus in præfatum locum Psalmographi: Pulli coruorum, inquit, vt Physiologi volunt, cœlesti rore vescuntur, & adhuc paternas escas, idest, cadauerum fœtores, beneficio ætatis ignorant. Item Euthymius
*Euthymius Græcus ibidem. &.* Grçcus. Ibidem. Roscida aura, ait, enutriuntur à Deo. Isidorus denique lib. 12. originum siue Etymologiarum cap.7.
*Isidorus lib. 12. Etymol. cap.7.* Coruus, insit, editis pullis escam non præbet, priusquam per pennarum nigredinem similitudinem proprij coloris agnoscat. Postquàm autem nigros in plumis aspexerit, agnitos abundantius pascit. Sic illi, authores, sanè, haudquaquam proletarij, sed classici & probati, ac, vt dici solet, omni exceptione maiores, testes.

Coruorum etiam specialiter hîc meminit Christus, vt in memoriam reuocet miraculum antiquum Heliæ præstitum,
*3.Reg.17.c.* qui coruorum ministerio 3. *Reg.*17. famis tempore nutritus

eſt. Coruis præcepit, ait Dominus Eliæ, vt paſcant te. Corui autem deferebant ei panem & carnes manè, ſimiliter & veſperi, & bibebat de torrente Carith. Præterea D. Hieronymus to 1. in vita Pauli Eremitæ ſcribit, quòd coruus panem integrum ipſi & Antonio detulit, & ante eos depoſuit. Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium miſit, verè pius, verè miſericors, Sexaginta iam anni ſunt, quòd accipio dimidij ſemper panis fragmentum: verùm ad aduentum tuum, militibus ſuis duplicauit annonam. Sic ille. *D. Hier. to. 1. in Pauli Eremita.*

*Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt. &c.* Græcè τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ. Lilia agri hebraiſmus, pro agreſtia, vel agrorum, ideſt, quæ paſſim in agris occurrunt, ad diſcrimen hortenſium liliorum, quæ in hortis noſtris naſcuntur. per humanam ſollicitudinem ac culturam: Dici poterat quòd humanus labor conferebat aliquid ad pulchritudinem ipſorum. Verùm lilia agri, ſpontè nulláque cultura naſcuntur, & à nemine plantantur, ac ſine vlla ſollicitudine humana, tanto decore ac pulchritudine prædita ſunt, vt neque Salomon in omni gloria ſua coopertus fuerit ſicut vnum ex iſtis. Dicit etiam non laborant, propter viros. Neque nent, propter fœminas, vt vtrique ſexui demat ſuperfluam ſollicitudinem. Eſt verò duplex liliorum genus, ait de Palacio vbi ſupra. Album, quod Græcis eſt lirion: & Rubrum, quod eſt Græcis crinon, Locus verò noſter, non loquitur de liliis albis, Hæc enim cùm in hortis naſcuntur; curam & cultum hominum exigunt. Loquitur igitur de liliis rubris, ſub nomine, Crina, & quia hæc nullam curam requirunt (ea maximè, quæ lilia agri ſunt) ideo de his mentio eſt. Sic ille. Scribitur in hiſtoria generali omnium plantarum lib. 15. cap. 1. λείριον. Gall. lys Ital. Giglio, id eſt, blandum, ſuaue, ac concupitum, non lilium duntaxat, ſed plures alios venuſtos flores ſignificat. Iunonis roſa dicitur, quòd veteres Poëtæ Greci finxerunt ex Iunonis lacte reſperſa terra natum lilium. Lilij genera ſunt album & rubrum teſtibus Dioſcoride & Plinio. Poſterior lib. xxi. c. 5. ſic ait, eſt & rubens lilium, quod Græci crinon vocant. Cæterùm quod ibi dixit Plinius, docti quidam legendum cenſent ἐρυθρὸν κρίνον vel, compoſita voce ἐρυθρόκρινον, Nam etiam album lilium Crinon vocant. Sic ibi. Vetus lectio in Plinio Iac. Dalechampij habet ad marginem ſcriptum: crinon agrion, id eſt, lilium agreſte, ad differentiam ſatiui ſeu hortenſis lilij quod ſi ita eſt, non incommodè accipi poterit Euangelicum dictum; etiam de albis liliis. Sic enim ex-

*De Palacio in Math. 6. c.*

*Hiſtoria generalis Plantarum parte altera, lib. 15. c. 1.*

*Plin lib. 21. c. 5. de Lilio.*

*Iac. Dalechampius in Plinium vbi ſupra.*

D. Hier. in hunc Math. locum. ponere videtur hunc locum de illis. D. Hieronymus, non autem de rubentibus. Quod sericum, ait, quæ regum purpura, quæ pictura textricum potest floribus comparari? quid ita rubet vt rosa? Quid ita candet vt lilium? Violæ verò purpuram, nullo superari murice, oculorum magis, quàm sermonis indicium est. Sic ille Virgilius, Æneid. 6. ita cecinit: *Virgilius Æneid. 6.*

*--- Et candida circum.*
*Lilia funduntur ---*

*Idem Georgic. 4.* Idem Georgic. 4. --- *albáque circum*
*Lilia* --- Et Propertius, lib. 2. Aduersum se, *Lilia non domina sunt magis alba mea*, ait ille. Vides vtrumque Poëtam maxime lilia alba seu candida commendare. Extat etiam Strabi Galli Poëtæ ad Grimaldum abbatem hortulus, sub cuius finem hæc habentur carmina. *Prop. lib. 2 aduersum se.* *Hortulus Strabi Galli. sub finem.*

*Rosa, Liliũ.* *Huic* (Rosæ nimirum) *famosa suos opponunt lilia flores.* Deinde subditur:

*Hæc quia virginitas fama subnixa beata*
*Flore nitet, quamsi nullus labor exagitarit*
*Sordis, & illiciti non fregerit ardor amoris,*
*Flagrat odore suo.* --- Postmodum subiungit:
*Hæc duo namque probabilium genera inclyta florum,*
*Ecclesiæ summas signant per sæcula palmas,*
*Sanguine martyrij carpunt, quæ dona rosarum*
*Liliáque in fidei gestant candore nitentis.* Hæc ibi.

Nunc de præstantia liliorum aliquid adiiciendum. Certum est ex Canticis Salomonis Sponsum Christum lilio comparari: *Cant. 2. Ego flos cāpi, & lilium conuallium*, Sponsam itidem conferri lilio, Ibidem. *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias* De dilecto etiam verba hæc sunt eodem loco, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Iterum cap. 6. *Dilectus meus descendit in hortum suum, vt pascatur in hortis & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Rursus c. 7. de sponsa dicitur: *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis. Lilium conuallium*, dicitur Christus cum Epitasi siue, exaggeratione & vehementia. Nam in conuallibus lætius proueniunt lilia, propter humoris maiorem copiam. Atque vt lilia spinarum iuxta positarum appositu videntur pulchriora, sic reliquæ fœminæ, ô dilecta sponsa, tecum compositæ formæ decus tuum illustrius reddunt. Pascere autem inter lilia dicit, non quod lilia sint pascua, sed quia amantes fœminæ semper in ore habent rosam, lilia, atque iis alia similia. Nota, Pascor depoēn- *Cant. 2. & c. 3.* *Ibid. c. 6.* *Et c. 7.*

taliter positum pro comedo seu vescor, vnde canit, in hymno de virginibus Sancta mater Ecclesia:

*Qui pascis inter lilia,*
*Septus choreis virginum,* &c.

*Hymnus Ecclesiasticus de virginib'.*

Sponsus cum sit lilium, libenter inter lilia commoratur, & cùm sit candor delectatur candidis & virginis Deiparæ immaculatus venter *vallatus est liliis*, hoc est, decoratus candore puritatis ac castitatis virginalis. Cādens enim lilium, virginitatis ac sanctitatis est hierogliphicum. Legimus quoque, *Exod.25. quòd in candelabro tabernaculi, erant lilia ex ipso procedentia. Et Iudith nobilis heroina ac virago* (quæ sanctissimæ ac perpetuæ virginis symbolum & typus fuit) debellatura Holofernem, inter mundum muliebrem, quo se ornauit, *assumpsit dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se Iudith cap. 10.* Lilia autem Lyranus noster ibi interpretatur ornamenta à capite dependentia ad formam lilij facta. Ornamenta liliorum in modum facta, sunt ornamenta virtutum puritatis & castitatis. Nota quod in sacro eloquio dicitur; Iustus germinabit sicut liliū, & florebit in æternum ante Dominum. Quid plura? Memorabile est illud. 4. *Esdræ. 5 cap. Elegisti, Domine, ex omnibus arboribus vineam vnicam, & ex omnibus floribus orbis, elegisti tibi lilium vnū, & ex omnibus ædificatis ciuitatibus, sanctificasti tibimetipsi Siō: & ex omnibus creatis volatilibus, nominasti tibi columbam vnam: & ex omnibus plasmatis pecoribus, prouidisti tibi ouem vnam, & ex omnibus multiplicatis populis, acquisiuisti tibi populum vnum, & ab omnibus probatam legem donasti huic, quem desiderasti populo.* Hæc Esdras. Non prætereundum silentio, quòd Christianissimi Francorum Reges, à Clodouei Regis, baptismo, (fuit is primus ex nostris Regibus, qui Christo nomen dedit, & à sancto antistite Remigio sacri lauacri vnda perfusus, atque sacro chrismate, in ampulla per columbam niuei candoris de cœlo allato, delibutus, fuit) in stemmate Regio (Scutum vulgus appellat. gall. *Escusson, ou armoyrie*) lilia sumpserunt, quæ Clodoueo, à summa cœlorum arce (Vt annales gallici testantur) fuerunt transmissa diuinoque munere data. Sunt qui dicant, plura lilia tribus, ab exordio Clodoueo Regi data fuisse, Conuenienter tamen ternario numero (qui sacer est, & mysticus, cùm in ternione perfectio consistat, dicente Philosopho lib.1. de cœlo & mundo. De tribus dicitur omne) in hunc vsque diem lilia francica depinguntur. Gallia quidem à candore populi nuncupata est,

*Exod. 25. c.*

*Iudith. 10. c.*
*Lyranus ibi.*

*4. Esdræ. 5. c.*

*Annales Gallici de liliis Frācicis.*
*Philosophus 1. lib. de Cælo & Mūdo.*

si etymon & græcę vocis notationem sequamur. Nam γάλακτος, lac significat, & nostrates franci, lacteum referunt in corporibus colorem, cùm solis ardoribus non adurantur, vt Hispani vel Itali, hinc inde contermini, ac circumadiacentes. Iure ergo candore liliorum oblectantur, hinc fit vt regium stemma liliis insigne & decoratum, hactenus sit retentum à nostris regibus. Cum antea tres ranas siluestres, quasi nobilitatis insigne gestarent. Si quis vero de laudibus & triumphis trium liliorum francicorum, plura nosse cupiat, ad opusculum F. Ioan. Ludouici Viualdi, de monte regali. ord. prædicatorum. Sacræ Theologiæ professoris ea de re ex professo, ad Christianissimum Francorum Regem Ludouicum duodecimum scribentis recurrere poterit, & sibi satisfactum, meo quidem iudicio, abundè erit. Explicantur siquidem hæ quæstiones. Quare in scuto Regis Christianissimi, lilia exprimuntur ac effigiantur. Cur in numero ternario? Cur potius lilia colore aureo, quàm argenteo figurantur? (Non enim foliorum lilij, quæ candida sunt, sed florum, qui intra folia, flauo colore, & aurum quodammodo referente, cotinentur, habetur ratio. Idcirco lilia aurea in stemmate Regio conspiciuntur) Quare denique hæc tria lilia, in colore Saphiri, siue ceruleo extenduntur? Est autem sereno cœlo similis color. gall. *azeur, ou couleur celeste.* Hæc, inquam vniuersa, methodicè satis, à præfato scriptore traduntur, Eò itaque recurrendum tibi censeo, vt sitim tuam expleas, Sequentia prosequamur. Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. Ars imitatur quidem naturam, sed non assequitur, tantum abest vt superet. Si ergo fœnum agri Deus sic vestit, quanto magis vos? Cur cùm proposuisset pulcherrimas lilij vestes, ad fœnum agri transcurrit? Apertum est lilia campi pios significare, sicut contra fœnum significat impios. Vnde *Isa 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Verè fœnum est populus.* & *Psal. 28.* de peccatoribus disertis verbis dicitur: *fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit,* hoc autem fœnum, quod hodie est, cras in clibanum inferni mittendum erit. At non erat grande augmentum, Si Deus lilia, id est, pios vestiret. Maius multo est, si etiam impios sic vestiat. Argumenti ergo virtus est. *Considerate lilia,* quæ piorum vicem obtinent, quàm pulchrè vestiantur à Deo. Cõsiderate etiam infideles, qui fœnum sunt, citò in infernum mittendi. Cùm igitur hos Deus ita diuites

*Opus regale Ludouici Viualdi Dominicani, De laudibus & triũphis triũ liliorum Frãcicorum.*

*Isa. 40. c.*
*Psal. 128.*

*Paulus de Palacio, vbi supra.*

reddat, quantò magis vos? hæc Paulus de Palacio, vbi supra. *Quantò magis vos?* ἐμφατικῶς dictum est. q. d. vos, quibus rationalem animam dedit, corpus adeò magnificè & excellenter formatum circundedit, vt Poëta cecinit:

*Os homini sublime dedit, cælumque videre.*
*Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.*

Vos, propter quos cætera condidit, hinc Aristoteles, Sumus & nos, inquit, quodammodo finis omnium. *Psal.* 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues, & pecora campi.* &c. Vos, propter quos misit prophetas, legem constituit, Vos, propter quos bona innumera operatus est, Vos, propter quos, vnigenitum suum Deus pater dedit. Et tamen, quod increpando dictum est, vos estis modicæ fidei. Vocat modicæ fidei, quia is, qui parùm Deo fidit, & credit, parum ab eo sperat, & expectat. Fœnum agri, quod hodie est. ait Ioa. Hesselius Louaniensis in hunc Matthæi locum, id est stipula ipsa, in qua crescunt lilia, iam liliis decerptis exsiccatur, & igni struendo apta redditur. Et cras, in clibanum mittitur. Valde igitur vile est, quoniam statim comburitur, & in cinerem & vilem fauillam redigitur. Deus sic vestit, nedum vestit, sed sic vestit, id est, eximiè, modo indicibili, tàm insigniter ornat, & varietate colorat. Sic ad literam valde appositè explicat præfatus author, vt sit eadem de re continuatio sermonis. Palacij enim interpretatio mystica videtur, potuisquàm literalis. Vides multos exaggerationum cumulos ac gradus. In clibanum, Græcè εἰς κλίβανον, furuum coquendis panibus ædificatum, significat, ne quis hoc in vocabulo hæreat. Memini me legisse istud: Lilia agri non laborant, neque nent, accommodatum à quopiam fuisse, ad successionem regni Gallici seu Francici: à cuius successione fœminæ, lege salica arcentur: nec in regno succedere valent, at soli masculi diadema semper obtinuerunt, apud nostrates. Probabili ergo ratione ex hoc desumpta Euangelico contextu, sic colligere visus est, Lilia agri non nent, vel, vt vulgus loquitur, non filant, colum ac fusum non tractāt. Ad mulieres autem pertinet, pensa, & lanam torquere, colum suam, ac fila ducere, atque in ijs exerceri domi, igitur ad mulieres peruenire non debet, nec pertinet successio Regni Gallici, quod pro symbolo gerit liliorum flores, quod sic Gallicè exprimimus.

*La couronne ou le Royaulme de France ne tumbe poinct en quenoille, c'est à dire ne paruient poinct, aux femelles par la loy Salicque.*

*Ouid. lib. 1. Metam.*
*Aristoteles.*
*Psal.* 8.
*Ioan. Hesselius in Mat. 6. c. præsentem locum.*
*Lex Salica.*

Quam firmum sit,& neruosum hoc argumentum, inde constare potest,quòd à simili fieri posset argumentatio: Lilia,sicut non nent,ita nec laborant, vel arant terram: Sed laborare ad viros pertinet,& propter viros hic positum est, igitur ad illos regni Gallici administratio non pertinet? Consequentia videtur planè eiusdem formæ; attamen argumentum seu probatio nullius momenti vel põderis esse videtur: Non ergo efficaciter lex Salica ex hoc contextu comprobatur, quanquam probabiliter ac verisimiliter inde illustrari quadantenus possit. Sine præiudicio eiusdem legis Salicæ, hæc dicta sunto nullo contentionis vel contradictionis studio. Absit.

*Nolite solliciti esse*, quid manducabimus? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Quia nullam habent spem futuræ æternæque vitæ, idcirco gentiles hæc præsentia & temporalia bona, tanquàm maxima inquirunt. Non credunt præterea, temporalia Dei prouidentia gubernari ac regi: sed casu prouenire, ac fortunam in his inferioribus regnantem colunt, ideóque pro his terrenis sunt solliciti. At verò Christiani sperant æterna bona, ac vniuersa credunt hominibus, diuina prouidentia distribui, agnoscentes, quoniam *Deo cura est de omnibus sap. 12. c.*

*Sap. 12. c.*

Non est nobis de Dei prouidentia diffidendũ. Is melius, quàm nosipsi nouit, quibus indigeamus, multóque salubriùs nobis prospicit, quàm nosipsi prouidere sciamus. vnde Satyrographus, satyr. 10. sub finem, ita cecinit eleganter & concinnè:

*Iuuenalis Satyra 10. ver. finem.*

*— Si consilium vis.*

(Sub. vt scias, quid optare debeas, & à Diis postulare)

*Permittes ipsis expendere numinibus, quid*
*Conueniat nobis, rebúsque sit vtile nostris.*
*Nam pro iucundis aptissima quæque dabunt dij.*
*Carior est illis homo, quàm sibi: nos animorum*
*Impulsu, & cæca, magnáque cupidine ducti.*
*Coniugium petimus, partumque vxoris: at illis*
*Notum qui pueri, qualísque futura sit vxor.*

Postmodùm subiungit, quid orandum:

*Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano,*
*Fortem posce animum, & mortis terrore carentem,*
*Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat*
*Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores,*
*Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores*

*Herculis ærumnas credat, sæuósque labores,*
*Et venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.*
*Monstro, quod ipse tibi possis dare, semita certè*
*Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ.*
*Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te*
*Nos facimus fortuna Deam, cœlóque locamus.*

Hæc Ethincus poëta, fidei radio minimè collustratus, nec gratiæ, auxiliíque specialis Dei necessitatem agnoscens, qui tamen non omninò impiè, de Deorum sensit prouidentia, vt ex suis liquidò patet versibus adductis. Referam & quod apud Valerium lib. 7. c. 2. de sapienter dictis, in externis, primo loco narratur, his verbis: Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil vltra petendum à Diis Immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent. Quia ij demum scirent, quid vnicuique esset vtile: Nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quàm latè patenpatentes errores, cæcas precationes tuas spargis? Diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: Honores concupiscis, qui complures pessum dederunt: Regna tecum ipsa voluis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur: Splendidis coniugiis iniicis manus, at hæc, vt aliquando illustrât, ita nonnunquam funditus domos euertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum caussis, quasi felicissimis rebus inhiare, téque totum cœlestium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt. Hæc ibi Plato diuinus in Alcibiade. 2. vel, de voto sic pariter scriptum reliquit: Prudens mihi videtur Poëta ille, qui amicis insipientibus vsus, dum eos videret & agentes & orantes, quæ illis minimè conducebant, cùm tamen eis vtilia viderentur, pro omnibus sic ait (Homerum diuinissimum sapientissimumque Poëtam, vt ipse appellat ibidem, innuit, Odyss.a. quemadmodum in margine notatum reperies) Iupiter rex optima quidem nobis, & vouentibus, & non vouentibus tribue. Mala autem poscentibus quoque abesse iube. Rectè igitur & cautè loqui poëta mihi videtur. Et subdit aliquando post: Illud autem cogito, quantorum malorum causa sit hominibus ignorantia: Quandoquidem propter hanc nos latet, cùm malè quid agimus, & quod deterrimum est, ob eam pessima nobis quandoque precamur: quod quidem nemo putaret. Sic ille. Quadrat apprime, hoc

*Valerius lib. 7. c. 2. de Sapienter dictis in externis.*

*Plato in Alcibiad. 2.*

*Homerus Odiss. a.*

*Matth.* 20.c Christi Domini responsum. *Nescitis, quid petatis. Matth.* 20. fallitur sanè magna pars mortalium, aut nocitura, aut superuacua postulando. Verùm quid expediat, summus arbiter Deus nouit vndè benè in textu subditur: Scit pater vester, quia iis omnibus indigetis. Quasi dicat. Herbas ac lilia ne in magnifico quidem despexit ornatu, volatilia cœli non deseruit absque necessario victu: Nunc autem ista vobis (victus *Philosophus.* nempe & amictus) necessaria sunt. Natura, ex philosopho, non deficit in necessariis. Quantò magis Deus naturæ author, prouidebit in necessariis vitæ humanæ subsidiis? hæc fuit fides atque magna in Deum fiducia Patriarchæ Abra- *Genes.* 22. c. hami dicentis: Genes. 22. Deus prouidebit sibi victimam 1. *Tim.* 6. c. holocausti, fili mi. 1. Timoth. 6. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Quis pater inuenitur aliquando, qui liberis suis, necessaria quidem non præstet? Quandoquidem, Apostolo teste, Thesaurisare debent filiis suis parentes. Superflua neget bonus parens, ne sit indulgentior erga filium, ne ad omnem nequitiam, fenestram illi nimia sua indulgentiâ patefaciat, vt vitetur luxus, vt euadat filius frugi, vt denique nimia sua licentia filium, ad malum alioqui procliuem ac pronum, non perdat. Esto, inquam, Deneget filio pater superflua, an non de necessariis, sollicitudinem geret? Nonne naturæ ductu ac instinctu, (στοργὴν *Cicero lib.* 7. φυσικὴν πρὸς τὰ τέκνα, alicubi vocat Cicero) pater procurabit *Epist.* 2. *ad* victum & vestitum liberis suis? Ergo ob hoc Deus ista nobis *Atticum.* præstabit, quia naturæ conditor ipse est, & quorum nos in- *epi.* 2. digeamus, ad plenum ipse nouit. *Pater est, & vester*, Scit vos, istis indigere. Quare de eius prouidentia, ac bonitate innata sibíque connaturali dubitas? Qua de re subit animum tuum dubitatio? Si de eius potentia, Deus est, si de eius beneuolentia ac bona voluntate, Pater est, si de rerum nostrarum scientia, Omniscius est. Scit pater vester, ait Christus hoc loco, quid ergo habet pius homo, cur de rebus, quæ ad vitæ vsum spectant præsentis, sollicitus esse debeat? Qui creauit naturam, eius nouit indigentiam. Pater despicere filios non poterit. Non ergo filiorum defuturus est necessitatibus. Sanè patres, etsi filiis non dent superflua, vt suprà attigimus, tribuunt tamen necessaria. Nec filij solliciti sibi sunt, vnde victum habeant atque vestitum, sed hanc suis relinquunt parentibus curam & sollicitudinem. Verùm dicet aliquis. Cùm Deus omnia prænouerit, Cur ergo oramus eum? frustrà eum alloqui videmur, qui præscierit

tit vniuersa, Respondendum est, nos non esse in orationibus nostris ad Deum fusis, narratores, sed supplices oratores ac deprecatores. Non narramus nescienti, verùm demissè ac humiliter omnia scientem rogamus. Requirit ille à nobis, atque expostulat, vt oremus ac inuocemus. Psal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, exaudiam te.* &c. 1. Pet. 5. *Omnem sollicitudinem vestram in eum proiicientes* &c. Ps. 36. *Subditus esto Domino, & ora eum. Reuela Domino viam tuam, & ipse faciet. Modicæ fidei, quare dubitasti?* inquiebat Dominus Petro. *Deut.* 32. *Nonne ipse est pater tuus, qui fecit & creauit te?* *Psal.* 26. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me. Dominus autem assumpsit me.* Et per Euangelicum Vatem dicit Dominus: *Nunquid potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Isa.* 49. & *Osee c.* 11. *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & ipsi non intellexerunt, quòd curarem eos.* Ne igitur parùm fidentes Deo videamur; nimis anxiam sollicitudinem de terrenis rebus abiiciamus, & à nobis procul relegemus. Imitemúrque Sanctum Esdram, qui cùm populum à captiuitate Babylonica in patrias sedes, Artaxerxis regis permissione, transferre decreuisset, multáque in tam longo itinere discrimina ac pericula sibi imminêre præuideret, non fuit tamen ausus, auxiliares copias à Persarum rege postulare, apud quem paternam Dei erga suos prouidentiam prædicauerat, ne hac petitione, professionis suæ fidem abrogaret, sed potius indicto ieiunio, à Domino petendam esse viam rectam, piè admodum ac religiosè sentiens, consuluit. *Erubui,* inquit, *petere à rege auxilium, & equites, qui defenderent nos ab inimico in via, quia dixeramus regi, Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate: Et imperium eius, & fortitudo eius, & furor super omnes, qui derelinquunt eum. Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrum pro hoc: & euenit nobis prosperè.* Sic ille. Si enim auxiliares à rege copias quæsisset, futurum erat, vt monarcha Persarum illi insultaret, & paternam Dei erga Iudæos, prouidentiam inanem esse diceret, cùm Esdras alia præter ipsum patrocinia ab homine côquireret. Hæc erat, profectò, plena atque perfecta fides, & in Deum fiducia, quæ quod ore prædicabat, rebus ipsis profiteretur, atque præstaret. *Non sic impij, non sic, sed* quod verbis profitentur, moribus & factis impugnant. De prouidentia, quædam fusiùs hoc loco expendenda existimaui. Imprimis Diuina prouidentia sublata, nulla apud homines reueren-

Psal. 49. 1. Pet. 5. c. Psal. 36. Deut. 32. e. Psal. 26. Isa. 49. e. Osee. 11. e. 1. Esdræ c. 8.

*Nemesis l. de natura hominis cap. 42.* tia, ait timor religiosus Dei remanebit. Nemesius Episcopus & philosophus D. Gregorio, Naziãzeno Theologo, κατ' ἐξοχὴν cognominato, coæuus, seu cõtẽporaneus, (vt epistola Nazianzeni ad Nemesium missa indicat) libro vno de natura hominis, cap. 42. ita prouidentiam demonstrat: Iudæus, ne insanus quidem si sit, prouidentiam ignoret, cùm sciat miracula, quæ in Ægypto euenere, cùm audierit, quæ in solitudine contigerint: in quibus illustrior hominibus apparuit proiudentia, quàm, quæ in oculis cernuntur, item cum multa opera prouidentiæ, & in prophetis & Babylone cognouerit, quæ omnem dubitationem respuunt. Christianus autem, cùm hæc omnia docent prouidentiam, tum in primis diuinissimum illud, & ob eximium amorem in humanum genus, summè incredibile, prouidentiæ opus, quòd Deus se corpore, nostra causa, induerit: Græci etiam siue Gentiles prouidentiam agnoscant, ob rationes sequentes: inter omnes homines constat, adhibendas esse preces numini diuino, idque muneribus, & sacrariis (siue sacrificiis) colendum esse. Id verò prouidentiam significat atque conuincit. Si enim nulla prouidentiâ hoc vniuersum gubernaretur, quis, aut à quo quispiam precabitur? Præterea Deus bonus est: Cum autem bonus sit, ad benè merendum propensus est. Si ad benè merendum propensus, etiam prouidus. Prouidentiæ autem est consulere iis, quæ effecta sunt.

*Idem c. 43.* Cap. 43. explicat, quid sit prouidentia his verbis: Prouidentia est rerum procuratio à Deo suscepta. Definiunt eandem sic, Prouidentia est Dei voluntas, per quã omnia quæ sunt, aptè gubernantur. Necesse est autem, eandem esse, qui res efficiat, & effectis prouideat. Neque enim rectum est, nec decet alium efficere, alium ea, quæ effecta sint procurare. Nam hoc quidem certè imbecillitatis est. Quicquid genuit, cibum quoque fœtui procurat, homo etiam de cæteris omnibus, quæ ad vitam degendam spectant, quoad eius fieri potest, prospicit. Quæ verò non prouident, ob imbecillitatem non prouident. Quare ostensum est, Deum esse qui prouideat: & prouidentiam esse eiusdem voluntatem. Idem

*Idem c. 44.* Cap. 44. ostendit quarum rerum sit prouidentia: vniuersarumne an singularum, an vniuersarum & singularum simul? Aristoteles negat rebus singulis à Deo consuli. Nam à natura sola vult administrari singula, vt in sexto Ethicorum ad Nicomachum obscurè significat. Hanc enim vt quæ diuina sit, & insit omnibus, quæ generantur, cuique naturaliter suggerere, vt ad res salutares accedat, fugiat, quæ cõtraria sunt.

Quodque enim animal, & idoneum sibi alimentum deligit, & quod vtile est sequitur, & remedia morborum naturaliter habet cognita. Est autem pars prouidentiæ, natura, non ipsa prouidentia. Deinde subiungit: Ostendamus non rectè quosdam à rebus singulis prouidentiam remouere, cum vniuersis, & generalibus à Deo consulatur: Hæ enim tres solæ caussæ afferri possunt, cur res singulæ Dei prouidentia non regantur. Aut enim Deum ignorare rectum esse, etiam illis consulere, aut nolle, aut non posse. Verum ignoratio quidem, & inscitia, ab illa beata natura alienisima est. Est enim ipsamet cognitio & sapientia, & scientia. Atqui, quomodo homo, qui sapiat aliquid, ignoret omnibus indiuiduis pereuntibus, etiam vniuersa interitura? Nam ex omnibus rebus singulis, vniuersa cōstituuntur. Species enim omnes, singulas res exæquant, & reciprocantur, vnáque intereunt, & vnà conseruantur: Neque quicquam obstat, quo minus omnia indiuidua intereant, si diuinitus nulla prouidentiâ gubernentur. Quibus pereuntibus, etiā vniuersa interibunt. Quod si dicāt, hoc solùm illa curæ esse, ne omnia indiuidua intereant, vt species conseruentur, non vident se dicere, etiam sigularum rerum quandam procurationē esse, quandoquidem rebus singulis, vt ipsi aiunt, prospiciens, genera speciésque tuetur. Alij dicunt non ignorare quidem Deum, sed prouidere nolle. Verùm hoc ipsum nolle, duabus de causis accedit, aut ob ignauiam, aut quod indecorum sit. Ecquis ita insaniat, vt ignauiæ Deum accuset? Rursus enim duabus de causis ignauia innascitur voluptate & timiditate, aut enim voluptate aliqua illecti, ignaui sumus: aut metu aliquo, ab agendo remouemur. Quorum neutrum de Deo suspicari fas est. Sin ignauia quidem Deum liberant, sed illi indecorum hoc genus prouidentiæ dicant: Indignum enim esse eiusmodi beatitudine, ad res viles, & minutas se demittere, & corporeis ex nostráque electione & voluntate manātibus ineptiis, velut profanari, ideóque prouidere nolle, non intelligunt se Deo duas vitiosissimas affectiones tribuere, superbiam, & inquinationem. Aut enim ob superbiam Deus imperium, & gubernationem rerum singularū despicit, quod dictu absurdissimum est, aut vt ipsi loquūtur, quod inquinationem deuitet. Quod si cùm radij solares vim habeāt attrahendi humorem omnē, negant inquinari solem, eiúsque radios, cum cœno lucē inferūt, sed integros, & ab omni sorde puros manere dicunt, quomodo Deū rebus humanis profa-

nari existimāt? Nō sunt hæc hominū dogmata, qui Dei naturam perspectā habeant. Nā in Deū neq; tactio, neque interitus, neque macula, neq; cōmutatio vlla potest cadere, inquinatio autē, & omnia eius generis ad mutationē pertinēt. Cæterùm an prouidere quidē vult, non tamē potest? Quomodo non perspicuè absurdū est, Deū imbecillem asserere, & benè merendi facultatem non habere? Iā verò res singulas etiam regi prouidentiâ, magno argumento est, quòd naturaliter eius notitia hominibꝰ est insita. Nā in difficili, & necessario nostro tēpore, statim ad numē diuinū, & preces cōfugimus, velut naturâ nos siue doctrina, ad Dei opē perducente: Non autē sine doctore nos natura ad id duceret, quod eadē natura non fert, vt fiat. Nā in repentinis perturbationibus, & timoribus sine electione, neque deliberatè, & antequàm aliquid considéremus, Dei numen inuocamus. Quicquid autem naturaliter, quamque rem insequitur, in eo tanta vis est ad demonstrandū, vt cōtradici nihil possit. Quæ ergò ratio istos ad hāc sententiā adduxit? Primùm quidē, quòd existimēt cū corpore animā interire. Deinde, quia rationem rerū singularum prouidentiæ percipere nequeunt. Verùm animā morte non deleri, neque huius vitæ circumscriptione res humanas terminari, loca, quæ dicūtur animabus, pro cuiusque vita distributa, & supplicia, quibus per se animæ afficiuntur, declarant. Hæc enim remanere animā post hanc vitā, & luere pœnam peccatorū confitentur: Sin prouidentiæ ratio rerum singularum, à nobis comprehendi non potest, vt certè non
Rom. 11. c. potest, ( *Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, et inuestigabiles viæ eius, ait Apostolus Romanis scribens*) non tamen hanc ob causam negāda prouidētia est. Neque enim, quoniam maris terminos, & arenæ numerum ignoramus, neget quis, mare aut arenam esse. Nam hoc quidem modo, etiam hominem, aut aliud quodpiam animal esse neget, quoniam numerum hominum, & cæterorum animalium nesciunt. Nam indiuidua nobis infinita sunt. Quæ autem nobis infinita, nobis incognita, ac vniuersa quidem sæpe ratione comprehendūtur, res singulæ, vt cōprehendantur, fieri non potest, cúmq; infinita sit rebus singulis accommodatæ ratio prouidentiæ, etiam nobis ignota est. Quare non ob ignorationem nostrā moderatio, curáque rerum delenda est. Quæ enim tu non rectè geri putas, ea prudenter Deo decreta sunt, sed tu quoniam causas ignoras, prudenter geri negas. Aliquantò pòst subdit: Deus quòd bonus est, meritò prouidet: Quòd sapiēs,

ſapienter & optimè prouidet. Si enim non prouidet, non eſt bonus: ſi non rectè prouidet, nō eſt ſapiens. Itaque hos duos ſcopos intuentibus, nullum prouidentiæ opus damnandum eſt, neque re non explorata, de ea quicquam detrahendum: ſed omnia in bonam partem accipienda ſunt, omnia habenda admirationi, omnia rectè & decorè fieri credenda, etiam ſi vulgò iniqua videantur: ne maledicentiā, vituperabili admodum inſcitia noſtra cumulemus. (Memineris eorum quæ ſuprà tractauimus, verborum: Benè omnia fecit &c. & Deū omnia in numero, pondere ac menſura rectiſſimè agere, agnoſce, ac maxima cum æquitate omnia diſponere) Quomodo ergo viri ſancti acerbiſſima morte multantur, & ſine cauſa iugulantur? Si enim iniquè, cur iuſta illa prouidentia, cædē non prohibuit? Si iuſtè, nullum eſt peccatum eorū, qui occiderunt. Reſpōdebimus, & eum, qui occidit, iniquè occidiſſe, & eū qui occiditur, aut iuſtè occidi, aut vtiliter. Iuſtè aliquādo ob improba quædā facinora nobis incognita: vtiliter; quòd occupet prouidētia futura illius maleficia, & quòd è re illius ſit, non vlterius vitam producere. quod Socrati & ſanctis viris accidit (*Nota, diligentibus Deū omnia cooperari in bonū, his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, &, Raptus eſt, ne malicià mutaret animū eius*) At qui occidit, iniuſtè occidit. Non enim eam ob cauſam, neque, quòd ſibi liceret, ſed ſpontè quæſtus faciendi, & prædandi cauſa, in noſtra enim eſt poteſtate agere, perpeti, vt verbi gratia, occidi, in noſtra, poteſtate non eſt: nulla autē mors mala eſt, niſi quæ ob peccatum offertur: vt è morte ſanctorum hominum cognoſcitur. Improbus verò etiā ſi lectulo, etiā ſi repentè ſine moleſtia vlla, vitā finierit, malè mortuus eſt, vt qui malā ſibi ſepulturā aſciuerit peccatū. Qui tamen interemit, improbè interemit. Nam in his, qui iuſtè interficiuntur, ſubdit ſe in locū carnificis: in his, qui vtiliter, ſanguinariorū & ſceleratorū. hucuſq; Nemeſius, è Græco per Nicaſiū Ellebodium Caſletanū latinè conuerſus. Huic ſubiungā. D. Hier. in ca. 1. Habac. ſic dicentē: ſicut in hominibus etiā per ſingulos Dei currit prouidētia, ſic in cæteris animalibus generalem quidē diſpenſationē & ordinē, curſumque rerū intelligere poſſumus: Verbi gratia, quomodo naſcatur piſciū multitudo, & viuat in aquis: quomodo reptilia, & quadrupedia oriātur in terra, & quibus alantur cibis? Cæterùm abſurdū eſt, ad hoc Dei deducere maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quótve moriantur: quę culicum & puli-

*Rom. 8. c.*

*D. Hier. in c. 1. Habac.*

cum, & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus maiorũ prædæ cedere debeant? Non sumus tã fatui adulatores Dei: vt dum potentiã eius etiã ad ima detrahimus, in nosipsos iniuriosi simus: eandem rationabiliũ, quam irrationabilium prouidentiam esse dicentes: ex quo liber ille Apocryph. stultitiæ cõdemnandus est, in quo scriptũ est, quendã Angelũ nomine Tyri, præesse reptilibus. Et in hanc similitudinẽ piscibus quoq; & arboribus, & bestiis vniuersis proprios in custodiã angelos assignatos. Hactenus Hier. nõ negans quidẽ, circa singulas res animatas, atq; inanimatas, prouidẽtiã Dei se extẽdere; sed circa rationalẽ & intellectualẽ creaturã speciali quodãmodo,
Matth. 18. c. ostendit prouidentiam diuinã relucere: *cum angeli singulorũ*
& Psal. 33. *quotidie videant faciẽ patris, qui in cœlis est: Et circundet angelus Domini in circuitu timentiũ eum, vt eripiat eos.* Atque præsenti Euangelio demonstratur, quòd Deus & volatilia cœli, nedũ altilia (quæ hominis curâ diligentiáq; procurantur, & aluntur, necnon in villis & domibus saginantur) atque etiã lilia agri, fœnum, gramen & herbam prati, ita procurat, nec non rebus hisce vniuersis sic prouidet, vt cibis & amictu naturæ suæ consentaneo, non destituantur, quãtomagis de hominis natura ac specie & singulis eiusdẽ indiuiduis, præsertim verò de piis viris æstimãdum est? Hoc eodem argumento vtitur Christus hoc loco. Innuit ergo D. Hier. prouidentiam quãdam magis specialẽ erga singulos homines, quàm erga bruta animantes, aut inanimatas substantias. Et ne id confin-
Magist. sẽt. xisse videar, Magistri sententiarũ expositionem huius Hie-
li. 1. dist. 39. ronymiani dicti proferam. Is lib. 1. dist. 39. §. vel litera D. sic
§. D. scribit: Ei verò, quòd Deus omnia semper videt & simul, videtur obuiare, quod ait D. Hier. in expositione Abacuch, vbi videtur dicere (sup. citata sunt, allatáq; eius verba) quòd Deus illorum minimorum scientiam, siue, prouidentiam nõ habeat: quòd si hoc est, tunc non omnia simul scit & semper. Ex tali itaq; sensu, illud dictũ esse nouerimus, vt Deũ illa alternatim vel particulatim scire neget, nec per diuersa tẽporum momenta sic illa cognouit, sicut per varia momenta illorum quædam deficiũt, quædã incipiunt. Neque illis aliisq;
1. Cor. 9. c. irrationabilibus ita prouidet, quemadmodũ rationabilibus. *Numquid enim*, vt ait Apostolus, *de bobus cura est Deo?* Et sicut
Sap. 12. c. nõ est cura de bobus, ita nec de aliis irrationabilibus. Dicit tamẽ scriptura, *quia ipsi est cura de omnibus.* Prouidẽtiã ergo & curã vniuersaliter de cunctis, quæ condidit habet, vt habeat

vnumquodque quod ſibi debetur & conuenit. Sed ſpecialem prouidẽtiam atq; curã habet de rationabilibus, quibus præcepta tradidit, eiſq; rectè viuendi legẽ præſcripſit, ac præmia promiſit. Hanc prouidentiã & curam de irrationabilibus nõ habet. Ideo dicit Apoſtolus, quia nõ eſt cura Deo, de bobus: prouidet tamen omnibus, & curat, id eſt, gubernat omnia, qui omnibus ſolem ſuum oriri facit, & pluuiam dat. Scit itaque Deus quanta ſit multitudo pulicum, culicum, & muſcarum, & piſcium: & quot naſcantur, quotue moriantur: ſed non ſcit hoc per momenta ſingula: imò ſimul & ſemel omnia. Neque ita ſcit, vt eandem habeat prouidentiam irrationabilium & rationabilium, id eſt, vt eodem modo penitus prouideat irrationabilibus & rationabilibus. Rationabilibus enim & præcepta dedit, & angelos ad cuſtodiam delegauit. Sic Magiſter. *Sap. 14. Tua autem pater, prouidentia ab initio cuncta gubernat.* Ex his liquet, prouidentiam eſſe, procurantem omnia, abſque vlla exceptione (vt ex ſacris facilè deducitur) maximè autem & peculiari quadam ratione, ea quæ pertinent ad hominem rationis capacem. Illa non eſt primo mobili affixa, ſed vniuerſæ naturæ præficitur; tam cœleſti, quàm terreſtri. Scit proinde Deus res humanas, non in vniuerſali tãtum, verùm etiam ſingulas, abſtruſiſſimáſque cordis cogitationes, receſſus ac latebras, omnia denique nouit clariſſimè, exactiſſimè, penetrans intimas medullas. In ſumma, nihil eum latere poteſt: Non eſt negligens ſalutis cuiuſquam, *qui vult omnes hominens ſaluos fieri*, iuxta Apoſtolum, audit, cùm inclamatur, inuocantibus ſe, præſto eſt. Regio vate aſſertore. *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus, eum, in veritate.* Et legiſlatore Moſe teſte. *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Tria verò maxima beneficia nobis à Deo largita fuere. Quod animi noſtri immortales, beatitudinis etiam capaces, ab eo donati, Quod eius prouidentiâ corpora in vteris, miro quodã artificio effi cta ac formata, Quod deniq; alimur, vegetamur, induimur, & ab eo prouidemur in omnibus neceſſariis. Verùm de his ſit ſatis (ſi tamen vnquã ſatis).

Sap. c. 14.

1. Timoth. 2.

Pſal. 144.

Deut. 4. c.

*Primum quærite regnum Dei &c.* Primùm quidem in oratione Dominica poſtulamus vt adueniat regnũ Dei, Deinde *vt fiat voluntas eius ſicut in cælo & in terra*; habeamuſque panem noſtrum quotidianum. *Et hæc omnia*, ait hîc Chriſtus, *adiicientur vobis*. Verùm Primum locum habeat cultus Dei.

Math. 6. c.

Prima petitio orationis Dominicæ est; Sanctificatio nominis Dei. Augustinus Eugubinus, de perenni philosophia lib. 4. c. 21. hoc est, postremo. ea de re ita scripsit: Quis non mirabitur Aristotelem cum priscis philosophis, ta mirificè tam vnanimiter, manibus pedibúsque tendere, in eum sensum ac sapiẽtiam, quam nostra semper ingerit religio? Deum oportere colere, primúmq; regnũ cœlorũ esse quærendũ. Hoc Aristotele asseuerante in libris de Rep. cum de his ageret, quæ sint in ciuitate & Rep. necessaria? primúmq; alimentũ numerasset, tum artes, tertio arma, quarto copiam aliquam pecuniarũ, subiicit, πέμπτον δὲ καὶ πρῶτον, τὴν περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλειαν, ἣν καλοῦσι ἱερατείαν. hoc est. Quintum verò, & primum potissimúmque, erga Deum cultus, quam religionem vocãt. Paulò pòst, ὑπὸ γὰρ πολιτῶν πρέπει τιμᾶσθαι τοὺς θεοὺς πρέπει δὲ τὴν τε θεραπείαν ἀποδιδόναι τοῖς θεοῖς. id est, A ciuibus enim decet & conuenit, deos honorari ac coli, ac consentaneum est, hanc Diis reddere seruitutem seu cultum. Primùm, inquit, locum habeat in ciuitate cultus Dei. Hæc prima cura sit. Nã τὸ θεῖον, est numen: quod est præcipuum singularis Dei nomen, sicut Deus. Quæro igitur ex eo primum. Cur cultus numinis sit ex his, quę sunt in ciuitate necessaria, aut, sine quibus, vt ipse loquitur, Respublica nõ possit consistere? Certum est Aristotelem dicturũ, cum primum in Rep. fateatur esse cultum Dei, quod Christus dixit: Primùm quærite regnum Dei. Siquidẽ & ipse, cũ de his loqueretur, quæ fiunt in omni vita humana, præposuit omnibus, vt quæreremus regnum Dei. Id omnes communi consensu pietatẽ sentiunt, & interpretantur. Hãc autem cùm sentiunt omnes regnum Dei appellatam, palàm est ideo pietatem primum exercendam esse, quia per eam ad præmiũ cæleste peruenitur. Aut si non tam altè suspexit Aristoteles, superest, vt primum in ciuitate locum dederit pietati, ob maximam aliquam æquitatẽ, ac iustitiam. Deinde subditur. Decorum censet coli Deos Aristoteles. Apertè igitur nũc sequutus est præceptorem Platonem, qui in Epinomide dicit: μεῖζον μὲν γὰρ ἀρετῆς μηδεὶς ἡμᾶς ποτε πείθῃ τῆς εὐσεβείας εἶναι τῷ θνητῷ γένει. Hoc est. Nemo vnquam nobis persuadeat, esse humano generi quicquã maius virtute quæ dicitur pietas. Steuchus Eugub. Marcil. Ficin. sic conuertit; Maiorem verò virtutem, religione pietatéque in Deum, nullam in humano genere inueniri quisquã sibi persuadeat. Aurea Pytag. carmina. sic habent. Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς τίμα.-- Immortales primùm Deos honora, venerare: Quo de cultu sic Hierocles Philosophus, commentario suo in pręfata car-

*Aug. Eugub. lib. 4. de perenni philosoph. c. 1.*

*Ex Arist. lib. de Rep.*

*Plato in Epinomide, seu Philosopho.*

*Mars. Ficini versio.*

*Carmina Pythag.*

mina, Ioan. Curterio interprete diserte scribit. Quoniã virtutum omnium dux est pietas, quæ ad diuinam caussam refertur, iure etiam in præceptis istis, ab ea exordium sumitur: vt doceatur, quo pacto Deos colere oporteat. Sic ille. & poetarum princeps Virg. Geor. l. 1. *In primis venerare Deos*, aptissimè cecinit. *Primum quærite*, *&c.* Primò igitur faciat mulier Eliæ panem de farina, *& non deficiet farina in hydria, nec lecythus olei minuetur, quia omnia adiicientur ei.* Cõtrà verò improbi præponunt terrena cœlestibus. Intẽti autem discipuli Christi, dulcedini verbi Dei, panes despiciũt, dum obliti sunt eos secum deferre nisi vnum. *Mar. 8. Obliti sunt panes sumere: & nisi vnum panem non habebant secum in mari. Thren. 3. Pars mea Dominus, dixit anima mea: & Ps. 72. Pars mea Deus in æternum.* Impij ex opposito dicunt: *Fruamur bonis, quæ sunt, &c. Quoniã hæc est pars nostr., hæc est sors nostra.* 3. Reg. 17. c. Mar. 8. c. Threu. 3. c. & Psa. 72.

Iustitiam eius &c. Pulchrè ac perbellè congruit, quod, à Lactantio lib. 6. Diuinarum Institutionum cap. postremo & lib. vno de ira Dei, cap. 14. ex Cicerone citatur, his verbis: Nulla alia religio est vera, nisi quæ virtute ac iustitia cõstat. Homines autem non nisi ad iustitiam nasci, cùm Philosophi veteres, tum etiam Cicero suspicatur: Disserens enim de legibus: Sed omnium, inquit, quæ in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profectò præstabilius, quàm planè intelligi nos, ad iustitiam esse natos. Sic ille. Ipsa est impletio mandatorum Dei. Vera item, humilitas, de qua *Math. 3. Sic nos decet implere omnem iustitiam*, id est, summam profundámque commonstrare humilitatem. *& c. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Rom 14. Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Hæc omnia adiicientur vobis.* Hæc, inquam, necessaria vitæ subsidia, tanquam quædam accessoria, consequentur id quod est principale ac præcipuum. Nec inuertendus est iste ordo. Alioqui hoc esset vertere terga contra templum Domini, sicut in visione ostensum est. *Ezechieli, cap. 8. Erant inter vestibulum & altare, quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum solis.* per quos significantur illi qui à Deo auersi, oculos in mundanam felicitatem conuersos habent. Quíque cultus diuini nullam curam, nullámue sollicitudinem gerũt. *Quorum Deus*, vt loquitur Apostolus, *venter est*. Celebrantur præ cæteris Virgilianus iste versiculus. Matth. 3. c. & c. 19. Rom. 14. c. Ezech. c. 8.

*Discite iustitiam moniti & non temnere diuos.*

Quem in locum Annotationes G. Fabricij seu obseruatio-

nes proferre placuit: In agro (inquit) Patauino puella fanatica Græcè & Latinè; cùm rudis ante insaniam fuisset, optimè loquens, hanc apud Virgilium esse præstantissimam sententiam ter clara voce rogata respondit: Discite iustitiã. *Ps. 2. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, &c.* Eadem Ixion apud Pind. Discite iustitiam moniti. Quæramus, Auditores, regnum Dei: vt tandem ad ipsum feliciter peruenire valeamus. Fiat, fiat.

---

# DOMINICA XV.
## POST PENTECOSTEN.

## De adolescente in Naym suscitato à Christo.

*Luc. 7. c.* *Ibat* IESVS *in ciuitatem, quæ vocatur Naym, &c. Luc. 7. c.*

*Sac. Decades authoris fer. 5. post 4. Dominicã Quadragesimæ.*



NOS huius Euangelici contextus explicationem, singulari Dei beneficio suffulti, in Sacris Decadibus, proposuimus, ad quas lectorem remittimus, hoc quidem loco racemationem vel spicilegium quoddam propositurі, in lectorum gratiam eorum præsertim, qui de Sepulturis antiquorum, & variarum gentium hac in parte ritibus rara quædam ac præcipua nosse desiderant. Quamobrem prætermissis, quæ à nobis fusiùs commemorata sunt atque collecta, ad contextum ipsum aggrediamur.

*Ecce defunctus efferebatur*, inquit Euangelista. Propter peccatum, mors omnes Adami filios vniuersaliter peruasit, adeò vt nemini concessum aut indultum fuerit, vt à morte immunis esset aut exemptus. Eliam tantùm & Enoch sacra scriptura adhuc viuere commemorat. Verùm tandem & ipsos mortem subire oportet, vt diuina prodit Apocalypseos prophetia. *c. 11. Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Et funerunt testimonium suum: bestia, quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos & occidet eos.* Sed quæstio animum pulsat. Quare alicui sanctorum hæc prærogatiua non fuit concessa? Re-

*Apoc. 11. c.*

ſpondetur, Quoniam mendax & mendacij pater Diabolus, dixerat, ſeducens mulierem, *Nequaquam morіemini*, *Geneſ.* 3. vt verum maneret ac ratum Dei verbum: In quacumque hora comederis, morte morieris. Idcirco mortis pœnam nemo mortalium effugit, aut conditionem. Deinde vt vniuerſa, quæ in hoc mundo ſunt, tanquam à nobis, velimus nolimus, reliquenda & deſerenda, patui faciamus. Nec ſolùm voluit Deus, vt omnes moriantur, ſed quòd in diuerſis id fieri contingat ætatibus, alios in infantia, alios in pueritia, quoſdam in adoleſcentia mori cernimus, quoſdam autem ad decrepitam etiam peruenire videmus ſenectutem. Sicque fieri ſtatutum non ambigamus, vt ſimus ſemper parati. *Math.* 24. *Ideò eſtote parat.: quia qua neſcitis hora, filius hominis venturus eſt.* Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. q. d. Si quidem horam neſcitis, omnibus horis vigilate. Hæc omnia occaſione huius adoleſcentis defuncti diximus, ne quis in ætate confidat, nec ſe vllo tẽporis momẽto ſecurũ putet: quin potius illam continuè ante oculos habeamus. Tritum eſt illud: Habe mortem præ oculis. Maximè verò, qui in adoleſcentiæ flore ac iuuenili robore exiſtit. Hoc enim freno plus eget, vt ſuam rebellem, indomitam, & infrunitam ſenſualitatem cohibeat, ac Domino creatori ſuo, ab ipſa adoleſcentia fideliter inſeruiat. Vnde Petrus Bleſenſis epiſt. 6. Hæc, inquit, Philoſophia tibi iam decrepito perneceſſaria, quæ frequenter in ſcholis deſcribitur: ſed frequentius proſcribitur: Cogitatio mortis, ſcilicet aſſidua. Propheta dicit Domine notum fac mihi finem meum. Et Salomon (Eccleſiaſticum intellige) fili mi recordare nouiſſima tua: & non peccabis in æternum. Lamentator ille plorat animam peccatricem, & ſui finis inmemorem dicens: *Sordes eius in pedibus eius: nec recordata eſt finis ſui.* Sit, Magiſter, veſtra cogitatio, dies mortis. Mors enim quæ in inſidiis iunioribus eſt, vobis eſt in ianuis: veſtrum obſeruat calcaneum, nec ceſſabit, donec fodiatur fouea peccatori. Rogo itaque & in vera conſulo charitate, vt qui hactenus vanitatibus ſeculi militaſtis, Deo militetis, ſaltem ad modicum tempus: atque feces veſtræ ſenectutis immoletis altiſſimo, qui iuuentutis & adoleſcentiæ veſtræ florem in rebus nugatoriis expendiſtis. Sic ille.

*Geneſ.* 3. *c.*

*Math.* 24.

*Pet. Bleſenſis epiſt.* 6.

*Eccleſ.* 7. *c.*

*Thremorum* 1. *c.*

*Efferebatur defunctus &c.* Hoc valdè notandum exiſtimo, quòd efferretur, nimirum ad ſepulturam extra ciuitatem. Vt certiſſimè noueris verum fuiſſe ac extra omnem contro-

uersiam, & dubitationis aleam, mortem huius adolescentis defuncti atque suscitationem, Christi iussu ac mandato. Ne scilicet obiicere ac opponere Iudæi possint, syncopin tantùm fuisse, aut animi deliquiũ, (λειποθυμίαν seu examinationem dicere possis, Spasmium autem vulgus appellat) Enimuerò de Asclepiade medico (de quo sæpè Galenus, ac in Epistolis Seneca, mentionem faciunt) commemoratur, percitores cuiusdam, qui ferebatur in feretro vt humaretur detinuisse: dicent talem non esse mortuum. Et quidem verum dixit, quia & illum restituisse sanitati, memoriæ proditum est. Verum iste certò conuincebatur mortuus, cùm iam ad sepulturam extra ciuitatis Naym portas deferretur, ingenti comitatu, matre vidua ipsum vnicum filium suum, lugente, irremediabilibus fere lachrimis, Annæ matris Tobiæ iunioris instar, ac cũm ea sic dicẽte: *Heu, heu me fili mi! lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ. Omnia simul in te vno habentes*, & subiungitur: *Illa nullomodo consolari poterat.* Sed quod de Asclepiade nunc propositum est, ne auctoritate defici videamur, age, classicos atque probatos huius historiæ scriptores in medium proferamus. Cornelius Celsus de re medica lib. 2. c. 6. Latinis verbis, ita scriptum reliquit: De indiciis mortis, circa finem: Quosdam fama prodidit in ipsis funeribus reuixisse. Deinde statim adiungit: Asclepiades funeri obuius, intellexit eum viuum, qui efferebatur. Nec tamen crimen artis erat, si quid professoris fuit (nempe non boni, sed imperiti medici) Plinius consimiliter lib. 7. c. 37. de Asclepiade Prusiensi, medico nouæ sectæ authore verba facit eius; Relato, inquit, è funere homine & seruato (Clarissimus, supple, visus est medicus) Hanc historiam florida expressit oratione Apuleius Madaurensis, lib. 4. Floridorum hoc pacto: Asclepiades ille inter præcipuos medicorum, si vnum Hippocratem excipias, cæteris princeps. Is igitur cùm fortè in ciuitatem sese reciperet, & rure suo suburbano rediret, aspexit in pomeriis ciuitatis funus ingens locatum, plurimos homines ingenti multitudine, qui exequias venerant circunstare, omnes tristissimos & obsoletissimos vestitu. Propius accessit, vt incognosceret more ingenij; quisnam esset? quoniam percontanti nemo responderat: at verò vt ipse aliquid in illo ex arte reprehenderet. Certè quidem iacenti homini, ac propè deposito factum attulit. Iam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, iam os

*Gal. passim, & in Epist. Seneca.*

*Tob. 10. c.*

*Cornel. Cels. lib. 2. c. 6. de re medica.*

*Plin. nat. hist. lib. 7. c. 37.*

*Apul. lib. 4. floridorum.*

ipsius vnguinè odoro delibutum, iam eum polluctum, iam cœnæ paratum: contemplatus enim diligentissimè, quibusdam signis animaduertit, etiam atque etiam pertractauit corpus hominis,& inuenit in illo vitā latentem:cōfestim exclamauit,viuere hominē:procul igitur faces abigerēt procul ignes amolirētur,rogū demolirētur,cœnā feralē à tumulo ad mēsam referrent. Murmur interea exortum, partim medico credendum dicere, partim etiam irridere medicinam. Postremò, propinquis etiam hominibus inuitis, quod ne iam ipsi hæreditatem habebant,an quod adhuc illi fidem non habebant, ægrè tamen ac difficulter Asclepiades impetrauit breuem mortuo dilationem. Atque ita vespillonum manibus extortum, velut ab inferis postlimino domum retulit, confestímque spiritum recreauit: confestim animam in corporis latibulis delitescētem, quibusdam medicamentis prouocauit. Hactenus Apuleius. Hoc loco funebres aliquot ritus explicare mihi animus est,ex antiquorum sententia, atque recentiorum scriptorū laboribus ac vigiliis seu lucubrationibus refert Lipsius Electorum lib. 1. ca. 6. hūc fuisse morem funebrem,vt post efflatam animam cadauer cubiculo efferrent,& in vestibulo ædium collocarent ad ianuam ipsam. Id proprio verbo dicebatur collocatio. Sueton. in Octauio August. §. seu c. 100. Corpus Aug. equester ordo vrbi intulit,atq; in vestibulo domus collocauit. Quo in ritu collocādi,mortui pedes in viam spectabant abitionem illam postremam obscurè significantes. Vnde Persius eleganter. Satyra. 3.

*Lypsius lib. cap. 6.*

*Sueto. in August. §. 100.*

*Pers. satyr. 3*

*Huic tuba,candelæ,tandemque beatulus alto*
*Compositus lecto,crassisque lutatus amomis.*

Lutatus amomis, id est,vnguentis delibutus.

*In portam rigidos calices extendit.* ----

Sic ibi. Cum verò hîc dicitur adolescens elatus defunctus, quiddam amplius minuitur,nimirum,quod ad portam ciuitatis,extra maternam domum,vt terræ conderetur,iam perlatus esset, statim, (ni suscitatus fuisset Christi imperio) extra muros vrbis deferendus ad sepulturæ locum. In loculo autem, (vt disertis verbis indicatur hoc loci) efferebatur siue in lectica,cuius nō solùm ad viuos, verumetiam ad mortuos ferēdos fuit olim vsus. Lilius Giraldus tomo priore,libro autem de vario sepeliendi ritu,haud abs re,admonuit, his verbis: Non ignorandum antiquissimi fuisse instituti, vt intra vrbem & domi quoque defunctorum cadauera conderentur: vnde & remansit Larium, & penatum religio, qui ea

*Lil. Gyrald. to. 1. lib. de vario sepeliendi ritu.*

de causa domi à gentibus colerentur: Verùm ea mox consuetudo, vt fœda, ac tetra, antiquata, & in totum sublata, adeò vt etiam XII. tabul. legibus vetitum sit, id quod & Senatusconsulto, Duellio consule, approbatum est: ex qua re in vsu loquendi verba illa venêre, educere, & efferre. Vestales tamen & Imperatores Romani, huic legi & S.C. subiici noluerunt. Quibus verò de caussis extra ciuitates cadauera sepelirentur, inter alias potissimum hanc afferri video, vt scilicet libera vrbs tetro cadauerum odore, minus pestilenti aëre afficeretur. Deinde subdit dicens: Lectuli verò & lecti (sic enim vtroque modo vocati sunt) quibus cadauera ad sepulchrum deferuntur, tum feretrum etiam, tum capulus (hinc capularis senex,) tum sandapila, tum demum & loculus appellantur, (Gallicè, *la biere ou sarcueil ou on porte les tresspassez*) Ibidem rursus. Illud á Christianis maximè proprium existimatur terram terræ reddere, quæ (vt canit Lucretius de rerum natura, lib.5.

*Lucret. lib. 5. de rerum natura, ante media.*

*---- quoniam dubio procul esse videtur*
*Omniparens, eadem rerum commune sepulchrum.*

Sed & apud Xenophontem Cyrus id sepulturæ genus commendat, quod & antiquissimum fuisse M. Tullius declarat. Hactenus Gyraldus. Cui suffragatur & subscribit Cōradus Brunius. I.C. de cæremoniis lib. 4. c. 4. Cuius hæc sunt verba. Antiquissimum sepulturæ genus est (sicut Cicero tradit) vt defunctorum corpora humi cōdantur. Et Cyrus rex Persarum, apud Xenophontem, moriturus iam, ac sepulturam sibi eligens meum, inquit, corpus, ô mihi charissimi filij, cùm moriar, terræ reddite quamprimum. Quid enim hac re beatius, quàm terræ misceri, quæ pulchrè omnia bona & gignit, & nutrit? Eodem genere sepulturæ Græci & Romani ab ortu vrbis vsi sunt. Successit consuetudo, vt corpora defunctorum, non terræ mandarentur, sed igne cremarentur: nihilominus tamen eo obseruato, vt etiam in cremanda corpora gleba terræ iniiceretur, vnde & humata dicebātur; Sed hæc consuetudo cremandi corpora deinde Antoninorum temporibus desiit, restituto demum more maiorum, vt corpora in terra sepelirētur. Et hoc ritu etiam in religione nostra vtimur. Sic ille Cicero lib. 2. de legibus elegantissimè (vt omnia suprà relata) confirmat maxima ex parte. Et, Xenophon de pædia Cyri. lib. 8, prædicta quoque suo calculo & suffragio comprobat. Addam & Plinium, qui ita scripsit. lib. 7. cap. 54. Ipsum crēmare, apud Romanos non fuit veteris

*Conr. Brun. lib. 4. c. 4. de Cæremoniis.*

*Cic. lib. 2. de legib. Xenophon de pæd. Cyri lib. 8. & Plin. lib. 7. c. 54. nat. hist.*

instituti: terra condebantur. At postquàm longinquis bellis obrutos erui cognouere, tūc institutū. Et tamē multæ familiæ priscos seruauêre ritus: sicut in Cornelia. Nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus, idque voluisse, veritum talionem, eruto. C. Marij cadauere. Sic ille. in quem locum ita Iac. Dalecampius Medicus, adnotauit: Cicero 2. de legib. Hominem mortuum (inquit lex in 12. tabulis) in vrbe ne sepelito, néue vrito. Quod addit, néue vrito, indicat, non qui vratur sepeliri, sed qui humetur. Hæc ille. Tabulæ quidem earum legum anno trecentesimo ab vrbe condita scriptæ fuerunt. Teste Gellio lib. 20. c. 1. Apud Plutarchum to. 1. in Numa refertur; quòd ipse corpus suum vri vetuerit ac prohibuerit. Corpus eius (inquit Plutarc.) vt fama est, non cremauerunt, verùm in vna arca lapidea cadauer eius positum fuit, sub Ianiculo. Sic ibi. Hæc omnia ostēdunt antiquiorem cremandi corpora morem fuisse, quàm Plinius censet, vt etiam obseruauit Magius. Hæc Plinij Scholiastes præfatus. Alexander ab Alexandro Iurisperitus Genialium dierum lib. 3. c. 2. in eo versatur argumento ex professo, vbi inter cætera hoc obseruat: Romanos olim ab ortu vrbis defuncta corpora humi condere, neque cremare consueuisse. Illud verò argumento est, quod Numæ Pompilij corpus in arca lapidea post multa secula à Cneo Terentio in Ianiculo inuentum, vetustissimi authores tradunt. Postea vt igni cremarentur, decreto sanxerunt, à qua consuetudine sequtis temporibus, dum Antonini Cæsares imperitarent, desitum fuit. Tunc enim illo more abrogato, denuò corpora humi condere cepere. Hæc Alexander. Cœlius item Rhodigmus, lectionum antiquarum lib. 17. cap. 19. scriptum reliquit, vterum sepulchra in agris fuisse, & sepulchra in vrbibus admissa quandoque, quod postea Duellio cōsule inhibuit Senatus, Imperatoribus tamen datum & Vestalibus vt in vrbe contumularentur. Mam & nocentes virgines in campo scelerato intra vrbem adobruebantur viuæ. Ibidem c. 20. Impium porrò censebatur, ait, viso cadauere insepulto, non iniecisse puluerem: quod in Antigone indicat Sophocles. Et Athenis Buzyges eos est execratus, qui inhumatum (pro non humato, accipe) cadauer neglectui habuissent. Ad hæc respicit Horatianum illud,

*Quanquam festinas, non est mora longa, licebit,*
*Iniecto ter puluere, curras.*

Rursus cap. 21. vbi supra Rhodiginus, Ab Varrone prodi-

*Iac. Dalec. vbi supra.*

*Gell. lib. 20. c. 1. noct. Attic.*

*Plutar. to. 1. vitarum in Numa.*

*Alex. ab Alex. lib. 3. c. 2. Genialium dierum.*

*Rhodign. lectionum antiquarū lib. 17. c. 19. & c. 20. vbi supr.*

*Sophocles in Antigone.*

*Horat. poëta.*

*Rhodig. c. 21.*

tũ,ait,&Catone,maiores in funeribus vti cõsueſſe, tũ nigro tum cœruleo colore: Nam in adoleſcentũ morte cœruleum adhibere ſolemne fuit.Sic ibi. Nunc Hieronymi Magij. lib. 3.miſcellaneorum c.10.ſententiam producamus. Ego,inquit ille,lapſum eſſe Plinium exiſtimo, cùm negat apud Romanos vetuſtiores ipſum cremari in vſu non fuiſſe, quandoquidem comburendorum cadauerum conſuetudo ante Decemuirale ius extiterit. Plinio autem vetuſtam non videri quis non miretur? cùm 300.anno poſt Romam conditam Duodecim tabulas ſcriptas eſſe teſtetur Gellius. Præterea, quia Plutarchus in Numę vita demonſtrat, antiquiſſimis tẽporibus Romæ fuiſſe in more poſitum, vt corpora flammis abſumerentur, ait enim, vt ſupra citatum fuit, cauiſſe Numam,ne corpus ſuum exureretur. Fuit autem Numa ſecundus Romanorum Rex, & cùm ab vrbe condita anno. 39. regnare cepiſſet, regni ſui 43.obiit quanquàm non me latet Ciceronem lib.2. de legibus, ad priſcum ſepeliendi morem demonſtrãdum (quę me res,in admirationem abducit) Numę ſepulturam allegare. Sic ille. Hìc obiter adnotare & admonere non piget, Ciceronem pro humãdorum corporum veteri ritu, haudquaquam extra rem Numę ſepulturam adducere; cùm ab ipſius conditę vrbis primis ferè exordiis,ipſe regnauerit,& humi conditus, non autem crematus fuerit, quod ſatis antiquitatem illius cõprobat ritus. Subobſcurè interim ſignificatur, tum temporis etiam, corpora cremari quibuſdam Romanis pro more fuiſſe.Rurſus,Numa ne combureretur mortuus,non prohibuiſſet:: ſi tunc non iſtud fuiſſet Romę factitatum. Quid igitur dicendum ad hęc? Reſpondeo cum Blondo de Roma triumphante, lib.2.Quod Plinius dicit,Syllam primùm fuiſſe crematum,de Patriciis verum fuit, ſed prius conſueuiſſe corpora mortuorum cremari ex Virgilij verſibus vndecimi libri ac Terentio in Andria comprobatur.Vſum autem comburendi corpora, non diu duraſſe Macrobius innuit qui ſcribit Saturnaliorum nempe lib.7.c.7.Licet vrẽdi corpora defunctorum vſus noſtro ſeculo nullus ſit: lectio tamen docet, eo tempore, quo igni dari honor mortuis habebatur, ſi quãdo vſu veniſſet,vt plura corpora ſimul incẽderẽtur,ſolitos fuiſſe funerum miniſtros denis virorum corporibus adiicere ſingula muliebria: & vnius àdiutu, quaſi naturâ flammei, & ideo celeriter ardentis, cętera flagrabant. Ita nec veteribus calor mulierum habebatur incognitus.ſic Macrobius.Quem

*Hiero.Mag. li.3.c.10.variarum lectionum ſeu Miſcellaneorũ.*

*Blõd.de Roma triũphante lib.2.*

*Macr.Satur. lib.7.cap.7.*

Adriani

Adriani principis temporibus addit, Blond. vbi sup. satis cõstat floruisse. Hæc ibi. Ego verò putauerim Macrob. paulo iuniorem Gell. quem interim tẽporibus Antonini Pij Imp. floruisse & Phauorini Philosophi, atque alterius cuiusdã, nomine Peregrini, coætaneũ extitisse, ex suis apparet noctibus atticis. lib. 12. c. 1. item c. 2. eiusdem. Priore siquidẽm loco, se præsentem fuisse, cùm Phauorino Philosopho quiddam nũtiaretur, disertis profitetur verbis, sic librum exorsus. Nũtiatum quõdam est Phauorino Philosopho, nobis præsentibus, vxorem auditoris sectatorísq; sui paululùm ante enixam, auctúmq; eũ esse nato filio. Posteriore verò loco sic infit. Philosophum nomine Peregrinum, cui postea cognomentum Proteus factum est, virum grauem atq; cõstantem vidimus, quùm Athenis essemus, diuersantem in quodã tugurio extrà vrbem, quúmque ad eum frequẽter ventitaremus, nulla herclè dicere eum vtiliter & honestè audiuimus, &c. Certum est autem ex argumẽto Lucianici opusculi, De morte Peregrini, (quod to: 4. operum eiusdem habetur) Peregrinum tẽporibus Traiani vixisse, æqualem Epicteto. Successit Traiano Adrianus, Deinde, Antonini Imp. sub quibus Macrobiũ vixisse facilè mihi persuaserim, aliquot nimirũ annis post Gellium. Accedit etiam, quòd Macrob. lib. 1. Saturnaliorum c. 16. Gellium nominatim citat, ita scribẽs: Horũ caussam Gellius Annalium lib. 15. & Cassius Hemina historiarum lib. 2. referunt, &c. Verùm dubitatio obrepere posset, an idẽ esset Gellius, qui noctium atticarũ author scriptórq; extitit, an alius eiusdem nominis? Qua de litè nihil temerè diffiniero. Et hæc quidem de Macrobij seculo, quo vixerit, vtcũque obseruasse, nunc sufficiat; quẽ maxima ex parte Gellij simium nõ ineptè dixeris, & Æsopicam corniculam nominare possis, ex aliorũ pẽnis suos cõntexens centones, quíque plerũque sua lingua non loquitur. Hæc est mea coniectura, quam, si placeat tibi, calculo tuo cõprobabis, candide lector. Quod si quis contra Macrobium obiecerit, quòd post suum seculũ, vrendorũ cadauerum mos adhuc vigeret, tẽporibus nempe Iulij Pauli, Papiniani discipuli, qui cẽtum fermè annis post Macrobium (si ille sub Adriano Imp. vixerit) floruisse legitur. Quandoquidem præfatus Paulus lib. 1. Sentẽtiarum receptarũ tit. 23. qui est de Sepulchris & lugẽdis, ita scripserit: Intra muros ciuitatis corpus sepulturæ dari non potest, vel vstrina fieri. Sic ille. Est verò vstrina, locus in quo mortuus combustus fuit, quamuis alibi sepultus fuerit. Ergo in more tunc positũ fuit,

*Gell. lib. 12. c. 1. & c. 11. noct. attic.*

*Lucian. to. 4. operũ de morte Peregrini.*

*Paul. sentẽt. recept. lib. 1. tit. 23. de sepulchris & lugendis.*

vt cadauera etiam exurerentur. Quid ad hæc dicendum? Ego facile crediderim Paulum referre prædeceſſorum ſuorū ſententiam, nec de eo, quod tunc tēporis fieret, fuiſſe loquutū, ſed de eo, quod ſuperiore ſeculo geri ſolitum erat, tēporibus Traiani Imper. vel, dicendum putarim, quod quia ſub Antoninis Imp. vſtrinæ vſus exoleuit, & Paulus ſub Alexandro Seuero, (qui inter Antoninos meritò cōputari poteſt) floruit, teſte Lampridio, in Alexādro Seuero. Ideo nō abs re Paulus vſtrinæ mētionem ingeſſit: Aut denique, nō ita exactā chronologiæ habēdam eſſe rationem vel ſummo iure, & ad rigorem, vt dici ſolet, nō ita calculi vrgendā eſſe ſupputationem, vt facilè omnia cohęrere nequeant. Nam ſic accipiēdum eſt, quod Macrobius ſcripſit, vt circum circa, id intelligi debeat. Hæc eſt mea qualiſcúnq; reſpōſio, quā ſi docti probauerint, obiectioni abunde ſatisfactum arbitrabor. Verùm cādidi lectoris eſto iudicium: Non enim hæc iudicādi, ſed iudicis admonendi inſtruendíque cōſilio attulimus. Nunc de lugēdis

*Idem to. 1. lib. de luctu.* defunctis inſtituatur oratio. Lucianus to. 1. lib. de luctu, hoc ex profeſſo verſans argumentum, ita ſcribit: Accedūt ad hęc mulierum eiulatus, omnium certè lachrymæ, pectorum plāctus, comæ dilaniatio, genarum cruētatio. Aliis autē & veſtis diſcerpitur, & puluis capiti inſpergitur; adeòut viuentes miſerabiliores ſint mortuo. Nam illi humi volutantur ſæpenumerò, & capita ſolo allidūt: hic verò decorus ac formoſus & diligentiſſimè coronatus ſublimis propoſitus eſt, & excelſus, velut ad pompam adornatus. Deinde ſubiūgitur: Verùm eiulatus iſte veſter, quid mihi cōfert? aut quid iſta pectorum ad tibiæ modos percuſſio? aut quid mulierū immodica lamentatio? Græcè ſic: τί δέ μοι ἡ πρὸς τὸν αὐλὸν αὕτη στερνοτυπία ὀνίνησιν; ἢ τῶν γυναικῶν περὶ τὸν θρῆνον ἀμετρία; Sic ille. Rectè verò aduerſus immodicum luctum ac eiulatum pręcipit. D. Apoſtolus. 1. Theſſ. 4. Non cōtriſtemini, ait, ſicut & cæteri, qui ſpem

*1. Theſſ. 4. c.* non habent, futuræ, nempe, reſurrectionis, nec animorum credunt immortalitatem, nec de extremo cogitant iudicio. Supra modum mœrere, inſani, amētis, ac muliebrē animum gerentis eſt. Luge tu quidem, ſed non ita vt ethnicus, de reſurrectione ſpem abiiciens, & de futura vita deſperans. Meritò muliebre eſſe dicitur immodicè deflere lugeréque mor-

*Plutarch. to. 1. opuſc. lib. de cōſulatio-ne, ad Apol.* tuos. Imò, quod longè deterius eſt, Ethnicum videtur potiuſquàm Chriſtianum inconſolabiliter, vt ita dicam, eiulatum indecorum edere. hinc, Plutarchus to. 1. opuſculorum, de conſolatione ad Apollonium libro, ſic ſcriptum reliquit:

Eum, qui Lyciis leges, posuit, aiunt, mandasse ciuibus, vt in luctu veste vterentur muliebri: significare volētem, rem eam muliebrem esse, neque conuenire viris moderatis & liberali doctrinæ deditis. Est enim reuera muliebre imbecillisque & degeneris animi luctus: & vt ad eum mulieres viris, ita barbari Græcis, ac deteriores præstatioribus sunt propensiores. ac de ipsis barbaris, si qui luctum exercent, non animosissimi hoc Celtę, non Galli, aut qui alij generoso pleni sunt spiritu id faciunt, sed Ægyptij, Syrij, Lydi aliique horum similes. Sic ille. Et quidem quod ad Gallos attinet: Massilienses hic commemorabo ex Valerio lib. 2. c. 6. de externis institutis, ita de illis scribente. Apud Massilienses prisci moris obseruantia, charitate populi Romani præcipuè conspicuis, Duæ etiam ante portas eorum arcæ iacent. Altera, qua liberorum, altera, qua seruorum corpora ad sepulturæ locum plaustro deuehuntur, sine lamentatione, sine planctu, luctus funeris die, domestico sacrificio, adductóque necessariorum conuiuio, finitur. Etenim quid attinet, aut humano dolori indulgeri, aut diuino numini inuidiam fieri, quòd immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit? Hæc ibi. Quod verò de tibiarum in funere vsu, dictum est à Luciano, non abludit ab historia Euangelica, referente Christum suscitaturum puellam, inuenisse in domo patris filiæ, tibicines, turbamque eiulantem. Hieronymus Magius, Miscellaneorum, lib. 1. cap. 13: memoriæ prodidit, quòd lugentibus tibiæ adhibebantur, erántque frequentiores, cùm minoribus funeribus populariu, aut si libet etiam nobiliorum hominum, puerorúmque adhiberentur: tubæ contrà rarius conspicerentur, quòd in maioribus funeribus nobiliorum vsurparentur. Singulis hæc auctoritatibus probasse sit satis. Ouidius Tristiū lib. 5. Eleg. 1.

*Valer. Max. lib. 2. c. 6. de exter. instit.*

*Matth 9. c.*

*Hier. Mag. lib. 1. Miscel. cap. 13.*

*Ouid. lib. 5. Trist. eleg. 1.*

*Interea nostri quid agant nisi triste libelli?*
*Tibia funeribus conuenit ista meis.*

Suam enim extenuans fortunam Ouidius, tibiam sibi non tubam, conuenire dixit. Nam, vt inquit Propertius, *lib. 2. ad Cynthiam.*

*Propert. l. 2.*

*Ah mea tum qualeis caneret tibi Cynthia cantus*
*Tibia, funesta tristior illa tuba.*

Et Ouidius, *lib. 6.* fastorum:

*Ouid. lib. 6. fastorum.*

*Temporibus veterum tibicinis vsus auorum*
*Magnus, & in magno semper honore fuit*
*Cantabat fanis, cantabat tibia ludis:*
*Cantabat mœstis tibia funeribus,* Hæc ille.

Primatis filiæ, cuius Mathæus. c. 9. meminit funeri, tibicines non tubicines adhibiti fuerunt, nimirum, quantum cõiectura assequi licet, ratione ætatis defunctæ. Persius verè *Sa-*
*Perſ. Saty. 3.* *tyr.* 3. funus describens patricij viri, tubicinem non tibicinem facit adesse, inquit enim.

*Hunc tuba, candelæ tandem beatulus alto*
*Compositus lecto* (vt supra citatum comperies)

Est nihilominus aduertendum, non solùm maiorum natu popularjúmque funeribus tibias esse adhibitas, sed etiã no-
*Cic. lib. 2. de legib. versus finem.* biliorum. Cicero enim lib. 2. de legibus declinando versus finem; Honoratorum virorum, inquit, laudes in cõcione memorantor, eásque etiam cantu tibicines prosequuntor: cui nomen Neniç: quo vocabulo etiam à Graccho, cantus lugubres nominantur. sic Cicero. Testatur & Festus in dictione,
*Fest. in dict. Nænia.* Nænia. Nænia, ait, est carmen, quod in funere laudãdi gratia cantatur ad tibiã. Nonius item Marcellus, in Præficis, Varronem citat de ritu Pop. Rom. Deinde Næniam cantari soli-
*Noni. Marcell. in Præficis & in dict. Nænia.* tam ad tibias & fides, &c. Præficæ dicebãtur, inquit Nonius, apud veteres, quæ adhiberi solent funeri mercede cõductæ, vt & flerent, & fortia facta laudarent Lucillius. 22.

*Mercede quæ conductæ flent alieno in funere præficæ.*
*Multo & capillos scindunt, & clamant magis.*

Idem in dictione Nænia: est nænia ait, ineptum & incõditum carmen, quod adducta pretio mulier, quæ præfica diceretur, iis quibus propinqui nõ essent mortuis exhiberet. Var-
*Varro de vita pop. Rom.* ro de vita populi Romani lib. 4. Ibi à muliere, quæ obtutum à voce esset, per quam laudari, deinde Næniam cantari solitam ad tibias & fides. Sic ibi. Cõmunes autem funeribus omnibus nænias fuisse, est existimãdum. Putauerim itaque tibicines funeribus quibuscunque adhibitos olim fuisse, eámque ob rem frequentem funebrium tibiarum inueniri mentionem, tubæ non item. Item Magius, vbi supra. Dydimum citat, qui ita scribit: οἱ πρὸς τὸν αὐλὸν ἀδόμενοι θρῆνοι,
*Dydimus Græcus.* ἐπειδὴ αὐλὸς πένθιμος. quod sic interpretor: Qui ad tibiam decantantur threni seu lamentationes. Est enim lugubris &
*Mag. lib. 3. miscell. c. 14.* funesta tibia seu funebris. Hactenus ibi. Rursus idẽ lib. 3. miscellaneorũ c. 14. Quibus olim vestibus in luctu mulieres vterentur, explicat hoc pacto: Quidam non indocti viri, nulla
*Apul. lib. 2 de asino aureo & lib. 7. sub finem.* temporum distinctione adhibita, in luctu antiquas mulieres, albas semper vestes vsurpasse existimãt. Sed errãt hi, vt non vna auctoritate veterum demonstro. Apuleius enim lib. 7. de asino aureo, versus finem: Mater pueri mortẽ deplorãs acer-

bam filij, fleta & lachrymosa, fuscáq; veste cõtecta, ambabus manibus trahẽs cinerosam caniciẽ, eiulãs, & exinde proclamans stabulum irrumpit meũ, &c. Idem lib. 2. de asino aureo. vmbrosum, infit, demõstrat cubiculum, matronam flebilem, fusca veste contectam. vbi Philippus Beraldus hũc habet cõmentarium: *Phil. Berald.* nigra vestimenta lugentibus accõmodata sunt, à *Ibi Varro.* Varrone, amiculum nigellum dicitur, vestitus lugubris. Hæc ille. Nigrarum autem vestium mos apud mulieres Romanas mox obsoleuit, vt Plutarchi testimonio intelligitur (cuius statim subiiciã verba) Demũ moribus deprauatis & viros albas vestes in luctu vsurpasse suspicari possumus, ex his Iulij *Iul. Paul sen-* Pauli verbis: lib 1. Sententiarum tit. vlt. de sepulchris & lu- *tent. recept.* gendis. Qui luget, inquit, abstinere debet à cõuiuiis, & alba *1. titul. 25.* veste. Hæc ille. Floruit verò Iulius Paulus lõgo annorũ spa- *sepulchr.* cio post Plutarchũ. Nam ex Lampridio in Alexãdro Seuero, *sent. penul.* constat, eum Papiniani (Septimij Seueri Imp. temporibus, discipulum fuisse. Lampridius in Alexandro Seuero, Imp. Plutarchum verò, Traiani præceptorem extitisse. Traianus autem anno à Christo nato. 100. Septimius verò Seuerus Afer, anno 196. regnare imperaréue cœpere, (centũ amplius annis, nimirum, sub Alexãdro Seuero, anno Christi 225. Imperante: Paulus post Plutarchum floruit) Nunc Plutarchi ipsius verba proferenda sunt, de vestibus albis in luctu à mulieribus vsurpari solitis. Sic igitur ille to. 1. opusc. Quæstio- *Plutar. to. 1.* num Romanarum opusculo, q. 26. Cur, inquit, in luctu mu- *opusc. in quæ-* lieres albas gerunt vestes? An sicut defuncti cadauer albo in- *stionib. Rom.* uoluunt tegmine, ita etiam amictos volunt esse necessarios? *q. 26.* Siue luctum maximè decent vilia & simplicia? Quæ autem colore infecta sunt, partim luxum, partim superuacanearum rerum studium arguũt. Non enim minus, de nigro, quàm de cęruleo colore dici potest, dolosę sunt vestes, dolosus color. Iam nigra ex sese quæ sunt, non arte sed natura tincta sunt, vmbrosóq; colore permixta. Solum itaque album syncerum est, mixturæque expers, purum & tinctura non imitabile, ac proinde optimè conuenit iis, qui sepeliũtur. Mortuus enim simplex quippiam factus est, & impermixtum ac purum: scilicet nihil aliud, quàm à corpore tãquam succo colorem inducente liberatus. Socrates scribit, Argis in luctu albas geri vestes, aqua elutas. sic ille. Polydorus Vergilius, de inuẽtori- *Polyd.* bus rerum. lib. 6. cap. 9. Hinc arbitratur natum, quòd hodie *lib. 6. c. 9.* Reginę Francorum post mortem viri, albis tantum vestibus *rum in-* induuntur. Vnde si qua vidua sit, regina alba vulgò vo- *toribus.*

citatur (gall. *La Royne blanche.*) Cæterùm antiqui plurimum nigra vestimenta in luctu induebant. Sic Polydorus. Quod autem de vestitu amictúue albo hîc dicitur, ab Herodiano scriptore Græco, Politiano interprete lib. 4. ipso statim exordio comprobatur his verbis: Circa lectum defuncti Imp. sedent, à læua quidem senatus omnis vestibus atris amictus, à dextera verò matronæ earúmque nulla vel aurum gestans, vel ornata monilibus cõspicitur, sed vestibus albis, exilibus indutæ mœrentium speciem præbent. sic ibi. Hæc cùm ita se habeant, ad luctus videlicet testificationem, tibicines quondam adhibitos, nigrásque vestes in hunc vsque diem sumi solère. Cur Christus præsenti Euangelio prohibet viduam mortuum deflere filium, *Noli flere*, inquiens? Respon-

*Luc. 7. c.* deo immodicum vetari ac prohiberi fletum at moderatum luctum non item. Vnde. D. Martyr Cyprianus tractatu, de

*D. Cyprian. tract. de mortalitate.* Mortalitate. Nobis, ait ille, ipsis minimis & extremis, quoties reuelatum est, quàm frequenter atque manifestè de Dei dignatione præceptum est: vt contestanter assiduè & publicè prędicarem, fratres nostros non esse lugendos accersitione Dominica de sæculo liberatos, cũ sciamus non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, vt proficiscentes, vt nauigantes solent; desiderari eos debere non plangi: neç accipiendas esse hîc atras vestes, quando illi indumenta alba sumpserint: occasionem dandam non esse gentilibus, vt nos meritò ac iure reprehendant, quod quos viuere apud Deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus, & fidem, quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio non probemus. Spei nostræ ac fidei præuaricatores simus: simulata, ficta, fucata videtur esse, quæ dicimus. Nihil prodest verbis præferre virtutum, factis destruere veritatẽ. Improbat denique Apostolus Paulus, & obiurgat & culpat, si qui cõtristentur in excessu suorum; Nolumus, inquit, ignorare vos

*1. Thess. 4. c.* fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Eos contristari, dicit, in excessu suorum, qui spem non habent. Qui autem spe viuimus, & in Deum credimus, & Christum passum esse pro nobis, & resurrexisse confidimus, in Christo manentes, & per ipsum atque in ipso resurgẽtes, quid aut ipsi recedere istinc de sæculo nolumus, aut nostros recedentes, quasi perditos plangimus ac dolemus? hactenus florentissimus Martyr. D. Cyprianus. Subiũgam & D. Hieronymi præclarum testimonium. Is ad Paulam scribens super obitu Blesillæ filiæ, sic matrem allo-

quitur: Redit tibi in memoriam confabulatio eius, blanditiæ, sermo, consortium: & quod his careas, pati non potes. Ignoscimus matris lachrymis, sed modum quærimus in dolore, si parentem cogito, non reprehendo, quod plangis. Si Christianam & monacham, istis nominibus mater excluditur. Recens vulnus est, & tactus iste, quo blandior, ego, non tam curat, quàm exasperat. Attamen quod tempore mitigandum est, cur ratione non vincitur? Deinde subdit: Præsentia exempla sectare. Sancta Melania nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed, teste Christo, non falsam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus inuadere? Lachrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes aduoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit: Expeditius, inquit, tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. Postmodum subiungit. Quasi ante tribunal Christi assistens, in hæc te verba conuenio. Detestandæ sunt istæ lachrymæ, plenæ sacrilegio, incredulitate plenissimæ, quæ non habent modum, quæ vsque ad viciniam mortis accedunt. Hæc ille. Sequitur in textu: *Hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa &c.* Ex hoc, ait Philippus Diez nostri sodalitij, concione 2. Dominicæ 15. à Pentecoste, satis conspicitur, Viduam hanc diuitem fuisse. Nam mundus eos, qui diuitiis abundant, honorat, pauperes verò & egenos nec dignatur aspicere. O quàm pauci pauperum corpora ad sepulturam comitantur! Sed quibus mundus deficit, non deficiunt angelorum exercitus, qui eorum animas super æthera collocent, sicuti animæ pauperis Lazari fecerunt. Solet Ecclesia in exequiis quorumcunque defunctorum, siue rex sit, siue Monarcha ita orare: Et cum Lazaro quondam paupere, æternam habeas requiem. Vt planè videatis, quanti Deus pauperes faciat, quos vos diuites contemnitis immeritò, & nec in vita, nec in morte illos, sed locupletes ac potentes sociare vultis. sic ille. Lactantius lib. 6. capit. 12. ea de re sic disertè scripsit: vltimum & maximum pietatis officium est, peregrinorum & pauperum sepultura, quod illi virtutis, iustitiæque doctores prorsus non attigerunt. Nec enim poterant id videre, qui vtilitate omnia officia metiebantur. Quamuis (subdit ibidem Lactātius) in homine ignoto neces-

*Philip. Diez conc. 2. Dominicæ. 15. post Pentec.*

*Lactant. l. 6. c. 12. diuinarum institutionum.*

ſariorum ſepulturam, nulli negandam impendemus; in quorum locum, quia deſunt, ſuccedat humanitas, & vbicumque homo deſiderabitur, ibi exigi officium noſtrum putabimus. Hæc ille. Hier. Magius lib. 2. c. 19. ſuorum miſcellaneorum: Licet Ethinci authores iuſticiæ in defunctos meminerint, non tamen pauperes peregrinóſque humandos eſſe præceperunt; quin Cicero ipſe agens de officiis, hac de re ne verbum quidem protulit. De parentibus cognatíſque tumulandis, & extremo honore proſequẽdis, magiſquam de pauperum ſepultura ſenſiſſe illi videntur. Parentum enim & cognatorum manes, non pauperum & peregrinorum, pro Diis coluerunt antiqui. Pauperes nullo ſunt honore proſequuti; Nam & ſi loca, eorum funeribus neceſſitate compulſi (amouenda enim erat ex vrbibus, viis, & domiciliis cadauerum fœditas) deſtinauerunt, non tamen, vt in reliquis fiebat, exurenda & iuſtis honoranda curauerunt (parentalia, ſacrificia, & funerandi ſolemnitas, quæ in defunctorum honorem fiebant, Iuſta dicuntur). Subiungitur deinde Plato de Rep. qui bello benemeritorũ, eorúmq;, qui præcipua probitate pollere fuerunt iudicati, cadauera, & condi & iuſtis funebribúſq; iubet honorari, nimirum & vt mortuis, gratia à ciuibus referatur. At non ideò his pauperes peregrinóſque afficiendos eſſe præcipit, aut præcepiſſe poteſt intelligi. Parentibus igitur, ac iure ſanguinis coniunctis, adde etiam & de Rep. bene meritis (his enim & publico ſumptu funus factum eſſe, cum pauperes eſſent, legimus) próque ea militantibus, illa tanquam commeritis, & ex beneficij memoria præſtabantur. Non miſeræ plebi, non pauperibus, non peregrinis, quorum nulla extabant in Remp. beneficia ac merita, vnde iure quodam ſuo talia expoſcere, atque exigere poſſe viderentur. Hucuſque Magius. Non negauerim cadauera pauperum, & peregrinorum ab Ethineis eſſe tumulata, ſed dumtaxat apud virtutis & Iuſtitiæ doctores illos (Platonem, Ariſtotelem, ac Ciceronem, primarios doctores loquor) vlla extare ea de re præcepta, aut eos hanc, quæ ex charitate, humanæque ſortis commiſeratione profluit, pietatem attigiſſe. Tobiæ præclarum facinus hîc prætereo, qui paſſim iacentia cadauera, furtim etiam, & non ſine vitæ ſuæ diſcrimine ſepeliebat. De Simonide qui inhumatum corpus iacẽs ſepulturæ mandauit (quod Valer. l. 1. c. 7. de Somniis, in externis, ſcriptum reliquit) nihil nunc dico, propterea quòd in Decadib. noſtris ſacris hoc de facto, ſatis dixerimus. Sequẽ-

*Hier. Mag. l. 2. c. 19. lect. variarum.*

*Plato de rep.*

*Valerius maxim. l. 1. c. 7. de Somniis.*

tia videamus. Tetigit loculũ, &c. Benè loculum diminutiuè *Sac. Decades*
dixit Euangelistę interpres, ad hominum fastum, & superbiã *authoris.*
retũdendam. Notum est illud, quod de Alexandri magni insatiabili cupiditate, a Satyrographo dictum est.

*Vnus pellæ iuueni non sufficit orbis,*
*Æstuat infelix angusto limite mundi,* deinde,
*Sarcophago contentus erit, mors sola fatetur,* *Iuuenalis satyr. 10.*
*Quantula sint hominum corpuscula.*

Quod nos aliis in decadibus citauimus affine est, quod Diõ Nicęus, in Seuero Imp. refert: Seueri ossa, inquit, in vrnã fa- *Dion Nic.*
ctam ex porphyro coniecta, Romã, ex Britannis scilicet, per- *in Seuero.*
lata & reposita sunt. Fertur Seuerus hanc vrnam paulo antè quèm decederet è vita iussisse ad se perferri: Dein contrectasse, atq; ita dixisse: Χωρήσεις ἄνδρα ὃν ἡ οἰκουμένη οὐκ ἐχώρησεν. hoc est, Tu, infit, virũ capies, quẽ totus orbis terrarũ non cepit. Hęc ille. Herodian. in eodem l. 3, sub calcem. Corpusculo ignibus tradito cinerem ipsum cum odoribus in vasculũ ala- *Herod. in Se-*
bastri coniectum, Romam retulerunt, vt videlicet in sacris *uero l. 3. sub*
principum monumentis componeretur. Hęc ibi. Mira res! *finem.*
Non vt Elias aut Eliseus super corpus mortuũ iucubuit, nec vt Petrus pro Tabitha suscitanda orauit, sed tanquam Dominus omnipotens vocauit adolescentem, cum imperio inclamans: Adolescens tibi dico, surge. Et tu peccator, hortatore Apostolo, *ad Eph. 5. surge, qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus.* Consurge, inquam, de sepulchro, id est, à *Ephes. 5. c.*
mala operatione. Cõsurge de sepulchro detractionis, de quo scriptum est. Sepulchrum patens est guttur eorum. Consurge de sepulchro hypocriseos, de quo scriptum est, Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis. Cõsurge de sepulchro adulationis, de quo in Euãgelio dictum est, sinite mortuos, sepelire, mortuos suos. Cõsurge de sepulchro concupiscentiæ, seu carnalis voluptatis, de quo in *Numeris scribitur: adhuc erant carnes in dentibus eorũ, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga* *Numer. 11. c.*
*magna nimis. Vocatúsque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ: Ibi enim sepelierunt populum, qui desiderauerat carnes.* Consurge de spelunca, quæ habet superpositum lapidem, in qua ligatis manibus ac pedibus, atque facie sudario cooperta iacet, cũ Lazaro, *Veni foras*, ac prodi, de sepulchro; Expergiscere de somno, vocat te Dominus. *Et surrexit adolescens.* Felices dixerunt huius viduæ lachrymas, quæ talem habuerunt consolatorem, Dedit eum matri, ait sacer contextus. *Cæpitque loqui,* *Luc. 7. c.*

ne phantaſma ant ſpectrum ſiue illuſio quædam videretur; hîc non intempeſtiuè dicemus, de hominũ mortuorum vmbris, quæ circa ſepulchra nonnũquam viſuntur, ac de terriculamentis fieri ſolitis (vulgus *vn rabas* vocitat) Ariſtoteles libro de mirabilibus narrationibus ſcriptũ ita reliquit: In Lypara inſula Æolica ſepulchrum aiunt eſſe, circa quod cùm etiam alia prodigioſa eueniant, tam id, quod ea loca ſecurè tutóque nemini accedere liceat, vno ore perhibent, Sonitũ enim tympanorũ cymbalorúmq; & riſum cum ſtrepitu, plauſúque manuum audiri manifeſtò. Cæterum cumprimis monſtrosè id quoque circa antrum accidit, quòd antelucano quidã ebrius ſomno iſtic oppreſſus, triduum totum cubauit, quæſitúſque à familiaribus quarto demum die repertus eſt qui mortuum rati, ad propriũ monumentum extulerunt, dúmque iuſta pro more celebrarent, ex improuiſo ſurrexit, qúæq; obtigiſſent expoſuit. Quæ etſi ad fabulam propiùs, quàm veri fidem accedere videantur, non potui tamen de locis his ſcribens, tacitus præterire. Hæc ibi Ariſtot. de ſpectro à Plinio Iuniore l.7.epiſtolarũ cõmemorato, in Decadibus mentionem fecimus. Suetonins in Caio Cal. §. ſeu c.penult. Cadauer eius, inquit, clam in hortos Lamianos aſportatũ, & tumultuario rogo ſemiambuſtũ, leui cæſpite obrutũ eſt, poſtea per ſorores ab exilio reuerſas erutũ, crematũ ſepultúmque. Satis cõſtat priuſquã id fieret, hortorũ cuſtodes vmbris inquietatos: in ea quoq; domo in qua occubuerit, nullam noctem ſine aliquo terrore tranſactam, donec ipſa demum incendio conſumpta ſit. Hactenus Suetonius. Scribit etiã Hier. Mag. Miſcel. l.4.c.12. in hunc modũ eadẽ de materia ſeu argumento. multa poſſem huc afferre huiuſmodi, quæ mea memoria contigerunt, ſuntque etiã a me audita, & à viris fidei neutiquam ſuſpectæ viſa, ſed breuitatis gratia illis ſuperſedeo. Sic ille. Lactãtij Dilemnia hoc loco opportunè proponam: Is diuinarum inſtitutionũ l.2. c.2. ita ratiocinatur, Deos igitur in quorũ numero reponemus: Si in mortuorũ, quis tam ſtultus vt colat? Si in abſentũ, colẽdi ergo non ſunt: ſi nec vident, quæ facimus, nec audiunt, quæ precamur. Si autem Dij abſentes eſſe non poſſunt, vident & audiũt vniuerſa. At enim præſentes nõ niſi ad imagines ſuas adſunt. Ita plane. Quemadmodum, inquit, vulgus exiſtimat mortuorũ animas, circa tumulos, & corporũ ſuorũ reliquias oberrare. Hæc ille. Verùm, ait Mag. vbi ſup. non animæ defunctorũ fuerunt, aut ſunt, ſpectra, & phãtaſmata, quę circa

*Ariſt. lib. de mirabilibus auſcultationibus.*

*Plinius Iun. 2. lib. 7. epiſt. Decades authoris. Suetonius in Caligula. §. 59.*

*Hier. Mag. lib. 4. ca. 14. Miſcel.*

*Lactan. l. 2. c. 2. diuinarum inſtitutionum.*

*Magius vbi ſupra.*

ſepulchra aut cœmeteria ſe noctu conſpicienda præbebant aut præbent, ſed dæmones. Ibidē Iamblichū allegat referentem ſubdolū quoddā genus Dæmonū, ſimulare animas defunctorū Deos & Genios, quos ipſe Iamblich. Cacodæmones non bonos Dæmones eſſe cōtendit. Phil. quoq; c.12. l.3. de vita Apollonij ſic refert: Muliercula ad ſapientes acceſſit Indos, precans pro ſalute filij, quē duos iam annos à Dæmone detineri aiebat, annos natū ſexdecim. Interroganti autem è ſapientibus vni, vnde ei tale cōtigiſſet infortuniū? Ita reſpondit mulier: Cùm is puer cæteris æqualibus formoſitate præſtaret, Dæmō quidā ipſius amore captus eſt adeò, vt nec illum mente ſineret vti, neque ad præceptores pergere, &c. Dæmō quiſnā eſſet confeſſus, aiebat ſe Idolum eſſe hominis iamdudum in bello interfecti, qui vxorem ſuam vehementer amabat: ſed quoniam vxor coniugij iure violato, triduo poſt eius mortē alteri nupſiſſet, ſummū erga mulieres odiū concepiſſe, amorémq; omnem ad hunc puerū tranſtuliſſe. Sic ille. Ergo quoque, ait Magius, l.4 c.12. Dæmoniacos nō paucos vidi, in quibus, immundi ſpiritus, dum à ſacerdote adiurarentur, ſe interfectorum quorundam animas eſſe mentirentur, eorúmque veras voces, & arcanas quaſdam res proferrent, ac ſibi iuſta fieri orarent. Dæmones circa ſepulchra verſari conſueuiſſe, indicat D. Chryſoſtomus to.2. Homilia. 35. ex c.10. Math. ſub finē his verbis. Nonne quemadmodum ad ſepulchra Dæmones concurrere videntur, ſic morbo cupidinis laborantes, ſepulchris continuè affixi, dæmonū ſuas animas efficerent habitacula, atq; hoc ſæuiſſimo inſaniæ furore animā emitterent? Hæc os aureum. *Dæmoniaci ſepulchra incolebant Math.* 8. & apud alios etiam Euangeliſtas, *Occurrerunt Christo Dæmoniaci duo, è monumentis egreſſi, ſæui ſupra modū, itaut nemo poſſet tranſire per viam illam,* In monumētis verſabantur, ait ibi Theoph. Dæmones enim dogma quoddam inſtituere volebant, quod animæ mortuorū fiant Dæmones, quod nemo credere debet. Anima enim in mundo non errat. Sic ille. Quod intellige, ſine ſpeciali Dei conceſſione, idque extraordinariè, prout ipſe permiſerit, qua de re, De regreſſu nempe ſpirituum, & apparitionibus eorum, in Decadibus noſtris ſatis, me dixiſſe memini. fer. 3. poſt paſcha, Exiſtimabant ſe ſpiritum videre, & in concione de Transfiguratione. Nos, ait Magius vbi ſupra, in fine capitis, cùm ſacris literis doceamur Dæmones eſſe, qui in hominum corpora illabantur, ſanctique Patres, & orthodoxæ fidei

*Iamblichus.*

*Philoſt. l.3. c. 12. de vita Apollonij.*

*Mag. li.4. c. 12. Miſc.*

*D. Cryſ. t.2. Hom. 35. ex c. 10. Mat.*

*Math. 8. c.*

*Theoph. ibid.*

*Decades authoris.*

*Magius vbi ſup. in fine c.*

Theologi, Dæmones ad antiquorum adstruendos errores, hominésque decipiendos ac affligendos circa sepulchra versari, corporibúsque humanis se insinuare affirmēt, Philosophorum Ethnicorúmque contra sententiam, ablegatis nugis, rectæ fidei inhæremus, & quæ sanctæ Ecclesiæ scitis Decretísue prodita sunt, sequimur. Sic ibi. Nos pariter de spirituum reditu apparitionibúsque, quod Cathol. & Apostol. & Rom. tenet Ecclesia, idem credimus.

*Io. Boulæse Hist. victoriæ Corporis Christi.*

Nec obmittendum existimaui, quod nostra ætate contigisse narratur, à Ioanne Boulæse, presbytero Laudunensi, Hebraicarum literarum professore, in Historia victoriæ corporis Christi, ad Gregorium XIII. Pontificem Max. Eius referam verba: Anno Domini, 1565. tertio Nouemb. die, sub horam tertiam pomeridianam, Vreuini in Picardiæ prouincia: Diœcesis Laudunensis, Nicolea Obri nata quindecim aut sexdecim annos, Vxor Ludouici Pierret sartoris, cùm esset sola in Ecclesia, & oraret Deum pro defunctis, congenulata super tumulum defuncti aui sui, Ioachimi Vvillot, vidit ante se vt hominem sepultum erectum, qui locutus fuit illi, persecutus fuit illam & onerauit, & illi apparens tertiò habebat similitudinem dicti defuncti aui, quem & se esse dicebat. Quod certè illa credidit. Et tum subitò is intrauit in eā, quam & effecit tam ægrotam, vt illa receperit extremam vnctionem, Ac tum is auus internè apparebat, & loquebatur ei, quæ cùm ad se rediisset, dixit parētibus: Auum sibi apparuisse, eúmque pro liberatione sua à pœnis purgatorij (vbi detinebatur, propterea quòd statim à cœna morte correptus, nō fuisset confessus peccata sacerdoti, nec declarasset peregrinationes, quas vouerat viuens) instanter petere, vt celebrentur Missæ. (Vide Sathanam, se transfigurantem in angelum lucis, cum sit angelus tenebrarum, vt faciliùs simplices decipiat. Venena enim non dantur, ait D. Hieronymus alicubi, nisi melle circumlita) donentur Eleemosinæ, & fiant peregrinationes: quas illi dicebat. Parentes autem & amici completis his bonis operibus, videntes morbum non diminui, sed & audientes præterea peregrinationem ad D. Iacobum superesse faciendam, aut certè conuertendam in alias peregrinationes, aut bona opera, consilio proborum doctorúmque hominum, fecerunt adiurari istum auum, qui respondit in aperto ore Nicoleæ, multis adiurationibus compulsus, & se dixit esse à Deo, & missum à Deo, & Ioachimū Vvillot, & animam & bonum angelum ipsius. Verùm ab es-

*D. Hier. in Epistol.*

fectibus & dictis eius fuit iudicatus angelus malus, tenebrarum,& Sathanicus. Postremò adiuratione coactus, respōdit suum nomē esse Beelzebub seque in eam intrasse,propterea quòd sibi mater & maritus dedissent eam,& quòd etiam ipsa sibi dedisset consensum, credens auum esse. Adhæc & apparuit illi, vt homo maximè horrendus, turpis & niger. Vnde nec credidit illa amplius, eum esse auum suum, quam & ter asportauit, & postea in adiuratione confessus est, se habere potestatem in corpus quidem, sed non amplius in animam ipsius:propterea quod sibi nihil voluisset, illa dare,ab eo tēpore, quo credebat illa eum esse Diabolum. Et postea,ne reciperet amplius illa creatorem nostrum,reddidit eam alternatim,& mutā,& cœcā,& surdam, & postea ne confiteretur illa,quæ parētibus subripuisset & patrasset latrocinia(quorū tamen author is fuerat,)effecit illam simul,&eodem temporis momento, mutam cœcam & surdam, ( illâ interea signis digitorum ori immissorum,petente victui necessaria)donec rediret,& possideret illam:in qua tum is garriens multò amplius, quàm antea, deridebat peregrinos,& eorum benefactum. Et reuelabat assistentium peccata secretiora,non confessa sacerdoti, non recordans amplius confessorum vt sæpissimè dixit, & experientia demonstrauit. Beelzebub tandem præsentia regis Regum in sacratissima hostia, deuictus ac expulsus fuit de obsessæ corpore, per Reuerendum in Christo patrem ac Dominum Ioannem de Bours, tunc Episcopum ac Ducem Laudunensem meritissimum. Hactenus, Boulæseus qui & in magno Thesauro huiusce historiæ, gallicè edito subiunxit sequentia, Verbis gallicis. *Christofle de Hericourt Doyen de l'Eglise de Laon en a ainsi escrit. Le iour S. Hubert,troisiesme de Nouembre l'an de grace mil cinq cens soixante cinq, Nicole Obry natifue de Vreuim, comme elle faisoit ses prieres pour les trespassez, sur la fosse de son pere grand,luy aduint de la façon,que nous lisons en S. Matthieu, des cruels Dæmons, qui habitoyent és monuments, pour faire croire qu'ils en estoyent les gardiens, comme bons Anges, ou ames des decedez, prenans le soing de leurs corps: & eust en vision la forme d'vn homme enseuely, se representant a elle, la part qu'elle se tournoit, ou acheminoit. Estonnee de tel Spectacle, se retira en sa maison, dissimulant ce quelle auoit veu.* Reliqua vt supra,latinis verbis expressa transcripsimus. Hæc verò tam multis ac variis testimoniis, maiore ex parte, ab Ethnicis profanísque scriptoribus petitis, tractauimus, vt studioso lectori, ac curioso antiquitatis indagatori, aliqua

ex parte faceremus satis. Meminerint candidi lectores dicti Petri Blesensis, qui ita scriptum reliquit: Quòd si causâ publicæ eruditionis aliqua de libris gentilium fuerint inserta, vobis in fastidium non vertantur. Nam & Dauid de diademate Melchom, idoli Ammonitarum, sibi diadema composuit (1. Par. 20. Tulit autem Dauid coronam Melchom de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum, & preciosissimas gemmas, fecítque sibi inde diadema) Idem, epist. 8. Sanè, sicut in Deuteronomio legimus. Aliena mulier capta in prælio, si decor eius tibi placuerit, rasis eius vnguibus & capillis, atque veste captiuitatis deposita, licitè ducitur in vxorem. Si qua enim scriptura Gentilium est, quæ in conflictu studiorum mihi placet, sublata superfluitate verborum, possum illam mihi assumere, vt ex illa filij spirituales generentur in fide. Vnum noueris. Nunquam super verbis faciam quæstionem, de qua facultate sumantur, nec censebo absurdum, quòd verba Philosophiæ vel scientiæ ciuilis, quandoque in doctrina Christiana (maximè vbi ratio postulat) admittantur, dūmodo ædificent ad salutem. Nam nec de herbis quæritur in qua terra, vel cuius hortulani curâ vel culturâ adoleuerint, dummodo vim habeant sanatiuam. Rursus is ipse. Epist. 92. Inuehitur aduersus inuidum hoc pacto. Me compilatorem æmulus vocat, eo quòd omnia, quæ scribo, historiarum exemplis, aut sacræ scripturæ auctoritatibus firmo. Hunc equidem modum à sanctis patribus mutuaui, qui in vniuersis operibus suis noui ac veteris testamenti verba frequenter interserunt, vt eorum artificiosa iunctura dictis suis robur adiiciat, & ornatum. Nam sicut in libro Saturnaliorum, & in libris Senecæ ad Lucilium legimus, apes imitari debemus, quæ colligunt flores, quibus diuisis & in fauum dispositis varios succos in vnum saporem artificiosa mixturâ, & quadam sui spiritus proprietate transfundunt, Sic Blesensis. Verba Macrobij placuit adscribere, lib. 1. Saturnaliorum, proœmio siue Prologo. Apes, ait, quodammodo debemus imitari, quæ vagantur, & flores carpunt: deinde quicquid attulere, disponunt, ac per fauos diuidunt, & succum varium, in vnum saporem mistura quadam, & proprietate spiritus sui mutant. Nos quoque quicquid diuersa lectione quæsiuimus, committemus stylo, vt in ordinem, eodem digerente, coalescat. Sic Macrobius. Seneca autem epi. 84. ad Lucilium eadem fermè scripserat ante illum: Apes (vt aiunt) debemus imitari, quæ vagantur & flores ad mel fa-

*Petr. Blesensis, prologo suarum Epistolarum, ad Reg. Angl*

*1. Par. 20. c.*

*Id. Epist. 8.*

*Id. Epi. 92.*

*Macrob. & Sen. in Epist.*

*Macr. lib. 1. Sat. in Prol.*

*Sen. epist. 84. ad Lucil. ex dispositione Mureti.*

ciendum idoneos carpunt: Deinde, quicquid attulere, disponunt, ac per fauos digerunt, & vt Virgilius noster ait,

*---Liquentia mella*
*Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.* *Virgilius.*

De illis non satis constat, vtrum succum ex floribus ducant, qui protinus mel fit, an quæ collegerunt, in hunc saporem mixtura quadam, & proprietate spiritus sui mutent. Quibusdam enim placet non faciendi mellis scientiam esse illis, sed colligendi. Postmodum subiungit: Nos quoque apes debemus imitari, & quæcumque ex diuersa lectione congessimus, separare, melius enim distincta seruantur, deinde adhibita ingenij nostri curâ & facultate, in vnum saporem varia illa libamenta confundere: vt etiam si apparuerit vnde sumptum sit, aliud tamen esse, quàm vnde sumptum est appareat: hucúsque Seneca. Verùm eo de argumento satis multa, epistolâ ad lectorem, Decadibus nostris præfixâ, dixisse me recolo. Supereſt, vt huic homiliæ optatum finem imponamus, præfati Blesensis *Epist.* 2. verba adaptantes, coronidis vice. Vita breuis, finis dubius, exitus horribilis, Iudex terribilis, pœna infinibilis. Sic ille. Excitemur igitur ab operibus mortuis, vt tandem ad æternam vitam peruenire valeamus. Amen.

*Decades authoris.*

*Blesf. epist. 2. consolatoria super morte filij ad Regem Ang.*

# DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

## De hydropico per Christum sabbato, mirabiliter sanitati restituto: Luc. 14. c.

*Cum intraret IESVS in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem; & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens IESVS dixit ad legis peritos: si licet sabbato curare? Luc. 14. c.*

Luc. 14. c.



IN primis Christi Domini mansuetudinem ac vrbanitatem admirari libet, qui vbicúmque ad cuiuis fuerit inuitatus, accedere non recusauit, at libenter omnibus sui copiam faciebat, neminem vsquam auersatus, neminem aspernatus, nullum planè dedignatus inuitatus ad nuptiale conuiuium, *vinum ex aqua fecit. Ioan. 2.* Ad conuiuium Simonis pharisæi inuitatus, pœnitentem accepit, hánceque clementer absoluit; hospitém verò suum, salutaribus verbis instruxit. *Luc. 7.* In Domo Zachæi sibi parari hospitium voluit, ac conuiua gratissimus, principem publicanorum conuertit. *Luc. 19.* Piis sororibus, hospitij vberem mercedem rependit. *Luc. 10.* eas amore speciali prosequutus est, ac singulari quædam beneuolentia. *Ioan. 11. c.* In conuiuio sibi à Matthæo (tunc publicano ac teloneario) exhibito, eum ad Apostolatus honorem prouexit. *Matth. 9.* Ad conuiuium denique huius principis pharisæorum inuitatus, hydropicum sanitati restituit, conuiuásque salutari doctrina refecit. *Luc. 14.* Cum publicanis ac peccatoribus manducare dignabatur, vt eos ad pœnitentiam conuerteret. Cum Pharisæis autem, vt eorum hypocrisim redar-

Ioan 2.
Luc. 7. c.
& c. 19.
Luc. 10. c. &
Ioan. 11. c.
Math. 9. c.
Luc. 14. c.

dargueret, eósque ad meliorem frugem promoueret. Cum amicis, vt ipsis consolationem sua præsentia impenderet. Cum pauperibus vicinis ac cognatis, vt sua potentiâ ac liberalitate, eorum indigentiam ac inopiam subleuaret. Cum omnibus tum demum familiariter conuiuabatur, vt comitate, facilitatéque, seu mauis, popularitate illa, in vniuersum omnes ad se pelliceret & attraheret. Sicut magnes ferrum, sicut adamas chalybem (g. l'acier,) ad se pertrahunt. Non sunt moderata & frugalia conuiuia illicita, quandoquidem Christum non semel exceptum conuiuio legimus, quibus numquam ille interfuisset, si honestè ac licitè cōuiuari nemo posset. Conuiuare rarò ait quidam, aliquando ergo licet. De cōuiuiis multæ à Christo prolatæ sunt parabolæ. Multa inde sumpta sunt docendi argumenta. Honestæ amicitiæ gratiâ exhibenda sunt, vt pauperes propter Deum alantur, ac reficiantur: vt concordia sarta tecta retineatur, vt conseruetur, Vt si quæ intercesserint simultates ac odia, inter conuiuandū omnino deponantur. Qui fines, cùm honestatem in se habeāt, quis moderata improbabit cōuiuia, ad eos fines instructa, & apparata? Iuxta vulgatum illud topicum: Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonū est. Hic de conuiuiis, vt paulò fusius dicamus, locus requirit, & argumētum exigit. *συμπόσιοι* Græci, hoc est compotationem, Latini autem conuiuium, à conuictu, quod simul viuamus, amicè ac beneuolè inuicem familiaritérque conuersantes, appellauerunt. Qua de re Cicero in Catone maiore seu de Senectute ita scripsit: Neque ipsorum conuiuiorum delectationes corporis voluptatibus magis, quàm cœtu amicorum, & sermonibus metiebar. Benè enim maiores accubationē, vel accubitionem epularem amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt, melius quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem (*συμπόσιον*) tum concœnationem (*σύνδειπνον*) vocant: vt quod in eo genere minimum est, id maximè probare videantur. Sic ille. Tritum Græcis est vocabulum *συμπόσιον*, quod latinè compotium, siue compotamentum nonnulli reddunt. Cic. vbi supra compotationem vertit. Idem lib. 9. Epist. ad Pætum scribēs. ep. 24. ibi: Sermo familiaris, inquit, est in cōuiuiis dulcissimus. Vt sapientiùs nostri, quàm Græci, illi, *συμπόσια*, aut *σύνδειπνα*, id est, cōpotationes, aut cōcœnationes, nos conuiuia, quòd tum maximè simul viuitur. Hæc ille. Et Athenæus Deipnosophistarum li. 8. sub calcem Syndeipnon, ait, pro conuiuio Lysias dixit, in oratione, qua cædis accusat

*Ex topicis.*

*Cicero lib. de Senectute.*

*Cic. li. 9. epi. Pæto. ep. 24. ib.*

*Athen. li. 8. sub finem.*

*Lysias ibid.*

Micinum. Eum namque ad syndeipnon, inquit accitum fuisse. Plato quoque in eo significatu sic vsurpat. Iis qui syndeipnon struxerant. Aristophanes in Gerytade.

*Isid.lib.10. Etym.§. 1.*

In syndeipnis laudans Æschylum. Sic ibi Isid. Hisp. Epis. originum siue Etymol. l.20. § .1. Conuiuiũ, inquit, apud Græcos à cõpotatione συμπόσιον, apud nos verò à cõuictu rectius appellatur: vel quia vitæ collocutionem habet. Item conuiuium dicitur à multitudine conuescentiũ. Nam priuatę mensæ victus conuiuium non est. Vel, vt alia habent exemplaria) priuata mensa victus est, conuiuium non est: Sic ille conuiuium omnino à verbo antiquo conuiuere videtur deduci, quod conuiuari significat, quia tum maximè, vt Cicero vbi supra, inquit, simul viuitur. Gallicè, *banquet ou festin*, appellamus.) Qui vocantur & admittuntur in conuiuio à conuiuatore, qui epulas parari iussit, conuiuæ, compotores, & combibones, commensales vulgò nominantur. Sodales etiam ferè in conuiuiis dicuntur, qui eadem mensa vtuntur, ita dicti, quòd simul sedeant, simúlque epulentur, quod hodiè in cœnobitis, seu Religiosis communem vitam seruantibus videre est, hinc Sodalitia, verbi causa, Franciscanorum, Prædicatorum, Benedictorum, ac similiũ cœnobitarũ, &c. Hæc de nomine ἔθυμα, siue notatione, & origine, annotasse suffecerit. Nunc ad rem ipsam aggrediamur exordio ducto à conuiuij descriptione, quæ est huiusmodi: Conuiuium est honesta, suauis, & iucunda amicorum, eiusdẽ cibi ac potus, adde etiã, sermonis ac confabulationis cõmunio, mutui amoris amicitiæq;, cũ Deo pariter atque hominibus, partim contrahendæ, partim tuendæ atque cõseruandæ, partim etiã resarciẽdæ causa, instituta. Plut. t.2. opu. Symposiacõn l.7. q.6. sic describit. Est conuiuium communio seriorũ, iocorum, actionum, & sermonũ. Itaque nõ quiuis id frequẽtare debẽt, sed amicitia inter se deuincti & familiares, vt suauiter hoc fiat. Græcè sic: κοινωνία γάρ ἐστι καὶ σπουδῆς καὶ παιδιᾶς, καὶ λόγων καὶ πράξεων, τὸ συμπόσιον. Hęc ibi. Descriptio suprà citata potissimũ conuiuij finẽ cõplectitur, nimirũ amicitiæ incrementum, siue generationem, quæ cum voluptate fiat, vel etiã beneuolẽtiæ redintegrationem, vt est apud Valer. l.2. c.1. De matrimoniorum ritu & necessitudinũ officiis, vbi sic dicitur: Conuiuium solemne maiores instituerũt, ídque Charistiani appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus con-

*Plut.lib.7. sympofiac. q.6.t.2.epi.*

*Val.l.21.c.1.*

cordiæ adhibitis, tolleretur. Hæc ibi. Nos ad societatem communē sumus nati. Est enim homo animal politicū siue ciuile ac sociale, At vero ad societatē vel ineundā, vel fouendam atque stabiliendā, vel denique redintegrandam, reconciliandamque, conuiuia plurimum sanè momēti, atque ponderis habent. Eam ob causam ἀγάπας, id est, charitates eiusmodi conuiuia veteres nominauerunt. Imò apud primitiuos Christianos agapæ fuerunt appellatæ, cœnæ pauperibus exhibitæ, ex charitate, propterea quòd mutuę charitatis atque coniunctionis tuendæ causa fuerint institutæ, & quia conuiuia optima sint mutuę hominū charitatis vincula atque symbola. Verba apud Plutarchū, lib. 7. Synposiacon, seu Conuiualium disputationum in præfatione hîc adscribere placuit. Hæc sunt huiusmodi: Sciti hominis atque humani dictū, in ore habent Romani, quisquis ille fuit: qui quum aliquando solus cœnasset, se edisse isto die, nō cœnauisse pronūciauit. Nimirum cœnam semper indigere communitate quadā & amicitia, quæ ei suauitatē pararet, sentiens. Hæc Plutarchus Philosophus pręstantissimus de conuiuiorū fine vsúque germano ac genuino disputauit, quem quidē, nō, vt multi hodie Christiani, in Baccho atque Cerere, hoc est, in cibi potúsque delitiis, ac voluptatibus, sed potius in mutua animorum cōiunctione, in mutuo amore atque beneuolentia tuēda atque augenda resarciendáve consistere voluit. Conuiuiū nempe moderatum ac honestum remissio est curarum, animi laxādi non lassandi, causâ inuentum, ingenij pabulū, amoris argumentum, tessera beneuolentiæ: amicitiæ condimentum, fomentum gratiæ, vitæ solatium. Quid dicam, quod ipse Christus, quò faciliùs hominum sui tēporis animos sibi vera fide atque charitate deuinciret, non dubitauit quibusdam, etiam sceleratissimorū, atque flagitiosissimorū conuiuiis interesse? Veluti hoc loco scribitur intrasse illum apud principē pharisæorum Sabbatho, vt comederet panem, & ipsi obseruabant eum. Eodem pane, (qui communionis est symbolū) vesci voluit Christus cum Pharisæis: nec illis fuit dedignatus. Non sic Ægyptij, qui nephas ducebant cū Iudęis, quos grauissimè oderant, in eadem mensa comedere panem ac conuiuari: vt *ex 43. c. Genesis*, colligere licet, vbi scribitur: *seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, egyptiis quoque, qui vescebātur simul, seorsum appositos fuisse panes. (Illicitū est enim Ægyptiis comedere cū Hebræis, & prophanū putant huiusmodi conuiuiū)* Sic ibi. Verissimile est ipsas quoq; mēsas fuisse separatas. Hîc autē probabile est, in

*Plutar. to. 2. opus. in præfatione lib. 7. Symp.*

*Genes. 43. c.*

eadẽ mẽsa & de iisdẽ cibis,apud hũc principẽ pharisæorũ Dominum nostrũ gustasse,ac comedisse. Sic Christiani primigeniæ & Apost. Eccl. statim post Sacrosanctã Communionẽ,ad mutuã amicitiã, charitatémque alendã atq; fouendã ἀγάπας siue charitates,conuiuia,inquam,pauperibus ac diuitibus ex æquo communia celebrare soliti erant:quod ex Apostolo. 1.
*1. Cor. 11. c.* *Cor. 11. c.* deprehendere licet,ita scribente. *Conuenientibus vobis in vnum,iam non est Dominicam cœnam manducare.* In quem
*Theoph. ibi.* locum Theophylactus: Quemadmodum,inquit,qui primùm crediderant, communia omnia habentes communiter & publicè epulabantur, sic per quandam eius rei imitationem, etiamsi non adeò exactam, Corinthij statis quibusdam diebus festis ex æquo publicè conuiuabantur,post sacramentorum assumptionem. Siquidem opulenti fercula adferebant, inopésque ad conuiuia isthuc accersebant: At per dissentiones corruptus est admirandus mutuæ dilectionis mos,nec ab omnibus seruabatur. Dominicam cœnam,conuiuium vocat, quo multi simul vescuntur, veluti imitationem admirabilis illius cœnæ, qua Dominus simul cum discipulis suis mãducauit. Vnusquisque propriam cœnam præsumit ad manducandum. Dominicam hanc cœnam priuatam fecistis. Quamdiu enim communis & publica esset, Dominica cœna vocabatur. Domini enim res omnibus seruis sunt communes. Postquam autem vnusquisque anteuertit propriam cœnam manducare, nec expectat pauperes, sed priuatim apud sese edit:cõtumelia affecistis cœnam vestram, pro dominica priuatã facientes,ac soli vescentes& conuiuãtes, quę & pau-
*Scholia Græcorũ ex Oecumenio in 1. Cor. 11. c.* peribus oportebat apparata esse. Hucúsque Theoph. Suffragatur in scholiis Oecumenius ex Photio his verbis: Pręcipuis diebus siue festis, post sacrorũ mysteriorum participationem agebantur communes cœnæ, præparantibus illas diuitibus, ac pauperes iuuantibus. Id autem erat occasio charitatis, &
*Gagn. ibid. ex Chrysostomo & aliis Græcis.* modestiæ animi. Id verò corruperant Conrinthij. Sic ibi. Gagneius quoq; his assentiri ac subscribere cognoscitur, ita scribendo: Necesse est hoc loco consuetudinem Corinthiorum repetere ex Chrysost. & aliis Græcis: Statutis diebus cõueniebant in Ecclesiam,inquit fideles, atque ibi, post mysteriorum, scilicet,corporis & sanguinis Domini,communicationem, communia omnibus ex æquo fiebant conuiuia, pauperibus & diuitibus,quæ à communi inuicem charitate ἀγάπαι,id est, charitates vocabant. Ibi communiter omnes discumbebant,in hymnis gratiarúmque actionibus conuiuia il-

la transigentes. Augustinus tamẽ ait, quòd more Christi, qui agnum paschalem primùm discipulis dedit, deinde suũ corpus & sanguinem, primùm in Ecclesia Christiani conuiuia communia faciebant, deinde ad mensam Domini accedebãt. Verùm siue ante, siue post, iam ab illo more honestorũ cõuiuiorum desciuerant, & particularia conuiuia faciebant, vbi se ingurgitabant sicque à suis illis conuiuiis pauperes arcebãt, quos ob id arguit Paulus. Sic ille. Nota, quòd vt in omnibus actionibus nostris, ita in conuiuiis quoque aurea illa mediocritas adhibenda est, duóque vitanda sunt extrema, quorum vnum est defectus, quasi ad dexteram, alterum excessus, quasi ad sinistram. Defectum appello, vt cum quis verbi causa, omnia prorsus, quantumuis honesta & moderata conuiuia damnat, eáque à Christiani hominis officio prorsus aliena iudicat, misanthropiâ quadam cyclopica atque Timonia, vel auaritiâ ducti, hoc est quasi Timon (qui μισάνθρωπος. i. hominũ osor & ab omni humanitate alienus, dict^9 est) inhumani prorsus existunt: Itaut nec ad conuiuia inuitare alios, nec inuitati aliorum conuiuia adire, iisque interesse, fas esse existiment. Cœnam tamen cum amicis (vnde cœna ἀπὸ τῆς κοινωνίας, i. à communione, videatur dicta, quia multi in commune cœnare consueuerũt, κοινὸς, cõmunis dicitur Græcis) Rom. celebrare soliti sunt; Plut. teste t. 2. opusc. symp. l. 8. q. 6. Ibi Lamprias, ita, inquit, est Romanis deipnon cœna, quasi cõmunio: quia antiquitus, seorsum solebant prandere Rom. cœnare cũ amicis. Hæc ille. Adde quòd in veteri ac nouo Testamẽto, plurimos pios ac religiosos, & conuiuia aliis parasse, & inuitatos aliorũ cõuiuia adiisse legimus. Verùm aliis omissis vnicũ profectò Christi Domini nostri exẽplũ, omniũ exemplorũ loco nobis esse debet. Is igitur, & cõuiuio alios excepit, & ad aliorum conuiuia accessit nõ rarò, etiã cũ publicanis & peccatoribus cõuiuia inire minimè dubitauit, & cum Pharisæis iuratis hostibus ac capitalibus æmulis & aduersariis seu hostibus panem comedere non refugit. Huiusmodi verò vt supra attigimus, sceleratorum hominũ conuiuiali consuetudine vtebatur, quò faciliùs illos hac occasione, ab improba sceleratáque vita, ad bonam frugem perduceret. Quod verò ipse alios conuiuio exceperit, facilè demonstratur ex cœna illa, in cœnaculo strato magnificè instructa: *Luc. 22.* & apud alios Euãgelistas, item *ex Ioan. 21. c. post suam resurrectionem piscem assum, & panem discipulis porrexit.* Quid autem clariùs miraculo illo refectionis tot milliũ turbarũ, ex quinque panibus & duobus

*Augustinus.*

*Plutar. to. 2. opusc. l. 8 sympos. q. 6.*

*Luc. 22. c. Ioan. 21. c.*

Ioan.6.c. & Matt.15.c. piſcibus? *Ioan. 6.* & aliàs,ex ſeptẽ panibus, & piſciculis paucis? *Matth. 15.c.* Quod ſi Chriſtus nõn dubitauit conuiuiali huiuſmodi conſuetudine vti, non video cur non idem nobis quoque ſaluo officio religionéque noſtra facere non liceat. At obiiciat aliquis Ieremiæ fuiſſe à Deo præceptũ,me ingrederetur domũ conuiuij: *Ier.16.c. Ne ingrediaris domũ conuiuij.* (Ierem.16.c.) Reſpondeo. Id fuiſſe ſingulare & extraordinariũ, necnõ futuræ cladis & calamitatis ſignificationẽ habuiſſe. Sic enim Lyranus noſter paraphraſticos interpretatur quaſi dixiſſet: (Lyranus ibi.) Non imminet tempus gaudij, ſed doloris. Hoc pacto etiam intelligendum,quod *Eccleſ c.7.aſſerit: Melius eſſe ire ad domũ luctus quàm conuiuij.* (Eccleſ.7.c.) Quo dicto, non omninò conuiuiorum vſus prohibetur,ſed immoderatæ conuiuãdi cupiditati modus ſtatuitur. Adde etiã, quid vnicuique negotio tempus ac opportunitas accommodanda venit. Alterum extremũ exceſſus nimirũ,nihil aliud eſt,quàm effrænata conuiuiorũ cupiditas, & comeſſatio quotidiana ſeu ingluuies, qualis erat illius diuitis epulonis, qui epulabatur quotidiè ſplendidè. *Luc.16.c.*qua de re ſatis multa in decadibus noſtris ſacris diximus, eò lectores remittimus. (Luc.16.c. Sac. Decades anthoris.) Magna ex parte à Stuckio Tigurmo,in antiquitatibus cõuiuialibus hæc me deſumpſiſſe non eo inficias. (Suck. Tigurinus in Ant. Conuiuialibus. & Lipſ. in Criticis Antiq. lect.lib.3.c.1.) Cui & Lipſiũ, lib.3. antiquarũ lect. c.1.in ſermone conuiuiali adiungere placet, ita ſcribentẽ. Cœnam antiqui in tres partes tribuerunt, ſiue placet dicere, miſſus (*g. des mets ou plats*) primum miſſum Antecœnam ſiue guſtationem,ſiue guſtum dixerunt: (gal. vocant *l'entree de table.*) Secundum in quo præcipui & lautiſſimi cibi, propriè Cœnã: Tertium in quo bellaria,menſam pomorum, ſiue menſas ſecundas(Nos *g. la deſſerte* appellare conſueuimus.)Sic ibi.Mãducare panem.Phraſis ſcripturæ, & linguæ Hebraicæ Idiotiſmus eſt, quemcumque cibum panis nomine ſignificare, *vt 2. Reg. 9. Dixit Miphiboſeph filio Ionathæ. Tu comedes panem in menſa mea ſemper.* (2.Reg.9.c.) At in Regia Dauidis menſa, non ſolùm panis,ſed alia cibaria apponebãtur. *Sic.1.Reg.28.mulier* pythoniſſa,Saulem regem inuitans dicebat: (1.Reg.28.c.) *Ponã coram te buccellam panis,vt comedens conualeſcas, & poſſis iter agere. Mulier autẽ illa habebat vitulum paſcualem in domo, & occidit eum, & coxit azima,miſcens farinã & poſuit ante Saul, & ante ſeruos eius. Qui cũ comedissent ſurrexerunt. Et 4.Reg.6.Coram Aſſyriis iuſſit Eliſeus ponere panẽ, vt comederẽt,& reuerterẽtur ad Dominũ ſuum. Appoſitáque eſt eis, ait ſacra hiſtoria, ciborũ magna præparatio, & comederunt & biberũt,& dimiſit eos ex Iſraël.* (4.Reg.6.c.) In oratione Dominica.

*Matth. 6. & Luc. 11. quotidie precamur: Panē nostrū, &c. da nobis hodie.* hoc est, necessariam sustētationem, & alimoniam. Hic nomine panis, alios etiam appositos cibos in illo conuiuio, intelligit sacer Euangelista. Sed tempus est, vt ad textum aggrediamur. *Matth. 6. & Luc. 11. c. Luc. 14. c.*

Ipsi obseruabant eum. (Christum scilicet Pharisæi.) Odio ac inuidia moti aduersus Christum eius miracula accusare & calumniari studebant, quod si sabbato curaret, dixissent festi violatorem. *Ioan 9. Non est hic homo à Deo, qui sabbatū non custodit,* Si extra sabbatum, miracula tunc eleuabant, seu deprimebant, dicentes, malle se cœlestia videre: *Matth. 12. Volumus signum de cœlo videre* Christus habuit in factis obseruatores, in verbis cōtradictores, & in tormentis illusores. Sub prætextu conuiuij, dolos in Christū excogitabāt sic de Absalonis conuiuio, contra Amnon fratrem suum instructo, ex libris regū æstimare licet. *Obseruate,* dicebat Absalon, *cum temulētus fuerit Amnon, percutite eum & interficite, 2. Reg. 13.* Pharisæi non tam obseruabant sabbatum, quàm obseruabāt, si Christus curaret in Sabbato. vt possent eū calūniari. *Psal 36. Obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dētibus suis.* Ex sacra *Iudic. 14. c. historia habetur, quòd leo, quē Sampson interfecit, in ore mel habuit, viscera verò, & reliquum corpus corruptū fuisse legitur.* Dicit enim scriptura. *Declinauit Sāpson, vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis.* Sic hi miseri Pharisæi in ore mel habebant, hoc est dulcia verba, quibus Dominū inuitabant: at viscera & corda eorum inuidia & malitia penitus corrupta, & inquinata erant. *Ioan. 9. c. Matth. 12. c. 2. Reg. 13. c. Psal. 36.*

*Si licet Sabbato curare?* quo die nefas erat apud Iudęos, non quidem ex diuina religione, sed ex eorum superstitiosa obseruatione, ægrotos curare. Subiiciunt oculis Domini hydropicū, certi de eius misericordia, quòd illū sine salutis beneficio nō dimitteret. Tāta erat Domini misericordia, vt ipsi etiam aduersarij, hoc sibi de ea pollicerētur. Cū ergo eorum consilia Dominus intelligeret, rogat. Si licet sabbato curare? Tacent verò, ne responsione sua aditū insidiis suis præcluderent. Si dixissent, licet, nō potuissent illū suo dānare testimonio, nisi & seipsos dāmassent, qui factū antea probauissent, si dixissent, non licet, fortasse à curādo ægro destitisset Pharisæorum metu, atque ita de eo illaqueando cōsilia irrita fuissent, sed sapientiam non vincit malitia. Quandoquidem illos despiciens, miserum sanauit etiam non rogatus. Etenim hydropicum hunc nihil rogasse, est admodum probabile:

Pharisæi Christum calumniari volebant, vt si non curasset, crudelitatis, aut imbecillitatis. Si curasset, transgressionis legis, ac violationis sabbathi eum accusarent.

*Ipse apprehensum curauit.* Docens propter hominum impiorum calumnias, nō debere nos desistere à bono opere. Multi benefacere vellent, sed timentes quis sit de illis hominum sermo, bona opera prętermittunt; pueris similes, qui per viā transire, canum timore, nolunt, aut non audent. Animaduerte Iudęos sabbati obseruantiā plurimi semper fecisse. In quo manna neque colligebant, neque prandium parabāt, sed parasceue eis in vsu erat, *de qua, Ioan. 19. Erat parasceue Paschæ.* Lapidibus etiā obrutus fuit, qui sabbatho ligna collegerat, *numer.* 15. In sabbato Machabęi pugnare noluerunt, 1. *Mach.* 2. Sabbatarios proinde meritò quis vocauerit Iudęos, ob nimiam seruandi sabbati ac pręposterā religionem. Nunc duo expedienda veniūt, alterum de hydropici allegoria, alterum autem de Sabbati seu potius festorum, vt verbi caussa Dominicæ diei ac aliarum solemnitatum obseruantia. Hydropisis non vnum aliquem morbum, sed multos spirituales repræsentat. Quatenus nimio, eóque noxio humore redūdat luxuriam. Quatenus hominem siti ardentissima laborare facit, vt *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*, auaritiam representat ac gulam. Nam teste poëta.

*Ioan.* 19. *c.* *Numer.* 15. *c.* 1. *Mach.* 2. *c.*

*Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.*

*Iuuenal. Satyr.* 14.

Tumore suo & ventris inflatione, superbiam delineat. Quibus in capitalibus vitiis luxuria auaritia gula ac superbia flagrantissima sitis viget. *Et qui biberit ex hac aqua sitiet iterum.* *Ioan.* 4. *Eccles.* 5. *non expletur auarus pecunia. Os vulua nunquam dicit sufficit. Prouerb.* 30. *Samaritanæ libido insatiabilis fuit. Ioan.* 4. *Quinque viros habuisti, ait illi Christus, & quem nunc habes, non est tuus vir.* Iunenalis *Satyr.* 6. de Messalina vxore Claudij Imperatoris.

*Ioan.* 4. *c.* & *Eccles.* 5 *c.* *Prouer.* 30. *c.* *Ioan.* 4. *c.* *Iuue. Sat.* 6.

*Et lassata viris, nondum satiata recessit.*

*Prouer.* 13. *c.*

Gula etiam insaturabilis existit. *Prouer.* 13. *Venter impiorum insaturabilis.* Cicero Tusculanarum quæstionum. *lib.* 5. Xerxes præmium proposuit, qui inuenisset nouam voluptatem qua ipse inuenta, non fuit cōtentus. Neque enim vnquam finem inueniet libido. Sic ille. Sitis Tantali prouerbio celebratur. vnde Horatius *lib.* 1. *sermonum. Satyr.* 1.

*Cicer. tuscul. quæst. lib.* 5.

*Tantalus à labris sitiens fugientia captat*
*Flumina, quid rides? mutato nomine de te*
*Fabula narratur.*

*Hor. lib.* 1. *sermon. Saty.* 1.

Crasso Romano viro auri sitientissimo, iam defuncto, exprobratum olim fuit, aurum sitisti aurum bibe. vt in decadibus nostris latiùs scripsimus. *Horatius lib. 3. carminum ode 24.* *Horat. lib. 3. carm. od. 24.*

*---- Scilicet improbæ*
*Crescunt diuitiæ, tamen*
*Curtæ nescio quid semper abest rei.*

Ex his constat auari sitim inexplebilem esse. Appositéque per hydropem illud crimen adumbrari, qua de significatione; sic idem *Horat. lib. 2. carminum, ode 2. cecinit.* *Idē lib. 2. carmin. ode. 2.*

*Crescit indulgens sibi dirus hydrops.*
*Nec sitim pellit, nisi causa morbi*
*Fugerit venis & aquosus albo*
*Corpore languor.*

ὕδερος, ὕδερος ὁ morbi nomẽ est, quod Latinè aqua intercus appellatur: hydropisis vulgò nominari solet. ὑδρώψ, ῶπος ὁ. hydropicus sic ὀξυτόνως legendum, siue cum accentu graui; dicitur & ὑδρωπικός. qui aqua intercute, siue morbo illo laborat & affectus est. ὑδρώπισις aqua intercus, vel morbus aquæ cutem subeuntis. Hæc ex lexico Græco. Cornelius Celsus de re medica lib. 3. c. 21. ὕδρωπα Græci vocant, morbum eorum, quos aqua inter cutem malè habet, nisi primis diebus discussus est. hic desiderat famem sitim mille alia tædia, longámque patientiam. Si ex toto sibi non temperauerint minimè ad salutem perducuntur. Ideóque non ignobilis medicus Chrysippi discipulus, apud Antigonum regem amicum quendam eius, notæ intemperantiæ, mediocriter eo morbo implicitum, negauit posse sanari. Qúmque alter medicus Epirotes Philippus se sanaturum polliceretur, respondit, illum ad morbum ægri respicere, se ad animũ. Neque eum res fefellit. Ille enim cum summa diligentia non medici tantummodo, sed etiam regis custodiretur, tamen malagmata sua deuorãdo, bibendóque suam vrinam, in exitium se præcipitauit. Inter initia tamen, non difficillima curatio est, si imperata sunt corpori quies, sitis, inedia: & si malum inueterauerit, nõ sine magna molestia discutitur. Asclepiades in eo, qui ex quartana in hydropa deciderat se abstinentia bidui & frictione vsum tertio die iam & febre & aqua liberato, cibum & vinum dedisse memoriæ prodit. Hæc ille narrat Diogenes Laertius lib. 9. de Heraclito Ephesio, quòd morbo aquæ intercutis arreptus, ad vrbem descendit: medicósque per ænigmata sciscitabatur, an possent ex imbre siccitatem facere? Illis nõ intelligentibus, seipsum boũ stabu- *Lexic. Græc.* *Cornel. Cels. lib. 3. de re medic. c. 21.* *Laert. lib. 9. in Heraclit.*

lo includens,& fimo bibulo obruens, eo calore arbitrabatur noxium ac exundantem humorem exhauriri posse, vbi verò ne sic quidem aliquid proficere conspexerat, moritur. 60. ætatis agens annum. Sic ibi. Scribit etiam Nicephorus. hist. Eccles. lib. 11. c. 35. de diuino Beniamin, circa Scetim habitâte olim, ad hunc modum: Hunc dicunt ita postea esse, aqua intercute, per corporis tumorem grauatum, vt ex domuncula in qua degebat per ostium, nisi prius vnà cum eo postes eius detraherentur, exire non posset, & quũ in lecto iacere nequiret, circiter menses octo in latiore sella consedit, & more suo ægros curauit: atque ipse interim quòd meliusculè non haberet, minimè succensuit. Imò potius & ægrotos, & alios qui ad se visendum veniebât, cõsolatus est, & pro anima eius precarentur petiit; perinde atque nihil de corpore sollicitus esset, quod & validum nihil profuisse, & ægrũ, nihil sibi nocuisse dixit. Sic ille. Scribit prætèrea Abbas Ioânes Moscus cognomento Euiratus, in prato spirituali. c. 8. vt habetur to. 2. Bibliothecę sanctorum patrum, de quodam alio hydropico hoc modo: Senex quidã erat in monasterio Furrium Myrogenes nomine, qui ob nimiam austeritatem vitæ hydropicus effectus fuerat. Dicebat autem iugiter his senibus, qui ad eum conueniebant visitandi gratia: Orate pro me Patres, ne interior homo, hydropicus fiat. Ego enim, vt in hac infirmitate diutius durem, Deũ oro. Hęc ibi. Hydropicus, quò plus bibit, eo amplius sitit, quod ita expressit Ouidius.

*Niceph. hist. Eccl. l. 11. c. 35.* *Ioan. Mosc. in prato spirituali c. 8. ex to. 1. Bibliot. sanct. patr.* *Ouid. naso.*

*Sic quibus intumuit venter suffusus ab vnda*
*Quò plùs sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ:*

Ideo hydropicus, hominem auarum designat, qui quantò plùs habet diuitiarum, tanto ardentius eas cõcupiscit. Vnde scribit etiã Stobeus serm. 10. quòd Diogenes auaros hydropicis comparabat. Quæ appositissimè quadrat comparatio. Nec dubium, quin ambitio seu fastus ac superbia ritè hydropisi comparetur: Notum est illud de Alexandro M. vulgatũ paradigma: Cuius Valerius, lib. 8. c. 14. & Plutarchus, tom. 2. opusc. De trãquillitate animi, meminerunt, hoc modo: Alexander Anaxarcho Philosopho innumeros mundos esse referenti, Heu me inquit, miserum! quòd ne vnoquidem adhuc potitus sum. Sic illi. *Eccl. 14. Insatiabilis oculus cupidi.* Nunc de festorum obseruãtia recto ordine dicendũ occasione sumpta ex eo, *quòd persequebantur Pharisæi Christum, quia miracula faciebat in sabbato. Ioan. 5.* Frequenter enim accusatus est Dominus sabbatum violasse. Verùm defendit se per exempla sa-

*Stob. ser. 10.* *Valer. lib. 8. c. 14. & Plut.*

cerdotum in templo offerentium, nec non ipsorum Iudęorũ extrahẽtium ouem vel asinum in foueam collapsum, aut ducentium adaquatum. Quemadmodum in sequentibus fusius expendemus, σὺν τῇ Sabbathi obseruatione Iudæi tanquam publico signo, ab omnibus nationibus religionis memoriæ veræ cultores, cęterísq; hominibus dissimiles agnoscebãtur. Quod ita fuisse, prodidit Ethnicus etiam poëta, quando hoc signo, hunc populum cæteris dissimilem esse testatus est, cùm ita cecinit: *Iuuen. Saty. 14. de Iudæis cælicolis.*

*Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,*
*Nil præter nubes & cœli lumen adorant.*

Sic ille scribit Galatinus lib. 11. c. 9. Iudæos velle sabbatum etiam à Christianis hoc tempore ad literam esse obseruandum. Duabus potissimum de causis, alterâ, quia inter moralia computatur. 3 loco & ordine. Decalogus autem ab omnibus seruandus est, cùm sit de iure naturæ. Posteriore verò ratione, quia sabbatum creationẽ respicit. Sed illa communis est omnibus (Sabbato Deus ab omni creatione cessauit) Respõdeo, præceptum de sabbato, partim cæremoniale esse. Morale, quatenus præcipiebat aliquo tempore diuinis vacandum esse. Vnde Psaltes regius. Vacate & videte, quoniam ego sum Deus, &c. Cæremoniale erat, quãtum ad temporis taxationem. Et sicut sabbatum respicit creationem, sic Dominica Redemptionem quæ completa est tunc per Christi resurrectionem, quia teste Apostolo, resurrexit propter iustificationem nostram. Sed opus redemptionis maius est, quàm creationis: Nam in creatione Deus dixit: & facta sunt omnia. In redemptione verò, multa agere & pati oportuit Christum Deum verum, nedum verbo dicere. Item creando dedit rebus solùm esse, sed redimendo contulit benè esse. Ideóque à Christianis obseruanda est dies Dominica, quæ duo simul complectitur: creationem nimirum & redemptionem. Siquidem illa die mũdus sumpsit exordium, & vita resurrexit. Accedit, *quòd ciuitas Hiericho, in sabbato fuit expugnata.* Ios. 6. Et sabbata, vmbrã futurorũ appellauit Paul⁹, *Colos.* 2. Cùm ergo superueniẽte veritate, cesset figurę: iuxta illud. *Ioan. 1. Lex per Mosẽ data est, Gratia & veritas per Christũ facta est, &* D. Paulo teste, *vmbrã habuerit lex futurorũ bonorũ.* Nũc in Euãgelio non est Iudaïzandũ. *Exod. 31. Sabbatũ custodiatis, ait Dominus, quia signũ est inter me & vos, vt sciatis, quia ego sanctifico vos. Pactum est sempiternum inter me & filios Israël signúmq; perpetuũ.* Cõsequitur inde rectissimè Christiano populo non esse sub præcepto,

*Gal. l. 11. c. 9.*

*Ios. 6. c.*

*Coloss. 2. c.*

*Exod. 31. c.*

sed dūtaxat Israëlitis in generationib⁹ suis. Neq; nobis est in signum & pactum. Nam pactum fit super exhibēdis, non super exhibitis, & signum datur de occultis aut futuris, non de his, quæ in aperto omnibus sunt exposita: nūc millia sanctorū apprehenderunt requiem, olim promissam per Christum Dominum. Tantùm nobis restat extendere manum & apprehendere. Dabatur Iudæis in signū, & typū futuri Christi, ipsum Sabbatū, vt expressius dicit Apostolus. Vbi ergo venit Christus, nō opus est Sabbati Iudaici obseruatione, sed Diei Dominicæ, in quā commutatū fuit apud Christianos vetus Sabbatū. Quod verò dicitur in Sabbati præcepto: *Non facies in eo omne opus*, Sumendū est cū exceptione, nisi ad cultum Dei pertineat, & si fiat per contemptū *Dei: Numer 15. de colligente ligna per superbiā*, Sed non dum succurritur ex charitate hominibus. Quod qui non aduertunt facilè in superstitiones incidūt execrabiles. Qualis Iudæus, de quo apud Volaterranum Geographiæ l. 3. c. vltimo, de regibus Britanniæ, dum agitur de Henrico tertio ita scribitur: Quidam Iudæus cum apud Teuksburi in cloacam sabbato incidisset, ob diei celebrationē extrahi noluit, at comes eius loci, nec in sequēte die permisit, ob Dominicæ diei reuerentiā, ex quo extinctus est. Sebastianus Monsterus annotationibus in Euangeliū *Mathei, ad 12. c.* in lingua hebraica, cum versione latina sic memoriæ prodidit: Legi, ait, in libro quodam, in quo describuntur gesta regionis Saxoniæ; quòd vice quadam cecidit Iudæus vnus in ciuitate Meidemburgensi, cum esset Sabbatum in latrinam, & reliqui Iudæi, non audebant eum extrahere, ne violarent Sabbatū: Quod cum audisset Episcop. vrbis illius præcepit, ne & sequentē diem, qui Christianis sacer habetur, violarēt: & sic biduo miser Iudæus sedit in fœtore latrinæ. Non intelligunt obstinati illi homines die sancto, sanctè agendum, & proximo succurrendum, cum Deo magis placeat pietas & misericordia, quam sacrificiū. Hæc ibi. Nec abludit quod Plutarch. to. 1. opusc. de superstitione, his verbis commemorat. Virtutis spes Deus est, non timiditatis occasio. At Iudæi, quum sabbatha essent, in Agnamptis sedentes, quum hostes scalas applicarent, & mœnia occuparent, non surrexerunt; sed manserunt, quemadmodū in vno verriculo, superstitione colligati. Sic ille, Thoma Naogeorgo interprete. Cæterum, obscurum est valdè, quod sedentes in agnamptis Iudæos memorat (Græcè quidem sic legitur: Ἰουδαῖοι σαββάτων ὄντων ἐν ἀγνάμπτοις καθεζόμενοι) ἀγνάμπτοις

*Num. 15. c.*

*Volaterran. Geographiæ l. 3. c. vltimo.*

*Seb. Minist. in 12. c. Math. anno.*

*Plutar. to. 1. opusc. de Superstitione.*

ἱματιοι. vestis dicitur non dum experta fullonẽ & tinctorem, ait Lexicon Græcũ. Ergo sic dilucidius Guliel. Plant. Ceno. medicus, huius opusculi interpres alius, latinè cõuertit. Iudæi, sabbatũ si fuerit, albis induti vestib⁹, domi sedent otiosi, atque hostibus scalas ad muros applicãtibus, mœniáq; ipsa iam occupantibus; non surgere, non domo pedem efferre audent, sed ibi superstitione, quasi sagena quapiam, irretiti manent. Hæc ille, ἐν ἀγιαυπίοις. in vestibus albis, exponens, non infectas vestes, siue non tinctas, sed impolitas, nec fullonis arte dealbatas, verùm natiuo colore candentes, significat. *Ex l. 1. Machabæor. 2. c. Descenderunt multi Iudæi in desertum & sederunt ibi, & renuntiatum est exercitui regis Antiochi, qui erat in Ierusalem, quoniam discessissent viri quidam, qui dissipauerunt mandatum regis, in loca occulta, in deserto: Et constituerunt aduersus eos prælium in die Sabbathorum. Et responderunt Iudæi, non polluemus diem Sabbathorum. Ipsi nec lapidem miserunt, aut eiaculati sunt in hostes, nec oppilauerunt loca occulta: dicentes moriamur omnes in simplicitate nostra: intulerunt igitur Iudæis bellum Sabbathis, & mortui sunt ipsi & uxores eorum, & filij eorum, vsque ad mille animas hominum. Et cognouit Matathias & amici eius, & luctũ habuerunt super eos valde. Et dixit vir proximo suo: si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnauerimus aduersus gentes pro animabus nostris, & iustificationibus nostris, nunc citius disperdent nos à terra, & cogitauerunt in die illa dicentes: Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbathorum, pugnemus aduersus eum, & nõ moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.* Hæc canonica & sacra Machabæorum historia. Ad quam respexisse videri potest Plutarchus, dum refert Iudæos Sabbathis quieuisse, nec seipsos aduersus hostes eos aggredientes, defendere voluisse, & in agnamptis sedisse. Quod sic (meo quidem iudicio ad historiam sacram longè conueniẽtius & magis consentaneè explicabitur (ἐν ἀγιαυπίοις) hoc est, in rudibus, impolitis, ac sordidis vestibus. Disertis siquidem verbis c. 1. & 2. dicitur: Iudæos sumpsisse lamentum, omnes fuisse in luctu: impletámque fuisse prophetiam *Amos, cap. 8. Conuertam festiuitates vestras in luctum, & inducam super omne dorsum vestrum saccum. Ideò Mathathias & filij eius operuerunt se cilicijs, & planxerunt valdè.* Igitur, ἐν ἀγνάμπτοις. interpretor, in sacco & cilicio, lugubri vtiq; veste, sederũt Iudæi, ob mala, ab ἀλλοφύλοις seu alienigenis sibi illata. Et hæc, quod ad Plutarchi testimonium illustrandum attinet, sufficiant. *Interrogat* IESVS *si licet sabbatho curare? at Pharisæi tacue-*

*Gulielmus Plãtius alius interpres.*

*1. Mach 2. c.*

*Amos. 8. c.*

*runt*, contextus præsentis Euangelij.q. d. Christus, Libens à vobis didicerim, qui profitemini legis scientiam, vtrum liceat sabbatho iuuare proximum, an potius deserere proximum in calamitate; cui possis subuenire. Et vtrum fas est, seruare vitam hominis in sabbatho, an sinere eum perire, cùm possis seruare? Perdit vitam alterius, qui cum possit seruare, non seruat. Tacere interim elegerũt Pharisæi, cùm respõdere commodè non possent. Sic tacuerunt interrogante Christo: *Baptismus Ioannis è cœlo est, an ex hominibus? Math.* 21. hîc etiam siluerunt. Vt autem ad institutum seu propositum nostrum, quasi ex diuerticulo regrediatur oratio, de Dominicę diei obseruatione, quædam hoc loco, proponemus rara & memoranda exempla, ex classicis deprompta scriptoribus.

*Math.* 21. *c. & Luc.* 14. *c.*

*Crantzius in Metropoli lib.* 4. *c.* 8.

In primis. Crantzius in Metropoli lib. 4. cap. 8. refert quòd Olanus rex Suetiæ, religionis Christianæ obseruantissimus, hoc reliquit exemplum sanctimoniæ. Die dominico cogitationibus grauatum cùm gereret animum, baculúmque manibus teneret: cultello, vt fit, scindulas fecit (*gall. des buchettes, ou petits couppeaux*) non aduertens: admonitus ab astante per iocum de violatione sabbathi, non leuiter in se puniuit admissum. Scindulas collegit diligentissimè, manuíque suæ impositas iussit incendi, vt in se vlcisceretur, quod contra diuinum præceptum incautus admisisset. Et D. Gregorius Turonensis lib. 2. de miraculis martyrum, §. 11. de sancto Iuliano Martyre. Quidam ausu temerario, die Dominica iungens boues, agrũ sulcare cœpit. Appræhensáque securi, vt aliquid emendaret in vomere, protinus contractis digitis manubrium in dextera eius adhæsit. Cúmque præ dolore nimio cruciaretur, post duos annos veniens ad beati martyris basilicam, vigilias fideliter celebrauit: statim in ipsa die Dominica, resecata manu lignum, quod inuitus tenẽbat, amisit (pro dimisit) magnã inferens populo disciplinã, vt quod die Dominica fuerat perpetratum, ipsa quoque die Dominica purgaretur. At ille magnificans gloriam martyris, recessit incolumis, nec vltra die resurrectionis Dominicæ quicquam ausus est operari. Idem lib. 1. de miraculis §. 16. sic aliud commemorat: Sub Turonicæ vrbis territorio apud vicum Alanganiẽsem. (*g. Alangeay*, vt opinor) mulier quædam ex incolis consperso Dominica die farina; panem formauit, quem segregatis prunis, cinere ferueuti contexit decoquendum. Quod cùm fecisset, protinus ei manus dextera diuino igne succensa, cœpit exuri. At illa vociferans ac plan-

*D. Greg. Turonensis li.* 2. *de miraculis Martyrum* §. 11.

*Gregor. qui sup. lib.* 1. *de miraculis* §. 16.

gens, basilicã huius vici, in qua reliquię beati Ioan. Baptistę continentur, expetiit. Et oratione fusa, vouit in hac die diuino nomini consecrata, nullam operã exercere, nisi tantùm orationi vacare. Nocte verò sequẽti, facit cereũ in altitudinẽ status sui (*g. de sa hauteur ou, stature*) Tunc in oratione pernoctans, tento tota nocte manu propria cereo, restinctis ardoribus incolumis est egressa. Sigeberti Continuator ad annũ Domini 1126. in Gemblacẽsi parochia, inquit, dũ paterfamilias dominica die, mixturã segetum præ penuria famis, molleret in vsus familiæ, subitò iusta Dei indignatione, arsit farina, cũ putoris nigredine, ad exemplũ posteris, ne quis prę-sumat simile. Et Vinc. in speculo historiali, l.27.c.47. ad verbũ hæc refert, vnde videntur ista fuisse excerpta. Adde quod in speculo exẽplorum, d. 9.c.193. legitur in vita S. Hugonis. Lincolinensis, quomodo pistor quidam, semper die Dominica farinã consperserit, atque fermentarit, de qua nocte sequenti panes decoqueret, quos die sequenti venderet recentes. Quos dũ semel mane secundæ feriæ extraheret de clibano, vnus panis calidus frangitur, vnde mox riuus sanguinis fluxit, expauit ille, & panem istũ cruentatũ comminuit frustatim, & per singulas fracturas cruorẽ stillare vidit. Alios omnes panes simul cruentatos inuenit, quos panes per octo dies apud se occultauit, sed mercenarij hoc diuulgarũt episcopo, vnum talẽ panem illi deferentes. Erant etiã alij panes in clibano positi, qui post crepusculum diei Dominicæ erãt fermentati & impositi, qui cum extraherentur, & frangerẽtur, nihil prodigiosum habuerũt sed in sua naturali qualitate vendebantur. Primi per monasteria & Ecclesias in monimẽtum facinoris de transgressione sabbati ad terrorem hominum diligenter conseruabantur. In speculo vbi sup. §.194. disertis verbis continetur, quòd in partibus Vvestualiæ, quidã deuotus pastor nõnullos carnifices (lanios intelligit g. *Bouchiers*) vidit, spe vendendarũ carniũ temporalibus mercãtiis sub summã missam occupatos, sabbati diem violantes. Ille Dei zelo ductus minitatur illis vindictã Dei, nisi à tã enormi transgressione resipiscerẽt: saltem, inquit, in 4. principalioribus festis anni, ab hac pessima consuetudine abstinete. Aderat (seu imminebat) festum Pent. & quidã obediens timore vindictæ abstinuit. Vnus verò filius Belial, animo pertinaci, macellũ carnes vẽditurus ingreditur, quosdã cõtra sacerdotis imperiũ animãdo. Et ecce virga Domini 2. aut 3. die Pent. excitantur coruscationes & tonitrua, & decidẽs fulmẽ vaccas suas inter quamplures alias sub porta quiescentes ex-

*Cõtinuator Sigeberti, ad annum domini. 1126.*

*Vinc. in speculo hist. lib. 27. c. 47.*

*speculũ exẽplorũ dist. 9. c. 193. in vita S. Hugon. Lincolinẽsis.*

*In spec. exẽp. §. 194.*

tinxit continuò, vt palam fieret, quoniam hæc vindicta esset inobedientiæ illius. Domus eius eodem fulgure quassata est, factúsq; est vir ille infamis in tota ciuitate, omnibus clamantibus contra eum, quoniam Dominus plagâ, propter Sabbathi irreuerentiam eum tetigisset. hactenus ibi. Et hæc quidem de Dominicæ diei celebrando religioso otio, intermisso seculari negotio, cessandóque ab opere seruili dicta sunto, nunc etiam de festorum celebratione quidpiam commemoremus oportet. Scribit D. Greg. Turonensis l. de gloria confessorum c. seu §. 81. de S. Mariano eremita hoc modo: Nõ erat & alter cibus, nisi poma agrestia, hũc inuestigantes viri, qui venerant, deprehenso vestigio inuenerũt locum, in quo flexo genu aquam hausit à fluuio, & exinde progressi, reperiunt eum sub vna arbore malo (*g. vn pommier*) iacentem mortuum: vnde celebre ferebatur in populo, eum elisum ex arbore spiritum exhalasse: sed euidenter non est cognitum, quoniam à nullo refertur visum: Tunc viri, qui aduenerant eleuantes, attulerũt ad vicum Euanuensem, quẽ ablutum, dignísque indutum vestibus sepelierunt in Ecclesia festa obitus eius per singulos celebrantes annos, atque conuenientes populi crebrò ab infirmitatibus sanabantur. Quidam autem de vicinis annonas die infectas aqua, ac germine producto conflatas, facto igne super vimina contexta torrere parat ad pocula facienda. Accedens autem vnus vicinorum eius, ait, quid tu ô homo, hoc detineris in opere? An ignoras, quòd solemnitas est beati Mariani? Qui cum furore respondit, Putas ô tu, qui hæc loqueris, quòd homo elisus ex arbore, propter compendia gulæ, angelorum sit relatus cõsortio, vt sanctus debeat adorari? Melius est enim opus necessarium in domo exercere, quàm talem sanctum excolere. Quod ille audiens discessit, & cum reliquis ad basilicã sancti abiit, relicto domi vicino in opere laborante. Nec mora, flante vento, apprehenditur domus, incendio exuritur omnis, nec quicquam de substantia restat hominis. Exinde eleuati globi flammarum, super hopistiola aliorum quæ circum locata erant, huius hominis aream, sepes, tuguriola vel porcorum vel animalium, reliquáque, quæ ad eum pertinebant, flamma perussit. Nec quicquam remãsit huic misero, quod non fuisset igni succensum: quod si euenisse quis fortuitu putat, admiretur, quod nulli vicinorum circummanentium nocuit. Quid nunc agis ô cruda rusticitas, quæ semper in Deum & eius amicos murmuras, vt tibi exinde damnum acquiras?

*D. Gregor. Turonens. li. de gloria cõfessorũ §. seu cap. 81.*

quiras? Sic ille. Huius sancti confessoris sepulchrum, vel potius confessorem Dei, plebs excolit Biturica: Greg. idẽ, rursus §.99. vbi sup. Auitus, inquit, abbas Carnoteni pagi quem pertensem vocant, sæpius imminere dissolutionem sui corporis spiritu sancto reuelante prædixit. Qui recedens à corpore, honorifice apud Aurelianensem vrbẽ humatus est, super quẽ fideles Christiani Ecclesiam construxerunt. Post cuius obitũ cùm anniuersarius adsumptionis eius dies cum summo coleretur honore, vnus è ciuibus aliis ad missarum spectanda solemnia euntibus, accepto rastro vineam pastinare direxit, increpitúsque à multis, cur huic festiuitati deesset? redire noluit, dicens, & hic quem colitis operarius fuit: verum vbi ingressus vineam, primo ictu terram aperuit, protinus retorta ceruice, facies eius ad tergũ conuersa est. Tunc tremens spectantibus populis cum fletu magno basilicam sancti ingreditur. Post paucos vero dies orans, in eodem loco assiduè, directa ceruice conualuit. Hæc ibi. Haud dissimile alterius cuiusdã suppliciũ narrat, D. Bonau. in vita patriarchæ nostri D. Francisci, apud Surium to.5. Octobris.4. die versus vitæ finem. De nõ obseruantibus festum ipsius. In Pictauiæ partib. in villa, quæ Simo dicitur, sacerdos quidam Reginaldus nomine. B. Francisco deuotus, festum ipsius Parochianis suis indixerat solemniter celebrãdũ. Vnus autẽ de populo, ignorãs sancti virtutẽ, sui paruipẽdit sacerdotis mandatũ. Egressus autem foras, in agrũ, vt ligna succideret, cùm se præparasset ad opus, vocem audiuit huiusmodi ter dicentem: festum est, operari nõ licet. Verùm cùm nec imperio sacerdotis, nec supernæ vocis oraculo, seruilis temeritas frenaretur, addidit diuina virtus, ad gloriam sancti sui, sine mora miraculum & flagellum. Mox enim vt furcam vna manu iam tenens, alteram cum ferreo instrumento leuauit ad opus, sic diuina virtute vtraque manus, vtrique instrumento cohæsit, vt ad neutrius dimissionem digitos aliquatenus relaxare valeret, ex quo stupefactus nimis, & quid ageret nesciens, ad Ecclesiam, multis vndique ad videndum prodigiũ concurrentibus, properauit. Vbi mente compunctus, ante altare, quodam ex assistentibus sacerdote monẽte (plures quippe ad festũ vocati conuenerant sacerdotes) beato Francisco humiliter se deuouit, tria, sicut ter vocem audierat, vota vouens, quòd scilicet, festũ ipsius coleret, quòd ad illam, in qua tunc erat, Ecclesiam in festo veniret, & quòd sancti corpus personaliter visitaret. Mirum certè relatu, vno emisso voto, vnus digitus

*Greg. Tur. vbi sup. ca. §. 99. de S. Auito.*

*D. Bonauẽtura in vita D. Patriar Francisci apud Suriũ to.5. Octo.4.*

factus est liber, ad secũdi emissionẽ solutus est alius, sed tertio facto voto, laxatus est tertius, & postmodũ tota manus, necnon & altera subsequentẽr, populo qui iam multus aduenerat, Sancti clementiam deuotissimè implorante. Sic homo pristinę redditus libertati, per seipsum instrumẽta deposuit, cunctis laudantibus Deum, virtutémque sancti mirificam, qui tam mirabiliter percutere poterat, & sanare. Ipsa verò instrumenta vsque hodie coram altari ad honorem B. Francisci fabricato, ibidem in memoriam sancti dependẽt. Hucúsque D. Bonauentura Cardinalis nostri ordinis. Refertur quoque à Tilmanno Bredembachio. S. Th. D. in Collationibus sacris lib. 2. cap. 26. ex historia Belli Liuonici, quod híc inserere placuit, egregium miraculum: anno 1556. Ipso Assumptæ Virginis matris die, Terpati Sacerdotes ex recepto Ecclesiæ more, diem illum solemnem habebant, & magno, vt solet, cum apparatu, & crebro campanarum pulsu diuinum cultum peragebant. Eam celebritatem & reuerentiam, virgini matri, ad summi numinis honorem exhibitã, cũ matrona quædam impendiò inuideret, mandat pedissequæ, vti balneum adparet, caminum instruat, se cum marito lauari decreuisse. Illa solemnis festi dominam submonere: vtque alium in diem transferat rogare. Matrona repente excandescens. Quid, inquit, de Maria narras? Fuit illa mulier similis, mihi, nec vllius potentiæ aut gratiæ prerogatiuam habet. Tu iussa mea exequere famula, ne dominam grauiùs exacerbaret, imperata perficit: Vbi ad conuiuium ventum est, arida ligna, quæ alioqui haud difficulter flammam concipiunt, nulla ope, nullis nutrimentis accendi potuerunt. Illa vbi se vndique vertit, laboris frustranei pertæsa, tectum omne ardere conspicit, nec vlla vi flammam extinguere valet. Ignis primum ipsum balneum vastat, mox duas contiguas ædes ingenti ciuium omnium terrore populatur. Confluit ex templo vniuersum vulgus, & vix tandem latius serpere incendium pohibent. Postero die lignorum fasciculus camino ingestus omninò incombustus comperitur. Sic ibi. Vides impiam illam matronam Lutheranam, blasphemantem Diuam Deiparentem, ac ipsius assumptionis diem festum violantem, haudquaquam tulisse impunè, sed miraculosa ædium suarum conflagratione diuinitus pœnas dedisse: lignis ad balneum congestis, penitus incombustis. Moscouitæ negligunt Dominicis, & præcipuis anni festiuitatibus, ab operis vacare. Vt ex Antonij Posseuini Societatis Iesu, altero com-

*Collationũ Sacrorũ Tilmanni Bredembachij l. 2. cap. 26. ex hist. Belli Liuonici.*

*Ant. Posseu. De rebus Moscouiticis.*

mentario de rebus Moscouiticis, ad religionem præsertim spectantibus in Moscouia, Mandato Gregorij 13. Pont. Max. in prima eius ad Moscum legatione, conscripto, facilè comprobatur. Populus (scribit ille) vix vnquam ab opere vacat, nisi ipso die Beatissimæ Virginis annunciatæ, sicque Dominicis, ac reliquis omnibus diebus profestis (ne excepto quidem Paschatis die) operatur: sibi enim persuasum habet, spectare tantum ad nobiles, vt ad sacra, templáque tam sæpè proficiscantur. Sic ille. Quæ proposita exempla apertè docent, Dominicis, aliísque festis diebus, nō esse laborandum, sed feriandum, cùm oporteat Sabbatha sanctificari: Quod si contrarium fiat, Moscouiticè, id fieri: hoc est, schismaticè, & non secundum Catholicam & Romanam Apostolicámque Ecclesiam, (Catholicos, Romanos vocare Moscouiæ ducem, scribit idem Posseuinus, dum ingenium Mosci *Idē Posseu.*
& Schisma fusiùs delineat.) Animaduerte interim, quòd in diebus festis quædam licitè exercentur: 1. Ea quibus in diuino cultu Deo seruimus. *Numer.* 8. *die Sabbathi offeretis duos* *Num.* 28. *c.*
*agnos, &c.* Vnde Christus. *Matth.* 12. *Non legistis in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum violant*, & sine crimine sunt? 2. Ea, quibus spiritualia exercemus. Vt, verbi caussâ, Docere & prædicare verbum Dei: Christus namque docebat Sabbathis vt in Euangelio continetur. 3. Ea, quæ sunt ad salutem propriam necessaria. 1. Machab. 2. pugnemus etiam in die Sabbathorum. *Et Matth.* 12. *Discipuli esurientes Sabbatho vellebant spicas, vt manducarent*, vnde, De consecratione dist. 5. c. Discipulos. Discipulos, cum per segetes transeundo vellerent spicas, & ederent, ipsius Christi vox innocentes vocat, quia coacti fame hoc fecerunt. Sic ibi. 4. Quæ etiam ad salutem corporalem proximi sunt necessaria. Prouerb. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, *Prouer.* 24.
& qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Adde quòd & Psaltes regius scribit: Beati, qui faciunt iudiciū & iustitiā in omni tēpore. 5. Quæ sunt necessaria ad vitādū damnū, sibi vel proximo imminens. Deut. 22. nō videbis bouē fratris *Deut.* 22. *c.*
tui, aut ouē errantē, & præteribis, sed reduces fratri tuo. Similiter ad euitandū damnū, imminente pluuia messis tēpore in horreis licet cōdere frumenta. 6. Ea, quibus cibi parantur per consuetudinem Ecclesiæ. Licet enim ex inueterata consuetudine, Dominicis, aliisq; festis diebus cibos necessarios coquere, elixare, assare carnes, focū depellēdo frigori necessariū instruere, ignē accendere, & similia. 7. Piscari quando-

Margin numbers: 1. (beside "uino cultu"), 2. (beside "caussâ"), 3. (beside "que docebat"), *1. Mac. 2. c.* (beside "quæ sunt ad salutem"), 4. (beside "ibi. 4."), 5. (beside "tiā in omni"), 6. (beside "in horreis"), 7. (beside "ssariū instruere")

que per consuetudinem licet, & summi Pontificis indulto ac permissione. Extra, de feriis c. Licet. Alexander tertius ita rescripsit: licet tam veteris, quàm noui testamenti pagina septimũ diem ad humanam quietem specialiter deputauerit, & tã eum quàm alios dies maiestati altissimæ deputatos: necnon natalitia sanctorũ martyrũ Ecclesia decreuerit, obseruãda: & in his ab omni opere seruili cessandum. Indulgemus tamen vt liceat Parochian. vestris diebus dominicis & aliis festis (præterquàm in maioribus anni solẽnitatibus) si alecia terræ, se inclinauerint, eorum captioni, ingruente necessitate intendere: ita quòd post factam capturã, Ecclesiis circũpositis, & Christi pauperibus, congruam faciant portionem, sic Põtifex. Idem dici posset, de colligendis segetibus, si necessitatis ingruat articulus: quandoquidẽ necessitas non habet legẽ, vt vulgò dici solet. Operæpretium facturus sum, si Macrobij hoc loco verba perscripsero. Is Saturnaliorũ l. 1. c. 16. totum hoc de feriis propositum & negotiũ, sic absoluisse visus est: affirmabant, inquit, Sacerdotes, pollui ferias, si indictis conceptísque, opus aliquod fieret. Prætereà Regẽ sacrorum flaminésque non licebat videre feriis opus fieri. Et ideo per præconem denuntiabant, ne quid tale ageretur: & præcepti negligens mulctabatur: deinde subiũgitur: Vmbro negat eum pollui, qui opus vel ad Deos pertinẽs, sacrorúmque caussâ fecisset, vel aliquid ad vrgentẽ vitæ vtilitatem respiciens actitasset. Scæuola denique cõsultus, quid feriis agi liceret? Respõdit, quod prætermissum noceret. Quapropter si bos in specũ decidisset, eúmque paterfamiliâs, adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse. Nec ille qui trabẽ tecti fractã fulciendo, ab imminenti vindicauit ruina. Vnde & Maro omnium disciplinarum peritus, sciens lauari ouem, aut lanę purgandæ, aut scabiei curandæ gratia, pronuntiauit tunc ouẽ per ferias licere mersari, si hoc remedij causa fieret.

*Marrob. l. 1. Saturn. c. 16.*

*Balantúmque gregem fluuio mersare salubri.*

Adiiciendo enim salubri, ostendit, auertendi morbi gratia tantummodo, non etiã ob lucrum purgandę lanæ caussa fieri concessum. Hæc de festis Marrobius. Virgilij verba hæc sunt: vbi supra.

*Georgic. 1. Virgilius.*

*Quippe etiam festis quadam exercere diebus*
*Fas & iura sinunt. Riuos deducere nulla*
*Relligio vetuit, segeti prætendere sepem.*
*Insidias auibus moliri, incendere vepres,*
*Balantúmque gregem fluuio mersare salubri.* Sic ille.

Rursus ibidem præfatus Macrobius ex Varrone ita refert: Vitabát veteres etiam feriis viros vocare, sicut Varro in Augurum libris scripsit in hæc verba: Viros vocare feriis non oportet: si vocant piaculum esto. Sciendum est tamen, eligendi ad pugnandū diem Romanis tunc fuisse licentiā; si ipsi inferrent bellū. At cum exciperent, nullum obstitisse diem, quominus vel salutem suam, vel publicā defenderent dignitatem. Quis enim obseruationi locus, cùm eligendi facultas non superfit? Hæc ibi. Nec minus Iudæi imo verò longè religiosius, ne dicā superstitiosius, seruabant sabbata ac ferias suas, vt proprius eorum historiograph. Ioseph. l. 14. antiquitatum c. 8. ex Ruffini versione, memoriæ prodidit: Pompeius Hierosolimitanū obsidet templū, machinamenta vel instrumēta bellica à Tyro deportata aggere composito admouēs. Sed si nobis patriū non fuisset, septimis diebus vacare nullatenus aggerem construere Iudeis repugnātibus potuissent. Nam bellantibus & occidentibus resistere lex concedit, si quid verò aliud aduersarij velint facere, nulla nobis datur licentia sabbatis, eos prohibere. Quapropter non certantibus Iudæis, nec manus armantibus, turres erigere, vel machinamenta Romanis licuit fabricare, quibus postero die vtebantur. Vnde potest nostra erga Deū pietas, legísque custodiā cognosci, quod nihil timore obsidionis ad immolādum impediti fuissent, sed secundo in die mane & circa horā nonam super aram immolabant, & neque conflictione belli sacrificium remittebant. Capta tandem ciuitas fuit, Gaio Antonio, & Marco Tullio Cicerone consulibus, hostes templum ingressi cunctos peremerunt: qui sacrificiis occupati, nullatenus sacra ruperunt, putātes melius esse mori, quàm sacrificia imperfecta relinqui. Hactenus Iosephus. Vt autem huic necessariæ digressioni finem quandoque imponamus: Pro cōclusione tenendum est, sabbati violatores, non effugere iustum Dei iudicium, vt in Nicanore patuit, de quo 2. *Mach.* 15. *Nicanor cogitauit die sabbati inferre Iudæis bellum. Dictúmque est ei, Honorem tribue diei sabbati, interrogauit autem, Si est potens in cælo, qui imperauit agi diem sabbathorum? Responsúmque fuit illi. Est Dominus in cælo, qui iussit agi septimam diem. At ille ait, & ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia regis impleri.* Sic ille, Sed funestū impij huius exitum attende. *Nicanoris blasphemi caput & manus abscinduntur, & deferuntur in Hierusalē, linguáque in particulas concisa fuit, & auibus ad deuorandum, data; manus verò contra templum suspensa,* vt ibidē fusius

*Varro in Augurum libris*

*Ioseph. l. 14. antiquitatū Iudaicarum c. 8. Ruffino interprete.*

*2. Mac. 15. c.*

exprimitur.Iam tempus est vt ad textum redeamus. Respondens ad illos dixit. Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet,& non continuò extrahet illum die Sabbathi? Et non poterant ad hæc respōdere illi: Ostendit hîc Christus nihil contra Sabbathi præceptum se fecisse. B.Petrus vult, *vt semper parati simus ad satisfaciendum omni poscenti nos rationem de fide & spe, quæ in nobis est* 1.Pet.3. Christus optimè arguit à minori ad maius. Nam si asino, aut boui iacenti succurritur, quantò magis homini? Congruè animali, quod decidit in puteum, hydropicū comparat, qui à noxio humore peribat. Vnde D.Augustinus to.4. quæstionum Euangeliorū lib.2.c. 29. Congruenter, ait, hydropicum animali, quod cecidit in puteum comparauit, tumore enim laborabat: sicut illam mulierem, quam decem & octo annis alligatam dixerat,& ab eadē alligatione soluebat, comparabat iumento, quod soluitur, vt ad aquam ducatur. Hydropicum autē rectè comparamus diuiti auaro. Sicut enim ille quantomagis abundat humore inordinato, tanto amplius sitit: sic iste, quanto est copiosior diuitiis, quibus non benè vtitur, tantò ardentiùs talia concupiscit. Hæc D. Aug. Quàm multi sunt, qui maiorē iumentorū suorū, quàm animarū suarum curā gerunt! Idcirco B. Bern. hanc calamitatē deploransſic ait: Cadit asinus,& est qui subleuet, perit anima, & non est qui recogitet. Sic ille. Animal eripere festinatis, non illi, sed vestræ auaritiæ consulentes. Quantomagis ego hominē, qui multò melior est oue, debeo liberare? *Et non poterant ei respondere*, quia stulta est,& muta mundi sapientia, corā Dei æterna & incōprehēsibili sapientia. *Ecquis poterit & respondere, cùm ad iudicandum venerit?*

*1. Pet. 3 c.*

*D. Aug. to. 4. li. 2. quæst. Euang. c. 29.*

*D. Bernard.*

*Cum inuitatus fueris ad nuptias, &c.* Non in conuiuio solùm, sed in omni vita, sublimiorem locum,& mundi honores fugere oportet, quia in magnis honoribus, maius periculū, & ex alto, casus longè periculosior est ac ruina. *Saul* 1.*Reg.*10. Electus ad regnum bonus describitur,& cum *ad regnum quæreretur, abscondit se, & delituit, ne regium susciperet diadema.* *Recumbe*, ait Christus, *in nouissimo loco*, Sic. *Prouer.*25. *Ne gloriosus appareas coram rege: & in loco magnorū ne steteris. Melius est enim, vt dicatur tibi. Ascende huc: quàm vt humilieris corā principe.* Sic Sapiens Salomon. *Ne recumbas in primo loco.* Parabolicè dictum,& perinde valet, ac si dixisset: Ne velis, aut cupias, vel ambias honores, & prælaturas, aliisue hominibus præferri. *Saul* 1. *Reg.*9. *Samuels dixisse refertur: Numquid nō ego sum de minima tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin?* Tunc Deus illi per suū Vatē dixit.

*1. Reg. 10. c.*

*Prouer. 25. c.*

*1. Reg. 9. c.*

Ascende superius. *Et fecit illũ caput populi, constituitque illum in primo loco.* Idẽ fecit Dauidi minimo Isai filio, & opilioni, oues in desertopascenti., Vocauit eũ Deus dicens: *Ascende superius & eum regẽ fecit.* Humili Abraham, qui Deo dixerat: *Loquar ad Dominũ meum, cum sim puluis & cinis. Respondit Dominus: faciam te in gentem magnam. Genes. 12. c.* Hic ait Dominus se dicturũ humili, *Ascende superius.* Honor appositè vmbræ assimilatur, Si propriam affectaris vmbram, quò magis properas, magis ipsa fugit, adeò vt nunquam eam consequi possis. Eodẽ modo honor insequentes fugit. Si te in terram prosternas, vmbram, sub te capies. Sic honorem si vis adipisci, humilis esto, & abiice te. Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, concludit hîc Christus, & qui se humiliat exaltabitur; quia superbus primum locum occupat, illi dicitur: Da huic locum, & incipit cum rubore nouissimum locum tenere. Contrà verò, humili qui sedet in nouissimo, dicit Dominus: *Ascende superius.* Hoc est, humiliare eos, qui se exaltant, & vicissim. Nunc de his qui dignitates oblatas recusarunt, quidpiam proferamus. D. Ambrosius, quantum potuit, Episcopatum refugiebat Mediolanensem. Superiorẽ locum non ambiebat D. Augustinus in domo Dei. D. Gregorius, quas latebras nõ quæsiuit, vt summum pontificatum fugeret? Apud Nicephorũ, aliósque historiæ Ecclesiasticæ scriptores legimus, quòd cum B. Ammonius ad regimen populi traheretur inuitus, aurem sinistram fere sibi radicitus secuit, dicens: Lex diuina neminem præcisa aure permittit fieri sacerdotem, Reuersi sunt ergo clerici ac populi ad Timotheum tunc temporis patriarcham: qui Ammoniũ non solum si auribus mutilatus, sed & si naribus truncatus esset, propter sanctitatem ipsius censuit promouendum. Reuertentibus autem illis, & iterum trahentibus virum Dei atque cogentibus, Linguam, inquit meam, propter quam vobis placeo, si me vlterius cogitis, propriis dentibus, amputabo. Et sic tandem sibi relictus est, (vt scribit Petrus Blesensis epist. 124.) Qui ex eo tempore, Ammonius παρώτης quasi aure carentem dicas, cognominatus est (apud Nicephorum. lib. 11. c. 37. Scribit item Petrus Blesensis. epist. 103. versus finem, sic: Legimus, quod Galfridus, Peronensis Claræuallis, prior electus in Episcopũ Tornacensem, electioni nullatenus acquieuit. Qui postea defunctus, & apparens cuidã fratri: inquirenti qualiter ei esset? respõdit: Reuelauit mihi trinitas sancta, quod si suscepissem Episcopatum: fuissem de numero reproborum. Hæc ibi.

*Gen. 18. c.*
*Genes. 12. c.*
*Petr. Blesens. epist. 124.*
*Niceph. li. 11. c. 37.*
*Petr. Blesen. epist. 103.*

*Ioa. Moscus in prato spirituali c.7. ex to.2 Bibl. SS. Patrum.*

Refert quoque Abbas Ioannes Moscus in prato spirituali, c. 7. & habetur, to. 2. Bibliothecæ Sanctorum Patrum, quòd quidam senex sedebat in monasterio Turrium: Patres igitur eiusdem monasterij, ipsum vt magnum, & virtutibus clarum voluerunt sibi constituere Abbatem. Senex verò orabat dicens: Ignoscite mihi Patres, & permittite me flere peccata mea: Ego enim talis meriti non sum, vt possim animarum curam gerere. Negotium istud magnorum & excellentium patrum est, Antonij, Pachomij, sanctique Theodori. Cùm verò fratres illi non acquiescerent, ipsúmque diebus singulis orarent, videns se ab eis nimiùm vrgeri, Dixit eis: Permittite me tribus diebus orare, & quicquid me Deus facere iusserit, faciam. Erat autem Parasceue dies. Dominica verò die manè requieuit. Sic ille. Ità vir Sanctus hac noua & insolita ratione votis eius Domino annuente, oblatæ dignitatis periculum declinauit. Non enim virum sanctum latebat, quàm magna secum pericula sublimis loci dignitas afferret. Notum est illud D. Pauli. Heb.5. Nemo sumit sibi honorē, sed qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aaron. Innumera dici possent super hac vniuersali propositione: Omnis qui se exaltat humiliabitur, & contrà. Verùm, quia aliquàmmulta superioribus concionibus his de rebus à nobis dicta sunt, visum est huic concioni optatum imponere finem. Deum. O.M. rogantes, vt qui humiles exaltare solet, veram nobis ipse largiatur humilitatem, vt tandem per Christum Dominum nostrum, in cœlis post decursum præsentis vitæ stadium, exaltari valeamus. Amen.

# DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

## De mandato magno, & quòd Christus sit Dei filius, nedum Dauidis. Matth. 22. c. *Matth. 22. c.*

*Interrogauit Christum vnus legisdoctor, tentans eum. Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi* IESVS, *Diliges Dominum Deum tuum, &c. Matth. 22. c.*



E mandato geminæ dilectionis, Dei videlicet ac proximi, in superioribus dictum est. Homilia nempè Dominic. 12. à Pentecoste. Quapropter non est cur hac in re longiùs explicanda, diutius immoremur. Verùm enimverò hinc exordiendum duximus, quod grauissima sæpè inter scribas & Phariseos questio fuerit versata, quod esset mandatũ maximũ diuinæ legis? Quibusdam hostias & sacrificia laudantibus, aliis verò fidei & dilectionis opera præferentibus: quandoquidem plurimi ante legẽ sine sacrificiorum consuetudine, ex fide, quæ per dilectionẽ operatur; placuerunt Deo: Nemo autẽ absque fide ac dilectione, per holocausta solùm & sacrificia, Deo placuisse cõperitur Pahrisæi spontaneas oblationes honori parentũ præponebant. *Matth.* 15. Alij Sabbathi religionẽ, & decimarum solutionẽ potissimum commendabant. *Luc.* 18. De Pharisæo. Ieiuno bis in Sabbato, Decimas do omniũ, quæ possideo, &, *Matth.* 23. *Decimatis mentam & anethum, &c. reliquistis autẽ, quæ grauiora sunt legis: Iudiciũ, & misericordiã & fidẽ, hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Non ineptè igitur legisperitus iste à Christo quærit, *quod est mandatũ magnum in lege?* Existimabat Christum statim responsurum: Non habebis Deos alienos coram me, &c. Túncque habuisset argumentũ contra eum, de præcepto charitatis, quia charitas omnium vir-

*Matt. 15. c.*
*Ioan. 18. c.*
*Matth. 23. c.*

tutum maxima est. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* Deus aliis ex rebus, non nisi partem à nobis exigit, at cor integrum & totum: non autem partem cordis nostri postulat: Parte, inquàm, facultatum nostrarum & diuitiarum est contentus, non omnes ex integro & in solidum exposcit. Sed, vt ait Christus, *Luc.11. Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, & Luc.19. Zachæus dimidium bonorum suorum pauperibus erogare proponit*: Ioannis *Item 6.c. Colligi fragmenta iubet Dominus, in pauperum, nimirum, sustentationem.* Sic postulat partem frugum, videlicet decimas, de quibus suprà diximus affatim. Postulat similiter partem temporis, Diem nempè septimum sibi sanctificans, Dominicam, aliósque dies festos ad cultum suum reseruans. At verò ex corde, non solam partem, sed cor integrum sibi exigit, quod sequenti exemplo amplius manifestatur. Refert nostri sodalitij frater Philippus Diez, concione priore ad hoc Euangelium, quòd quidam pater Eremita continuè postulasse à Deo legitur: Vt eum doceret, in quo magis ad æternam salutem consequendam, ipsi placere posset. Ad quē diabolus in Angelum Lucis transformatus, venit: eúmque sic alloquutus est. Oratio tua exaudita est. Egò à Domino missus sum, vt te docerem, si saluus esse vis, tria facere oportere, & illa pro peccatis tuis offerre scilicet, Lunam nouam, & Solis circulum, & quartam rotæ partem, & si hæc tria coniungis, & ipsa Deo offers, saluus eris. Quibus dictis amplius non apparuit. Eremita autem hæc impossibilia reputans, cœpit de salute sua desperare. At verò Deus misericordiâ motus, Angelum Lucis ad eum misit, qui ei sic dixit: Ille qui antea tibi apparuit, diabolus erat, qui teipsum in fraudem, & ad desperationem adducere volens, illa quæ impossibilia videbantur, (licet non sint, si rectè intelligantur) tibi proposuit. Per Lunam nouam hanc literam, C, quæ figura Lunæ præ se fert, intellexit, per Solis circulum, intellexit Literam O, per quartam denique partem rotæ, hanc literam. R. significauit: hæc enim est prima litera huius nominis Rota, quod characteribus quatuor constat. Iunge ergo has tres literas C, O, R, & si, quod dictio ipsa significat, Deo obtuleris: saluus eris. *Ps.50. Cor contritū & humiliatū Deus nō despicies.* Hact.161. Legisse quoque me aliquando apud Thomā Gnalesium, aut, si mauis, Robertum Holkot, in Salomonis prouerbia, satis memini, lectione 12. hoc modo. Narratur de quodam, qui amicum suum absentem sub enigmate voluit salutare. Ac-

*Luc.11.c. & 19.c. Ioan.6.c.*

*Phil. Diez cō.1. ad hanc Dominicam.*

*Psal.50. Thomæ Gnalesij aut Rob. Holkot lect. 12. in Salom. Prouerb.*

cepta ergo scedula, scripsit sic: Mitto tibi cornua Lunæ, Rotunditatem solis,& quartam partem rotæ. Amicus autem componens hæc tria, inuenit has tres literas, C, O, R, hæc ibi: Religio mihi esset, si quidpiam reconditæ eruditionis, quod nostris concionatoribus subseruire posset,prætermitterem. Animaduersione igitur, dignum putaui, quòd in tribus primigeniis linguis,in Christi crucis titulo consecratis, vocabulum trium est literarum, quod Cor significat. Hebraicè siquidem, לבב, Leuab, Græcè: Κῆρ circumflexum, (quod apud Homerum legitur) pro καρδια,Latine autem Cor, pronunciatur, & scribitur, tribus elementis. Quòd vacare mysterio, non est verisimile. Innititur enim, quòd corde integro, seu anima, (quæ tribus facultatibus, siue, potentiis constat, veluti, cor tribus effigiatur literis) Deus est diligendus: Nempe ex intellectu, voluntate, atque memoria, vt tota anima Deo sit consecrata, Vnde Psalmographus. Psal. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Verùm de his nunc quidem dixisse sufficiat. Hoc tantùm obseruandum iudico. Non dixisse Dominum, Deum tuum timebis, (*quod Deut.6. legitur*) verùm. Diliges Dominum Deum tuum, &c. quia diligere plus est, quàm timere. Timere enim ad seruos pertinet, amare autem ad filios. Vnde scriptum est, quia *perfecta charitas, foras mittit timorem.* Breuis differentia legis & Euangelij, inquit Diuus pater Augustinus, Timor & Amor. Nota, quòd sæpè in Euangelio legitur: Diliges, & si diligitis me,&c. at semel tantùm dicitur: *Timete eum, quia potest animam & corpus mittere in gehennam.* Ratio in promptu est. Olim namque Deus vltionum appellabatur. Nunc verò pater misericordiarum.

*Psal.102.c.* *Deut.6.c.* *1.Ioan.4.c.* *D.August.*

*Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Hoc est maximum & primum mandatum. Primum, inquam, ordine, quia primo loco diuini numinis cultus præcipitur in decalogo. qui eius dilectione præcipuè continetur. Ille etenim maximè Deum colit, qui eum super omnia diligit. Dicitur item mandatum primum intentione, quia cætera omnia mandata ad hoc vnum destinantur, vt Deus super omnia diligatur. *Rom. 13. Plenitudo legis, dilectio & 1. Timoth. 1. finis præcepti, siue perfectio & scopus, est charitas, &c.* Est etiam primum dignitate, nam maximum quoque mandatum hîc nominatur. Quartò, Duratione ac perpetuitate primum iure dicitur, fides enim & spes in cœlesti patria lo-

*Rom. 13.c.* *1.Tim.1.c.*

1.Cor.13.c. cum non habebunt, dicente *Apostolo.1.Corinth.13. Cum venerit, quòd perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Charitas autem nunquam excidit.* Non erit ibi fidei obscuritas, cum clara Dei visione. Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nec futurorum spes seu expectatio illic futura est, cum ipsa præsentium rerum possessione, sed charitas ibi maximè perficietur atque consummabitur. Est enim gloria, gratia consummata. Est denique ac postremò mãdatum primum necessitate, quia vt est omnium maximum, ita maximè necessarium est dicente D. Augustino: Charitas diuidit inter filios regni, & perdi-

D.August. tionis.

Secundum simile est huic, Diliges proximum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. Benè apud Euangelicum prophetam scriptum legitur; verbum abbreuiatum faciet Dominus super terram. In Epitomen decalogum hoc loco redegit. Curas alibi abbreuiauit, cũ dixit, *Turbaris (Martha) circa plurima. Porrò, vnum est necessariũ. Luc.10.*

Luc.10.c. Abbreuiauit insuper innumera legis sacrificia, ritus, ac cæremonias, & in septem Euangelica sacramenta reduxit. Obser-

Marc.12.c. ua, quod apud *Marc.c.12.* refertur, hoc modo: *Vnus de scribis interrogauit Christum, quod esset primum omnium mandatum? IESVS autem respondit, Diliges Dominum, &c. hoc est primum mandatum, secundum autem, simile est illi, Diliges proximum tuum. Maius horum aliud mandatum non est. Et ait illi Scriba. Benè Magister in veritate dixisti, quia diligere Deum & proximum, maius est omnibus holocautomatibus & sacrificiis. Iesus autem videns, quòd sapienter respondisset, dixit illi, Non es longè à regno Dei. Et nemo iam audebat eum interrogare.* Sic D. Marcus. Verùm quæstio animum pulsat, Quomodo hîc Matthæus, tentando Dominum interrogasse commemorat, Marcus contrà Scribam non longè à Dei regno abesse asserit, quùm constat eos, qui tentando sapientiam quærunt, hanc inuenire non posse.

Sap.1.c. Ideóque nec cœlesti regno appropinquare posse. *Sap.1. In simplicitate cordis quærite illum quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Responsio. Reuerâ tentaturus Dominum, adiit, & accessit ad eum initio quidem eo animo, vt Christum tentaret: sicut. S. Matthæus disertis verbis loquitur: sed audito Christi responso correctus, ac resipiscens, mox ad pietatis gratiam rediit. Et quem prius tentãdo decipiendum putabat, postmodum amplectendo cognouit esse sequẽdum. Simile quid accidit mi-

nistris Pharisæorum, missis, vt Christum comprehensum adducerent. Interrogati quare non adduxissent? responderunt: *Nunquam sic locutus est homo* (subaudiendum est, *sicut homo iste locutus est*) *Ioan* 7. Piè creditur, quòd scriba iste fuerit postmodum conuersus ad fidem. D. Augustinus to. 4. lib. de consensu Euangelistarum, cap. 73. ita scribit: Nec moueat quòd Mathæus dicit *tentantem fuisse illum, à quo Dominus interrogatus est, Marcus verò concludit, quòd ei Dominus sapienter respondenti dixit: Nō longè es à regno Dei.* fieri enim potuit, vt quamuis tentans accesserit, Domini tamen responsione correctus sit. Aut certè ipsam tentationem non accipiamus malam, tāquam decipere volentis inimicum, sed cautam potius, tanquam experiri amplius volentis ignotum. Neque enim frustrà scriptum est: Qui facilè credit, leuis est corde. Sic ille. Obserua etiam Iudæos tentasse Christum, quoad ipsius potentiam. *signum de cœlo quærentes ab eo.* Quoad ipsius clementiam ipsum etiam tentauerunt, *adducentes & mulierem in adulterio deprehensam. Ioan.* 8. Tentauerunt quoque quoad ipsius iustitiam, interrogantes, *Si liceret cēsum dari Cæsari? Matth.* 22. Similiter & zelum eius erga legem tentando probare voluerunt interrogātes. *Si licet homini vxorem dimittere.* Filij diaboli patrem suum imitantur, Christum ille tentauerat in deserto. *Matth.* 4. Isti pariter Christum multoties tentauerunt, sicut olim patres eorum in solitudine, sicut scriptum est: *Tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea.*

*Ioan.* 7.
*D. Aug. to.* 4. *li* 2. *de cōs. Euang. c.* 73.
*Ioan.* 8. *c.*
*Matth.* 22. *c.*
*Matth.* 19. *c.*
*Matth.* 4. *c.*

Non est necesse hoc loco repetere, quid sit Deum super omnia diligere? Locupletissimū huius rei nobis sancti Martyres exemplum præbuerunt, qui omnia tormentorum genera prius perpeti, quàm fidem semel Deo datā fallere, maluerunt, quàm ab amando Deo desistere ac cessare. Sic septem Machabæorum generosissima parens. Sic in nouo testamento duæ quoque inclytæ fœminæ. Nempe Symphorosa, & Felicitas: dilectionis huius specimen nobis ediderunt, quarum vtraque septem filiorum mater erat, quos ante oculos suos excarnificari, mortémque fortiter oppetere, promptissimo animo passæ sunt; ipsæque simili supplicio vitam profuderunt, magis id eligentes, quàm Dei legem infringere, & dilectionis Dei mandatum violare. Nam si omnia simul perire debeant, aut aliquod diuinæ legis præceptum violandum sit, prius omnia interire, quàm Deum offendere, velle, ac præoptare debemus. Sic de Blancha pientissima, D. Ludouici Regis nostri parente, Sermone primo de eo-

*Indocus Clithou. ser. 1. de S. Ludouico.* dem S. Ludouico refert Clithoueus, quod crebrò illud ei verbum inculcaret: Mallem fili chariſſime, te mortem ſubire temporalem, quàm quòd vnico peccato mortali tuum offenderes creatorem. Quod piæ matris verbum, vſque adeò alto infixit animo filius optimus, vt præſeruante illum diuina gratia per totum vitæ ſuæ curriculum, ne vllum quidem mortiferi criminis contagium contraxiſſe dicatur. Quod ſane inſigne eſt priuilegium & pauciſſimis indultum fuiſſe legitur mortalibus. Sic ille. Obſeruatione dignum viſum eſt illud. *Deuter 6. Audi Iſraël, Dominus Deus noſter,* *Deut. 6. c.* *Deus vnus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Erúntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, Dormiens atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum, in manu tua, erúntque & mouebuntur inter oculos tuos, ſcribéſque ea in limine & oſtiis domus tuæ.* Sic ibi. Quæ verba, (vt annotat Paulus Fagius ad Thargum, ſiue, Paraphraſim Onkeli Chaldaïcam) Iudæi membranæ puræ inſcripta, corio implicant, ligántque intra Cæſariem & frontem, & ſiniſtrum brachium. Deinde eadem vetuſtiſſima traditione quotidie legunt, neque quicquam vſpiam eſt, ex omni lege mutuatum, quod æquali religione dignentur. Agnoſcunt etiam Hebræi, hoc præceptum eſſe ſummam omnium præceptorum, vnde dicunt: Tota lex comprehenditur in eo, vt diligas Deum, ex toto corde, ex tota anima, &c. Sic ibi. Ecquis vnquam rem aliquam tot verbis, tot ſignis commendauit? ait Ludouicus Granatenſis Conc. 1. ad hoc Euangelium. Quot enim verba, tot aculei, ac velut mallei cuiuſdam ictus ſunt, quibus hic veluti clauus magis ac magis in imo cordis noſtri figeretur. Satis enim verbum illud eſſe videbatur: Erunt verba hæc in corde tuo. Occupata enim hac cordis ſede, res in tuto loco poſita erat. In hac enim propheta gloriabatur ſe legem Domini condidiſſe, dicens: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Pſalm. 118.* Adiecit tamen, *Et narrabis ea filiis tuis* Nec hoc contentus, addidit etiam.

*Paul. Fag. in paraphr. Chal. Deut. 6. c.*

*Lud. Granatenſ. Conc. 1. ad hoc Euāg.*

*Pſalm. 118.*

Meditaberis in eis ſedens in domo tua. Neque hoc ſolum exigit cum domeſtica quies ad meditandum opportuna eſt: ſed in ipſo etiam itinere conſtitutus, pe-

dibus quidem viam ingredi, animo autem hanc legem meditari debebis. Et quasi hoc parum esset, addidit aliquid mirabilius: *Dormiens ac consurgens.* Quis vnquam tale exegit obsequium, vt ne somni quidem tempore, ab officio vacarent homines? Et quidem his nihil addi posse videbatur. Habuit tamen spiritus ille cœlestis, quid post somnum & vigiliam adderet: signa videlicet ac memoriæ adiuncta: *Ligabis*, inquit, *ea quasi signum in manu tua*: Et perinde atque hoc longius distaret ab animo: Erunt, inquit, & mouebuntur ante oculos tuos, vt semper excitent animum tuum, ac postremò, *Scribes, ait, ea in limine & ostiis domus tuæ, vt ingrediens & egrediens, tacitum concionatorem in prospectu habeas, qui hæc ipsa tibi identidem inculcet & repetat.* Quæso te vir sancte, arcanorum Dei interpres, qui cum Deo facie ad faciem (sicut homo cum amico suo) loquebaris; quid in hac Dei lege videbas? quam tot ac tam variis modis animis nostris infigere curabas? Nimirum aliis oculis videbas, quid summæ illi, & immensæ maiestati debebatur. Videbas quomodo multis nos illi beneficiis astricti essemus, quàm magna & stupenda amatoribus Dei proposita essent præmia, quantáque rursum neglectoribus supplicia. Et perinde, ac si hæc ipsa oculis conspexisses, ita clamabas, vrgebas, instabas, quo videlicet tam frequenti eorumdem verborum repetitione, torpentia hominum corda, ad tantæ rei magnitudinem attolleres & excitares. Hæc ille non potest homo se à diligendo Deo legitimè excusare. *Diligam te Domine fortitudo mea*: ait regius vates. Cùm enim D. Patre Augustino teste, homo conditus sit, vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, & amando possideret, an non reciperet ille in vano animam suam, qui Deum summè ac super omnia non diligeret? *Psalmus 23. qui non accepit in vano animam suam, hic ascendet in montem Domini.* Frustrà alioqui creatus videtur, qui animam, quam à Deo accepit, & animæ potentias viresque interiores, nō applicat & exhibet Dei obsequio & seruitio, cuius rei gratiâ potissimum conditus est homo ad Dei imaginem, vt illum summo prosequatur amore, & debito cultu reuereatur: Si Deus hominum salutem in Eleemosinis constituisset, quomodo pauperes, quibus facultates, quas erogent, desunt, salutē sibi polliceri, vel sperare possent? Si in ieiuniis salutem posuisset,

*Psalm. 17.*
*D. August.*
*Psalm. 23.*

debiles ac infirmi, saluari non possent. Si in eruditione ac scientia, literarum expertes, rudes ac ignari, ad salutem non pertingerent. Si in virginitate, quid facerent coniugati? si in paupertate, in quo sperarent diuites? hoc modo quamplurimi à felicitate exclusi remanerent. Verùm ab amore, quis poterit vnquam excusari? Quis legitimè excludetur? Omnes te diligere possunt, Domine, docti ac indocti, diuites ac pauperes, paruuli & magni, iuuenes & senes, viri ac mulieres, cuiuscunque status fuerint, & ætatis. Amare ad omnes pertinet. Nullus infirmus est, nullus senex, nullus pauper ad amandum Deum. Velit & poterit. Diceret aliquis se non posse ieiunare, non posse vniuersas facultates suas pauperibus elargiri, non posse ad templum conuenire, & facile verbis eius fides haberetur. Nunquid verò potest dicere, non possum amare? quis fidem adhibeat dicenti? *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi. Psal.* 115. Creatori meo debeo vitam, quam ab eo gratis accepi. Redemptori meo eandem debeo, qui animam suam pro me in cruce posuit, Gubernatori meo, qui me pascit à iuuentute mea, *qui est spes*

Psal. 70. *mea, à iuuentute mea, & de ventre matris meæ protector meus.* vitam ipsam etiam debeo, quam beneficio eiusdem etiamnum possideo, Iustificatori clementissimo, & præmiatori magnifico, qui gratiam confert, & gloriam rependet, quid retribuere possim? *Non sunt certè condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Rom.* 8. *Iugum Domini, profectò suaue est, & mandata eius grauia non sunt* Non præcipit Deus factu difficilia, vel minus onerosa: Non quod li-

Matth. 11. & 1. Ioan. 5.c. beros interficiamus, velut olim crudeles & sæui dæmones cultoribus suis mandabant: sicut scriptum est, *Immolauerunt filios & filias suas dæmoniis.* Non quod nos crudeliter tractemus: Quid verò iubet Dominus & exigit à nobis? *Deuter.* 10. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua*, &c. Non abs te aliud petit, præter amorem. De Magdalena pœnitente scriptum est: *Luc.* 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Multas fudit lachrymas, beata illa pœnitens, magna cura & sollicitudine Christum requisiuit in domo Pharisæi accumbentem: Diligenter animæ suæ salutem negotiata est, non protraxit, distulitue conuersionem, non in futurum pœnitentiam remisit, non fuit otiosa in conspectu Domini, quæ sacros

eros ipsius pedes vnxit, lachrymis suis rigauit, capillisque suis tersit. Hæc interim omnia bona opera, remissionem peccatorum obtinere non sufficiebant, absque diuino amore. Idcirco meritò dictum fuit sibi à Christo. Remittuntur tibi peccata tua, quia dilexisti multum. *Diliges item proximum tuum, sicut teipsum.* huc accommodabuntur verba Domini. *Matth.7. Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Et Tob.4. quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Nulla honestior æquiórue lex ferri potuit, istâ: *Dilige proximum, sicut teipsum.* Scribit Ælius Lampridius in Alexandro Seuero Imp. Siquis, inquit, de via in alicuius possessionem deflexisset, aut fustibus subiiciebatur, aut obiurgationi, quum ille diceret: visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? Clamabátque sæpius, quòd à quibusdam siue Iudæis siue Christianis audierat, & tenebat: quę per præconem, quum aliquem emendaret, dici iubebat: *Quod tibi non vis (sub.fieri) alteri ne feceris.* Quam sententiam vsque adeò dilexit, vt & in palatio, & in publicis operibus præscribi iuberet. Sic ibi. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde.* Per exteriora opera non placatur Deus, nisi interiorem ornatum charitatis habeamus. *Ex toto corde,* id est, ex toto intellectu, vt nullum in confessione diuinitatis relinquas locum errori. *Tota anima,* id est, voluntate, vt nihil & contrarium velis; *Tota mente,* id est, memoria, nihil reminiscens, quominus de eo sentias sicut oportet ac decet, ne scilicet vagus ac profugus tanquam Cain à facie eius fugias. Patet igitur, quòd intellectum seu rationem suam, & voluntatem, atque memoriam Dei dilectioni debet impendere Christianus, vt in Dei dilectione exhibeamus intellectum sine errore, voluntatem sine contrarietate, memoriam sine obliuione. Non autem diligunt Deum ex toto corde, qui iuxta eum Dagon, id est, amorem mundi, vel carnis collocant. Quoad dilectionem proximi, hoc memoriæ mandabis carmen:

*Quæ tibi non faceres, aliis fecisse caueto:*

Vulgare exemplum est contra duplices, qui fictè diligunt, & nunc vni, nunc alij adhærent, quod aues habuerunt bellum contra bestias, & vespertilio, *gall. vne chauue souris*) modo cum bestiis, modo cum auibus stabat, secundum quòd vincebant, & succumbebant. Tales sunt amici fortunæ. Nos autem, fratres non in duplicitate, sed in veritate proximos diligamus. Diligamus, inquam, Deum propter

*Matth.7.c.*
*Tob.4.c.*
*Lamp. in vit. Alex. Seuer.*
*Apologus de vespertilione.*

se, & proximum propter Deum. Et quia hanc dilectionem
*D. August.* à nobis habere non possumus. Dicamus cum beato Augustino. Domine, da quod iubes, & iube quod vis. Ipse enim ignem dilectionis venit mittere in terram, & desiderat, vt in cordibus nostris ardeat. *Deus* etiam, teste Theologo
*1. Ioan. 4. c.* Ioanne, *charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Deus, tres personæ. In anima tres potentiæ: quas hic textus explicat, tota mente, scilicet, voluntate, memoria. Non satis est Deum intelligere, nisi ames, nec amare, nisi eius semper sis memor. Nam nullum est momentũ, in quo non eius bonitate fruaris, nec ergo sit, in quo non eius memoria replearis. Duo sunt charitatis præcepta: Dei, & proximi, in his tota lex pendet. Merito igitur vidua duo æra mittens, omnes facultates misit. *Luc. 21.* Meri-
*Luc. 21. c. & c. 10.* to stabularius ad sanandum vulneratum, duos denarios *accepit*: *c.* 10. Meritò duos dies Dominus apud Samaritanos
*Ioan. 4. c.* versatur, vt eos charitate firmaret. Binario enim numero, cum aliquid boni significatur, maximè bipartita charitas commendatur, (ait in Ioannem D. pater Augustinus, explicans paralytici. 38. annis decumbentis, allegoriam. *Ioan.* 5.

*D. Aug. in S. Ioannem.* *Diliges D. D. T. toto corde*, id est, ex toto intellectu *ex tota anima*. i. ex totá volũtate, *ex tota mẽte*, hoc est, ex tota memoria. Hoc mãdatum, ait Paulus de Palacio *in Mat. 22* maximũ
*Paul. de Pal. In Matth. 22. c.* est, maximè à Deo requisitum, maximè à nobis curandum, maximè in cœlo coronandum, si impleatur, maximè in inferno puniendum, si negligatur. Maximus Deus, maxima affectio amor. Maximum mandatum, sine quo reliqua, parua; Imò sine quo, secundum Apostolum ipsa maxima, nihil sunt. Nam si dedero facultates pauperibus: tradidero corpus vt ardeat, an non hæc maxima? at sine maximo manda-
*1. Cor. 13. c.* to, adeo non sunt illa maxima, *vt nihil sint.* 1. *Cor.* 13. Contrà verò, quæ minima sunt, cum maximo mandato, maxima redduntur. Calix aquæ frigidæ, ex dilectione, res maxima est, siquidem ipsum meretur cœlum. *Matth.* 10. O verè alchimicum aurum: quod quicquid tangit efficit aurum. (*Galli, la pierre philosophale, appellare vulgò solent.*) O verè vita virtu-
*Matth. 10.* tum, sine qua nulla virtus viuit. Ex toto corde, &c. Ego dicerem, hos esse gradus amoris; Primus est incipientium, Secundus proficientium, Tertius perfectorum: Nam si è corde tuo nulla exeat mala cogitatio, nec furtum, homici-
*Matth. 15. c.* dium, &c. *Matth.* 15. tunc diligis ex toto corde. Totum cor

Deo, nullam eius partem vitio concedens. At vbi contendis nihil aliud cupere, nisi Deum: tunc diligis ex tota anima, Animam Deo nō alio plenam habere laborans. Sed vbi ascendisti ad perfectionem spiritualem, vbi cor & caro defecerunt in salutare Dei, tunc purus diligit spiritus. Tunc diligis ex tota mente, fortitudine, viribus. Tunc fastidio sunt omnia temporalia, *renuit anima in alio consolari, quàm in Deo. Psal. 76.* *Psalm. 76.*

*Et proximum tuum sicut teipsum.* Si quem offendisti, exoratum eum vis, vt tibi cōdonet. Igitur, si ab aliquo offensus, exorari te permitte, vt etiam remittas. Si pauper es, velles tibi donari, dona & tu pauperibus. Sit æqua lanx. Aliis da, quod ab aliis cupis. Alioqui vsurarius es, qui plus requiras, quàm dederis. Nihil igitur grauius hæc lex imponit, quàm illud, Quòd tibi ab aliis vis, id tu aliis velis. Sic de Palacio, vbi supra.

Benè proximum diligendum mandat Dominus: Contra eos, qui canes, simias, equos, & bruta animalia in delitiis habent, & maiore prosequuntur amore, quam pauperes, Christi membra, & eiusdem secum naturæ consortes: similes diuiti epuloni, qui ciues quamplurimos domi alebat at præ foribus iacentem Lazarum, absque vlla commiseratione & humanitate, dimittebat, prorsúsque negligebat. Similes item Pharisæis, quos conuincit (Christus vt in superioribus explicauimus) maiorem iumentorum suorum curam gerere, quàm hominum. Perbellè huic proposito accommodabitur, quod Plutarchus in Pericle, ipso statim exordio, de Cæsare refert his verbis. *Plut. to. 1. vitarum in Pericle, initio.*

CÆSAR, quum peregrinos fortè quosdam vidisset Romæ diuites, qui canum catulos in gremio, & simiarum circumferebant, atque in deliciis habebant, Anne fœminæ, quæsiuit, apud eos, non parerent pueros? Sanè quam digna principe admonitione vsus apud eos, natiuam, qui nobísque insitam charitatē & indulgentiam effundunt in bestias, hominibus debitam, non bestiis. Sic Plutarchus.

Eo sunt ingenio, erga pauperes inhumani, truces, atque crudeles, vt brutas animantes teneriùs diligant, quàm homines, accipitres, & venaticos canes, magnis sumptibus alere, malint, quàm fame pereuntibus panis frustulum impartiri. Viscera impiorum crudelia, ait Sapiens *Prouer. 12.* Et hæc quidem admonuisse nunc suffecerit. Aliàs longè plura de charitate in pauperes diximus. Ad contextum iam reuertamur. *Prouer. 12. c.*

*Interrogauit eos IESVS dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Ait illis, Quomodo ergo Dauid in Spiritu vocat eum dominum, &c.* Duas proposuit Saluator quæstiones, neutri responderunt Iudæi. Cum disputauit de baptismate Ioannis, tacuere præ timore turbarum, ne aut capetentur, aut lapidarentur. Huic secundæ quæstioni non respondent etiam: quia ignorabant scripturas prophetarum, quæ diuinitatem Messiæ prædocebant, cum vera humanitate, ex semine Dauidis generata subsistente in vna eademque persona diuina verbi Dei. Obserua verbum illud substantiuum præsentis temporis. EST. Cuius filius est? Non dicit, Cuius filius erit? Rem existentem demonstrat, cum dicit, Est, iam adest. Iam est filius Dauidi: non in scripturis illi repromissus tantùm, sed iam reuera Dauidis filius est, completa promissione & iureiurando.

*Matth. 21.c.*

*Quid vobis videtur de Christo? Sic, Matth. 16.* Apostolos sciscitatur, & interrogat: *Quem dicunt homines esse filium hominis? Rursus, vos autem, quem me esse dicitis?* Tota enim salus hinc oritur: si rectè de Christo sentias. Narrat pater historiæ, Herodotus, lib. 3. post principia, quomodo Cambyses Prexaspem Persam, quem præcipuo honore prosequebatur, interrogasse fertur, Quemnam virum Persæ me esse censent, aut qualem de me sermonem habent? Et iste ei respondisse; Here, cætera quidem omnia in te magnis laudibus ferunt, sed nimis te vino deditum, aiunt esse. Hæc Prexaspes de Persis respondit. Quibus ille indignatus, siccine, inquit, Persæ me aiunt vino deditum desipere, nec mentis esse compotem? Ergo in eo quod prius dixerunt non veri fuere. Nam Senatum Persarum (cui intererat Cræsus) aliquando interrogarat Cambyses, qualis ipse videretur esse vir ad patrem Cyrum adæquandum? Et illi responderant, eum patre esse præstantiorem, qui & omnia illius haberet, & Ægypti ac maris accessionem adiecisset. hæc quidem Persæ dicebant. Sed Cræsus, qui aderat, displicente ei quæ dicebatur sententia, ad Cambisem inquit, Mihi tu quidem Cyro genite, non videris adæquandus esse patri: Nondum enim tibi est filius qualem ille te reliquit. Hoc audito Cambyses delectatus, Crœsi sententiam approbauit. Quorum nunc reminiscens ad Præxaspem iratus, inquit. Intellige nunc ipse per te. Nunquid Persæ vera dicant, an hæc dicentes ipsi desipiant. Nam si filij tui, qui in vestibulo stat, medium cor non frustrato ictu percussero, constabit nihil

*Matth. 16.c.*

*Herod. lib. 3. ante media.*

esse, quod Persæ dicunt: Sin aberrauerò, constabit Persas vera loqui, & me esse intemperantem. Hoc locutus, intendit arcum, puerúmque percussit: atque eum collapsum iussit discindi, & inspici ictum. Qúumque in corde sagitta esset inuenta, ob id lætabundus, atque cachinnans, ad patrem pueri, inquit, Præxaspes, facta est tibi fides, non me insanire, sed Persas. Verùm nunc mihi dicito, quemnam ex omnibus hominibus jam noris ita ad destinatum emittere sagittas? Præxaspes hominem aduertens esse vesanum, & in ipsum quoque insanientem, Here, inquit, ego ne Deum quidem arbitror tam probè iaculari. Et tunc quidem hoc perpetrauit. Hactenus Herodotus. Ex quo constat, Monarchas quosdam, primoresque viros, audiendi, quid de illis dicatur flagrare desiderio: Percontarique non rarò solere, quid alij de ipsis sentiant. Rogasse verò magnâ modestiâ Christum, hîc & alibi. Quid vobis, inquit, videtur de Christo? Cuius filius est. In quem locum Paulus de Palacio supra citatus, sic annotauit. Potuítne grauior quæstio hominibus proponi? Si enim dicas, solius Dauid, En tibi æterna damnatio. Si dicas, solius Dei æterna item damnatio. Si dicas Dei, & Dauid, beatus eris, si id cum Simone Barjona confitearis. An non super hac quæstione totus orbis dimicat? Mauri, Iudæi, Indi, super hoc vnico verbo digladiantur. Et equidem iure duobus maximis mandatis, quæstio hæc adiuncta est: vt intelligamus Christum, filium esse Dei & hominis, & hoc vnicum nos ad Dei & hominis dilectionem accendat. Quis enim non amet Deum propter hominem, hominem factum, & hominem, qui ex Dei vnióne, sit ipse Deus? Si quia Deus lucem habitat inaccessabilem & inuisibilem, amare eum negligebas, en inuisibilis visibilis factus est. Si hominem (vt vilissimum) amare dedignabaris: En Deo homo vnitus est. Est igitur filius Dei Christus, & filius Dauidis, vt Dei & hominis amorem à nobis extorqueat. Sic ibi. Talem eis interrogationem proposuit Christus, quæ eo tacente ostenderet eis Christum non modò hominem esse, sed etiam Deum.

Dicunt ei Dauid. Non reprehenduntur, quia Dauid filium dicunt, sed quia Dei filium non credunt. Siquidem Christus, Dominus Dauidis est, Deus ante tempora manendo, & filius Dauid apparuit, homo in temporum fine nascendo. Quinetiam cæcus ille Dauid filium confitendo,

meruit ſanitatem, & pueri clamantes, Oſanna filio Dauid, præcelſæ prædicationis gloriam Deo deferebant: Sed reprehenduntur, quia non credunt filium Dei. Optimè Petrus de Chriſto interrogatus, reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. *Matth.* 16. hominem pariter & Deum confeſſus.

*Dixit Dominus Domino meo, &c. Dauid in Spiritu ſancto loquens de Chriſto Dominum ſuum, ipſum ſe profitetur agnoſcere dicens: Dominus, nimirum, Deus Pater, dixit Domino meo, id eſt, Chriſto*, quod ſi tantummodo filius eius eſt, quomodo vocat eum ſuum Dominum, præſertim, quum non niſi poſt plura ſecula foret naſciturus? Nobis filius poteſt eſſe, qui poſt nos futurus eſt, Dominus autem nobis eſſe non poteſt, niſi qui aut nobiſcum, aut ante nos eſt. Chriſtus autem ſecundum carnem, poſt Dauidem eſt, ſecundum diuinitatem autem, ante Dauidem. Ergo illum ſignificabat Dominum ſuum, qui iam tunc erat, videlicet vnigenitus filius Dei. Itaque ſicut Dauid in ſpiritu Chriſtum fore filium ſuum præcognouit, ita etiam eodem ſpiritu ipſum ſibi futurum Dominum præuidit.

*Sede à dextris meis, &c.* Sedere ad dexteram Dei, vno modo accipitur, pro æqualitate, & conſubſtantialitate. Et ſic Chriſtus, ſecundum quod Deus, ſedet ad dexteram. Alio modo eſt eſſe in potioribus bonis, & hoc modo conuenit Chriſto ſecundum humanitatem, qua, vt ſic, in gloria præeſt Angelis.

Obſerua, temporibus Chriſti dubium non fuiſſe Scribis & Phariſæis, quin Pſalmus iſte, intelligendus eſſet de Meſſia, alioqui enim habuiſſent, quod Domino reſpondiſſent: at poſteri Iudæi variis modis conati ſunt, & adhuc conantur Pſalmum hunc nobis eripere, in hoc laborantes, vt de Meſſia oſtendant non intelligendum, vt fuſiùs poſtea dicetur.

Quomodo Dauid vocat eum Dominum? Q. d. vos creditis Meſſiam eſſe naturalem Dauidis filium. Probè creditis, propter illius humanitatem, quam ex ſacratiſſima virgine Deipara Maria, ex proſapia Dauidis accepit. Verùm, non modò illius filius eſt, ſed & verus Deus & creator, quod hoc patet ſyllogiſmo.

*Qui alicuius eſt Dominus, eius eſſe filius ſolùm carnalis nequit,*

*Sed Chriſtus, eſt Dominus Dauidis:*

*Ergo eius esse filius solùm carnalis nequit.* *Psal.109.*
Vocat autē Dauid Christum seu Messiam Dominum suum. *Psal.* 109. *q. d.* Cùm secundum naturam humanam sit filius Dauid, per consequens eo inferior, Oportet igitur necessariò in Christo ponere, aliam naturam, per quam sit Dominus Dauidis, & eo superior. Hæc autem est diuina. Igitur in Christo duæ sunt naturæ, & vna persona.

Obserua quoque, quàm firmum argumentum elicit ex hac sententia D. *Paulus, Heb.* 1. ad comprobandam diuinitatem filij Dei, Iesu Christi Domini nostri, nēpe ex his verbis: Sede à dextris. *Ad quem, inquit, angelorum dixit aliquando Deus, Sede à dextris meis?* Seraphin stant in circuitu eius, vt ministri, vt serui; filius autem, vt Dominus & hæres sedet, non iuxta scabellum patris tremendæ maiestatis, sed, ad dexteram patris, quippe qui est ὁμούσιος, id est, consubstantialis patri, de cuius vtero, ante luciferum genitus describitur. 4. versu: Ex vtero ante luciferum genui te. Habes ergo solidum testimonium, ex Christi authoritate, eiúsque Apostoli Pauli, quòd hic Psalmus Messiæ quadret, & proprio quodam iure ei conueniat, quod clarè agnouerunt Pharisæi, alioqui enim in promptu responsio erat: Non de Christo, sed de alio quodam Psalmum conscriptum fuisse. Vanissima ergo est recentiorum Iudæorum, & modernorum Rabinorum, ad hunc Psalmum interpretatio, qui de Abraham, aut etiam de Ezechia falsò & perperam exponunt hæc verba: Dixit Dominns Domino meo, sede à dextris meis, &c. *Heb.1.c.* *Psal.109.* *Isa.6.c.*

D. Hieronymus præsenti loco ita scribit: Iudæi confingunt vernaculum Abrahæ, cuius fuit filius Damascus Elizer, ex ipsius, inquam persona, conscriptum fuisse Psalmum, quod post cædem. 5. Regum Dominus Deus Domino suo dixerit Abrahæ: Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos, &c. Quos interrogemus, Quomodo quę sequūtur Abrahæ conueniant? Ex vtero ante Luciferum genui te, & Tu es Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech cùm pro Abraham Melchisedech obtulerit panem & vinum, & à quo decimas acceperit, & Abrahæ benedixit, *ex Epistola ad Hebræos, & sacra Genesi.* Sic Diuus Hieronymus. Antiquissimus scriptor *Tertullianus libr.* 5. in Marcionem ita etiam scribit: Necesse est defendam eas scripturas, quas & Iudæi nobis auocare conantur. Dicunt deniq; hunc Psalmum *Dixi Dominus Domino meo*, in Ezechiā cecinisse, Dauidem, quia is sederit ad dexteram templi, & hostes eius *D. Hieron. præsenti Euang.* *Tertullian. lib.5. aduersus Marcionem.*

4. Reg. 12. c. auerterit Deus & absumpserit: Propterea igitur & cætera, *Ante luciferum ex vtero generaui te. in Ezechiam conuenire*, & in Ezechiæ Natiuitatem. (sub. oportebit.) Euangelia proponimus nocturna natiuitate declarantia Dominum, vt hoc sit, ante Luciferum, & ex stella Magis intellecta, & ex testimonio angeli, qui nocte pastoribus annunciauit natum esse cum maximè Christum, &c. Sed nec generaui te, dixisset Deus, nisi filio puero. Nam etsi de toto populo ait, filios generaui, sed non adiecit, ex vtero. Cur autem adiecit ex vtero, tam vanè, qua aliquis hominum ex vtero natus dubitaretur, nisi quia curiosius voluit intelligi in Christum? Ex vtero generaui te, id est, ex solo vtero, sine viri semine, carni deputans ex vtero Spiritus. Et de ipso Christo sequitur, Tu es sacerdos in æuum. Nec sacerdos autem Ezechias, nec in æuum, etsi fuisset. Secundum ordinem, inquit, Melchisedech. Quid Ezechias ad Melchisedech, altissimi sacerdotem, & quidam non circumcisum, qui Abraham circumcisum, iam accepta decimarum oblatione benedixit? At in Christum conueniet ordo Melchisedech, quoniam quidem Christus proprius & legitimus Dei antistes, præputiati sacerdotij Pontifex (tum in nationibus constitutus, à quibus magis suscipi habebat) cognituram se quandoque circumcisionem, & Abrahæ gentem, cum vltimo venerit accceptatione & benedictione dignabitur. Hactenus Tertullianus.

*Dauid in spiritu vocat eum Dominum, &c.* Dauid nequaquam illo furioso Apollinis spiritu actus, sed placidissimo veri Dei numine afflatus, cecinit: *Sicut & Spiritu sancto afflati, locuti sunt sancti Dei homines*, vt Apostolorum vertex

2. Pet. 1. c. literis consignauit. Non proferam hoc loco, Rabinorum falsas ac detortas interpretationes, quorum aliqui, vt suprà attigimus, quia fit mentio de Melchisedech, de Abraham exposuerunt, alij aliter. Quæ dissentio declarat eos, nihil certi habuisse. Thargum Ionatham sic habet:

*Biblia regia, quatuor linguarū Plātino Architypographo.* Dixit Dominus: Verbo suo. Reuocandum est ad memoriam, quod turba dicebat: nos audiuimus ex lege, quòd Christus manet in æternum. Erat enim propagata fama Christum esse sempiternum Dei filium: Non tum cùm natus est corporaliter.

*Ioan. 12.* Sede à dextris, id est, conregna, secundum quod homo, esto in potioribus meis bonis. Donec, id est, æternaliter sede, sicut æternaliter ponam inimicos tuos, siue

volentes siue nolentes tibi subiectos. Vtrumque erit æternum & sessio, & subiectio. Sedebis & imperabis semper. Imò tunc maximè cognoscitur sedisse, cùm posuerit inimicos sub pedibus. Sic donec perpetuitatem significat. *Sede à dextris meis* Certum est Deum, corporis expertem purissimúmque, neque stare propriè, neque sedere, nihil etiam habere dextrum nihil læuum, vt per sessionem ad dexteram, locus quidam corporeus significari valeat. Græci magna ex parte dexteram interpretantur, gloriam & honorem diuinitatis, in quo filius ante secula, vt Deus, & patri ὁμοούσιος, semper extitit. Itaque sedere ad dexteram patris, nihil aliud esse sentiunt, quàm simul cum patre obtinere diuinitatis gloriam, ac potestatem, Regum more, qui filios ad suos thronos euehunt, suæque gloriæ & maiestatis consortes faciunt. D. Basilius cap. 6. lib. de Spiritu sancto interpretatur, Dextrum locum significare dignitatis æqualitatem, & statum æqualitatis vt ibidem repetit, eò quòd dextrum hîc non accipiatur corporaliter, ad istum enim modum fortassis & sinistrum aliquid in Deo possit esse, sed honorificis verbis ac præsidentiam declarantibus, filij maiestatem sermo nobis commendat. Sic Magnus Basilius. S. Ioannes Damascenus lib. 4. de orthodoxa fide. cap. 2. non dissentaneè aut dissimiliter exponit, dicens: A dextris Dei & patris sedere dicimus Christum corporaliter (quod sic interpretor, quod non solum vt Deus, sed etiam vt homo, propter identitatem hypostaseos, gloriam & honorem habet super omnia.) Verum non localem dexterá patris dicimus. Quo pacto enim, qui incircumscriptus est, localem habeat dexteram? Localis enim dextera & sinistra, eorum quæ circumscribuntur existunt. Dexteram igitur patris, intelligimus gloriam & honorificentiam deitatis, in qua Dei filius ante secula existens vt Deus, & patri consubstantialis, in nouissimis temporibus incarnatus est, & corporaliter sedet conglorificata carne eius. Adoratur enim vna adotione cum sua carne ab omni creatura: Grecè sic: δεξιὰν δὲ τοῦ πατρὸς λέγομεν τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν τῆς θεότητος. Sic Damascenus. Vtroque verò antiquior & vetustior D. Athanasius, in quæstionibus ad Antiochum principem. qu. 78. De gloria Christi. Postquam tertia die resurrexisset, ait, consedit ad dexteram Dei. Dexteram verò Dei, cùm audis, ne loca, vel figurarum positiones circumscribe. Dextrum enim & sinistrum, sunt finitorum, quæ describi possunt:

*D. Basilius lib. de Spiritu sancto c. 6. ad Amphilochium.*

*Damascenus lib. 4 de orthodoxa fide cap. 2.*

*D. Athan. l. qu. ad Antiochum principem q. 78.*

Deus autem increatus est, & infinitus: cui nulla ascribi forma, & qui nec ipse circumscribi queat. Dexteram verò Dei, quando audieris, maiestatem Dei, & gloriam intellige. Sic illi. Latini, Sedere ad dexteram bifariam interpretantur. Qui sequuntur D. Augustinum confessum huiusmodi iudiciariam potestatem vniuersorum ipsi à patre collatam, exponunt. Metaphorâ à præsidibus sumpta, qui pro tribunali ad ius dicendum sedere consueuerunt. Vnde D. Augustinus l. 1. de symbolo ad Catechumenos, ca. 7. sessionem istã dilectissimi, non accipiatis humanis membris positam, tanquam pater sedeat in sinistra, vt filius sedeat ad dexteram, sed ipsam dexteram intelligite potestatem, quam accepit homo ille susceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicãdus. Sic ille. Idem lib. 3. vbi supra cap. 7. Hoc quòd filius dicitur sedere ad dexteram patris, demonstratur, quòd ipse homo quem suscepit Christus, potestatem acceperit iudicantis. Hæc D. Augustinus. *Ioan. 5. potestatem dedit ei Iudiciũ facere, quia filius hominis est.* Huc referendum, quòd dicit Christus: *Math. 26. videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli:* (Scilicet ad iudicium) Formula hebraica sedere, idem quod præsidere, dominari, regnare. 1. *Cor. 15. Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus.* Item, ex D. Augustino, lib. 1. de symbolo c. 4. vbi supra. Beatitudo, dextera patris vocatur. Ipsius beatitudinis nomen, est dextera patris. Vnde desumitur hæc interpretatio, quam recentiores Theologi, ad vnum ferè omnes, sequuntur: Sedere ad dexteram patris, est potioribus frui bonis siue gloria ac beatitudine post Deum maxima. Quòd dextera, pars sit corporis potior melior & nobilior. Ac humano more nequeat alter alterum sibi charissimum maiori honore afficere, aut euidentius aliis omnibus anteponere, quàm si ipsum ad dexteram suam asciscat, & sibi à latere faciat, vt olim Iosephum Pharao in sacra Genesi. Hanc ob caussam Christus sedet ad dexteram, quoniam ex donorum cõmunicatione, quam fieri potuit copiosissima, cuncta bona, quibus illius humanitas inter omnes res auditas excellit, possidet, vnde, quâ etiam homo, angelis dignior est, authoritate maior, felicior, beatior, omnibus virtutibus & donis cumulatior, vt proinde nulli angelorum dictum sit aliquando; *Sede à dextris mei: Heb. 1. Et Ephes. 1. constituens Christum ad dexteram suam in cœlestibus, suprà omnem principatum & potestatem & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nomina-*

*D. August. l. 1. de symbolo ad catechumenos cap. 7. Item l. 3. c. 7. Ibidem to. 9.*

*1. Cor. 15. c. D. Aug. l. 1. de symbolo c. 4. vbi sup.*

*Heb. 1. c. & Epes. 1. c.*

*tur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro.* Quæ si vniuersa in vnum colligantur, palam erit quod Græcorum expositio est secundum diuinam naturam. Latinorum verò, secundum humanam: Græci ad dexteram, hoc est, in dei æqualitate ac cõsubstantialitate esse. Latini autem, ex D. Augustino, ad dexteram sedere, hoc est, potestate iudiciaria, & bonis secundum Deum maximis perfrui, interpretari solent. Sic dexteræ nomine tria intelligi possunt; vel, secundum Damascenũ, gloria diuinitatis, vel secundum Augustinum, beatitudo patris, aut etiam, eodem interprete, Iudiciaria potestas. Vnde sedere ad dexteram patris, nihil aliud est, quàm simul cum patre habere, gloriam diuinitatis, & beatitudinẽ, & iudiciariã potestatem, & hoc regaliter, *Prou. 20. Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* 7. Christus secundum quòd Deus, per æternam scilicet originem, sedet ad dexteram patris, quia patri æqualis & *ἰσόθεος*, eidem consubstantialis. *Ioan. 10. Ego & pater vnum sumus.* Et secundum quod homo, hoc illi conuenit, quia ipsa humana natura in Christo, est beatior cæteris creaturis, & super omnes alias creaturas, habens regiam & iudiciariam potestatem. Sic secundum quod Deus, sedet ad dexteram patris, id est, in æqualitate patris. Secundum autem quod homo, sedet ad dexteram patris, id est, in paternis potioribus bonis, præ cæteris creaturis, hoc est, in maiori beatitudine, & habens iudiciariam potestatem. Si attendas vnitatem suppositi, eodem honore veneramur & adoramus ipsum filium Dei, cum natura assumpta, eodem inquam, cum patre. Hæc à D. Thoma, in 3 parte, q. 58. magna ex parte mutuatus, sum, *ad Philipp. 2. omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus, in gloria est Dei patris.* Ipsi cum patre æterno, & spiritusancto, in trinitate perfecta, sit sempiterna gloria. Tribus, inquam, honor vnus. Amen.

*Prou. 20. c.*

*Ioan. 10. c.*

*D. Thom. 3. parte q. 58.*

*Philip. 2. c.*

# DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

## De paralytico à quatuor viris portato, ac per tegulas cum lecto submisso. Matth. 9. c.

*Ascendens* IESVS *in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam & ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns fidem illorum, dixit paralytico: Confide filj remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. Mar. 2. & Luc. 5.*

*Math. 9. Mar. 2. Luc. 5. c.*



ER Nauiculam, quam Christus conscendit, pulcherrimè Sancta adumbratur & insinuatur Ecclesia, Nec simpliciter loquēdo Christus indiget naui. Sed nauis hæc indiget Christo. Quoniam sine gubernatore cælesti, Ecclesiæ nauis, per hoc mare magnum, pérque tot discrimina rerum, ad cœlestem portū non valet peruenire. Quod Christus sit gubernator, nemo ambigere valet, quippe *qui dominatur potestati maris, motum autem fluctuū eius ipse mitigat*, vt ait Regius vates: *Cui venti & mare obediunt.* Vt in Euangelio scribitur. Extra hanc nauim, salus est nulli, vt meritò nobis dictū esse intelligamus, *Nisi in naui manseritis, non poteritis salui fieri.* Vnde & per arcam Noë figurata fuit, extra quam omnes diluuio perierunt. *Genes.* 17. De nauis mysterio, siue, Allegoriâ quamplurima in sacris Decadibus nostris, Sabbatho post cineres, scripsimus; hîc Analogiam, siue mauis correspondentiam, nauiculæ cum Ecclesia, solùm proponemus, ad sequentia progressuri. Conformitatem nostrarum Ecclesiarum cum naui, eleganter ac graphice depingit Blasius de Vigenere scriptor gallicus, ex recen-

*Act. 27. e. Gen. 7. c. Sacræ Decades authoris.*

tioribus minimè proletarius, cuius verba hîc appoſui: *Le* *Blaiſe de Vi-*
*grand portail plat de l'Egliſe repreſente la pouppe d'vne barque: & genere au*
*l'autre bout qui s'en va appointuſant vers l'autel, la proue, les traicté de la*
*eſguilles des clochers, qui s'eſleuent deſſus le comble, les mats des naui- penitence, &*
*res, les croix, les antennes, les chordes, dont on tire les cloches, les cor- de ſes parties,*
*dages pour dreſſer & bander les voiles, comme il ſe peult apercevoir fol. 131.*
*fort diſtinctement és grands Domes ou Baſiliques, telles que noſtre*
*Dame de Paris, de Rheims, & ſemblables, & finablement le coq*
*perché tout au haut de la croix, ramentoit le myſtere de l'abnegation*
*du prince des Apoſtres. Ainſi nos Egliſes ſont façonnées ſur la naſ-*
*ſelle de ſainct Pierre. Dont les ſouuerains Pontifes de Rome vſent*
*en leur cachet ſecret (ſub annulo piſcatoris) parce que ce chef des*
*Apoſtres, eſtant peſcheur de ſa premiere profeſſion, depuis pour ſa*
*ferme foy & creance, la principauté de l'Egliſe icy bas, luy auroit* *Fol. 132. pag.*
*eſté decernee, & à ſes ſucceſſeurs apres luy au S. ſiege.* Rurſus, qui- *2. & 133.*
buſdam interpoſitis, ſubiungit præfatus ſcriptor: *On peult*
*dire que la forme de nos Egliſes, tenant de celle des nauires. Dont* *Lexicon Græ-*
*la nef auroit pris ſon nom, en Grec, ναὸς. qui ſignifie temple, & na- cum.*
*uire.* Hic obiter ex Lexico Græco obſeruò, quod ναὸς ὁ, tem-
plum ſignificat: &, Ναῦς τῆς ναὸς, vel νεὼς, τὴν ναῦν, nauem
propriè deſignat) *procede de l'Arche ou du Carracon de Noé, la-*
*quelle repreſentoit l'Egliſe, & ſur ſon modelle fuſt deſpuis baſty le*
*temple de Salomon, bien que d'vn plus petit volume, le tout ſelon les*
*meſures & proportions du corps humain, comme met S. Auguſtin ſur*
*Geneſe: Car les nauires & les Egliſes ont beaucoup de conformité,*
*auec luy. Et de faict la teſte qui s'en va en reſtreſiſſant au ſommet*
*ſe rapporte à la proue, & à la partie anterieure du cœur: le corps*
*à la nef: & les deux bras à la croiſee, les deux iambes, aux bancs des*
*vaiſſeaux, & aux deux allees, & paſſages, qui ſont de coſté & d'au-*
*tre, qu'on appelle la petite nef: & les pieds, dont la plante eſt plat-*
*te, à la pouppe, & au portail, l'vn & l'autre mouſſes. Oultre-plus*
*ceſt' arche du deluge, auoit trois eſtages, dont celuy d'enhault, de-*
*ſtiné pour la reſidence du Patriarche & de ſa famille, ſimboliſoit à*
*noſtre chef, auquel conſiſte le cerueau, ſiege & domicile de la par-*
*tie ratiocinatoire, & intelligible, auec les ſept ſouſpiraux des cinq*
*ſentimens, autant qu'il y auoit d'ames humaines auec luy: Le ſe-*
*cond eſtage, où eſtoyent diſtribués les animaux, denotoit la partie*
*qui eſt en nous, du col iuſques au Diaphragme, où ſont ſitués le*
*cœur, poulmon, foye, & autres inſtruments de la faculté animale.*
*Et le troiſieſme, à ſçauoir la ſentine receptacle des immondices du*
*vaiſſeau, le ventre, où ſe reduiſent les excremens du boire & man-*

*gr: Somme que l'arche & le temple estoyent formés sur le patron de nostre corps, & luy sur l'exemplaire de l'vniuers, dont il est dict le petit monde.* Hucusque Vigenerius. Quod si Germanis, multa purè germanica suis in scriptis Latinis interserere licet. Si Hispanis item Latinè conscribentibus, paginas ferè integras, lingua eorum vernacula exaratas permiscere conceditur, cur & gallicam, nostram maternam linguam, quæ nulli vulgari Idiomati cedit, nobis non liceat Latinæ ac Romanæ sociare linguæ, ac in scripta Latina (cum se locus & occasio offert) gallicas sententias, velut emblemata quædam, conferre, ac eleganter accommodare? Æqui igitur boníque consules, candide lector, si nos non ita frequenter, ac passim, sed cum delectu gallicam linguam vsurpare videris, & Gallica quandoque Latinis permiscere. Nunc ad textum pergamus.

*Venit in ciuitatem suam.* Capharnaum nos intelligere debere, authoritas Euangelij secundum *Marcum cap.* 2. cogit, quia miraculum hoc in Capharnaum esse factum manifestat. Non quia illic vel natus esset, vel nutritus, sed quoniam ibidem postquàm in deserto 40. ieiunauerat diebus habitauit: *Math.* 4. *Successit Iesus in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capernaum maritima in finibus Zabulon, &c.* Vnde facilè suspicor ab impiis quibusdam ac male feriatis, hominibus dicam, an belluis? aduersus Verbi Dei, Zelosos concionatores, (in ipsius Christi, qui in Capharnaum delegit sibi domicilium, ac mansionem, odium) prolatum fuisse conuitium. *Caphard.*

*Math. 4, c.*

Vt sicut Iulianus Apostata Christum blasphemando vocabat Galilæum, & Christianos per ludibrium item appellabat Galilæos. Sic & isti viros pios *Caphards*, quasi Capernaitas cognominare audeant: quasi hæc contumelia in Christum regeratur, quia ipse in Capharnaum habitarit, & Capharnaum Christi ciuitas, ab Euangelista hoc loco nominetur. Iure verò in eos retorqueatur Capernaitarum cognomentum. Quia enim impij sacramentarij, qui de veritate carnis Christi in Eucharistia hæsitarunt, in Capharnaum incepisse in Euangelio *Ioannis cap.* 6. referuntur ac memorantur, inde factum est, vt negantes realem Christi in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, & sacrificio præsentiam, Capernaitæ meritò agnominari possint. Et hæc quidem obiter dicta sint.

Neque alienum est, eam alicuius hominis ciuitatem appellare, in qua is sedem & domicilium habeat: Sic D. Antonium nostri ordinis, Paduanum appellamus, quia Patauij siue Paduæ diutius fuerit commoratus, quamuis Vlissipone in Lusitania ortus fuerit.

Nota, quòd Bethlehem, locus est natiuitatis Christi. Nazareth autem conceptionis, & educationis ipsius: At Capharnaum conuersationis eius quasi peculiare domicilium, non quòd in ea proprium quidpiam habuerit, vel in quo caput reclinaret, sed quia ibi principalem sibi delegisset habitationem.

Capharnaum autem Metropolis Galilææ erat. Vnde omnium qui de Galilæa erant, ciuitas dicebatur, & specialiter Christi, quam non nascendo in ea, sed virtutibus illustrando, suam fecerat. Et ne grauissimorum interpretum, scriptorúmque, super hac interpretatione, exponendo ciuitatem Christi esse Capharnaum, defici auctoritate videamur: Age, Chrysostomum, eiúsque abbreuiatorem Theophilactum in medium proferamus.

Prior *Homilia 30. ex cap. 9 Matth.* Propriam, inquit, hîc ciuitatem eius, Capernaum appellauit, Bethlehem enim ipsum tulit, Nazareth educauit, sed Capernaum perpetuum ipsius erat habitaculum. Paralyticus certè hic, non est ille de *quo Ioannes fecit mentionem.* Nam ille apud piscinam Hierosolymis iacebat, hic in Capernaum: & ille triginta & octo annis laborauit, de hoc verò nihil tale adscriptum est: Præterea, nullos ille habuit ministros, hunc adferri ad Iesum ministris videmus. Ad hæc, *Confide fili*, dixit huic, *remittuntur tibi peccata tua.* Illum verò interrogauit, *An vellet sanus fieri?* Accedit, quòd in sabbato illum curauit. Hunc verò non in sabbato. Nihil enim tale hîc accusare Iudæi videntur.

*Chrys. homil. 30. ex cap. 9. Mathei.*

*Ioan. 5, c.*

Postremò post hoc signum tacuerunt Iudæi, post illud importuni persequebantur. Hæc non ociosè dixi, sed nequis vnum eundémque putans esse, dissonantiæ miracula Euangelio afferat. Postmodum subdit: *Videns*, inquit, *fidē eorum*: Et paralyticus ipse nisi credidisset, demitti profectò non voluisset. Sic Chrysostomus. Cui subscribit Theophylactus, ita scribens. Suam ciuitatem Capernaum dicit, illic, enim habitabat. Bethlehem enim peperit, Nazareth educauit, Capernaum præbuit domicilium. Paralyticus autē ille, alius

*Theoph.in c.* est, quàm is, qui apud Ioannem. Ille enim erat in probatica
*9. D. Mat.* piscina in Hierusalem, hic autem in Capernaum. Et ille quidem non habuit hominem, hic autem à quatuor portatur, sicut Marcus dicit: & per tectum demittitur, quod à Matthæo prætermissum. Hæc ille. Obserua, quòd iste baiulabatur à quatuor viris misericordia. Vix vnus, imò nullus inuentus fuit Hierusalem, qui alteri paralytico, vel ad horam inseruiret, & ministraret: *Ioan.5. Hominem non habeo*, dicebat ille. In Capernaum autem quatuor inuenti sunt baiuli, item, qui damnum denudationis tecti suæ domus pro salute proximi libenter ferat. *Nudauerunt tectum*, ait alter Euangelista, auferendo tegulas, & aliquot tabulas siue asseres, pro
*Ioan.5.c.* lecti magnitudine, & vt infimum cautè demittere possent ante Dominum Iesum. Mirabilis deuotio & fides, horum omnium. Talis est ac tanta, vt certè locum habuerit apud Christum, non solùm ad corporis valetudinem, per miraculum egregium, sed etiam ad remissionem peccatorum paralytici.

*Videns fidem illorum, &c.* Nota, quòd merita Dauidis etiam defuncti, Ezechiæ viuo patrocinantur. 4. *Reg.* 20. vt disertis verbis aureum eloquentiæ flumen protulit, Pauli conuersionem, D. Augustinus, protomartyris Stephani precibus non dubitauit ascribere. Quidam sanctus Episcopus D. Augustini conuersionem è Manichæorum errore, lachrymis
*4. Reg. 20. c.* assiduis ac feruentibus D. Monicæ precibus, (matris ipsius
*D. Chrysost.* D. August.) tribuere non diffidit, vt in libris Confessionum
*D. August.* eiusdem August. scriptum continetur. Fides & oratio Chananææ filiam à dæmone obsessam liberauit: *Mar.7. propter hunc sermonem, vade, exijt dæmonium à filia tua.* Centurionis fides paralyticum ipsius seruum sanauit: *Matth.* 8. Ecclesiæ matris fides, in baptismo infantibus sufficit ad salutem, qui alieno peccato in Adam peccauerant. Sic tamen aliorum suffragiis niti debemus, vt otio non torpeamus, sed aliorum precibus nostras orationes etiam adiungamus. Pro
*Marc.7.c.* Chananæa discipuli obsecrarant quidem, charitate excitati,
*Math.8.c.* sed oratio ipsius plurimùm valuit & tandem obtinuit. Ne simus sicut fatuæ virgines, quæ in otio vitam transigentes imminente mortis hora, ad prudentes pro oleo confugerunt, & tandem exclusæ sunt, ac repulsam passe. *Date*, inquiebant, *nobis de oleo vestro; quia lampades nostræ extinguntur.*
*Mth.25.c.* *Math.25.*

D. Cy-

D. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 5. illuminatorum. De fide. Ita obseruat. Non solum qui credit saluatur. Verùm aliis credentibus alij saluantur, siue seruantur. Non erat fidelis ille paralyticus in Capernaum, sed qui ferebant illum, illi credebant. Et ne putes me illum accusare, Euangelium dicit: Videns fidem non illius, sed fidem illorum. Mortuus Lazarus, quomodo potuit credere? Sed quod defuit mortuo: hoc per germanas sorores completum est. *Si credideris*, (ait Dominus Marthæ.) *videbis gloriam Dei*. q. d. Debes huic mortuo reliquum fidei replere. Sic ille. Nota interim. D. Cyrillum non excludere istius paralytici fidem, licet debilem ac infirmam. Quod autem dicit; Non erat fidelis ille paralyticus, &c. intellige, de perfecta ac solida fide, & non nutante confidentia. Erat namque infirmus in fide iste paralyticus. Quinimò hortatur Dominus, vt amplius ille confidat dicens: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, &c. Nisi paralyticus credidisset, demitti sese, non fuisset, ait Chrysostomus suprà citatus. Accedit quòd filium eum Christus vocauit. In quo ostenditur hunc propria fide nedum aliena salutem consecutum. *Ioan.* 1. *Dedit potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius*, &c. Remissio peccatorum non datur alicui adulto, sine propria fide, dicente Augustino. Qui fecit te sine te, non iustificabit te, sine te, &c. Licet sanitas, corporalis detur alicui propter alienā fidem. Ergo istud. Videns fidem illorum, non solum ad portatores siue portitores & latores, paralyticum hunc deferentes, verumetiam ad eum qui portabatur, referendum existimo. Non enim excluditur fides ægri.

*D. Cyril. catechesi 5. Illuminatorum.*

*Ioan. 1. c.*

*D. August.*

At emergit dubitatio non modica. Quomodo remissio peccatorum tribuatur fidei illorum, cùm sit verisimillimum huius paralytici baiulos, de impetranda peccatorum remissione nihil cogitasse, nihilque sollicitos fuisse? Respondeo, in offerentibus & ægro fuisse implicitam fidem consequendæ remissionis peccatorum. Etsi de ea fortè, nihil actu cogitauerint; Eoquòd crederent Dominum, posse cuncta sanitatis corporalis impedimenta tollere, inter quæ erant & peccata: atque crederent ipsum esse Christum, qui promissus erat fore Saluator, à peccatis hominum. *Math.* 1. *Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum, à peccatis eorum*, &c.

*Math. 1. c.*

*Confide fili,&c.* Non sine ingenti consolatione filium vocat
2.Cor. 1.c. 2.Cor. 1.c. Pater *misericordiarum*, *&* Deus *totius consolationis.*
Diuina institutione formati audemus dicere: *Pater noster,*
Ephes. 2.c. *qui es in cœlis*, *&c.* *Ephes.* 2. *Diues in misericordia.* Nemo proinde cum reprobo Cain, dixerit, *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Cum proditore ac desertore Iuda nemo desperauerit. Ille enim plus Christum offendit despondendo, & in desperationis barathrum se precipitem dando, quàm cruci suffigendum, hostibus suis capitalibus, prodendo atque tradendo. Clamat Christus, iubétque, vt benè speremus, ac confidamus, qui ad veniam suscepit, nec gremium, sinúmve suæ clementiæ clausit Pœnitentibus: Magdalenæ, Petro ac Paulo. Latroni, ac publicano, Mattheo teloneario, Zachæo vsurario, & similibus benè de Christi pietate confidentibus.

*Remittuntur tibi peccata tua*, *&c.* Priùs Dominus huic ægroto, salutem animæ quàm corporis tribuit. Hinc conuenientissimè colligitur, nemini in corpore salutem Christum dedisse, quin simul animam eius sanaret, *qui totum ho-*
Ioan. 7.c. *minem sanum fecit in sabbatho: Ioan.* 7.c. Intellige, de iis, qui obicem non posuerunt. Salutem verò spiritualem Christus non dabat, nisi habenti fidem, atque dispositionem. Nam vt Theologi docent, ad iustificationem peccatoris adulti, requiritur propria fides, & propria, dispositio. Ob hanc causam Dominus huic paralytico dixit: Confide fili; remittuntur, &c. quasi actum illius fidei postulans, quia, vt
Heb. 11.c. Apostolus: *Hebr.* 11. scribit: *sine fide impoßibile est placere Deo.* Potuisset verè dicere, Confide fili: Ego remitto tibi peccata tua, &c. Sed maluit modestius loqui ac dicere: Remittuntur tibi peccata tua, &c. Ne circumstantes æmuli acerbius ferrent, grauioréque ira succenderentur. Obserua tegulas ablatas fuisse, vt paralyticus submitteretur: Cùm enim illi, qui eum portabant, propter confertissimam turbam, quæ domum circumsedebat, sistere illum ante Dominum minimè possent, tantus erat salutis amor, vt noua ratione excogitata, scalis admotis supra tectum ascenderint; tegulísque & asseribus sublatis paralyticum in lecto iacentem magno labore ad supera loca sublatum, funibus demissum, ante Dominum Iesum posuerint, nihil morantes Domini domus iniuriam, cuius tectum perfoderunt, nec eorum periculum, qui subtus erant, animaduerterunt: nec

*Ludouicus Granatensis Conc. 2. præsentis Dominicæ.*

quod erat grauius) concionantis Domini sermonem intercidere, seu interrumpere, veriti sunt, hæc enim omnia impedimenta flagrans salutis amor superauit. O si tanto studio animæ suæ homines, quanto corporis salutem quærerent! Quid enim non faciunt, vt corporis saluti prospiciant? Quas opes non profundunt? Quibus se laboribus non addicunt? Et quid non tandem eius rei gratia perpetiuntur? Si ob hoc enim ad longinquas terras peregrinandum sit, peregrinantur haud illibenter, vel grauatè. Si corpus diuturna inedia extenuandum sit, extenuant: si à solitis voluptatibus atque deliciis abstinendum fuerit, abstinent: Si ferro & igne atque incisionibus opus fuerit, ferrum patiuntur & ignem, vt corporis dispendio, maius redimant eiusdem corporis dispendium. Quæ igitur insania est, cum morituri corporis gratiâ tam multa facias, nihil propter immortalem animam pati? Cùm tam multis partibus anima corpori præstet, quæ dementia est, omnem curam ac studium in tuenda corporis salute ponere, nullam verò omninò huius diuinæ partis rationem habere? Fateor nulla esse verba, nullam dicendi vim, quæ huius tantæ cæcitatis indignitatem (qua maxima humani generis pars laborat) pro meritis valeat explicare. Hactenus Ludouicus Granatensis, Dominicanus. Conc. 2. Huius Euangelicæ Lectionis. Quæ quatuor versibus elegantissimis complexus est Ouidius libro primo de remedio amoris, dum ita cecinit. *Ouidius lib. 1. de remedio amoris.*

*Vt corpus redimas, ferrum patiaris, & ignes:*
*Arida nec sitiens ora lauabis aqua.*
*Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis.*
*At pretium pars hæc corpore maius habet.*

Sic ille. Credibile est hunc paralyticum diuitem locupletémque fuisse, qui tot habuerit gerulos siue portitores. Alius enim paralyticus in piscina eò paupertatis deuenerat, vt hominem non haberet, qui eum post aquæ motionem demitteret in piscinam. Pauper solus in grabato iacet, ab omnibus destitutus. At diues cum infirmatur, à multis inuisitur medicis & amicis. *Ioan. 5. c.*

Pauper autem derelinquitur, similis Ægyptio illi, Amalechitis cuiusdam seruo seu mancipio. *Solus relictus est, cum*

*ægrotaret, & à Domino suo destitutus: atque mortuus fuisset*
1. *Reg.* 30. *c.* *fame, nisi David ei subuenisset.* 1. *Reg.* 30. *c.* Tritum est illud:
*Poëta.* *Paupertas laudatur & alget.*

Considera, quòd quamuis tegulæ de tecto tollerentur, & terra deorsum caderet, nullum tamen strepitum tanta auditorum turba excitauit, sed quietè concionem Domini audiuit, At, ô tempora, ô mores! Nos vel sola musca in concionibus inquietos reddit, & attentionem impedit. Vide, amabo, quomodo Christus patienter hos tulit! Nec stomachatur vel succenset, videns concionem interrumpi, sed potius baiulantium fidem probauit, ac de miseria huius viui cadaueris lecto affixi, compassionem se habere reipsa demonstrauit. Illum etenim omnibus numeris perfectè
*Psal.* 102. sanum effecit, vt meritò Domino iste cum Dauide. *Psalm.* 102. *concinere debeat: Benedic anima mea Domino, &c. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Magnam, sanè, Domini clementiam, ac pietatis abundantiam hìc admirare: Non hic peccatorum remissam ac veniam seu indulgentiam inquirebat, sed morbi curationem, expetebat summis votis, non tam animæ, quàm corporis, salutem exposcebat, pro qua impetranda venerat. Verùm Domini benignitas hìc relucet, qui merita supplicum excedit & vota, vt in Ecclesiastica oramus collecta, & sicut Diuus scribit Apostolus: *Ephes.* 3. *c.* *Potens est Deus facere, supra id quod petimus, aut intelligimus, &c.* Plus namque ille conferre solet, quàm illum rogemus. Vt præsenti confirmatur exemplo. Paralyticus etenim tantùm sanitatem corporis quærebat, sed Dominus animæ salutem illi largitus est, quam non petebat, aut de qua fortasse tunc minimè cogitabat. Sic patriarcha Abraham, postulauit, vt Ismaël viueret, & præter hoc, Isaac filium de Sara coniuge sua ei concessit. Salomon sapientiam à Domino postulauit, cui diuitias etiam quas non petebat, adiecit. Manasses peccatorum veniam poposcit, & vltra hoc, in regnum illum Dominus restituit. Regi Ezechiæ non tantum sanitatem reddidit, sed etiam quindecim vitæ annos ei addidit.

*Collecta Ecclesiastica.* *Ephes.* 3. *c.*

Præclarum est, *quod* 4. *Reg.* 3. *scribitur, quomodo Ioram rex*
4. *Reg.* 3. *c.* *Israël & Iosaphat rex Iuda, & rex Edom, contra Moab ducentes per desertum Idumææ exercitum, cum aqua deficeret exercitui, conuenerunt ad Eliseum, vt Dominum deprecaretur, pro aqua obtinenda. Facite, inquit ille, alueum. Alueus iste replebitur*

*aquis. Parum est hoc in conspectu Domini, insuper tradet Dominus Moab, in manus vestras.* Sicque victoriam de hostibus, nedum aquam, illis repromisit, & concessit. Latroni à dextris pendenti, sibique memoriam in posterum petenti, adiecit & in præsenti regnum cœlorum dicens: *Hodie mecum eris in Paradiso, &c.* Luc. 23. c. Attende etiam medici prudentiam, qui morbi causas intelligens, eas rescindere imprimis studuit. Remota enim causa, remouetur effectus, iuxta vulgatum axioma: *Sic Ioan.* 5. Ioan. 5. c. alteri paralytico, *Noli*, ait, *amplius peccare, ne deterius tibi contingat*, morbum ob peccata illi contigisse significans. Frequenter siquidem morbos ac alias calamitates propter hominum scelera solet Deus immittere. Rectè itaque huic à Christo dicitur: *Remittuntur tibi peccata tua, &c.*

O si tanto studio animæ salutem homines, quanto cor- 4. Reg. 5. c. poris valetudinem prosequerentur! Naaman Syrus longinquam suscepit peregrinationem, è Syria in terram Israël profectus, vt à corporis lepra curaretur, Et huius paralytici baiuli, multos exantlarunt labores, vt in lecto Christo istum sisterent, quatenus à paralysi, inueterato morbo, curare dignaretur. Nos verò, de animæ salute nullam gerimus curam. Nonne anima, plusquàm corpus? Nonne spiritualia potius curanda essent, quam corporalia? Verùm præposterè corpus curamus, de anima nihil, aut parum admodum solliciti. *Quid prodest homini,* inquit Christus, *si vniuersum mundum lucretur, Animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?*

*Quidam ex scribis dixerunt: Hic blasphemat, &c. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Si Dominus dixisset: Deprecabor Dominum meum, vt tibi remittantur peccata, non visus fuisset arroganter loquutus, neque propter hoc blasphemiæ eum accusassent. At quia vim verborum Christi optimè perceperunt, scilicet, quòd secundum imperium tanquam verus Deus dimittebat peccata, hinc in cordibus suis dicebant: quàm nouam vocem profert, quam neque Moyses, neque Aaron, neque quispiam veterum prophetarum ausus fuit proloqui? Nimirum iste sibi vendicans autoritatem diuinam, contumeliosus est in Deum, ac blasphemus. Solus Deus præstare potest & conferre, quod hic pollicetur. Legerant namque. *Isa.* 43. Isa. 43. c. *Ego Deus, qui deleo iniquitates tuas, &c.*

Verùm inter hæc notandum est, potestatem dimittendi peccata (quam clauem regni dicunt) tripartitam esse. Est enim clauis authoritatis, & est solius Dei. Est item clauis excellentiæ, estque solius Christi hominis. Est denique clauis ministerij, quam habet sacerdos, minister Dei,& Ecclesiæ. Deus quidem authoritatiuè peccata dimittit. Nam gratiam & gloriam dabit Dominus, Peccatores iustificat, supremam ille habet Dimittendi peccata potestatem: At Christus quatenus homo est, tanquam is, qui pro peccatis satisfecit, nostræque salutis pretium persoluit, clauem excellentiæ habet. Est enim *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Qui peccata nostra pertulit, in corpore suo super lignum*, vt
*D. Pet. prioris epist. c. 2.* Apostolorum columen dixit. Meritoriè ille peccata dimittit.

*Ioan. 20. c.* Ministerialiter autem sacerdos peccata remittere etiam potest. *Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Hæc est clauis ministerij. Lazarum à mortuis rediuiuum Apostolis dedit Dominus soluendum, vt disertis verbis
*D. August.* celeberrimus Ecclesiæ doctor Augustinus, profitetur, in
*Decades authoris.* Decadibus nostris citatus, innuens potestatem soluendi presbyteris esse contraditam. *Math. 18. Quæcumque solueritis*
*Math. 18. c.* *super terram, erunt soluta & in cœlo, &c. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Hîc obserua, Christum trifariam suam ostendisse diuinitatem. Videndo nimirum cogitationes eorùm, sanitatem corporalem solo iussu, in momento largiendo, comprobando item per hoc se habere potestatem dimittendi peccata. Quàm pulchrè ac verè dictum est! Testimonia tua credibilia facta sunt, non parùm, sed, nimis, id est, valdè. *Funiculus iste triplex difficilè rumpitur.* Soli Deo facere miracula competit. Vnde Psalmographus. *Qui facit*
*Psalmograp.* *mirabilia magna solus. Solus Deus peccata dimittit. Isa. 43. c. Solus Deus scrutatur corda & renes. Psalm. 7. & Ierem. 17.*
*Ps. 7. & Ier. 17. c.* *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. 3. Reg. 8. & 2. Par. 6. 1. Reg. 16. Homo videt ea quæ patent, Deus autem in-*
*3. Reg. 8. c. & 2. Paral. 6. c.* *tuetur cor. Psal. item 43. Nonne Deus requiret ista? Ipse enim nouit abscondita cordis.*

*1. Reg. 16. c. & Psal. 43.* Obserua interim, non esse euidens argumentum diuinitatis, vtcumque cognoscere cogitationes cordis humani. Potest namque propheta cognoscere secreta cordis per diuinam reuelationem, sicut in Samuele. *Videtur 1. Reg. 9. Omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.* Dixit ille Sauli,

quærenti aſinas patris ſui. At cognoſcere per ſeipſum huiuſmodi cogitationes arcanas. efficax vtique argumentum eſt diuinitatis. Chriſtus igitur Deum ſe comprobauit, quia virtute propria videbat hominum cogitationes. quod ſignificantiſſimè, *ex D. Marco capit. ſecundò, colligitur. Scribæ dixerunt. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Quo ſtatim cognito, IESVS ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe, dicit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris?* Nota ſedulò, ſpiritu ſuo, ſuo, inquam, non alieno ſpiritu cognouit cordium arcana. Prophetæ non ſuo, ſed diuino, quorundam cogitationes videre potuerunt, veluti Eliſeus, & Daniel, in veteri inſtrumento, ac Diuus Petrus in nouo, abſcondita & ſecreta multa perſpecta habuerunt: Furtum Giezi, & ea, quæ in conclaui Regis Syriæ proponebantur in deliberationem. Somnium Nabuchodonoſor, eiúſque interpretationem. Ananiæ & Saphyræ coniugis fraudem: Et ſapiens, *cogitationes hominum, & quæcunque ſunt abſconſa didiciſſe*, ait, *omnium enim artifex docuit eum ſapientia. Sapient.* 7. Mitto quòd de Elia iam ab hominibus tranſlato, Hebræorum chronologia maior aſſeuerat, quod quale ſit paucis hîc repetam. Allatæ ſunt Regi Ioram filio Ioſaphat literæ ab Elia Propheta, in quibus res ipſi euenturæ ſcribebantur, nimirum de cœlo, nam iam ſeptem erant anni, ex quo Elias reconditus diſparuerat. Sic in Chronolog. cap. 17. Ex quo liquidò conſtat non latuiſſe illum, quæ in terra Iuda gererentur tametſi longo locorum interuallo ſeu intercapedine à terra diſſitus remotúſque foret. Nunc pergamus ad reliqua.

*Mar.2.c.*

*Sapient.7.c.*

*Chronol. Hebræor. maior, cap.17.*

*Vt autem ſciatis, quia filius hominis, habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. (tunc ait. Paralytico) Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, &c.*

Vigilanter hîc attēdendum eſt. Chriſtum efficaciter comprobaſſe, ſeu dimittendi peccata habere poteſtatem. Confirmaturus, quod neque blaſphemiam dixiſſet, neque diuinam authoritatem vſurpaſſet, cùm verus eſſet Deus de Deo: venit ad miraculum ſupra omnem naturæ facultatem. Inefficax eſt enim tota natura ad inſtantaneam paralytici curationem, ita vt poſſit ſuper humeros ſuos ſtatim grabatum ſuum tollere, qui iamdudum quaſi viuum cadauer iacebat paralyticus. Sic enim Sedulius, lib.3. carminum cecinit:

*Ecce aderant viuum portantes iámque cadauer*
*Bis bina ceruice viri, lectóque cubantem*
*Vix hominem, cui vita manens sine corporis vsu*
*Mortis imago fuit, resolutáque membra iacebant,*
*Officiis deserta suis, fluxósque per artus*
*Languida demissis pendebant vincula neruis.*
*Hunc vbi virtutum Dominus conspexit egentem*
*Robore, peccatis primum mundauit ademptis,*
*Quæ generant augmenta malis, miseróque iacenti*
*Surge, ait, & proprium scapulis attolle grabatum.*
*Inque tuam descende domum; nil iussa moratus*
*Cui fuerat concessa salus, vestigia linquens*
*Tandem aliena, suis lætatur vadere plantis,*
*Vectorémque suum grata mercede reuexit.*

Sic Christianus ac elegans Poëta.

*Vt sciatis*, ait, *quòd filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.*

*Solus Deus dimittit peccata. Filius quoque hominis habet potestatem dimittendi peccata: Ergo idem Deus, & filius hominis est.*

Cogitare poterāt Christū dixisse remittūtur tibi peccata, non autem dixisse, surge & ambula, quia illud valde facile est dicere, nec statim reuincitur verùmne an falsum dixerit, qui id protulerit, cùm peccatorum remissio ad animam pertineat, quæ sub sensum non cadit, & quæ circa ipsam fiunt non facilè deprehenduntur. Hoc autem maximè difficile fuerit, nimirum dicere cum effectu: *Surge & ambula*, nisi dicens de effectu sit certus, quòd certissimè dicentis verbum consequeretur. Suspicari autem poterant illud tanquam facile, Christum dixisse, hoc autem tanquam difficile tacuisse. Iam autem confirmaturus, vt dixi, quod auctoritatiue dimittebat peccata; quod Dei proprium est, *vt sciatis*, inquit, quia, &c. Impossibile quidem est in attestationem & confirmationem blasphemiæ Deum miracula edere & operari. *Non enim volens iniquitatem tu es*, ait regius vates. In demonstrationem autem huius, quòd sine blasphemia dixerit Dominus auctoritatiuè, & secundum imperium: *Dimittuntur tibi peccata tua*, operatus est egregium miraculum in hoc paralytico. Sufficienter ergo, imo efficaciter etiam, ex factis & dictis eius, ex sententia etiam inimicorum, suorúmque aduersariorum confirmauit & demonstrauit se esse Deum, qui peccata dimitteret. Peccator quidem potest miracula facere, Prædicans

autem falsam doctrinam in illius attestationem miraculum non edit, vt fusiùs in Decadibus nostris ad locum illum Euangelicum: *Volumus signum videre* tractauimus. *Psaltes.*

Confer nunc Eliã Prophetã cum Christo, 3. *Reg.* 18. *Accedens Elias orauit dicẽs: Exaudi me Domine, exaudi me, vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus. non sic* Christus: Non dixit. *Exaudi me, &c.* Quin potius. *Vt sciatis quia filius hominis,* (hoc est, ego qui verus homo sum, simul & verus Deus.) *Habet potestatem dimittendi peccata, &c. Surge, tolle grabatum, & statim surrexit.* In præsenti quippe opere, clarè testificatum est, quòd esset verus Deus: qui solus auctoritatiuè potest peccata dimittere. In confirmationem etiam huius veritatis quod tanquam verus Deus dimittebat peccata, edidit miraculum coram, oculis eorum, omni ex parte, omnibúsque numeris perfectum & absolutum. Vt sciatis, quia Deus ego sum, qui dimitto peccata, cùm per vos dictum sit, quòd Deus solus dimittere peccata potest, hoc miraculum in testimonium huius veritatis facio. *Surge, tolle grabatum, & statim surrexit.* Et ita factum est. Igitur verum est, Christum esse Deum. *Deca. sacra.* *3. Reg. 18. c.*

*Surge* à vitiis, *tolle grabatum* carnis à deliciis, vt *eas in domum tuam,* quæ est in cœlis. *Surge* incipiens, *tolle grabatum* proficiens: *Vade in domum tuam,* consummans & perficiens. *Vade in domum tuam,* intra in conscientiam tuam. Agnosce teipsum. *Sap.* 8. *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa:* (haud dubiè Sapientia.) hoc est, in propriam conscientiam ingrediens, interprete nostro Lirano. Sapientia autem quietum hominem reddit? *Sap. 8. c.* *Liranus ibi.*

*Quid est facilius dicere remittuntur tibi peccata tua, an dicere. Surge & ambula, &c.* Hunc locum Paulus de Palacio Granatensis sic explicat: Sanè si expendas Dei amorem, gaudium in conuersione peccatoris, sanguinis pretiosi communicationem, & pretium, quo plus æstimat Deus animam, quàm corpus, multo facilius dicit Christus: *dimittuntur tibi peccata tua.* At si expendas, quòd peccata dolore animi sui, deleuit Christus, paralysim verò plagis sui corporis sanauit, difficillimum fuit dicere. *Dimittuntur tibi peccata.* Quæ non dimittebantur nisi quia Christus se adstringebat, magno ea animi sui dolore deleturum. *Paul. de Pal. in Matt. 9. c.*

Alio modo Philippus Diez nostri sodalitij, sic interpretatur: Ex parte quidem Dei, tam facile est vnum, sicut &

*Philip. Diez cōcione 2. præsentis Dominicæ.* alterum. Ex parte verò ipsius rei, vt author est Diuus Augustinus, maius est impium iustificare, quàm cœlum, & terram creare.

*D. August.* Siquis obiecerit, quòd impium iustificare, est gratiam in eius anima creare: Cœlum item & terram condere, est etiam ex nihilo aliquid producere. Non est proinde alterum altero maius ac præstantius. Respondeo, maius esse peccatotem iustificare, si ad opus & modum attendamus. Veluti si quis aliqua in vrbe terrenam domum siue luteam nemine contradicente ædificaret, & arcem fortissimam repugnantibus ciuibus, in eadem vrbe excitaret, hoc secundum esset absque dubio maius priore, tum ex parte operis (pluris enim arx inexpugnabilis, quàm domus lutea facienda est) tum etiam ex parte contradictionis. Obsistunt enim ciues. Sic dicimus esse maius opus peccatorem iustificare, quàm mundum creare, primùm quidem, quia gratia cœlos ipsos dignitate vincit.

*Sapient. 7. c.* De ea enim in Sapientia *dicitur capite. septimò. Præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, &c.* Deinde, maius opus est iustificare peccatorem propter modum.

Nam in hac iustificatione obstaculum est, & contradictio, quæ in cœli creatione nulla intercessit. Quæres forsam, quis opus illud impedit aut remoratur? Num peccatoris voluntas? De hoc obstaculo non loquor. Quoniam quidem si peccatoris voluntas contradiceret, nunquam Deus peccatorem iustificaret, dicente Diuo Augustino.

*D. August.* Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te. Obstaculum autem, quo de hic agimus, est peccatum mortale, quod in anima residet (quod de lege, vt Theologi loquuntur, gratiæ opponitur.) Mirum profectò, quód cùm peccatum nihil sit (vt idem Augustinus, illud: sine ipso factum est nihil, id est, peccatum, exponit) illud nihil interim impedire iustificationem dicatur peccatoris; A simili, nox, quæ est lucis priuatio quædam & nihil positiuum, artificem impedit, ne operetur, cunctísque terrorem incutit. Sic peccatum mortale, quod

est nox spiritualis, & meræ tenebræ, & quoddam nihil, sanctis timorem iniicit, & diuinam potentiam remoratur, ne iustificationem operetur. Et propter hanc contradictionem, maius est peccatorem iustificare, quàm cœlum & terram condere. Hactenus Philippus Diez.

*Vade in domum tuam*, &c. Nonnulli interdum inueniuntur homines, ait Indocus Clicthoneus præsenti Euangelio qui relicta propria domo, alienas circumeunt, & in alienis ædibus libentius, quàm suis diuersantur. Quibus persimiles sunt hi, qui curiosè aliorum conscientias & facta diiudicant, suas autem conscientias & opera discutere negligunt: videntes festucam in oculo fratris, & trabem in proprio oculo non considerantes. Ne quis autem illorum mores imitetur, nos Dominus his verbis acriter instimulat. *Indoc. Clict. præsenti loco.*

*Vade in domum tuam*, in tuæ scilicet conscientiæ habitaculum: & perspice diligenter, quomodo omnia in illa domo tua sunt disposita: quid cogites, quid loquaris, quid agas. Sic ille.

Ex his verbis. *Remittuntur tibi peccata tua. Videns fidem illorum*, &c. Discimus, quantum valeat fides aliena. Qua de re supra à nobis dictum est.

Hîc verba Ioannis Hesselij Louaniensis inserere placuit. Sic igitur ille ad hunc locum: aliorum orationes sæpè petere non negligamus, quæ non solùm ad temporalia bona (quemadmodum malè asserit Philippus Melanchon dicens, quòd aliâs inanis esset Passio Christi) consequenda, sed ad æterna obtinenda, plurimum prosunt. Nulla hic fit mentio fidei paralytici, habuit tamen verisimiliter fidem, alioqui non voluisset, nec permisisset se tractari, si de potentia diuina, & bona Christi erga se voluntate dubitasset. *Ioan. Hessel. in Matt. 9. c.*

Peccata autem fuerunt causa infirmitatis eius. Ideóque benè dicit Saluator, Confide, id est, non dubita te sanandum. Si enim causam, id est, peccata tua auferre possum, & talis caussæ effectus auferre, id est, morbos inde prouenientes potero. Hæc ille Clicthoneus præsenti Euangelio, aliorum preces multum fidelibus conducere ad salutem, & maximè Sactorum in cœlis regnantium, hinc facilè conuincit, ac colligit. Tantum siquidem fides aliena valuit vt suo interuentu alteri salutem mentis & corporis subito *Clictho. vbi supra.*

promereri potuerit. Postquam Hebręorum populus in adoratione vituli conflatilis Deum grauiter offendisset, Moses instantissimè Dominum orauit, vt ignosceret ipsi populo, & daret illius peccati veniam, tantúmque efficit sua oratione, vt iram Domini placauerit. Ex quo planè liquet, alienas preces, multum apud Deum esse efficaces, non tantum ad corporalia obtinẽda, sed etiam ad spiritualia & æterna consequenda. Præterea *D. Iacobus c. 5. suæ epistolæ*, hortatur, orationes ac obsecrationes fieri, pro vniuscuiusq; spirituali salute. Eius verba sunt: *Orate pro inuicem vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Quid quæso clarius dici potuit? Aliena igitur oratio, plurimum prodest ad ęternam salutem. Hìc de sanctorum intercessionibus oportunus esset dicendi locus, nisi fusissimè in Decadibus nostris sactis eo de articulo egissemus, Concionibus de Chananæa, & de socru Petri; Eò tibi recurrendum censeo. Reliquum est vt huic homiliæ desideratum finem imponentes, rogemus Dominũ, qui pro peccatis nostris mortem in cruce sustinuit, vt remittat nobis peccata nostra (Multum siquidem peccauimus, & in multis offendimus omnes) vt tandem ad gaudia peruenire valeamus æterna. Quod nobis propitius ille concedat, qui in Trinitate perfecta, viuit & regnat. Amen.

*Iac. 5. c.*

*Sac. Dec. auth. Conc. de socru Petri.*

*Iac. 3. c.*

# DOMINICA XVIIII. POST PENTECOSTEN.

## De inuitatis ad nuptias, & non habente vestem nuptialem. Matth. 22. c. *Matht.22.c.*

*Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterum misit alios seruos dicens, Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, Tauri mei, & altilia occisa, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, &c. vbi supra.*



PRIMVM omnium obserua verbum illud: Regnum cœlorum, per quod vel doctrinam Euangelij, vel certè Ecclesiam visibilem ac militantem Christus Dominus significat. Quod enim præsentem designet Ecclesiã, facilè constat, ex eo quod non habens vestem nuptialem exclusus à conuiuio describitur, & in tenebras exteriores abiectus. Ecclesia quidem ideò regnum cœlorum dicitur, quia rex, qui in ea regnat, & eam regit, rex est cœlestis, & diuinus, à rege cœlesti, qui sanguine suo eam acquisiuit nomen regnum hoc accepit, nõ dedit nomen Christo principi. Idque meritò. *Nam, Non vos me elegistis*, ait Christus, *sed ego elegi vos, vt eatis, &c.* *Ioan.15.c.* Dices verò, in terris nunc agit exilium Ecclesia, quomodo ergo regnum cœlorum dicitur? Respondeo, Certum est, quòd cùm populus Dei sub captiuitate esset Babylonica, non dicebatur regnum Babylonicum, sed verè regnum Iuda. Ad hunc planè modum, licet sancta Ecclesia in Babylone huius seculi collecta hîc habitet, non dicitur regnum huius mũdi, sed cœlorum, quoniam ad ipsum incessanter aspirat & anhelat. Subscribere visum est ex Ioanne de la fuente Toletano, nostri instituti, *lib.4. in Marcum* ad verba: sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat. &c. rationes duo- *Ioan. de la fuente lib. 4. in Marcum.*

decim, gloriam & magnificentiam huius regni demonstrantes. Primum, inquit, quod regnũ nobilitat, est iusta eius fundatio & institutio: non tyrannica, qualis fuit sub Nebroth, qui, vt extat in Genesi, vi regnum inuasit, & sceptrum occupauit. Non sic regnum Israel, quod sine vi & dolo, imò legitima authoritate, & ad totius populi supplicationem exordium habuit, Saule primo rege illis à Domino concesso, in cuius manu, sunt omnium potestates, & omnia iura regnorum, & cui voluerit dabit illud, & cum placuerit, auferet, sicut comprobatur sæpè fecisse: abstulit enim sceptrum à Balthasare, rege Chaldæo, & concessit illud Dario Medo. Nunc quanta sit ex hac ratione huius regni, siue status Ecclesiastici, gloria ac maiestas, vix calamus & sermo explicare valent. Vbi primò iure diuinitatis, & iure vnionis, & iure redemptionis, Christus rex sanctæ Ecclesiæ inuenitur. De quo ipse

Psal. 2. *in Psalmo. 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Quibus, quæso, armis magnum hoc & amplum regnum occupasti, Domine Iesu? *Prædicans præceptum eius. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: lex Domini immaculata, conuertens animas. Psal. 18.*

Psal. 18. Quod secundò magnificat regnum, est eius antiquitas. Nobilitas enim ab antiquitate ducitur. Propter hanc rationem nullum fuit aut erit regnum sic gloriosum ac regnum sanctæ Ecclesiæ quod ab Abel, qui in exordio nascentis mũdi extitit, originem traxit. In quo gradus sanctæ Ecclesiæ, tanquã in imagine & figura præluxerũt: Sacerdotiũ, scilicet, & virginitas, & Martyrium.

Tertium vnde nobilitas regni colligitur, est multitudo prouinciarum, ac terrarum, iuxta illud: *Prouer. 14.*

Prou. 14. *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis.* In hunc modum gloriam regni Assueri sacra amplificat historia, quippe *qui regnauit ab India vsque ad Æthio-*

Esther. 1. c. *piam super centum vigniti septem prouincias.* Verùm regnum Ecclesiæ, per vniuersum terrarũ orbem protenditur. *Mar. 16. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni crea-*

Mar. 16. c. *turæ. Math. vltimo Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.*

Matt. vlt. c. *Denique Psalm. 71. Regnabit à mari vsque ad mare, & à flumine*

Psal. 71. *vsque ad terminos orbis terrarũ. Coram illo procident Æthiopes.*

Quartum quod regnum exaltat, est dexter ordo & prudẽs. Multitudo namque sine ordine potius confusionem, quàm gloriam parit, at Ecclesia Christi, *Cant. 6. est quasi aurora consurgens pulchra vt luna. Electa vt sol, terribilis vt castrorum acies*

Cant. 6. c. *ordinata.*

Quintum quod magnificat regnum, est ciuium pax, amor,

& concordia. Concordia enim paruæ res crescunt: discrodia maximæ dilabuntur. Ciues autem huius regni, glutino & vniculo charitatis, sub vna fide, sub vno baptismate, sub vno Deo colligantur: *vnde, Act. 4. Multitudinus credentium erat cor vnum, & anima vna.* *Salustius historic.* *Actor. 4.*

Sextum quod regnum nobilitat est pax cum aliis regnis finitimis. Quo nomine magnificatur regnū Salomonis, *quod habebat pacem ex omni parte per circuitum. 3. Reg. 4. c.* In hūc modum regnum Ecclesiæ, licet aliquando careat ipsa pace temporali, semper tamen gaudet pace pectoris, peruentura tandem ad pacem æternitatis. De quo regius vates *Pax multa diligentibus legem tuam Psal. 118. & Isa. 32. sedebit populus meus in pulchritu line pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & requie o[...]lenta.* *3. Reg. 4. c.* *Psal. 118.* *Isa. 32. c.*

Septimum, quod regnum extollit, est ciborum abundantia, itaut aliunde non sit necesse eos conuehere. Hoc plenissimè inuenies intra sanctæ matris Ecclesiæ sinum. Quippe quæ præsentiam realem corporis Christi ac sanguinis ipsius preciosi habet, & cætera sex sacramenta gratiam dignè suscipientibus conferentia.

Octauum quod ad regni cuiuspiam nobilitatem pertinet est eius inexpugnabilis & inuicta fortitudo, quā super omnia regna mundi, sancta mater obtinuit Ecclesia, quæ super firmam petram fundata est; *Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam* Vnde B. Hilarius l. 7. de Trinitate. Hoc Ecclesię proprium est, vt tum vincat cùm læditur: tum intelligatur cū arguitur, tum cōtineat, cùm deseritur. Sic ille & paulò pòst. Hæretici omnes contra Ecclesiam veniunt: sed dū hæretici omnes seinuicem vnicunt, nihil tamē sibi vnicunt. Victoria enim eorum, Ecclesiæ trimuphus ex omnibus est: dum in eo hæresis contra alteram pugnat, quod in heræsi altera Ecclesiæ fides damnat. &c. hæc ibi. Mira sanè Ecclesiæ conditio ac proprietas. Dum persecutionem patitur, floret; dum opprimitur, crescit: dum contemnitur, proficit: dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc stat, cū superari videtur. *Matt. 16. c.* *D. Hilarius. l. 7. de trinitate.*

Nonum quod regnum illustrat, leges iustæ & sanctæ sunt. Et has habet excellentissimas regnum Ecclesiæ; non solum ordinantes ciues suos ad pacem temporalem, sicut leges humanæ & ciuiles: verùm & perducentes ad fœlicitatem æternam. Iubet siquidem optimus legislator, Deum diligere super omnia, & proximum amare sicut nosipsos.

Decimū quod magnificat regnū, est regis nobilitas, ac pręcellens sapientia. Hinc diuinus Plato Respublicas beatas iu- *Plato diuin.*

dicans, in quibus vel philoſophi regnarent, vel reges philoſopharentur. Huius noſtri regni Eccleſiæ, Chriſtus æternus Dei filius, Patri conſubſtantialis, ſapientia, virtus ac Dei fortitudo, rex eſt. *In quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ſunt abſconditi: Coloſſ. 2. cap.*

*Coloſſ. 2. c.*

Vndecimum, quod regnum exaltat, eſt ciuium nobilitas. In hoc regno omnes ſunt filij Dei per gratiam futuri poſtmodum per gloriam: & reges regni cœlorum. Et qui filij non ſunt per gratiam, poteſtatem habēt, ſi conuertantur ad Dominum per pœnitentiam.

Duodecimò ac poſtremò regni perpetuitas ad gloriam eius celebrandam ſpectat. Regnum hoc æternum eſt, incipiens in hac lachrymarum valle: & conſummationem, coronámque accipiens, in æterna beatitudine. *De quo Daniel c. 7. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Regnum tuum, regnum omnium ſeculorum ait alius propheta. Et regni eius non erit finis, ait Archangel. Gabriel ſanctiſſimæ virgini. Luc. 1. c.* Ex his omnibus planè liquet, quā ſit magnificus & glorioſus huius regni ſtatus, & quantū cæteris excellat, multíſque vincat paraſangis omnia regna mundi, ſeu, monarchias. Hactenus præfatus Ioannes de la fuente.

*Daniel 7. c.*
*Luc. 1. c. & In ſymbolo Eccleſiaſt.*

*Simile eſt regnum cœlorum regi, qui nuptias, id eſt,* nuptiale cōuiuium *filio ſuo apparauit*, multóſque ad illud inuitauit, inter quos cum ſordidatus quidam nec nuptiali veſte indutus, vnà cum reliquis accubuiſſet, pedibus manibúſque colligatus, in exteriores tenebras exturbatus fuit. Harum nuptiarum, epulíque nuptialis imagine Chriſtus ſpirituales nuptias adumbrauit. De quo ſic eleganter ad hunc euangelicum contextum Theophylactus Græcè conſcripſit: γαμος πνευματικὸς ἡ πρὸς Χριστὸν συνάφεια καὶ ἑστίασις. διὰ δύω ταῦτα, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἀποτυγχάνουσι, ἢ διὰ τὰς σωματικὰς ἡδονὰς, ἢ διὰ τὸ τῆς φιλοκερδείας πάθος. Hoc eſt: ſpirituales nuptiæ ſunt coniunctio, atque conuiuium cum Chriſto. Propter hæc duo, vt in pluribus, ſiue, plærumque fruſtrantur (homines) eóque deſtituuntur nuptiali epulo; vel ob corporeas voluptates, vel ob auaritiæ affectum ſeu morbum, turpíſuè quæſtus & lucri ſtudium. Sic ille. Quoniam igitur nuptiarum præſertim regiarum, nuptialiúmque conuiuiorum, maxima ſemper fuit, vt hodie quoque eſt, celebritas, pompa atque lætitia: Mirum non eſt Chriſtum regni cœlorum magnificentiam atque lætitiam, illorum imagine expreſſiſſe. Idem alia

*Theophyl. in 22. Math.*

quoque

quoque fecit parabola, à decem virginibus ducta, quarum quinque prudentes, spirituale illud fidei charitatisque oleum in cordibus suis, quasi in lampadibus gestantes, vnà cum sponso ad nuptias ingressæ sunt, reliquæ verò quinque fatuæ olei eiusdem expertes, exclusæ fuerunt.

*Vocati sunt multi, & inuitati ad has nuptias.* Plutarchus to. 2. Opusc. lib. 4. Symposiacῶn, quæst. 3. quærit, Cur in nuptiis plurimi ad cœnam vocantur? quo ex problemate conuiuiali satis constat antiquitus nuptialia illa conuiuia, magna hominum frequentia celebrati fuisse solita. *Plutar. t. p. 2. Opusc. lib. 4. Sympos. q. 3.*

Et quia fuit hæc veterum consuetudo, quæ etiamnum hodie viget, vt ad conuiuia accessuri, certis ac peculiaribus quibusdam vestibus, & quidem splendidioribus vterentur: In nuptialibus maximè festiuitatibus atque symposiis seu conuiuiis peculiares quædam, & vti par est, splendidiores vestes fuerunt adhibitæ, quod in vsu fuisse, hæc parabola satis edocet, in qua qui non erat indutus veste nuptiali, hoc est, ea, quæ in nuptiis adhiberi consueuerat, in exteriores fuit detrusus tenebras. Quo ex loco temporis illius consuetudo colligi potest

Cæterum, D. Gregorio præsenti homiliâ interprete. Tunc Deus pater Deo filio suo nuptias fecit, quando hunc in vtero virginis humanæ naturæ coniunxit, quando Deum ante secula fieri voluit hominem in fine seculorum. Aut tunc pater filio suo nuptias fecit, quando ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociauit. Iuxta illud, *D. Apostoli: Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Et Psalmographus, *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Et Ioan. 3. *Qui habet sponsam sponsus est.* Et sicut in matrimonio requiritur consensus. *Genes. 24.* Ita per procuratorem Gabrielem Archangelum Deus à Sacrosancta virgine exquisiuit consensum, quem his verbis ipsa expressit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Prima verò huius matrimonij causa fuit, Vt pax reformaretur. Sicuti inter principes per coniugiorum fœdera pax conciliatur. Secunda, vt adoptionis filij inde procrearentur. *Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, Dico in Christo & in Ecclesia.* *D. Greg. præsenti homil. 2. Cor. 11. Psal. 18. Ioan. 3. Genes. 24. Luc. 1. Ephes. 5.*

Harum typus nuptiarum in Assueri regis conuiuio præcesserat. *Hester cap. primo. Ipse enim præpotens Monarcha Assuerus tertio anno sui imperij instituit, celebrauitque grande conuiuium inuitauitque omnem populum, qui inuentus est in ciuitate, à maximo vsque ad minimum. Cúmque iussisset vocari reginam vxorem suam, nomine Vasthi,* *Ester c. 1.*

*ad regis imperium illa venire contempsit. Vnde iratus rex, eam sapientum decreto, & calculo repudiauit, altera in eius locum, Nempe Esthera, succedente, vt fusiùs Sacra refert historia.*

Vbi rex Assuerus typum prætulit huius hominis regis, qui nuptiale conuiuium præparauit, in tempore gratiæ, quasi tertio imperij sui anno. Præcesserat siquidem vtraque lex,

Gal. 4. Naturæ nimirum, & Mosaica, *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, & cæt.* Inuitauit rex

1 Tim. 2. iste pro sua amplissima charitate omnem populum, *Vult nempe, teste Apostolo, omnes homines saluos fieri, & ad agnitio-*

Matth. 11. *nem veritatis venire, Vnde & dicit: Matthæi, vndecimo cap. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Porrò, quod ipse instruxit conuiuium, fides est Dominicæ incarnationis. Quo in conuiuio, gratiam in vita præsenti, & gloriam in futuro seculo præparauit.

Regina autem Vasthi, Iudaicæ synagogæ olim Deo per fidem desponsatæ figura fuit, quæ ad fidem Incarnationis Dominicæ per Christi Apostolos inuitata, superbè respuit, & contumaciter se gessit. Itaque rex iratus, synagogam per-

Matth. 21. petuo diuortio abs se reiecit & ablegauit. *Auferetur à vobis*

Malach. 1. *regnum Dei, Matth. 21. cap. & dabitur genti facienti fructus eius.* Ideò Hester humilis & obediens ei substituitur. *Malach. 1. Magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus.* Ecclesia in synagogæ locum subrogata est. Veluti olim Lia oculis alioqui lippis, pro pulchra formosáque Rachele, in amplexus venit

Genes. coniugales Patriarchæ Iacob. vt in sacra Geneseos refertur historia.

Omnia quidem parata sunt, &c. nimirum ad beatitudinem necessaria, nihil desiderari potest. In promptu, (si per nos non steterit) habentur omnia media, ad vltimum finem consequendum opportuna. Diabolus deiectus est, mors occisa, cœlum apertum, ira patris sedata & extincta, reconciliatio nostra facta, vitulus saginatus occisus, ac mactatus est, præsto est remissio peccatorum, iustitia, pax, gaudium, adoptio filiorum, &c. *Psalm. 22. Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.* Fercula verè preciosa, & concupiscenti animo exoptata. O quanto cum gaudio, hoc Patres audiissent! Vocabantur quidem & ipsi, sed nondum omnia parata erant: Imò tantùm futura sperabantur. Nam asser-

Hebr. 11. tore, Diuo Paulo. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes, Hebræor. 11. ca. non acceptis repromissionibus, & cæt.* Vnde meritò Apostolis dictum legimus: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Multi*

*mùm reges & prophetæ voluerunt videre, nec tamen viderunt Lucæ* 10. *Luc.* 10.

Nuptiæ quidem paratæ sunt, &c. hoc dicens ostendit per se non stetisse, quin Iudæi saluarentur. Erant (præparatione diuinæ prouidentiæ) nuptiæ (sacramento incarnationis Dominicæ) paratæ (condonatione diuinæ gratiæ) Iu summa paratæ erant, adhibitis omnibus his, quæ ad hominum salutem erant necessaria. Vsque adeò enim benè instructa fuerunt omnia in iis nuptiis, & hîc per gratiam, & illic in gloria, vt hinc meritò dicat per Euangelicum vatem Dominus; *Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci? Isa.* 5. *cap.* *Isai.* 5.

Verùm (vt eò, vnde digressa est, sese referat oratio) priùs expendenda sunt huius contextus exordia: vt singula ordine congruò explicentur.

*Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias, & cæt.* An non sufficeret dicere, Regi qui fecit nuptias? Quorsum igitur Saluator addidit, Homini regi? Siquidem cùm regis nomine Pater diuinus significetur, qui carnem non assumpsit, *sed solum verbum carò factum est, & habitauit in nobis*, quid ergo necesse fuit dicere *Homini regi?* Et quidem si de regibus terræ loqueretur, necessarium esset expresè nomini Regis, hominem adiicere. Nam cùm rex terrenus ac temporalis, sui status celsitudinem attendit, ac regiam maiestatem considerat, videtur quodammodo obliuisci se esse hominem. Ideóque hoc imprimis in memoriam ei suggerendum venit ac inculcandum. Habes in Decadibus nostris, concione omnium prima, de cinerum mysterio, plurima nec contemnenda exempla, de Imperatoribus Rom. triumphantibus, ex Diuo Hieronymo, ac antiquissimo scriptore Tertulliano. Item de Philippo Macedone, ex Æliano, in varia historia. Hominem te esse memento. *Memento homo quia cinis es, &c. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis. Psal.* 81. Cùm ergo Christus de patre omnipotente, sub regis nomine loquatur, quandoquidè non sit ipse homo. Quorsum illum hominem vocat? Responsio in promptu est. Primò, quia cœlestis ille pater φιλάνθρωπος, hoc est, humani generis amantissimus est. Ideò eius, quam tanto prosequitur amore humanitatis, vt ita dicam, nomen sortitur, atque homo appellari non abnuit. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitũ daret, &c.* Adhæc rex ille homo dicitur, quia humanus & benignus est. In sacris literis humanum appellatur, quod lene & blandum est. Vnde Apostolus, *Roman.* 6. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ.* Q. d. Rem satis suauem ac facilem vobis persuadeo.

*Ioan.* 1. *Sac. Dec. tomo priore, Conc. prima.* *Tertull.* *D. Hieron.* *Aelianus.* *Psal.* 81. *Ioan.* 3. *Rom.* 6.

flagellati in Actibus Apostoli, tum demum Apostoli, vniuersi (Ioannem Theologum dilectum Christi Apostolum excipio) Martyrio consummati sunt; vt concione de S. Stephano. in Enneadibus nostris copiosè diximus. *Sac. Ennead. aduent. auth. conc. de S. Steph.*

Rex quum audisset iratus est, &c. Audiuit, inquam, vocem sanguinis sanctorum, *qui effusus est. Genes. 4. & Apoc. 6. Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum.* *Genes. 4. & Apoc. 6.*

Missisque exercitibus suis, & cæt. Romanis scilicet copiis, sub Vespasiano ac Tito filio eius perdidit homicidas illos. Incolas, ciuesque Hierosolymitanos. Huiusmodi Dei appellatur exercitus, quia quamuis ignari, compleuerunt tamen Romani Dei voluntatem contra Iudæos, & à Deo victoriam assecuti sunt aduersus illos, qui seruos Christi interemerunt, & (quod longè grauissimum est) hæredem ipsum extra vineam suam protractum, occidere non erubuerunt. *Matth. 21. Hic est hæres. Venite occidamus eum,* *Matth. 21.*

Ciuitatem illorum succendit, & cæt. *Consonat illud: Lucæ decimo nono. Inimicos meos, qui noluerunt me regnare adducite huc, & interficite ante me.* Hic Hierosolymitanum exordium prædicitur à Christo, quod à Iosepho proprio Iudæorum historiographo, ac Egesippo fusissimè narratur. *Luc. 19. Iosephus & Egesippus.*

*Ite ad exitus viarum, & cæt.* An non præstaret, Domine, mittere in plateas, & domos magnatum, & in alia loca, in quibus magna est hominum multitudo, quàm ad exitus viarum? Minime vero. Cùm Dominus concionatoribus dicit, Ite ad exitus viarum, perinde est, ac si diceret, vt de fine, sic hominis exitu ab hoc seculo, hoc est, morte, conciones habeant ad populum. *Eccles. 7. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Ad Babylonios siue Chaldæos. *Isa. 47.* dicitur: *Non es recordata (ô Babylon) nouissimi tui.* Ibi Euangelicus Vates Chaldæorum calamitates, obliuioni mortis tribuit. Sanctus item propheta, ex vtero, deflens Hierosolymitanam cladem, his vsus est verbis. *Sordes eius in pedibus eius,* (de Hierusalem est sermo) *nec est recordata finis sui.* Et diuinus legislator ac Iurisconsultus Moses: *Deuter. 32. Vtinam saperent, ac intelligerent, & nouissima prouiderent.* Ex quibus facilè colligitur, quàm efficax remedium sit, vt homines à peccatis auertantur, mortis assidua meditatio. *Eccles. 7. Isa. 47. Thren. 1. Deut. 32.*

Ite ergo ô concionatores ad exitus viarum, hoc est, apud auditores, de morte & de fine seculi constantissime verba facite. Sicque eos ad Dominum conuertetis. Facile siquidem contemnit omnia, ait D. Hieronymus epistolâ ad Paulinum, *D. Hieronym. epist. ad Paul.*

de omnibus diuinæ historiæ libris, qui se semper cogitat esse moriturum.

*Congregauerunt bonos & malos, &c.* Præsens Ecclesia, quæ hic designatur, permixtos, continet malos ac bonos. Boni soli, nusquam sunt nisi in cœlo, Mali soli, nusquam nisi in inferno. Hæc autem vita, quasi media participat de vtrisque. Hic sunt grana cum paleis. Flores seu lilia inter spinas. In primi parentis familiâ, Caim & Abel. In domo Noë, Sem Cham & Iaphet. In domo Abrahami, Isaac & Ismaël, filius ancillæ, cùm filio liberæ. In domo Isaac Iacob & Esau, de quibus ab initio dictum est; *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* In domo Iacob, Ioseph sanctus ac innocens, ab vndecim fratribus per malitiam Ismaëlitis venditus. In Christi collegio Iudas proditor, cum cæteris Apostolis electis. Ex septem diaconibus primitiuis, ab Apostolis ordinatis: vnus Nicolaus, extitit author erroris, ac hæreseos Nicolaitarum, de qua in

Apoc. 2. Apocal. Saul inter prophetas, in lib. Regum connumeratur. Inter primitiuæ Ecclesiæ baptizatos inuentus est etiã Symon

Petr. Bles. epi. 45. Magus. Quid plura? Petrus Blesensis egregiè hoc de capite, *Epist.* 45. scripsit ad hunc modum. Interim (dum venturum expectatur seculum) cum Hierosolymitis habitat Iebuzeus: Interim in horto patrisfamilias simul sunt saliunca (nardum exponunt quidam) & abies, vrtica & myrtus: In grege Iacob animalia alba & nigra, agni & hœdi: In rethibus Petri, pisces boni & mali: In arca Noë animalia munda & immunda: In agro Domini lilia inter spinas, & zizania inter spicas: In area Domini granum cum paleâ: In cella Christi, vinum cum aci-

Ezech. 2. nis, oleum cum amurca. Hæc ille. *Ezechieli dictum est, cap. 2. Increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.*

Phil. 2. *Philipp. 2. Sitis sine quarela, & simplices filij Dei, sine reprehensione, in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in*

Apoc. 2. *mundo, &c. Angelo item Pergami, Apocal. 2. scriptum est: Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.*

*Intrauit rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, &c.* Hanc nuptialem vestem omnes charitatem interpretantur. Idque meritò, vt facilè constat. Etenim vt vestis corpus tegit, sic charitas tegit animæ nuditatem, & iuxta Apostolorum Coriphæum, *charitas operit multitudinem*

1. Petr. 4. *peccatorum.* 1. Pet. 4. Ornat etiam ipsa mentem, sicut splendida

Psal. 44. vestis *Psal.* 44. Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus, &c.

Tuetur item ac protegit à frigore Gelidæ huius regionis, in qua frigescit adeò charitas multorum, quia superabundat iniquitas. At verò nuptialis dicitur vestis, quoniam potissimum ea indutus Dei filius venit, quando ad nuptias, cum humanitate nostra celebrandas processit, Quamuis enim omnium virtutum fulgore ornatus fuerit, cùm ad has nuptias venit: præcipuè tamen in eo charitas emicuit, quæ illum impulit, vt humanam sibi naturam copularet.

Obserua, quod non sola fidei confessio, & protestatio sufficit. *Math. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Verùm habere oportet charitatem, Alioqui dicetur ei, qui nudam fidem, absque charitate, & bonis operibus habuerit: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Verus Christianus, ex fide quæ per charitatem operatur. *Gal. 5.* cognoscitur; dicente Christo, *Ioan. 13. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Vnde D. Pater Augustinus, to. 3. lib. 15. de Trinitate c. 18. Sola, ait, charitas est, quæ diuidit inter filios regni, & perditionis æternæ. *Maxima virtutum est charitas. 1. Cor. 13.* & cùm in spirituali structura siue ædificio, locum fundamenti fides teneat, parietum autem, spes, sed charitas vicem locúmque tecti obtinere cernitur, dignitate cæteras omnes antecellens virtutes. Ideóque iure optimo D. Petrus, (quem vir Apostolicus Dionysius Areopagita c. 3. de diuinis nominibus hoc decorat Epitheto: Πέτρος ἡ κορυφαία, ἡ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης. Hoc est, antiquissimum Theologorum columen, vertex, caput ac Apostolorum Coryphæus) fideles admonet dicens. *1. Pet. 4. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem habentes continuam. &c.*

*Math 7.*
*Gal. 5.*
*Ioan. 13.*
*D. Augustinus to. 3. lib. 15. de Trinitate cap. 18.*
*1. Cor. 13.*
*Dionysius de diuinis nominibus, cap. 3.*
*1. Pet. 4.*

Hic maximè aduertendum duo hominum genera in hac parabola designari: Alterum eorum, qui ad nuptias venire detrectarunt inuitati, Alterum autem eorum, qui vocati quidem venerunt, veste tamen nuptiali caruerunt. Priorum nomine, infideles accipimus. Posteriores verò, eos qui fidem quidem susceperant, charitate tamen destituuntur, adumbrant. Vtrique tamen à Domino damnantur, Illi quia sine fide, Isti quia sine charitate, ex hac vita decesserunt. Quod si ita est, quid illi dicent, qui de sola sibi fide sine charitate blandiuntur, & dicunt: Ego fidelis sum, Christum colo & adoro? Id quidem bonum est. Sed si cum hac fide charitatem non habes, sine dubio æternam damnationem patieris. Hac proinde nuptiali veste te induere

omni studio contende, vt ad æternas nuptias admittaris. Quod ad mensam cum aliis conuiuis iste accesserit, fidem illum habuisse demonstrat, & tamen quia hac veste nuptiali caruit, sola fides illum à Domini seuera censurâ & sententia eripere haudquaquam valuit. Discumbere in nuptiis est Ecclesiæ Sacramentis participare, fidem in Christum habere. Intrat autem ad nuptias, non cum veste nuptiali, qui in sancta Ecclesia fidem quidem habet, charitatem autem non habet. Veste deformia quæque teguntur, sic & iuxta sapientem. *Prouer. 10. Vniuersa delicta operit charitas. Apoc. 16. Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Fouet etiam vestis contra ventum ac frigus, corpora ab aëris intemperie, seruans. *Prouer. 31. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Et charitas quidem genuina est Dei videlicet ac proximi. Membra denique ac totum corpus nuptialis vestis exornat, Ad hunc planè modum, omnis decor animi, & ornatus interior, à charitate procedit.

Prouer. 10.
Apoc. 16.
Prouer. 31.

*Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Rem profectò miram! Amicum hunc vocat Dominus, nihilominus reprobat. O amice per fidem nimirum, non autem per operationem dilectionis. *Eccles. 6. Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* In hunc sensum proditori dictum est. *Math. 26. Amice adquid venisti?* Amicum igitur hunc vocat, quia ex amicitia inuitatus fuerat ad nuptiale epulum. *Non habens vestem nuptialem.* Animaduerte plerosque nuptiis Christi interesse, sacco indutos auaritiæ. *Sed Esther c. 4. fas non est sacco indutū aulam regis intrare.* Alii veste induuntur peregrina. *Sopho. 1. Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Hîc de luxu vestium dicendum foret, verùm occurret alius commodior opportuniórque dicendi contra pompam illam secularem, locus. Errant qui malos in Ecclesia non esse deblaterant. Errant similiter qui dicunt solàm fidē saluare, & ad salutem sufficere. Siquidem hic alioqui malus & à conuiuio exclusus, fidem habuisse demonstratur. Infideles namque foris sunt, nec in conuiuio nuptiali assident, aut comparere sinuntur. *Foris canes & idolis seruientes. Apoc. 22. & prior. Cor. 5. Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare? Nonne de iis qui intus sunt iudicatis?* Est enim baptismus Ianua omnium sacramenmentorum. Attamen nuda fides hunc non satis dignè Christi nuptiis vestiuit. Errant quoque qui asserunt eum qui charitatem amittit, fidem etiam ipsam amittere. Quum

Eccles. 6.
Math. 26.
Esther 4.
Sopho. 1.
Apoc. 22.
1. Cor.

iste in nuptiis recumbens vestem charitatis amisisset, salua interim integráque fide, sed informi & mortua. Quia fides, sine operibus (charitatis) *mortua est: sicut & corpus sine spiritu mortuum est, ait D. Iacobus c. 2.* Iac. 2.

Perpendite, quæso, fratres, Si nunc vos supernus rex vocaret, qua veste vos indutos deprehenderet? Comperiret, forsam quempiam Episcopum, cui diceret. *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Nonne Domine, vides lineum superpellicium, vt vocant, *vulgò vn Rochet*, baculum pastoralem in manibus, & infulam in capite? Benè quidem, si huius exterioris vestitus significatio, congruis operibus comprobetur. Quid byssus albáque vestis aliud designat, quàm conscientiæ puritatem? *Byssinum enim, iustificationes sunt sanctorum. Apoc.* 19. Pedum pastorale, *gall. la crosse*, pastoralis regiminis ac curæ tessera est, & Hierogliphicum. Tiara autem, (*Mitram vulgus appellat*) duo habens cornua, insinuat vtriusque testamenti peritiam, qua pollere debet Episcopus. Sic ad Monachos & clericos dicturus est Rex. Quomodo huc intrastis, non habentes vestem nuptialem? At regerent fortassis dicentes: Nonne Domine, nostræ religionis, nostríque instituti habitum deferimus? Nonne clericalem tonsuram gestamus? Sed vide amabo, tu Monache, quòd cùm ad modum crucis habitus tuus factus sit, interiorem mortificationem designans, num & opere ipso mundo sis mortuus, cui abrenunciasti, abdicans omnia, & ideo viuas, eíque per votorum obseruantiam adhæreas, atque ita illi vnitus sis, vt ne cogitationibus quidem prophanis ab eo sis alienus & auersus. Quod si ita non est, cum reprobis in exteriores tenebras detruderis. Caue ne sub sancto religiosóque amictu, cor mundanum ac prophanum habeas. Et tu Clerice, coronam gerens in capillis detonsis, habere quoque debes synceras cogitationes, & vanas huius seculi curas de corde tuo penitus auulsas, sicut & pilos exterius, sic & interiùs mentem ab omni superfluitate recisam & repurgatam habere te conuenit. Apoc. 19.

Et tu minister iustitiæ, *quomodo huc intrasti, &c.* Nonne Domine, magistratus insignia ceruici? Fasces & secures, Virgam iustitiæ? quam apud Hispanos, manu gestant iudices dum in publicum prodeunt, (*la vara, dictitant*) vt significetur quòd iustitia recta esse debet, non obliqua vel contorta. *Psal. 44. Virga directionis virga regni tui. Heb. 1. Virga* Psal. 44. Heb. 1.

*æquitatis virga regni tui.* Nostrates præsides & Senatores pro tribunali sedentes, purpuram gestant, vt discant ipsi, pro iustitia ad sanguinem vsque (si opus est) decertare. Idem de Cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ purpuratis Patribus sentire conuenit: quos pro fide Christi sanguinem proprium profundere, paratos esse non pigeat, si quod externo habitu demonstrant operibus ipsis comprobent. Heu, quàm pauci sunt, qui nuptiali veste sint induti.

*Iuuenalis Poëta. Satyr. 13.* *Rari quippe boni, numero vix sunt totidem, quot*
*Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.*

*Idem 15.* Idem satyra 15. de Ægypto verba faciens, Thebarum meminit hoc versu:

*Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.* Sic ille.

*At ille obmutuit.* Non habens certè quid responderet.

*Iob. 9.* *Iob.c. 9 Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Quam in peccatis excusationem adferre, producereue poterit, qui à Domino tunc redarguetur? Non defuit ei interna inspiratio, non scriptura sacra, non conciones publicæ, non sanctorum, piorúmque virorum exempla (quæ fortius mouent, quàm verba) Non Dei misericordia ad pœnitentiam expectans & prouocans, non oportunitas & sancta occasio sese offerens, non Sacramenta salutem operantia efficaciter, non denique benè operandi materia, In summa nihil peccatori defuit, quominus benè ageret, si-

*Iob. 24. & c.31.* quidem voluisset. *Sed de talibus, Iob. 24. dicitur: Rebelles fuerunt lumini. Et Psaltes diuinus. Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Iob 31. Quid faciam, cùm surrexerit, ad iudicandum Deus, & quum quæsierit, quid respondebo illi? Omnis iniquitas opilabit os*

*Psal. 506.* *suum, inquit Psalmographus: Obmutuit,* ait sacer contextus, Per quod ostenditur, quàm sit iusta improborum damnatio. Nec enim habent, quod pro se respondere valeant.

*Multi enim sunt vocati pauci verò electi. &c.* Mirum sanè, quod pauci sint electi, in nuptiis siquidem vnum duntaxat non indutum veste nuptiali reiectum videmus. Quid igitur dicendum. Verissima est hæc conclusio parabolæ præsentis. Constat etiam ex sexcentis millibus ex Ægypto egressis duos tantum in terram promissionis fuisse ingressos: cæteris in deserto morte absumptis. Ex decem à lepra mundatis, vnus solummodo gratus Christo extitit. *Luc. 17. Et*

*Luc. 17.* *hic erat Samaritanus.*

Obserua sedulò.

Quemadmodum Gedeon plures ad bellandum vocauit,
sed paucos, hoc est, trecentos ex triginta duobus millibus
sibi duntaxat selegit, quos secum duceret. In trecentis au- *Iudic.* 7.
tem viris, qui lambuerunt aquas, triumphum de hostibus
Gedeon retulit, (vt literis canonicis consignatum est) *sic
multi sunt vocati, pauci autem electi*. Ad vitam æternam suffi-
cienter quidem vniuersi vocantur. 1. *Timoth.* 2. *Vult omnes* 1. *Timoth.* 2.
*homines saluos fieri. & Ioan.* 1. *Illuminat omnem hominem venien-* & *Ioan.* 1.
*tem in hunc mundum, &c.* Multi Cardinales ad summum Pon-
tificem deligendum, in conclaui congregantur: Sed vnus
duntaxat eligitur.

Si totam scripturarum seriem percurrere libet, à mun-
di exordio in hunc vsque diem longè plures malos, quàm
bonos fuisse comperiemus. Quod ex totius orbis partitione,
& Christianorum paucitate satis constat.

Vnde ex Euangelico Vate. *c.* 10. *Scribit Apostolus, Rom.* 9 *Isa.* 10.
*Si fuerit numerus filiorum Israël, tanquam arena maris, Reliquiæ sal-* *Rom.* 9.
*uæ fient.* Tempore diluuij tantùm octo animæ in arca Noë
de cataclysmo præseruatæ sunt. *Genes. c.* 7. 1. *Pet.* 3. *In arca pau-* *Genes.* 7. &
*ci*, id est, *octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod & vos si-* 1. *Pet.* 3.
*milis formæ saluos facit baptisma. &c.* In pentapoli siue, Sodo-
morum regione, decem iusti inueniri non potuerunt. *Genes.* *Genes.* 18.
18. Plures filij Ismaëlis, nempe duodecim principes tribuum
suarum quàm filij Isaac, ex quo gemini procreati sunt Ia-
cob & Esau, duarum gentium siue duorum populorum ca-
pita *Genes.* 25. Inter fratres Ioseph solus Iudas & Ruben vo- *Genes.* 25.
luerunt ipsum liberare, sed præualuerunt cæteri mali. *Genes.* *Genes.* 37.
37. & Ismaëlitis vendiderunt eum. Misit Moses in terram
promissionis exploratores ex duodecim tribubus Israël,
sed duo duntaxat, Iosue & Caleb fideles extiterunt, cæte-
ri populum concitauerunt. *Numer.* 13. *c. Sexcenta millia pu-* *Numer.* 13. &
*gnatorum egressa sunt de terra Ægypti, quorum duo tantùm iam me-* 14.
*morati, terram illam promissam, ingredi promeruerunt. c.* 14. *item
Numer.* 1. Decem tribus Israëlis vitulos aureos, quos ere-
xerat Ieroboam, colebant & adorabant, Deo vero relicto
& eiurato, Et solæ duæ tribus veram seruarunt religio-
nem. O perniciosissimum schisma, altare contra altare, Sa-
maria contra Hierusalem. Vituli conflatiles & Idola con-
tra Deum viuum, excelsa & delubra Idolis erecta contra
legitimum Salomonis templum & arcam fœderis seu te-
stamenti: Hieroboam aduersus Roboam. Et denique

3. Reg. 12. c. Israël aduersus *Iudam* 3. *Reg.* 12. Temporibus Eliæ omnis fermè populus verum Dei cultum abnegauerat & Baal colebat, dempto Elia & paucis aliquot prophetis veri Dei cultoribus 3. *Reg.* 19. Tobiæ senioris seculo, captiuitatis nimirum tempore *cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israël, hic solus pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, fugiens consortia omnium. Tob.* 1 c. Omnes item adorauerunt Aman impium, & piorum virorum iuratum & capitalem hostem, præter Mardochæum. *Esther c.* 3. Solus Mardochæus non flectebat genu neque adorabat eum. Tempore Nabuchodonosor omnes adorabāt statuā aureā, præter Danielē & tres socios, qui ea de causa in fornacem ardentem proiecti sunt, & inde singulari, Dei beneficio, illæsi exierunt. O miraculum! *Dani.* 3. Eam ob rem iure a Domino dictum legimus. *Matth.* 7. *Lata est via quæ ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam. Arcta autem via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Quidam Iudæi Paulo dixerunt: *De secta hac* (Religionem Christianam hoc famoso titulo traducentes) *Notum est nobis, quia vbique contradicitur. Act.* 28 *c.* Maior itaque numerus extitit improborum, quàm electorum.

3 Reg. 19. fine vndeuigesimo. c. Tob. 1. c. Ester. 3 c. Dan. 3. c. Matth. 7. Act. 28. c.

At obiiciet quispiam. Omnes ex æquo Deus O.M. condidit ad Imaginem & similitudinem suam: Omnes in sanguine suo Christus nos redemit. Consequi proinde videtur vniuersos ex æquo saluandos fore: Respondeo, Omnes quidem filii Dei sunt creatione, sed non fide. *Ioannis* 1. *Dedit potestatem filij Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius.* Et Apostolus: *Non omnes filij Abrahæ secundum carnem, filii sunt Abrahæ secundum fidem & opera. Ioan.* 8. *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Prouerb.* 1. *Vocaui & renuistis.* Per solos homines stat quominus ipsi saluantur. Non Deo, sed ipsorum malitiæ id scribendum est.

Ioan. 1. Ioan 8. c. Prouer. 1. c.

Rursus obiicies, Ex regio vate: D*inumerabo eos & super arenam multiplicabuntur*, De electis sermo est. *Psal.* 138. *Et Apoc.* 7. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat &c.* Non igitur pauci sunt electi, sed vix numerari possunt. Respondeo pauci sunt comparatiuè, & relatione facta ad reprobos. Multi interim sunt absolute & simpliciter considerati & secundum se.

Psal. 138. & Apoc. 7. c.

Probabiliter defendi potest, Exbaptizatorum numero plures fore salutem consecuturos, quàm in æternam incursuros damnationem: quod sequētibus confirmatur exemplis, qui in arca Noë seruati sunt, fideles adumbrauerunt & præsigna-

uerunt, ex quibus Cham solus periit à patre maledictus.

Loth cum vxore & filiabus suis Sodomorum conflagrationem effugiens baptizatos denotabat. Sola autem vxor Loth in statuam salis versa legitur: Reliqui salui euaserunt: quod plures ex baptizatis saluandos fore demonstrat. Inter duodecim Apostolos Solus Iudas *periit. Ioan. 6. Nonne duodecim vos elegi, & ex vobis vnus* Diabolus *est?* Et vt vno verbo multa complectar: Nonne præsens parabola id disertis verbis cōprobare videtur? Quandoquidem ex his qui ad nuptias venerunt (per eos autem regeneratos ac fideles intelligere oportet) vnus dumtaxat inuentus est, non habens vestem nuptialem. Sunt proinde inter baptizatos plures, quos Dominus elegit, quàm quos reprobat, & à nuptiali conuiuio excludit. Accedit & talentorum parabola, in qua vnus solus, qui vnum talentum acceperat, effodit in terram, nec multiplicandum illud exposuit. At duo reliqui talenta accepta, magno cum fœnore multiplicare studuerunt, & pro apportato lucro à Domino remunerati sunt *Matth. 25.* Caueant tamen fideles ne præsumant, *quin potius satagant vt per bona opera, certam suam vocationem & electionem faciant: 2. Petri. 1. qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Matth. 10. 24. Nam finis coronat opus.*

Ioan. 6. c.

Math. 25. c.

Animaduerte obsecro, quid inuitatos ne venirent ad nuptias detinuit, Nempe villa & negotiatio secularis. Simile de Israëlitis, super manna nauseantibus, & omne delectamentum in se habentem cibum fastidientibus, Pepones autem atque alia Ægypti ei præferentibus. Prodigus filius pascendus porcis in villam relegatur, & destinatur. *Luc 15. Voluptatum sectatores & amatores, magisquam* Dei, *in illo præfigurati sūt, Ierem 2. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Et Ioan. 3. Lux venit in mūdum, & dilexerunt magis tenebras, quam lucem.*

2. Pet. 1. c.

Math. 10. & 24. c.

Luc 15.

Ierem. 2. c.

Ioan. 3. c.

In hac parabola vna ex parte largissima Dei misericordia nobis ob oculos proponitur, ex altera verò iustissima eâque seuerissima aduersus misericordiæ huius contemptores ira Dei. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. &c. ait Psaltes regius.* Cuius rei typus & figura olim præcessit, *vt Deuter 20. c. scriptum est: Siquando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est saluabitur & seruiet tibi sub tributo: si autem fœdus inire noluerit, oppugnabis eam. Cúmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis masculini est,*

Psal. 100.

Deut. 20.

*in ore gladij. absque mulieribus & infantibus:* quam autem ergà homines legem tulit Deus, ipse cum hominibus simili tenore custodiuit. Prius misericordiam hominibus offerens, nolentes verò misericordiam recipere, aut concesso pœnitentiæ spatio abutentes, iustè grauitérque plectit. Quod & significauit columna nubis & ignis Israëli data in deserto. Nubis est refrigerare, & à solis æstu protegere, ignis contra comburere & omnia consumere. Quisquis vmbram refrigerantem rejecerit, ignem sentiet comburentem, & omnia deuorantem qui enim *multus nunc est ad ignoscendum pœnitentibus*, mulus tum demum erit ad vlciscendum, ac pœnitere nescios puniẽdum. *Conuertimini ad Dominum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ & præstabilis super malitia: Ioel. 2. c.* Qua de re consule Enneades nostras in Ioëlem.

*Ioel. 2. c.*

*Sac Enneades in Ioëlem.*

Subit antem στρατήγημα de Tamburlano Scytarum Imperatore& eius sæuitia. Is enim, referente Petro Crinito. lib. 1. c. 1. de honesta disciplina quò maiorem hostibus terrorem, atque metum incuteret, triplici tentorio in exercitu vti cõsueuit: Sic vt in vnoquoque dispar color appareret, quo animi quoque mutatio militis intelligeretur. Primum enim colore albo, purpureo secundum, tertium nigro proferebat. Idque ratione quadam imperij & victoriæ faciebat. Nam ex colore tentorij volebat ab his cognosci belli conditiones, cũ quibus in certamen descenderet Prima die cùm in conspectum hostium cum exercitu aduentasset, tentorius illud colore albo explicabatur. In quo significabat, nulla in re, si modò se dederet iniuriam se aliquam illaturum. Quod si alteram diem hostis expectasset, tum coloris rubri tentorium educebat, quasi ad cædem & sanguinem. Si ad tridnum res protraheretur, pro colore atro, omnia quidem atra futura: & extremam cunctis occidionem, siue internecionem prænuntiabat Hæc ibi facilis est ad institutum accommodatio. Ne igitur tardemus conuerti ad Dominum, & ne differamus de die in diem. Non simus vasa vacua, sed solum signata. non sufficit characterem Christi ostentare, sed vestem nuptialem oportet habere. Intra per fidei ostum, *Ioan. 10. Ego sum ostium, ait Christus*, Et dignos pœnitentiæ fructus age, Opera exerce charitatis. *Et si vis ad vitam ingredi serua mandata Matth. 19.*

*Pet. Crinitus lib. 1. c. 1. de honesta disciplina.*

*Ioan. 10.*

*Math. 19. c.*

Obserua emphasim huius verbi: At ille obmutuit. quia (inquit Iac. De vitriaco præsenti homilia) non est ibi locus negandi, excusandi, vel aduocandi, nihil ibi (nempe in die iudicij) proderunt Aristotelis argutiæ suæ; ibi Plato cum gym-

*Iacobus de Vitriaco præsenti Homilia.*

nasiis suis obmutescet & palpitabit. Tunc enim obstruentur ora loquentium iniqua. Omnia enim peccata notoria erunt, nec vlla tergiuersatione negari poterunt. *Impij enim in tenebris conticescent. Vnde in libro sapientiæ dicitur: Non habebunt allocutionem in die agnitionis, id est, in die iudicij, non inuenient quid Domino respondeant.* Sap. 3. c.

Si autem ad præsentem statum prædicta verba referantur, dicendum est quòd obmutuit: quia confiteri noluit. Quàm miseri ; qui peccata differunt confiteri! Qui enim veniam pœnitenti promittit, diem crastinum non spopondit. Hactenus præfatus de Vitriaco. Antequam verò huic imponamus finem concioni, quædam non pœnitenda obseruare æquum visum est. Primùm quidem ex Gregorij magni sententia, præsentis Euangelij homilia, quærendum est, An hæc apud Matthæum ipsa sit Lectio, quæ apud Lucam sub appellatione cœnæ describitur? Et quidem sunt nonnulla quę sibi dissona esse videntur, quia hîc prandium, illic cœna memoratur: Hîc qui ad nuptias non dignis vestibus intrauit, repulsus est: illic nullus qui intrasse dicitur, repulsam passus perhibetur. Quã ex re rectè colligitur, quod & hic per nuptias præsens Ecclesia, & illic per cœnam æternum & vltimum conuiuium designatur, quia & hanc nonnulli exituri intrant & ad illud, quisquis semel intrauerit, vlterius non exibit. At si quis forte contendat, hanc eandem esse Lectionem, ego melius puto salua fide alieno intellectui cedere, quàm contentionibus deseruire. Quoniam & intelligi congruè forsitan potest quia de proiecto eo, qui cum nuptiali veste non venerat, quod Lucas tacuit, Matthæus dixit. Quod verò per illum cœna, per hunc autem prandium dicitur, nequaquam vel hoc nostræ intelligentiæ obsistit: quia cum ad horam nonam apud antiquos, quotidie prandium fieret, ipsum quoque prandium, cœna vocabatur. Sic D. Gregorius summus pontifex. D. Gregorius præsenti Euang.

Obiter hîc quæ à Guilielmo Stuchio lib. 1 antiquitatum Cõuiuialium c. 8. animaduersa sunt de Prandij significatu, exscribere placuit: sic igitur ille, Apud Latinos, ait, cibus epulúmve meridianum duobus vocabulis antiquitus fuit appellatum, nimirum cœna & merenda. Quod prius, de illo sic Festus. Cœna apud antiquos dicebatur, quod nunc est prandium Vesperna, quam nunc cœnam appellamus. Idem, meridianum cibum cœnam vocabant De altero idem sic. Merendam antiqui dicebant pro prandio, quod scilicet medio die caperetur. Merenda postea pro cibo post meridiem siue vesperi Guil. Stuchius lib. 3. antiq. conuiuialium c. 8. Festus.

sumpto vsurpata est, teste Nonio. Recentius vocabulum, quo
*Nonius.* meridianum epulum exprimitur, est prādium, Idem Stuckius
c. 11. Apud Iudæos prandia etiam fuisse in vsu (meridiano
*Stuchius c. 11. vbi supra* tempore) ex 2. Reg. 3. demonstratur & insinuatur. Post sepulturam
*2. reg. 3. e.* siquidem Abner cùm vniuersus populus venisset ad Dauidem cibum cum illo capiendi gratia, iurauit Dauid se ante solis occasum, nec panem nec quicquam aliud gustaturum. Ex hoc loco manifestè colligi potest prandia fuisse Iudæis vsitata. Erat enim meridies, cùm prandere voluit populus Abneri peractis exequiis. Contextus sacri verba hæc sunt: Cúmque venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, clara adhuc die (quod bene nota) iurauit Dauid dicēs, Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, si ante occasum solis gustauero panem vel aliud quicquam. sic ibi. Quod si fuisset vespera Dauid non recusasset, neque iurasset, quippe cum comedendo ad vesperam ieiunium non violaretur: Nam vespera finis erat ieiunij. Rursus ibidem. Prandij tempus fuisse meridianum, vel ex illo loco. Genes. 43. satis videtur posse colligi vbi S. Ioseph in meridie dicit fratres suos secum cibum capturos, ac proinde in illud tempus apparari iubet. Textus sic
*Genes. 43. c.* habet: Præcepit dispensatori domus suæ dicens: Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue conuiuium: quoniam mecum sunt comesturi meridie. Videtur proinde meridie prandium sumi solitum in illis regionibus. Iosephus in
*Iosephus in vita sua.* vita sua, quam ipse conscripsi testatur Iudæos hora Sexta die sabbathi prandere solitos Verba eius hęc sunt: καθ' ἣν, inquit (scilicet horam sextam) τοῖς σάββασι ἀριστοποιεῖσθαι νόμιμον ἐστὶν ἡμῖν. Hæc ex Stuchio mutuati sumus, vt ostenderemus, non absurde quia veteres meridie prandere solebant, dum vergeret dies in vesperam. prandium cœnam etiam appella-
*D. Gregorius in Homilia.* ri posse, atque hæc duo aliquoties confundi: vt S. Gregorius magnus obseruauit. Cæterum ex eodem in homilia: Altilia saginata dicimus, ab eo enim quod est alere, altilia quasi alitilia vocamus. Bonos autem malis hìc esse permixtos, com-
*2. Pet 2. c.* probat iusti Loth exemplum, de *quo 2. Pet. 2. iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.*

*Paul. de Palacio in. Matth. 22. c.* *Tauri mei & altilia &c.* Ergo conuiuium erat ex Tauris & altilibus. Ego inquit Paulus de Palacio ad hunc locum, credo tauros & altilia Christum vnicum esse: maximè in Eucharistia, suadeor hac ratione. Vnicus Christus vocatur agnus,

vitulus

vitulus, hircus, ouis, vitula ruffa, turtur, passer occisus, & alia multa: Certè quia vnicus ipse omniũ illorũ vim cõprehendit, & vnicus ipse, pro illis omnibus Si igitur vnus ipse vim habet multorum taurorum & altilium, siue pinguedinum: ergo ipse est tauri & altilia. *Vt enim manna habuit omnis saporis delectamentum: Sap.16.* Ita Christus habet omnium sacrificiorum efficaciam. Quænam alia sunt saginata, per emphasim, nisi Christus? Ipse est *de cuius pinguedine & plenitudine nos omnes accepimus, Ioan.1.* Sap.16. Ioan.1.

Addit textus: *Impleta sunt nuptiæ discumbentium, &c.* Hic impletur illud: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam, Isa. 9. cap.* Ecclesia discumbentibus repleta est. *Verùm non omnes filij, non omnes obediunt Euangelio,* vt scribit Apostolus, *non omnes, quæ sursum sunt quærunt.* Isa.2.

*Pauci electi, &c.* Videlicet quia homicidæ occisi sunt, ciuitas exusta. Soli inuitati sunt, in viis fortè inuenti. Et ex his multi vestem proiecerunt, vt est in nostro Christianismo videre. Hæc ante nominatus de Palacio. Superest, vt pro viribus studeamus omnes, sic vestem nuptialem, nobis comparare in terris, vt tandem à Deo veste gloriæ æternæ mereamur indui in cœlis. Pau.in.

AMEN.

# DOMINICA XX. A PENTECOSTE.

## De regulo, eiúsque filio, à febribus per Christum curato: *Ioan. 4.c.*

*Ioan. 4.*

### *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Ioan. 4.

HVNC infirmam imbecillámque habuisse fidem multa satis indicant, Et quod non credebat Dominum absentem tanta valere potestate, quantum præsens potuisset: Præter hæc, quia instat ac vrget, vt Dominus in Capharnaum descendat, priusquam moriatur filius eius (Non enim credebat Dominum mortuos rediuiuos facere posse) Et demum à famulis suis exquirit horam sanitatis redditæ filio, vt experiretur si à Christo, vel à natura salus obtigerat filio. Sensim autem creuit fides huius reguli. Hic enim audito miraculo celebrato in Cana Galilææ, vbi Dominus aquam in vinum transsubstantiauit, aliquantulam concepit fidem, Dominum posse sanare filium suum, vnde supplex obsecrat illum, in Capharnaum descendere in eum finem. Dein verò auget fidem exilem priorem, credens Domini verbo: Vade, filius tuus viuit: Tandem accipiens à seruis suis filium pristinæ restitutum valetudini, fidem suam consummauit. Hærebit fortassis quispiam, scire cupiens, quid reguli vox importet? Responsio in promptu est: Regulum hic vocari, virum quendam regium, vel, regalem, putántque aliqui vel fuisse Cæsaris consanguineum, Vel, Cæsaris in Capharnaum gessisse vices, quasi proregem dicas, quem Gallicè *Viceroy*, nominamus. Regulus Græcè βασιλικὸς dicitur, palatinus, vir potens & clarus, Græcorum more, qui omne splendidum vocant regium, vt author est Plutarchus duobus in locis, cùm de Poro rege ab Alexandro magno, capto, victóque sermonem

*Plut. to. 1. Op. in Apoph & lib. priore de fortuna Alexandri.*

facit: Interrogauit eum quomodo se vellet tractari? Respondit, Regiè. Ecquid vellet præterea? Respondit rursus, Regiè. βασιλικῶς. adiiciens insuper; πάντα ἐν τῷ βασιλικῶς ἐνεστι. Omnia, inquit, in Regiè, insunt & continentur. Hoc responsum admiratus est Alexander. Theophylactus, post D. Chrysostomum. Regium enim vocat, vel quod ex regio esset genere, & sanguine, vel quod dignitatem quandam, ob quam sic vocaretur, gereret: Aulicum quempiam illustrem imprimis accipe. *Theophil. post D. Chrysost. ad hunc contextum.*

*Rogabat ille vt descenderet* IESVS, *ac sanaret filium eius, &c.* Aduerte quòd regulus non adorasse Christum legitur, sed quasi perfunctoriè & obiter, Gall. *par maniere d'acquit*, rogasse, vt Christus in domum ipsius descenderet, quasi diceret: Rem gratissimam mihi feceris, si in domum meam te contuleris. Vnde ei tantus fastus ac inurbanitas? Quia erat quidam regulus. De leproso, *Matth.* 8. scribitur; quòd Christum adorauerit, *& cap.* 15. de Chananæa similiter, *At illa venit, & adorabat eum, D. Domine adiuua me.* Item de matre filiorum Zebedæi. *cap.* 20. *Accessit ad* IESVM, *adorans & petens aliquid ab eo.* quinimò de Magis, *Matth.* 2. (quos reges fuisse, veneranda testatur antiquitas, vt aliquando σὺν θεῷ nos fusiùs ac copiosiùs tractaturos confidimus) sacer scripsit Euangelista: Et procidentes adorauerunt eum: Christum nimirum recens natum. De hoc verò regulo, nihil simile in præsentiarum legimus, sed simpliciter quod Christum rogauerit, vt descenderet, & cæt. Videri potest Euangelista, ideò regulum nominasse ad insinuandum, cur ille peteret Christum per tam longum iter descendere in ipsius domum: quia videatur huiusmodi aulicis & palatinis, nihil esse denegandum, Sic quinquagenarius ille, imperiosè & arroganter virum Dei alloquebatur: 4. *Reg.* 1. *cap. Homo Dei, rex præcepit, festina, descendere, &c.* Item Naaman vir diues, potens ac fortis, sed leprosus, *putabam*, inquit, *quòd egrederetur ad me propheta, & stans inuocaret nomen Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret.* Notatur in hoc confidentia in diuitiis, & fidei imperfectio. Regulus venit ad IESVM. Et nos ad illum inuitamur. *Matthæi, vndecimo cap. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & cæt.* Res equidem notatione & animaduersione dignissima fuerit, contemplari clementissimum Dominum nostrum, in probatica piscina vnum tantummodò sanasse. In domo Pharisæi vni duntaxat peccatrici pœnitenti pepercisse, ex omnibus adulteris vnam solùm,

*Matth.* 8. *&* 15. *item* 20.

*Matth.* 2.

4 *Regat. &* c. 5.

*Matth.* 11.

quam Iudæi lapidare volebant, defendisse: ex latronibus vni tantùm dixisse, Hodie mecum eris in paradiso, ac denique ex omnibus diuitibus Soli Zachæo dixisse, Hodie, salus domui huic facta est, eo quòd & ipse filius Abrahæ. In his autem verbis, *Venite ad me omnes, &c.* cunctos vocat, & neminem excludit, omnes inuitat, vt ad eum confugiant, *Accedite ad*
Psal. 33. *eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Psal. 33.*

☞ *Hic cùm audisset, quia IESVS veniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat, vt descenderet, & sanaret filium eius, &c.* Perpendite verbum illud: *Cùm audisset, & cæt.* in quo denotatur hunc hominem noluisse occasionem relinquere, quinpotius animaduertens opportunitatem eundi ad Christum, illam statim arripuit, nihil cunctatus. Maximè oportet homines tempori inseruire: *Et dum tempus habemus, operemur bonum,*
Gal. 6. suadet Apostolus, *Gal. 6.* Imitemur Nautarum morem, qui vbi secunda spirare aura cœperit, protinus à littore soluunt, & vela ventis permittunt; eósque, qui vehi volunt, si tantillum morentur, deserunt; ne opportunitatem illam serò redituram prætermittant. Meminerimus vulgati illius versiculi:

Versus Catoni tributus. *Fronte capillata, sed, pòst occasio calua est.*

Extat in occasionem celebre Alciati Emblema. Sic vero habetur ibidem:

Alcia. Embl. 121. in occasionem. *Cur in fronte coma? occurrens vt prendar. At heus tu.*
*Dic, cur pars calua est, posterior capitis?*
Erasmus Chil. 1. cent. 7. Ad. 70. *Me semel alipedem, si quis permittat abire,*
*Ne possim apprenso postmodò crine capi.*

Quod è Græco Posidippi Epigrammate sumptum videtur vt etiam suis in Chiliadibus Adagiorum, in Prouerbio, Nosce tempus, adnotauit Erasmus, ad hũc modum scribens: γνῶθι καιρόν. i. Noueris tempus, seu occasionem & opportunitatem. Occasionis verò simulachrum ad hunc modum fingebat antiquitas: Volubili rotæ pennatis, insistens pedibus, vertigine quàm citatissima semet in orbem circumagit: priore capitis parte capillis hirsuta, posteriore glabra: vt illâ facilè prehendi queat, hac nequaquam. Vnde dictum
Posid. Epigr. Græcũ de occasione. Item, ea de re Ausonius Epigr. 13. est, occasionem arripere. Ad quod erudite simul & eleganter allusit, quisquis is fuit, qui versiculum hunc conscripsit,

*Fronte capillata est, post hac occasio calua.*

Extat & Posidippi super hac re carmen. Item Ausonianum Epigramma, quod è Græco videtur effictum. Illud verò sic habet:

*Sum Dea, quæ rara, & paucis occasio nota.*
*Quid rotulæ insistis? Stare loco nequeo.*
Deinde,
*Occipiti caluo es. Ne tenear fugiens.*

Additur verò hinc pœnitentia comes. Ratio autem sequentibus exprimitur versibus.

*Tu modò dic, quid agat tecum? si quando volaui,*
*Hæc manet: hanc retinent, quos ego præterij.* Sic Ausonius.

Nos Gallicè efferimus, *Tel refuse, qui apres mu se* Quod autem non sit negligenda occasio. Nicephorus, lib. 16. cap. 22. disertis verbis hoc modo suadet: Bello inter Martianum & Zenonem commisso, Martianus rerum potitus est. Atque ille & sceptro potitus esset, & palatium occupasset, nisi rem in crastinum distulisset. Celerrima namque Aquila est, temporis opportunitas & occasio: quæ ad pedes aduolans, capi à quopiam potest: sin aufugiat, in altum aërem sublimis sublata, eos, qui se persequuntur ridet, neque vt ad eos redeat, in animum inducit. Proinde quicumque imagines vel pingunt, vel fingunt, occasioni caput humanum tribuentes, comam in fronte demittunt, occipitium autem ad ipsam vsque cutim tondent: subobscurè quidem, sed sapienter admodum indicantes, si ea à tergo tardiùs nos sequatur, coma prolixiore teneri fortasse comprehensam posse; sin præcedat, minimè prehendi facillimè auolantem, neque persequenti, quicquam quo teneatur præbentem. Id tum Martiano accidit. Quum namque tempus opportunum neglexisset, nancisci id deinde haudquaquam potuit. Postridie enim dies eius à suis desertus, & latitare, & fugam meditari coactus est, & tandem capite raso presbyteri dignitate est cohonestatus. Hæc ibi. καιρὸς, recaluaster occipitio à coma libero, capillis in supercilia diffluentibus olim pingebatur, talémque priùs finxit Sicyonius ille plastes Lysippus. Concinit & Ouidius, lib. 1. de remedio. *Niceph. hist. Eccl. lib. 16. c. 22.*

*Sed propera, nec te venturas differ in horas:* *Ouid. 1. de remedio.*
*Qui non est hodie, cras minus aptus erit.*

Et hæc quidem de occasione, sint satis. Nunc ad textum reuertamur.

*Nisi signa & prodigia videritis, non creditis, &c.* De Samaritanis. *Ioan. 4. c.* legitur, quòd sine signis crediderint: Sed vt scribit Apostolus; Iudæi signa petunt, quod eorum redarguit & conuincit incredulitatem. Docet item Christus se non ad ostentationem sed coactum facere miracula. Thomam ipse redar- *Ioan. 4. 1. Cor. 1.*

guit dicens: *Quia vidisti me, credidisti.* Grauiter etiam Iudæos reprehendit, petentes signa: *Matth.12. & Luc.11. Generatio praua & adultera signum petit, &c.* quod in Decadibus nostris sacris explicatum cōperies. Nunquid Abraham propter signa credidit, cùm illi Dominus diceret: *Egredere de terra, & cognatione tua, & veni in locum, quem mōstrauero tibi?* cùm illi etiam promittere, multiplicaturum se ipsius posteritatem & semen, sicut stellas cœli, & arenā maris? cùm eum his alloqueretur verbis: *In semine tuo benedicentur omnes gentes?* Non quid dixit: Quod signum ostendis mihi? Sed quid ait Scriptura? *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei, ad iustitiam; & amicus Dei appellatus est.* Quod, quæso, signū acceperat, cùm promitteretur ei de Sara Isaac nasciturus? Non considerauit corpus suum emortuum, & sterilē vuluam Saræ, inquit Apostolus. Fortassis refractari Iudęi. Rebelles & increduli (his enim nominibus & epithetis, eos Moses proprius Vates, & legislator ipsorum compellat & alloquitur. *Numer.20.* excusationes proferent, citantes illud: *Qui citò credit, leuis est corde.* Item ex Isaia: *Qui crediderit, nō festinet.* quibus insinuatur authoritatibus, non festinanter esse credendum. Ne oportere omni spiritui temerè fidem adhibere. Te ergo dicente: Ego sum Messias, Quomodo experiemur id verum esse nisi signa & prodigia viderimus id planè contestantia, & comprobantia? Non abs re itaq; signa postulamus. Quibus ita responsum sit. Christus Abrahamo longè ante, per duo nimirum annorum millia, Postmodum Dauidi, ante annos mille, fuerat repromissus, Nunquid hoc est ad fidem festinare? An non per Mosem, *Deuter.18.* vaticinatum fuit ante multa secula. *Prophetam de gente vestra, suscitabit vobis Dominus?* Hinc item vniuersi prophetæ testimonium perhibent. Et ipse Ioannes eius præcursor, illi testimonium reddidit Post tot diuina oracula, Post tot prophetarum vaticinia, post denique Ioannis Baptistæ testimonium, omni exceptione maius. Quare credere detrectatis? cur cessatis? Tantam habentes nubem testium, quamobrem ad credendum non properatis? Sed hìc non leuis insurgit dubitatio. Qua nam ratione incredulitatis arguitur regulus, cùm simili modo Archisynagogus laboranti filię salutem à Domino petierit, dicens: *Veni impone manū tuam super eam, & viuet? Matth.9.* Cui nihil Dominus asperè respondit, quin etiā ipsum in fide vacillantem, in itinere confirmauit, dicens: *Noli timere, tantummodò crede, & salua erit filia tua. Luc.8.* Cur igitur in tam simili causa, tanta in responsione disparitas est?

Matth.12. & Luc.11.
Sac. Dec. authoris.
Genes.15.
Rom.4.
Gal.3. &
Iac.2.
Num.20.
Eccl.19.
Isa.28.
1.Ioan.4.
Deut.18.
Act.10.
Matth.9. &
Marc.5.
Luc.8.

Vterque salutem liberis petebat, vterque Domini præsentiam necessariam esse & credebat & postulabat. Cur ergo Dominus illi obsequitur, cum eo descendit, nutantem ac vacillantem confirmat ac cõsolatur, ad hunc verò neque venire voluit, eum insuper verbis acriter reprehendit? Quis pro dignitate huic quæstioni respondere potest? *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Fatendum vtique aliud, vel in fide, vel in oratione, vel in humilitate alterius subesse, quod nos legentes non videmus: Viderunt autem illi oculi, de quibus Sapiens, *Prouer. 16. Omnes viæ hominis patent oculis eius:* Spirituum ponderator est Dominis, *& 1. Reg. 16. Nec iuxta intuitum hominis ego iudico, ait Dominus, Homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* Quo fit, vt simili secundum externam speciem operi dissimile pretium & compensationem retribuat. Accedit, quod de Archisynagogo cõmuni consensu tres scribunt Euangelistæ, ipsum Christum adorasse, ad eius pedes procidisse, multúmque Christum rogauisse, nihil verò simile de regulo tradit ὁ θεόλογος Ioannes Euãgelista c. 4. sed simpliciter ait eum Christum rogauisse, satis frigide (vt conijcere licet) Maior proinde fuit animi demissio, ac humilitas in Archisynagogo, quàm in Regulo, & cùm humilium deprecatio, sit Deo acceptissima, ac humilibus conferat & largiatur Dominus gratiam, ad Archisynagogi domum descendit Christus, Reguli filium corporaliter non inuisit.

*Rom. 11.* *Prouer. 16.* *1. Reg. 16.* *Ioan. 4.*

Hoc in loco etiam inquisitione dignum est, Quare Dominus ab hoc rogatus, vt in domum eius descenderet, illi acquiescere noluit, cùm à Centurione rogatus, vt seruum ipsius curaret, in domum eiusdem se venturum vltro polliceretur, nedum puerum curaturum? Respondent Gregorius magnus, Homilia 28. Et venerabilis Beda in c. 4. Ioannis, quod filio reguli non dignatur adesse, ad Centurionis seruo non dedignatur occurrere, vt superbia nostra retundatur, qui in hominibus non naturam, sed diuitias veneramur, Excelsus autem Dominus, *Humilia respicit, & alta à longè cognoscit,* inquit, Psalmographus. *Infirma mundi elegit Deus,* ait Apostolus. Diuus item Iacobus. *c. 2. fratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste praclara, & dixeritis ei: Tu sede hic benè: pauperi autem dicatis, Tu sta illic: aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud*

*D. Gregorius Homil. 28. & Venerabilis Beda in cap. 4. Ioannis.* *Psal. 137.* *Iac. 2.*

*vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. Vos autem inhonorastis pauperem.* Sic ille. *Eccles.* 13. *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent.* (Exemplum extat de Herode, *Act.* 12. Populus illo concionante in veste regia & pellucida, *acclamabat: Dei voces, & non hominis.*) *Pauper autem locutus est, & dicunt: Quis est hic?* Scribit Innocentius tertius, de miseria humana seu de contemptu mundi. lib. 2. c. 39. quòd plus defertur vestibus, quàm virtutibus. Exemplum ibidem proponitur. Cùm quidam Philosophus in habitu contemptibili principis aulam adiisset, & diu pulsans non fuisset admissus, mutauit habitum. Tuncque ad primam vocem, aditus patuit, Ille verò ad principem procedens, pallium quod gestabat; cœpit venerabiliter osculari, Mirante principe, cur ita faceret? Philosophus respondit: Honorantem me honoro, quia quod virtus non potuit, vestis obtinuit. O vanitas vanitatum! Non ex vestitu homo iudicandus venit. Cicerone lib. 3. Tusculanarum quæstionum, Cæcilianum illud citante:

*Eccles.* 13.
*Act.* 12.
*Innocentius* 3. *lib.* 2. 39. *de contēptu mūdi.*
*Cicero lib.* 3. *Tusculanarū quæst.*

*Sæpè est etiam sub palliolo sordido sapientia.*

Quintilianus lib. 8. Institutionum Oratoriarũin Procœmio; Cultus magnificus, inquit, addit hominibus, vt Græco versu testatum est, authoritatem. Odysseias. ζ. de pulchris vestibus dicitur:

*Quintilianus lib.* 8. *Instit. in Procœmio.*
*Homerus in Odyssea.* ζ. *id est, lib.* 6.
*Ouidius lib.* 3. *amorum. Elegia.* 7.
*Rom.* 13.

ἐκ γάρ τοι τούτων, φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει,
ἐσθλή. --- Hoc est.
*Etenim ex his fama hominibus nascitur.*
*Bona.* --- At sicut cecinit. Ouidius.
*Curia pauperibus clausa est, dat census honores.*

Dices, forte, *Cui honorem, honorem. Rom* 13. Idcirco diuites in honore habendi. Respondeo, non est acceptio personarũ, dum non propter vestes, sed ad vitandum scandalum, locupletibus honorem exhibemus: quia faciliùs diuites offenduntur. Sic de Aman superbo, *Esther. c.* 5. legitur: *nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum sedentem ad portas regias. Est.* 13. *Tu scis Domine*, dicebat Mardochæus, *quia non pro superbia fecerim hoc, vt non adorarem Aman. (Libenter enim pro salute Israël, etiam vestigia pedum eius osculari paratus essem) sed timui, ne honorē Dei transferrem ad hominem.*

*Esther c.* 5. & 13.

Cæterùm, videns Dominus nos vsque adeò ad huius seculi potentes honorandos, contrà verò, ad pauperes negligen-

eos propensos esse, quia in hominibus non imaginem Dei, non naturam, non merita, non virtutes, non probitatem, sed solas opes suspicimus, & miramur: Voluit nos suo hoc exemplo ab illo errore eripere: nolens in domum principis huius, quamuis rogatus, descendere: In donum autem centurionis, vt famulo eiusdem sanitatem tribueret, venire paratus fuit, ac vltrò hunc centurioni detulit fauorem, & sua voluit honorare illum præsentia, sic promittens: *Ego veniam, & curabo eum* Prophetæ olim hunc stylum etiam seruauerunt. *Matth. 8.*

Eliseus siquidem, vt ex quarto regum volumine colligitur, in domum Sunamitidis ad filium eius suscitandum proficisci non dedignatus est: At verò cùm venisset Naaman princeps militiæ Regis Syriæ, & existimaret se ab ipso honorificè excipiendum fore: Misit tamen ad eum Eliseus nuncium dicens: *Vade & laua te septies in Iordane, &c.* Quare Propheta sancte, vir Dei, non egredieris, & tanto principi non occurris? Excandescet, putans se haberi contemptui, nisi festinaueris occurrere illi, & reipsa, Iratus est Naaman, ait sacer cõtextus; dicebátque, *Putabam quòd egrederetur ad me, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me.* Ne sanctus Vates diuitias solas suspexisse & honorasse in Naaman principe leproso videretur ita se gessit, quod & Christus postmodum erga hunc regulum imitatus est. Adde quod Diui Chrysostomus, Homil. in Iohannem 34. sic scribit: Ideò promisit Christus se iturum, vt per prohibitionem centurionis, fides & deuotio eius manifestaretur. Non sic autem regulus, in fide imperfectus. Ideò addiscere debuit, per id quod non accedit Dominus, quod ipse absens curare posset. Cui subscribit & assentitur Theophylactus his verbis: Quoniam infirmæ mentis erat regius, & vrgebat Dominum. Vt descenderet ad sanandum filium, ostendens ei Saluator, quod etiam absens posset sanare, dicit: Vade, filius tuus viuit. Denique pueri quidem sanant febrem, patris autem incredulitatem. Dicendo, Descende priusquàm moriatur filius meus, &c. infirmitatem fidei suę ostendit, quia non credebat, quod si contingeret mori filium, potens esset eum suscitare: propterea perstringens eum dicit: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Interim autẽ & alios ciues Capernaum accusat, videntur eum vbique, ob multam incredulitatem condemnanari. Prior itaque Regij huius fides imperfecta erat. Ne enim mihi dixeris, quòd non accessisset, nisi credidisset. Nam & patres consueuerunt præ amore erga filios, non solum acce-

*4. Reg. c. 4. & 5.*

*D. Chrisostomus Homil. 34. in Ioannem Consentit ei Theophylactus.*

dere ad medicos, quibus benè fidunt, sed & ad imperitos, nihil ex his, quæ facere oporteat, intermittentes. Accessit quidem ex fide, siquidem & hoc dabimus: sed frigida & imperfecta, quam neque fidem quis rectè vocauerit. Sic Theophylactus. Eadem penè scripserat D. Gregorius magnus. Homil. 28. Neque enim, ait ille, peteret regulus à Christo salutem, quem non crederet Saluatorem. Præsentiam autem Domini corporalem requisiuit, existimans, quòd post mortem eum suscitare non posset. Hæc ille.

*D. Gregorius Papa, Homil. 28.*

*Nisi signa & prodigia videritis, non creditis, &c.* Scribit Cedrenus, contigisse, tempore Basilij imperatoris Religiosi, apud Rossos, in eorum ad fidem conuersione, vt princeps cum suis deliberaret, an Christianismum susciperet? Pontifice, eos ad fidem suscipiendam sollicitante & exhortante. Negant se id facturos, nisi aliquod miraculum viderent. Pontifex, autem fidens ei, qui dixerat, *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, &, qui crediderit, signa faciet etiam maiora, &c.* Postulate, inquit, quod vultis, & confido, quod Deus præstabit, propter fidem vestram. Postularunt verò, vt Euangelij codex in ignem mitteretur, promittentes se eo incolumi manente, Deo, quem ipse prædicaret, credituros; Cúmque Caminus per multas horas arsisset, liber illæsus reperitur. Hoc miraculo Barbari ad baptismum confugerunt. Sic ibi. Incipiebat enim mori, &c. Homo iste Dominum, adijt, cùm iam omnia humana remedia quæsijsset, omnémque diligentiam adhibuisset. Viceuersa primùm omnium inuocandus est Dominus in infirmitate. *Iac. 5. Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, &c.* Maior animi quàm corporis cura habenda est. Medicorum item spiritualium, quàm corporaliū ratio habenda exactior. Non sic Asa egit 2. *Paral. 16. qui cùm ægrotaret anno 39. regni sui dolore pedum vehementissimo, in infirmitate tamen sua non quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est dormiuitq; cum patribus suis & mortuus est, anno 41. regni sui.* Quod igitur hic dicitur. Incipiebat ille mori, nullum iam superfuisse, medicinæ remedium, satis comprobat: omnia autem medicorum tentata fuisse experimenta, in dies nihilominus morbum ingrauescere & exacerbari. Cúmque humano deficeretur pater auxilio, ad febrem filij depellendam ad Christum demum recurrit præsidium, rogátque vt sanare dignetur filium ipsius. Ad illum verè istius pertinebat curatio, qui habet claues vitæ & mortis, qui mortificat & viuificat.

*Cedrenus in compendio historiarum.*

*Ioan. 16. & Ioan. 14.*

*Iac. 5.*

*2. Par. 16.*

Cæterùm, non otiosum esse putemus, quòd non quocunque morbi genere, sed febre, hic reguli filius laborans, incipiebat mori. Nam omne peccatum rectè febris animæ vocari potest, vtique ad mortẽ morbus, & febris letalis, nonnullis considerationibus corporum febri comparandus.

Sicut enim initium febris à frigore est, & desinit in calorem, ita & initium peccati est à defectu viuifici caloris in anima, qui est Dei amor & proximi. Hic est enim ille ignis, quẽ Dominus venit in terram mittere, & voluit vehementer accendi. *Luc.* 12. Hoc igne in cordibus hominum extincto, nihil aliud succedit, quàm frigus iniquitatis, de quo per Prophetam sanctificatum in vtero, *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit populus iste malitiam suam. A facie frigoris eius quis sustinebit?* ait regius Vates. Huic frigori amor peccati & desideria mala succedunt, quæ ad modum letiferi caloris peccatricem animam succensam, immoderatè sitire faciunt diuitias, voluptates carnis, vltionem de hostibus, huius seculi honores, & cætera id genus. Est in febre rigor & tremor. (*Les frissons, & tremblement de tout le corps.*) *Sic Threno.* 1. *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est.*

*Luc.* 12.
*Ierem.* 6.
*Thren.* 1.

Sed & male iudicat de saporibus, qui febre laborat, dicit enim amarum dulce, & dulce amarum. Dulcedinis diuinæ magnitudinem non sentiunt, qui febre iniquitatis palatum cordis habent infectum.

Πυρετὸς à calore igneo, vt à feruore febris dicitur, ab vtriusque linguæ Græcæ nimirùm ac Romanæ peritis, Hispani appositè Calenturas, febres à calore nimirum superfluo & immoderato denominant.

Ianus Donza in præcidaneis, ea de re ita scribit: febris ex re nomini suo respondens, hoc est æstuosa ac feruens, significantissima caloris appellatione à veteribus insignita fuit: vnde Pentametrum illud.

*Ianus Donza in præcidaneis.*

*Qui mea nunc vexat corpora fessa calor.*

Item Iuuenalis.

*---- Sentire colorem.*

*Si cœpit locuples Gallita, & Paccius orbi.*

*Iuuenalis satyra* 12. *post media.*

Nominis item Marcellus: Febris, ait, proprietatem habet à feritate morbi, vel mali, vt à calendo calorem, vel caldorem. Var. Andabatis: Aperiendã putat, Idque alterum appellamus à calendo calorem, alterum à feruore febrim. Sic ibi. Febrium differentias ex Galeno, & rei medicæ peritis, tomo posteriore nostrarum Decadum Sacrarum, concione, de

*Nonius Marcellus in dictione febris.*
*Varro.*
*Sac. Decades authoris Conc. de socru Petri.*

focru Petri, Febrili æstuante ardore, tractauimus, hîc quædam tantum breuiter perstringemus, in tabellæ cuiusdam modum.

1 ἀμφημερινὸς πυρετὸς, id est febris quotidiana.

2 ἐφήμερος, Diaria.

3 πλανῆς πυρετὸς, erratica febris, quæ non determinatis horis accedit.

4 τριταῖος, tertiana.

5 τεταρταῖος, Quartana, valde diuturna, & difficulter solubilis.

6 συνεχὴς πυρετὸς, Continua febris, periculosissima.

7 ἑκτικὴ, ἢ, ἑκτικὸς πυρετὸς, Febris hectica. Tales dicit Galenus, solutu difficiles, quemadmodum & habitus vnde nomen traxisse videntur ex Græca origine.

Radicatæ sunt in medullis, & naturalem humiditatem absumunt.

His septem Febrium differentiis, septem mortalia peccata comparantur.

*Luc 16.c.* 1 Quotidianæ quidem, Gula correspondet: iuxta illud: *Luc. 16. Epulabatur quotidie &c.*

*Ephe. 4.c.* 2 Diariæ, Ira: *Ephes. 4. Sol non occidat super iracundiam vestram.*

*Plutarc. de amore fraterno.* Instar Pythagoræorum, de quibus Plutar opusc. De amore

*Math. 5.c.* fraterno. Ipsi ante solis occasum dextris inuicem datis, exosculatique se mutuo rem componere solebant. Ne in corpore mortali iram geramus & odium immortale, sed cito & quamprimum reconliemur. Math.

3 Inuidia, cum erratica analogiam habet, quando namque quispiam laudatur, accedit & increscit, cùm autem vituperatur recedit.

4 Cum tertiana, cui tertio die accessio oboritur, proportionem habet superbia.

Cuius tres sunt gradus: Nolle subiici superiori, despicere pares & inferiores & in Deum insolenter se gerere.

5 Luxuria, cum quartana. *Daniel. 13.c. Inueterate dierum malo-*

*Daniel. 13. c.* *rum. Prouer. 30 os vuluæ insaturabile. Ioel 1. Computruerunt iu-*

*Prouer. 30.c.* *menta in stercore suo. Carnales in fœtore luxuriæ vitam finientes.*

*Ioel. 1.c.* 6 Auaritia, continuæ febri respondet. *Eccl. 2. cuncti dies eius,*

*Eccl. c. 2.* *doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: & hoc nonne vanitas est?*

7 Accedia cum hectica conuenit. *Math. 20. Quid hic statis tota*

*Math. 20.c.* *die otiosi? & c. 12. eiusdem. Spiritus immundus dicit: Reuertar in domum*

*& 12.c* *meam &c. Et inuenit eam vacantem fiuntque nouissima hominis illius*

*peiora prioribus*, quia nimirum otiosam, & nihil boni operantem illam inuenit. Et hęc quidem nunc de febribus sufficiant. Contextum resumamus.

*Nisi signa videritis &c.* Id cum graui vituperatione dictum puta. Quia comparatione illorum iustificati fuerant Samaritani, quibus dedignabantur Iudaei couti. *Ioann.* 4. quia ipse crediderunt in Christum, non propter signa & prodigia, (nulla enim viderunt) sed propter prophetiam quidem credere cœperunt, quia dixerat mulieri, omnia quæcunque ipsa fecerat: Sed deinde propter Christi sermonem veracem, multò plures crediderunt, dicentes: *Non quia signa vidimus Sed quia ipsi audiuimus. Et scimus*, aiunt, *quia hic est verè saluator mundi. &c.* *Ioan. 4. c.*

Credidit centurio posse omnia Dominum, etiam corpore absentem, vnde & ipse laudem à Domino retulit: *Math.* 8. Hic autem regulus non credebat Christum nisi coram esset posse sanare filium suum, à quo errore etiam non procul abfuit Martha soror. Lazari, cùm diceret: *Domine si fuisses hìc, frater meus non fuisset mortuus*, Vnde regulus increpationem promeruit. Quandoquidem post multa à Christo edita signa, in huius ciuitate Capharnaum post hæc, inquam, omnia, nondum credebat Christum esse Deum. Rogabat tamen pro filij salute, Incertus interim an sanari posset à Christo, cunctis enim, vt dictum est, remediis humanis deficientibus, quasi experimentum facturus accessit ad Christum, non secus quàm si ægroto à medicis iam derelicto permittantur omnia si fortè aliquid ex omnibus vel casu proficiat. Voluit igitur periculum facere in filio, si famæ signorum Christi (quæ iam tunc vbique percrebuerat) ipsius opera responderent Quis ergo iam miretur fuisse reprehensum? Hæc ex Ioanne Royardo minoritanæ familiæ ad hoc Euangelium homilia priore mutuati sumus, &c. *Math. 8. c.* *Ioa. 11. c.*

Quid signum, & quotuplex. Quid item prodigium sit, & vnde dictum, in Enneadibus nostris scripsimus, nec necessarium duximus hoc loco idipsum repetere, ne fastidium lectoribus adferamus. *1. Io. Royardus præsenti. Euang 7. Eumeadus authoris.*

Hic mirari subit singularem Dei bonitatem, quippe qui diuitem se exhibeat ac propitium erga omnes, qui inuocant eum. *Rom* 10. *quique propè est omnibus inuocantibus eum in veritate. Psal.* 144. Qui etiam regulum istum tantillum fidei ostendentem, exaudiuit, & ad maiora incrementa prouexit promouitque: qui Nicodemum non abiecit, Qui denique disertis verbis pollicetur: *Ioann.* 6. *Eum qui venit ad me non eiciam foras.* Ille *Rom. 10 c* *Psal. 144. c* *Ioan. 6. c.*

reguli fidem quamuis imperfectam, non contempsit. Veluti nec fidem alter is patris, qui pro filio lunatico à dæmone obsesso cum lachrymis Christum deprecabatur. *Mar. 9.* dicens. *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.*

*Mar. 9. c.* *Vade, filius tuus viuit &c.* Ergo & illum exaudiuit misericordia Domini saluatoris qui etiam infirma fide postulauit: vt hinc discamus, quod non semper quid nos mereamur attendat Dominus, sed vt cognoscamus, quod multa secundum suam magnam misericordiam beneficentiæ suæ dona sua largitur indignis. Nam regulum à perfecta fide longe dissitum atque remotum, citra omne meritum sumus, exaudire dignatur dicens: *Vade, filius tuus viuit.* Vade inquam, non credis, dum mecum es. Nunc me Deum agnosce, Viuit ecce iam filius tuus. Ergo Dominus iisdem verbis, duos simul curauit. Nam & reguli mentem ad fidem induxit, & à corporis letali morbo adolescentem eius filium eripuit vnde subiungit sacer. Euangelista: *Credidit homo sermoni quem dixerat ei* IESVS *& ibat.* Nondum credentem, appellat regulum: iam verò credentem appellat hominem. Credidit homo sermoni Iesu, hoc est credidit Christum verbo illo filium suum sanasse, quo dixit: *Vade, filius tuus viuit.* Credidit, quòd absens Christus verbo red lere salutem posset, & ita credidit: vt hac fretus fiducia iter arripuerit, non amplius ipsius præsentiam exigens, vt aperte liqueat vno eodemque temporis momento seu articulo Dominum & filio salutem & patri fidem dedisse.

*Eccles. 12. e.* *Credidit homo &c. Eccles c. 12.* hoc est omnium postremo. *Deũ time: Et mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* Ita & dicendum arbitror; ad hominem maxime fidẽ spectare & pertinere *sine qua impossibile est placere Deo: Heb. 11.* Iã fides non ad Angelos beatos pertinet, *Angeli enim eorum* (paruulorum) *in cælis semper vident faciem patris. Math. 18.* Non ad bruta, rationis & liberi arbitrij expertia. Non propriè ad Dæmones spectat fides meritoria. Sunt enim extra statum merendi, quando quidem irreparabiliter corruerunt, æternis ignibus addicti. Non nego, In dæmonibus credulitatem quandam manere: dicente Apostolo *Iacobo c. 2. Tu credis, quoniam vnus est Deus. Benè facis: Et Dæmones credunt, & contremiscunt.* fidem quandam historicam & nudam in illis asseuerat, sed non est fides iustificans, quæ per charitatem operatur: *Gal. 5.* non est illa fides meritoria, viua & efficax: de qua: *Mar. 16. seu vltimo cap. Qui crediderit & Baptizatus fuerit, saluus erit: Et Ioannis 3. Qui credit in eum non iudicatur: Et Actorum c. 13. In hoc* (Christo) *om-*

*Hebr. 11. c.*
*Matth. 18. c.*
*Iac. 2. c.*
*Gal. 5. c.*
*Mar. 16.*
*Ioan 3. c.*
*Act. 13. c. & 15.*

*nis qui credit iustificatur:cap.item.*15. Petrus ita concionatur: *Nihil discreuit Deus inter nos & Gentes, fide purificans corda eorum* Nũc sequentia perspiciamus *Serui occurrerunt & nuntiauerunt dicentes, quia filius viueret.&c.* fortassis occurrebant, vt superfluum fore christi aduentum dicerent. Viderant quippe non cõmuni febricitantiũ more sanatũ reguli filiũ, omninò subito ac repente, vt constaret non naturæ, sed Christi hoc opus esse. *Interrogabat pater, qua hora melius habuisset? Dixerunt, quia heri hora septima reliquit eum febris &c.* Quo signo poterant vtique & ipsi serui ad Christi fidem adduci. Interrogabat horam, qua sanitatem recepit. Nimirum scire percupiens, Num eodem verbo, quo dixerat ei IESVS, filius tuus viuit, eodem, inquã, verbo febre fugata, salus ipsa tam cito rediisset sciebat, quippe, horam illam, & diligenti memoria tenebat ex industria notatam, eo sanè consilio, vt si hora recuperatæ sanitatis, illa esset in qua dixerat illi IESVS: *filius tuus viuit*: iam de diuina Domini Christi virtute haudquaquam hæsitaret, quin ipse esset filius Dei viui, ex æquo cum patre omnipotens, cui nihil impossibile est *Luc.1. Non est impossibile apud Deum, omne verbum.* Merito proinde subditur: *Credidit ipse, & domus eius tota &c.*
Antea credidit sermoni, modo verò credidit in Christum, ipsum scilicet esse verum Messiam ac mũdi Saluatorem ingenuè professus, nec modò ipse credidit, verum etiam domus eius tota, Domini sui fidem imitata, eodemque miraculo ad fidem Christi adducta. Qua in re videre est, quantùm ad eruditionem seruorum, exempla conferant dominorum *Primi Regum vltimo capite legimus* Saulem sibi necẽ cõsciuisse, superque gladium suum irruisse. *Quod cum vidisset armiger eius, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo* Existimauit infelix ille, æquum esse sui sequi Domini vestigia, quod in bono opere verum quidem est, non autem in nefario & criminoso opere: Cuiusmodi est sui ipsius cædes. Scribitur quoque *Luc. 23.c. Herodem Galilae tetrarcham, spreuisse Christum passionis tempore, cum exercitu suo.* Illusor enim dominus, illusores seruos habuit. secundum namque rectorem populi, tales & subditi reperiuntur, vt Diuina testantur oracula. Cùm Clodoueus (vt annales Gallici commemorant) fidem publicè profiteretur, & ad sanctum conuolaret lauachrum, à B. Remigio baptisatur & vnctus, ipsius exemplo tria hominum millia baptismo initiati sunt, & Christo nomina dederunt, eiurato Gentilitatis errore. Du Hailan, modernus scriptor Gallicæ historiæ ea de re sic quidem conscripsit: Verba eius referam. A Clovis j.

*1.Reg. vltimo cap.*

*Luc.23.c.*

*Francici Annales.*

*Du Haillan en l'Histoire de France de Clovis j.*

*la predication de sainct Remy les soldatz du Roy Clouis, prindrent tel goust, que sur l'heure troys mille se firent Chrestiens, à lexemple de Clouis baptisé sa sœur Lantielde ou Andechilde delaissa son heresie Arrienne, & reuint au giron de la pure & vraye foy Chrestienne, & tous les François à lexemple de leur Roy, & à la priere des vieux Gauloys Chrestiens prindrent le baptesme. Telle & si grande est la force de la vie & des mœurs & actiōs d'vn Roy, que tous ses subiects se composent à son exemple & imitation. Et tel qu'est le prince, tel veult estre son peuple, qui se dresse ou tord, selon que son Prince tient le compas, la reigle ou l'esquerre de sa vie. Cela aduint l'An 499. le 12. an du regne de Clouis.* Sic præfactus Gallicus historicus. Notissimus est Claudiani versiculis.

*Claudianus Poeta Panegyri. 7. de. 4. Honorii consulatu.*

*Regis ad exemplum totus componitur orbis.*
*Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.*

Cauendum interim à priuata huius scriptoris opinione, existimaui, in eo quod ibidem scribit ad hunc modum gallicè. *Gregoire Archeuesque de Tours escrit. que le Roy, Clouis, apres son baptesme fust couronné, & ne parle point qu'il fust oinct ny sacré. ains seulement Baptisé, & ne fait aucune mētion de la saincte Ampoulle: bien qu'il parle assez d'aultres miracles. Ceste Ampoulle toutesfois religieusement gardee dedans l'Eglise sainct Remy de Rheins, sert à oindre les Roys à leur sacre.* hactenus Du Haillan prænominatus. Gregorij Turonensis ipsissima verba recensebo: Baptizatus est Clodoueus delibutúsque sacro Chrismate, cum signaculo crucis Christi de exercitu verò eius baptizati sunt amplius tria millia, Baptizata est & soror eius Albofledis: Conuersa est & alia soror eius Lanthildis nomine, quæ in hæresim Arrianorum dilapsa fuerat, quæ confessa æqualem filium patri & Spiritum sanctum, chrismata est. Sic Gregorius. Audis eum dicere Clodoueum regem delibutum fuisse sacro chrismate: Impostor est igitur hac in parte, ne quid grauius & acerbius dicam, qui negat Gregorium loqui de vnctione siue, vt ita dicam, de chrismatione regis Clodouei. Quamuis autem expresso nomine seu vocabulo Ampullæ ibi non meminerit Gregorius, satis tamen hoc insinuat eum chrismate fuisse perunctum disertis verbis professus, In ampulla nimirum (vt antiquitas veneranda perhibet) chrismate cœlitus per columbam delato. Et ne authoritate defici videamur: Annonium monachum, de gestis Francorum lib. 1. cap. 16. citabimus testem: Is baptismum Clodouei describens, subiunxit. Quod verò grata

*Gregorius Turonensis lib. 2. historia Francorum. §. 31.*

*Annonius li. 1. de gestis Franc. c. 16.*

accep

acceptabilisque Deo prædicti regis fides fuerit, ostensum declarauit miraculum. Nam cùm fortè, qui chrisma ferebat interclusus à populo deesset, Ecce subitò non alius sine dubio, quàm sanctus apparuit Spiritus, in columbæ visibili figuratus specie: Qui rutilanti rostro sanctum deferens chrisma, inter manus deposuit sacerdotis, vndas fontis sanctificantis. Fit gaudium & exultatio: baptizantur multi de populo: Deo laudes, Deo gratiæ acclamantur, &c. Sic ibi. In ampulla non est dubium chrisma fuisse allatum è cœlo à columba. quod Du Haillan, tacitus pernegare audet, Imò non veretur antiquitati hac in re formaliter contradicere. Et vt magis impudentia nouatorum istorum reuincatur: Proferamus Hincmari, Remensis Archiepiscopi, in vita S. Remigij eiusdem loci item Archiepiscopi, testimonium, quod apud Surium, to. 1. mense Ianuario 13. die extat sub hac verborum serie.

*Contra Du Haillan.*

*Sur. to. 1., 13. Iãu. ex Hincmaro in vita D. Remigij.*

Cùm peruenissent ad baptisterium, clericus qui chrisma deferebat, à populo est interceptus vt ad fontem venire nequiuerit. Sanctificato autem fonte, nutu diuino chrisma defuit. Et quia propter populi pressuram vlli non patebat egressus Ecclesiæ vel ingressus, sanctus pontifex oculis ac manibus prætensis in cœlum cœpit tacitè orare cum lachrymis. Et ecce subitò columba, niue candidior, attulit in rostro Ampullulam (Aures attige nouator) chrismate sancto repletam, cuius odore mirifico super omnes odores, quos antè in baptisterio senserant, omnes qui aderant inæstimabili suauitate repleti sunt. Accipiente autem sancto Pontifice ipsam Ampullulam (Nota iterùm sedulo) species columbæ disparuit. De quo chrismate fudit venerādus Episcopus in fontem sacratum. Hæc author haudquaquam proletarius. Subiungit statim vbi suprà: Sic post confessionem Orthodoxæ fidei, ad interrogationem sancti Pontificis, secundum Ecclesiasticum morem, baptizatus est trina mersione, in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus sancti. Et susceptus ab ipso pontifice de sancto fonte, perunctus est sacro chrismate, cum signo sanctæ Crucis Domini nostri IESV CHRISTI. Baptizantur autem de exercitu eius tria millia virorum, exceptis paruulis & mulieribus. Baptizantur sorores eius Alboflедis & Landehildis, & factum est gaudium magnum in illa die, & cæt.

*Nota de sācta Ampulla.*

Et paucis interiectis subditur: De miraculo siquidem, quod Dominus dignatus est ostēdere per columbæ speciem

in allatione chrismatis, sicut & de aliis, rata est Catholicorum Patrum sequenda sententia, qua dicitur: Diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

Baptizatus est autem rex cum gente integra. Hucusque veridicus historicus, & Catholicus venerandæ antiquitatis scriptor: Cui cedat neoterici Haillani opinio oportet, & rationi est consentaneum. Nec eius ab authoritate Gregorij Turonensis negatiuè ductum argumentum, vllius debet esse ponderis aut momenti: De ampulla apud Gregorium nulla fit mentio. Ergo firmam solidámque, id non habet authoritatem. Imò verò Grauissimi authores supra citati ampullulæ meminerunt, vt constat. Extremæ proinde dementiæ fuerit, imò audaciæ impudentissimæ, id negare velle. Et hæc veluti per non prætermittendam occasionem dicta sint. Nunc ad intermissa redeamus.

*Eccl.18.* *Credidit ipse*, inquit contextus, *& domus eius tota.* Vnde *Eccl.10.* *secundum iudicem populi sic & ministri eius, qualis rector est ciuitatis,* *Act.10. 16. & 18.* *tales & inhabitantes in ea.* Hinc *Act.10.* *Centurio timens Deum, cum omni domo sua. ca.16. Custos carceris baptizatus est, & omnis domus eius continuò. cap.18. Crispus Archisynagogus credidit Domino, cum* *Seneca in Thieste.* *omni domo sua.* Seneca tragicus in Thieste, *Act.2.*

*Rex velit honesta, nemo non eadem volet.*

*Cic.3. de legi, Isocr. ad Nico.* Cicero. 3. de legibus. Plus exemplo principes, quàm peccato nocent. Et Isocrates ad Nicoclem. Tua, inquit, temperantia, fac aliis exemplo sit. Nec ignores totius ciuitatis mores, ad *Luc.16.* exemplum magistratuum conformari Græcè sic: τὸ τῆς πόλεως ὅλης ἦθος ὁμοιοῦσθαι τοῖς ἄρχουσι. *Luc.16.* Diues crudelis erga Lazarum, omnes domesticos sibi similes habuit. *Nemo illi dabat:* ait Euangelicus. Gallicè dicimus: *Tel maistre, tel valet.*

Cæterùm, mysterio non vacat, quod dicitur: Hora septima reliquit eum febris, &c. Septies lotus in Iordane Naaman mundatur. Septiformis gratia in baptismo confer-*Lib. Iosue.* tur. Septies ducta arca circum Hiericho, miraculo grandi muri eius corruerunt, *in lib. Iosue.* Septima hora curatur filius reguli, quia declinante mundo, & ad occasum vergente, seu circa finem mundi, conuertentur Iudæi, iuxta Vaticinium *Exod.21.* illud tritissimum: *Reliquiæ Israel salua fient, &c.* Et *Exod.21.* *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi. In septimo egredietur liber gratis.* Septenarius numerus in sacris mysticus est.

Notabis hoc in regulo, tres fidei gradus. Primus, cùm

credidit Saluatorem præsentiâ sui, ægrotanti filio posse salutem reddere. Secundus, cùm post increpationem credidit sermoni Christi: Vade, filius tuus viuit. tunc namque credidit Christum etiam absentem, salutem reddere potuisse. Tertius, cùm credidit ipse & domus eius tota. Credidit, inquam, Christum esse verum Messiam & mundi Saluatorem. Necessariò autem fatendùm est, fidem eius edito miraculo auctam fuisse. Aliud verò est, *Credere Deo, Credere Deum, & Credere in Deum, &c.*

Antequam autem huic finem imponamus homiliæ; ex Iudoco Clithoueo, ad præsens Euangelium, valdè accommodatã hanc mutuati sumus allegoriam. 1. Febris quotidiana, significat peccatum Gulæ, propter quotidianam nutrimenti exactionem. Vnde apud Isaiam, c.56. ita cohortantur se inuicem ad malum, huic morbo dediti: Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multò amplius. 2. Febris Ephemera, vno tantum die durans, designat peccatum iræ in eis, qui ex cholera subito nocte concitantur ad iram, sed paulopòst facilè placantur, & redeunt in tranquillitatem pristinam animi. 3. Febris erratica, sic dicta quia non accidit statis, nec certis horis, sed modo vna hora, modo alia: Designat peccatum inuidiæ, quæ cùm quis laudatur, in quem habetur inuidia, inuadit animam inuidi, & eam excruciat; cùm verò is vituperatur cui quis inuidet, ampliùs non torquet mentem. 4. Febris tertiana, qua laborant illi, qui de malis quæ perpetrarunt, nolunt condignam satisfactionem agere, quia detinentur pigritia, acedia, & tædio bene agendi. Contritionem quidem peccatorum habent, & sacramentalem, confessionem sed sicut Pharaonis Magi, in Exodo, in tertio signo defecerũt) ita isti in tertio pœnitẽtiæ salutaris articulo deficiũt, scilicet in satisfactione pro peccatis subeunda. Nolunt enim restituere, quæ abstulerunt, neque ieiunium assumere, neq; eleemosynam facere, neque orationis faciendæ laborem subire. Quicumque ergo desides sunt & segnes seu pigri ad bonũ, hac febre laborant. 5. Febris animæ continua & assidue afflictãs est, qua maxime laborãt auari. Cæteri enim aliis subiecti vitiis habẽt interpolationẽ in peccatis suis, neque assidue in illorũ actibus versantur. Auari autẽ & die & nocte, Imo qualibet hora & momẽto, intẽti sunt animo, quomodo pecuniã suã adaugeãt, & lucris lucra superaddãt. *Auarus nõ implebitur pecunia.* Hæc autẽ febris continua spiritualis, sæpe auaritia, cito occidit, nõ solũ animã, sed & corpus, quoniam tollit ab homine cibum, somnũ & quietem. Non enim

Iudoc. Clitho. ꝑ asenti Euã.
1.
Isa. 56.
2.
3.
4.
5.
Eccl. 5.

audet auarus ad necessitatem sumere cibum & potum, ne aliquid suarum rerum expendat: Nec placidam membris dat cura quietem,

Virgilius. *Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,*
*Mens auidi.* ------

E diuerso liberales & largi, diuturno viuunt tempore, quia his carent anxietatibus, & angustiis animi. Vnde *Prouer.* 28. *Qui odit auaritiam, longi fient dies eius.* Addam & istud, ex Cicerone, lib. 2. de officiis, circa finem: Quod Apollo Pithius oraculum edidit, Spartam nulla alia re, nisi auaritiâ esse perituram: id non solum Lacedæmoniis, sed omnibus opulentis populis videtur prædixisse. Sic ille. 6. Febris spiritualis, est quartaua, designátque Luxuriam, quæ per corpus expletur quod ex 4. elementis constat dicente Apostolo, 1. *Corinth.* 6. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Insuper febris quartaua corporalis, multùm est diuturna inter alias febres, interdum vno anno, interdum duobus durans, quandoque verò diutius. Ita rectè vitium libidinis, cum semel corripuerit hominem, nisi adsit ei gratia Dei specialis & adiutrix, ad finem vsque vitæ etiam in canitie perdurat: *vt suprà ex Ioel.* 1. citatum fuit: *Computruerunt iumenta in stercore suo*, in fœtore nimirum luxuriæ, interprete Gregorio Papa. *Salomon quoque, cùm in senectute ardentissimo mulierum amore detineretur habuit vxores quasi reginas septingentas, & concubinas trecentas, & auerterunt mulieres cor eius. Cúmque iam esset senex, deprauatum est cor eius, per mulieres, vt sequeretur Deos alienos, &c.* 3. *Reg.* 11. Et tamen necdum in eo extincta erat, aut satiata libido carnalis concupiscentiæ, quoniam erat insatiabilis. Demum 7. febris est hectica, quæ est multùm periculosa; quia radicatur in membris corporis, in quibus naturalis humor consumitur: & ita humido radicali ac naturali destituta membra, fiunt arida & sicca, vt vix pellis hæreat ossibus, consumpta carne. Et hæc febris designat Superbiam, quę animam, quam occupat, omni humore diuinæ gratiæ priuat: & eam aridam tandem deducit ad mortem æternam. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, &c. Prouerb.* 3. *Iac.* 4. 1. *Petr.* 5.

*Prou.* 28. *Cic l.* 2. *de Of. versus finem.* 6. 1. *Cor.* 6. *Ioel.* 1. 3. *Reg.* 11. 7.

Contra septenarium istum numerum febrium animæ, alius est septenarius medicinalis, adhibens salutare remedium istis morbis, eósq; ab animo depellens, & sanitatem illi restituens. Mysticè verò in Euangelio innuitur, cum dicitur, quòd hora septima reliquit eum febris. Enimuerò per horam septimam intelligitur septiformis gratia Spiritus sancti, vt ait Glossa in-

*Pro.* 3. *ex* 70. *Iacob.* 4. & 1. *Petr.* 5. *Gloss. interlin.*

terlinearis, per quam omnia febrium animæ genera sanantur & curantur. Studeamus igitur per septuplicem Spiritus sancti gratiam, has septem animæ febres depellere à nobis. Hactenus Clithoueus.

Nec prætermittendum duxi, quod Iac. de Vitriaco ad hoc Euangelium annotauit: Regulum hunc Patres antiquos adumbrasse: Sicut enim ad literam regulus iste desiderabat, & postulabat salutem filij: sic antiqui patres desiderabāt, & supplicabant pro salute generis humani, vnde & dicebant: Descende priusquam moriatur & prorsus damnetur genus humanum, quod grauibus febribus detinetur. Descēde per humanæ carnis assumptionem, vt populum iam morientem per iniquitatem, salues per mortem. Clamabant igitur sicut dicitur in Isaia: vtinam disrumperes cœlos & descenderes. q. d. Vtinam festinares, & victus misericordia carnem assumeres. Et quoniam salui fieri non poteramus, & à febribus curari, sine Christi passione. Hora septima febris infirmum reliquit. Inter sextam siquidem, qua crucifixus est Christus, & nonam, qua mortuus est, passus est Dominus pro curatione febricitantis. Atque contra frigus febrile, sanguinem calidum fudit, & contra calorem præter naturam, quo æstuat febricitans, aquam de latere emisit. Hæc præfatus scriptor. Sicque maxima nobis spes affulsit salutis, Domino nos consolante, & dicente: *Vade, filius tuus viuit.* Hebraismus est: idem significans, quod, filius tuus, bene valet, sanus & incolumis est. Vt autem dicendi finem aliquādo inueniamus. Superest, vt huius instar reguli in fide proficiamus, vt omnia sint fausta, prosperéque succedant: dicente Iosaphat pio rege. 2. *Paral.* 20. *Credite Domino, & securi eritis: Credite prophetis eius, & cuncta vobis euenient prospera.* Vnde meritò subditur hoc loco: Heri hora septima reliquit eum febris. In quem locum Sic noster Ferus. Septima hora, inquit proxima est post meridiem, atque hæc ipsa hora est, in qua omnis æger peius habere incipit secundum naturam: quia tunc Sol à summo cœli incipit declinare, & cum declinatione Solis omnis virtus ægri incipit cadere & declinare. Hinc igitur patet, quod hæc curatio non fuit naturalis, sed miraculosa. Ingens autem consolatio nobis hoc verbo datur; nempe quod Christus etiam vbi natura deficit, sanare & adiuuare potest. Discamus etiam deficiente natura bene sperare.

*Iac. de Vitri. ad hoc Euāg.*

*2. Paral. 20.*

*Io. Ferus hoc loco, in Ioan.*

*Spes autem non confundit,* inquit Apostolus, *In te Domine speraui non confundar in æternum.* Psal. 70. *Etiam si occiderit me, in ipso spe-*

*Paulus. Psal. 70.*

Iob 13. *rabo*, dicebat patientiſſimus hominum, S. *Iob*, *c*. 3. *Fiat*, Rogamus & ſupplicamus, imo vero obſecramus clementiſſime IESV, *miſericordia tua ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.* Pſal. 32. & *Pſalm*. 32.

31. *Sperantem autem in Domino miſericordia circundabit. Pſalm*. 31. *Saluum fac ſeruum tuum, Deus meus ſperantem in te.*

AMEN.

---

# DOMINICA XXI. A PENTECOSTE.

## De rege rationem cum ſeruis ſuis ponente. *Matth*. 18.

Matth. 18.

*Aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui volu t rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus qui debebat ei decem millia talenta. Dum autem non haberet vnde redderet iuſsit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat & reddi.* Matth. 18.



HINC exordium duxi, vnde quotidiana oratio Dominica, Patrem miſericordiarum his interpellat ſermonibus: *Pater noſter, qui es in cœlis, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Matth*. 6. D. autē *Lucas* c. 11. *ſic expreſſit: Dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis.* Qua ex collatione, & locorum comparatione eluceſcit, debitorum nomine peccata intelligi; veluti: & *Luc. ſeptimo cap. Duo debitores erant cuidam fœneratori, Non habentibus illis vnde redderent, cùm ſcilicet*

Matth. 6. & Luc. 11.

Item, c. 7. & 13.

*soluendo non essent, donauit vtrisque, rursus c. 13. de illis decem & octo, super quos cecidit turris Siloë, Putatis*, inquit Christus, *quia ipsi debitores fuerint, præter omnes homines in Hierusalem?* Non. Sed si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis. Præsenti item Euangelio, constat peccatum appellari debitum, eoquòd peccatorem æternæ pœnæ debitorem reddit. In anima siquidem peccatrice, transeunte actu peccati, manet reatus siue obligatio pœnæ æternæ. Et ne id recens excogitatum putetis, Apostolorũ coryphæus & princeps Petrus, Magum ita compellat: c. 8. *in Actibus Apost. In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Non solum verò peccatum dicitur debitum, verumetiam debitum maximum: Vnde in contextu, dicitur de primo debitore: *Qui debebat ei decem millia talenta.* Nemo sanè est huic alieno æri soluendo, tam ingenti summæ ex se solo quis sufficiat? Peccatum est infinitæ malitiæ obiectiuè, quia in bonum summum ac infinitum committitur: Est etiam diuinæ gratiæ expulsiuum, demeritoriè scilicet Gratia autem includit in se pretium vitæ Christi. 1. Cor 6. *Empti estis pretio magno.* In ea est thesaurus vitæ & mortis Iesu Christi, qui est infiniti valoris. Igitur qui lethale crimen admittit, reus est læsæ maiestatis diuinæ, & pretiosissimi sanguinis Christi, ac sanctissimæ eius gratiæ dissipator, & quantùm in se est, conculcator. Quod si vnum duntaxat peccatum tam magnum debitum est, miser profectò ille est, qui plurima grauia & atrocia perpetrauerit, quomodo dormire ac quiescere potest, cum tantis oneribus sit oppressus? Narrat Macrobius lib. 2. Saturnaliorum c. 4. De Iocis Augusti in alios, quod relata ad se magnitudine æris alieni, quam quidam eques Romanus dum vixit excedentem. HS. (Sestertium) ducenties, celauerat, culcitram emi cubicularem in eius auctione sibi iussit. Et præceptum mirantibus, hanc rationẽ reddidit: Habenda est ad somnum culcitra in qua ille, cùm tantum deberet, dormire potuit. Sic ille. Hoc prudens Imperator dicebat, illum hominem deridens, qui cùm tantis debitis oneratus esset, ita otiosè ac incuriosè viuebat, ac si nullum haberet. O infelices nos! quæ culcitra nos cooperit, & in nobis tantam obliuionem efficit, vt cùm tantis debitis onerati simus in vtramque tamen aurem dormiamus perinde ac si quicquid sanctum Dei Euangelium docet, meræ essent nugæ, & vna quædam puerorum terriculamenta & aniles fabulæ? Quod si imperator equitem

Math. 18.

Act. 6.

1. Cor. 6.

*Macrobius lib. 2. Saturnaliorum. c. 4.*

illum deridebat, quanto æquius dæmones nos deridere ac ludibrio habere possunt, cum nos ita oblitos in re tam graui tantique momenti ac ponderis conspiciant.

Zach. 5. *Oblatus est vnus, qui debebat decem millia talenta, &c.* Zach. 5. Vates sacer talenti nomine impietatem designat, ita scribens: *Ecce talentum plombi portabatur, & dictum est: Hæc est impietas.* Talentorum verò significatio acceptióque varia est ac multiplex quemadmodum lib. 1. de Asse Guil. Budæus exponit fusius. Eius verba sunt Talentum multiplex fuit auctore Festo. Atticum autem sex millium denariorum fuisse dicit. Talenti magni meminit Plautus in Mostell. his verbis.

Guilliel. Budæus: de Asse lib. 1.
Festus.
Plautus in Mostel.

*Si hercle nunc ferat sex talenta magna argenti, &c.* Suidas & Hesichius talentum apud quosdam centum & viginti quinque librarum fuisse tradunt. Nemo talentum apud scriptores rerum in Græcia aut Asia à Romanis gestarum: minus fuisse libris sexaginta contenderit: vt arbitror. Nunc talentum æstimabimus sexcentis coronatis nostris. Hac ratione decem talenta, sex millia coronatorum valent. Et mille, sexcenta millia, Ita fit vt quod Græci quinquaginta talenta argenti dicunt, Romani duodecies sestertium dicant, Hactenus Budæus. Sunt ergo iuxta æstimationem æris nostri decem millia talenta, ( *six millions de ducats, ou d'escus couronne, que nommons autrement escus au soleil.* ) Duplex talentum in sacris legimus, vnum argenti, alterum auri: 3. Reg. 10. *Regina saba dedit Salomoni 120. talenta auri, & 4. Reg. 5. Duo argenti talenta dedit Naaman Giezi discipulo Elisei, quibus vineas emere, & complura alia volebat.* Porrò, Tobiæ debebantur decem argenti talenta. Tob. 1. Ingentis pretij erat talentum, vt ex supradictis locis satis constat. Nec obiter prætermittam hîc commemorare, de æris alieni relaxationi & condonatione notatu dignas historias. Scribit Plutarchus to. 1. Vit. in Solone, quomodo totus Atheniensis populus erat ære alieno oppressus à diuitibus. Nam aut illis arabant sextantem fructuum pésitantes, aut corporis nexu duci à creditoribus poterant, quorum partim seruiebant ibi, partim extra patriam venundabantur. Multi etiam liberos suos distrahere compellebantur, (neque vetebat lex) & vrbem propter fœneratorum crudelitatem deserere. Ibi maxima & validissima pars coitione facta sese mutuò cohortati sunt, ne ea tolerarent, Et Solonem orauerant vt Remp. capesseret, & componeret controuersias ciuium. Hoc fuit in actis

3. Reg. 16.
4. Reg. 5.
Tobiæ 1.
Plut. to. 1. vit. in Solone.

eius primum. Siquidem tulit, vt reliqua remitterentur, & nequis fœneraret deinceps in corpus. Citò huius decreti animaduersa commoditate, querelas deponentes suas priuatas publicè sacrificauerunt. Idque sacrificium appellauerunt Tabulas nouas. Sic ibi. Pardulphus Prateius hanc Solonis legem primam ponit: Σεισαχθεία κυφίζεσθαι τὺς χρεωφειλέτας. Hoc est, Excusso debiti onere, leuantor debitores. Legem hanc à prudentissimo nomotheta seu legislatore Solone principio latam, conscriptum reliquere Diogenes Laërtius. lib. I. & Plut. in Solone. Σεισάχθειαε tabularum omnium abolitionem fuisse rectiùs censuerunt interpretes. Sed & prudentissimis rerum scriptoribus Σεισάχθεια, χρεῶν ἀποκοπὴν, significat (id est, oneris iniqui seu debiti excussionem & rescriptionem, & alleuationem debiti, Nouas tabulas Latini vocant.) Cæterùm Solonis quoque exemplo fisco, debita Hadrianum Cæsarem remisisse Spartianus commemorat, idque effecit vt gratiam colligeret. Sed & apud Plutarchum in Cæsare legimus, Σεισαχθεία ἐκύφιζε τὺς χρεωφειλέτας. Sic Prateius. Laërtius verò in Solone refert. Primum ipsam, Σεισάχθειαν inuexisse Atheniensibus Solonem. Sic autem appellabatur corporum possessionûmque redemptio. Plurimi enim per summam inopiam fœneratoribus corpora sua exponebant, ac super his fœnerabantur. Cum igitur septem sibi talenta ex patrimonij sui iure deberentur, ea primo remisit, ac reliquos idem facere exemplo suo prouocauit, eáque lex Sisathea appellata est. In margine habetur: Σεισάχθεια lex dicto, ἀπὸ τῦ ἀποσείσασθαι τὰ βάρη τῶν δανείων .i. ab eo quod subleuarentur, ac excuterent æris alieni intolerabilem sarcinam. Sic ibi.

*Pardulphus Prateius in iurisprudentia Veteri.*

*Laërtius lib. I. & Plutarchus in Solone.*

*Spartius in Adriano.*

Secunda Solonis lex apud Prateium est huiusmodi: Corpore obligato pecuniam fœnerari in posterum ne liceat. Cùm ære alieno eximere se nequirent inopes, distrahere eos contendebant improbissimi fœneratores, siue creditores, quod hic lege vetitum est. Liberum enim corpus æstimationem non recipere Caius scribit. Tametsi verò (vt Græcorum Senario constat.)

*Prateius vbi supra.*

*Caius l. c. l. fin. D. de his qui deiecerint vel effuderint.*

Τὰ δάνεια δύλυς τὺς ἐλευθέρυς ποιεῖ.

*Senarius Græc.*

Quod sic interpretor.

*Debita etiam liberos seruos constituunt, & seruire faciunt.*

Ob æs tamen liberos seruire iura non pati rescripserunt imperatores. Gallicis tamen constitutionibus in vincula

*L. ob æs. C. de obligat. & act.*

publica coniiciuntur, qui in hanc rem obligati sunt. Ob debitum ciuile, quem ex obligatione in vincula publica conijci posse moribus quidem receptum est. Legibus tamen vetari scio. Hanc autem legem Solonis esse Laërtius commemorat. Hæc Prateius.

*Gellius lib. 20. c. 1. ex Sext. Cecilio Iurisconf.*

Sextus Cæcilius Iurisconsultus apud Gellium verba legis, duodecim tabularum, quas duodecim tabulas Decemuiri conscripserunt, refert ad hunc modum: Æris confessi, rebúsque iure iudicatis triginta dies iusti sunto. (Hi dabantur conquirendæ pecuniæ causa, quem dissoluerent, eos autem iustos appellauerunt, velut quoddam iustitium, id est, iuris inter eos quasi interstitionem quandam & cessationem: quibus diebus nihil cum his agi iure posset, Post deinde nisi dissoluerant, ad Prætorem vocabantur, & ab eo, quibus erant iudicati, addicebantur, Neruo quoque aut compedibus vinciebantur, vt sequentia indicant.)

Post, deinde manus iniectio esto, in ius ducito, ni iudicatum facit, vincito, aut neruo, aut compedibus quindecim pondo, ne minore, aut si volet, maiore vincito. Si volet, suo viuito; ni suo viuit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato, si volet, plus dato. Tertiis nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tyberim peregrè venum ibant.

Si plures forent quibus reus esset iudicatus, secare si vellent, atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. Verba ipsa legis sunt: Tertijs, inquit, nundinis partes secanto, si plus minusue secuerint. Nihil profecto immitius, nihil immanius: nisi (vt reipsa apparet) eo consilio tanta immanitas pœnæ denuntiata est, ne ad eam vnquam preueniretur, Addici namque nunc & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi hominis contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem equidem, neque legi, neque audiui: quoniam sæuitia ista pœnæ contemni non quita est.

Fidem maiores in negotiorum quoque contractibus sanxerunt, maximéque in pecuniæ mutuaticiæ vsu atque commercio. Hactenus ex Gellio. Narrat consimiliter Ælianus Var. hist. lib. 14. adhunc modum. Corinthi Theocles & Thrasonides, Mitylenæ Praxis, alijs etiam hortatores & suasores extiterunt, vt paupertatis onus egentibus re-

*Ælianus variæ historiæ. lib. 14.*

leuaretur, reliquis obtemperare nolentibus, ipsi sua debita remiserunt, atque lucrati sunt, non quidem argentum, sed animam, atque vitam. Etenim quibus condonata sua debita non fuerant, ij facto in creditores impetu cum armis, quæ suppeditabat ira ferox, & paupertas inexpugnabilis, ac incumbentium rerum necessitas, mortem illis intulerunt. Sic ibi. *Necessitas durum telum cogit ad turpia.*

Quæ omnia eo consilio huc congessi & adduxi, vt innotescat, non esse nouum, debitores in carcerem seu custodiam retrudi: cum vxore ac liberis, donec omne debitum creditori persoluerint, Atque ideò summa erga istum obæratum, misericordia ac munificentia vsum fuisse hunc creditorem, vniuersum remittendo illi debitum. Hæc est Sisathea non Soloniana, sed Christiana.

Obserua mirum videri, quòd non nisi vnus debitor, omnium Domino ac regi oblatus sit: præsertim cùm tam multi peccatores in mundo existant, imò *In multis offendimus omnes. Iacobi tertio cap.* Respondeo, Dominum hîc vnius tantùm mentionem facere, ad significandum, quod quamuis innumeri sint peccatores, à quolibet tamen summus iudex, tam seueram exiget rationem, ac si non esset in mundo alius quàm ille solus. Accedit etiam, quod Dominus quibusdam in parabolis peccatores, vnius nomine ac singulari numero comprehendit, vt in parabola inuitatorum ad nuptias, quam supra expliciuimus. *Math. 22.* Vidit ibi rex inter discumbentes hominem non vestitum veste nuptiali, Et in parabola villici iniquitatis, de singulari quodam villico fit sermo. *Lucæ decimo sexto cap.* In vno autem omnes mali designantur & intelliguntur. Omnes verò in examine rigoroso de minutissimis quibusque reddent rationem, nihilque inultum remanebit. *Iac 3.* *Math. 22.* *Luc. 16.*

Nemo proinde sibi blandiatur, falso sibi persuadens, ob innumeram debitorum multitudinem, perfunctorie solummodò se iudicandum fore examinis tempore, quod Gallicè dicimus: (*Quand ce viendra à rendre les comptes, on passera par dessus, & coulera-on beaucoup de choses soubs silence.*) Falleris serue nequam, de omnibus enim & singulis perinde reddenda erit exactissima ratio, atque si de vno solo debito & debitore vnico ageretur. Vnicuique siquidẽ à Domino, & incorrupto iudice dicetur: Redde quod debes, Redde, inquam, quod debes Deo, Tibi ipsi, ac proximo tuo. Deo quidẽ honorem, timorẽ,

ac amorem. Tibi item amorem secundum Deum, custodiā tui, ac propriæ salutis procurationem. Proximo denique tuo syncerum amorem, directionem ad bonum, & subleuationē suæ necessitatis. Hæc enim tu debes. *Procidens seruus ille orabat d. Patientiam habe in me, &c.* Suipsius humiliatio facile Deum

3. Reg 21. c. placat. De Achab 3. *Reg.21. scriptum est: Nonne vidisti humiliatū Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Siquidem diuinæ maiestati proprium est misereri semper & parcere.

Virgilius in Æneide. *Parcere subiectis, & debellare superbos.*

Et vt alius cecinit Poëta:

Ouidius. *Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni*
*Pugna suum finem, quum iacet hostis habet.*

*Misertus est Dominus serui illius.* ait contextus. Non modica est gratia erga debitorem, prorogare ei tempus ad persolutio-

Isa. 30. c. & 5 nem. *Vnde Isa. 30. Expectat Dominus vt misereatur vestri. Iob. 24.*

Iob. 24. c. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ. Isa. 5. Expectaui vt faceret vuas, fe-*

Luc. 13. *cit autem labruscas Luc. 13. Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructū in ficulnea hac: & non inuenio.* Antequam immitteret vniuersale diluuium centum annorum pœnitentiæ tempus concessit Niniuitis. 40. dies indulsit, & 40. annos Iudæis post Christi passionem, vt à parricidij scelere pœnitentiam agerent, benignè largitus est.

Animaduerte hîc non agi de particulari cuiusque iudicio post mortem, nec de vniuersali, quādo singuli reddituri sunt de factis propriis rationem. Ibi enim nulla erit venia aut appellatio, sed agitur de quodam iudicio, quod in hac vita inter Deum & hominem celebrari solet, quando scilicet quis grauissima sua peccata cognoscens, se coram diuino conspectu repræsentat, seriòque omnia examinans, iam ad æterna supplicia in superno tribunali diuinæ maiestatis se considerat ob peccata iustè damnatum, sed si dignos egerit pœnitentiæ fruct⁹, certo sibi pollicetur, ex immēsa Dei benignitate, veniam, & denique vitam æternam. Ne igitur animū despōdeat vnquam Sic Deus opt. max. peccatorum miseretur, vt plusquam ipsi postulauerint, accipiant à liberalissimo ac clementissimo Domino. Seruus hic petiit dilationem, & obtinuit remissionem *Ephes. 3. Potens est omnia facere superabundan-*

Ephes. 3. c. *ter quàm petimus.* Inducias seruus iste petierat, & omne debitum dimissum est ei. Latro in cruce memoriam sui petiit, cui ex affluentia viscera misericordiæ suæ, Christus Paradisi con-

Luc 23. c. sortium eodem die repromisit *Luc. 23. c.*



Nota quòd intentiò Domini est, hoc exemplo ostendere Deum patrem misericordissimum quidem esse erga peccantes in eosdem tamen esse seuerissimum, si nolint illi vicissim benigni esse erga peccantes fratres & cõseruos. Vt Iansenius in concordia Euangelica ad hunc locum annotauit. Proinde obseruandum parabolam hanc ex tribus cõstare partibus. In prima parte proponitur rex aliquis, cui vnus oblatus esset qui deberet summam maximam, cui non esset soluendo, & ob id rex iussisset, quod iustum erat, illum cũ omnibus suis vendi, mox tamen regali sua munificentia, debitum illud immẽsum remisit, ex misericordia quidẽ & de gratia speciali: vnde dicitur: misertus autem eius In secunda parte proponitur idẽ seruus, cum summa austeritate & crudelitate à conseruo centum denarios exigens. In tertia, ea de re conquesti sunt apud Dominum conserui, qui ob ingratitudinem & summam serui illius crudelitatem, tortoribus traditus describitur. Debitum fratris peccantis, quãtũuis grauiter in conseruum committatur, minimum sanè est in cõparatione debiti, quo quisque Deo est obnoxius, quemadmodum incomparabile est, debitum decem millium talentorum, ad centum denarios. Quemadmodum enim talentum, longè maius est denario, & decem millia longè plus sunt quàm centum: ita & longè maiora & lõgè plura sunt peccatorum debita, quibus Deo quisque est obstrictus, quam possint esse fratris in fratrem. Decẽ millia talentorum vt sup. dictum est, valent sexies mille millia coronatorum. (*Gall six millions d'escus sol*) quæ summa planè incomparabilis est, ad centum denarios, qui tantum valẽt decem coronatos, siue aureos solares.

*Corn. Iansenius conc. Euãg. c. 72.*

Nota ex Granatensi quod si quis curiosius summam illam decẽ millium talẽtorum ad computum nostrum redigere velit, inueniet ea comprehendere sexies mille millia aureorũ. Cui summæ quis centum denarios cõferre audeat? Hoc enim est velut aquæ guttulam Oceani vndis comparare. Qua quidem comparatione, Dominus quantum inter Dei & hominis offensam discrimen esset, voluit declarare. Offensa quippe in Deum propter immensam & infinitam eius maiestatem, decem millium talentorum, ho c est, infinitæ grauitatis est: Offensa verò in hominem, si solius hominis non etiam diuinæ prohibitionis ratio habeatur, centum denariorum est, hoc est, diuinæ offensæ comparata nullius penè põderis est. Quãtum enim inter Dei & hominis dignitatem distat, tantum inter vtriusque offensionem discrimen est. Sic Ludouicus Gra-

*Ludouicus Granatensis de hoc Euãg.*

natensis, ad hunc locũm. Eadem propè & Paulus de Palatio scribit, hoc modo: Si Lector nosse cupis, quantum nostræ monetæ sint decem millia talenta, Scito ex Budæo & probatis autoribus, Valere sexagies centena millia aureorum, id est sex milliones aureorum. Hæc ille. Talentum vnum valet sexcentis coronatis aureis solaribus. Denarius vix decima pars est vnius aurei coronati. Centum ergo denarij, sunt decem aurei coronati. Eadem est ergo ratio seu proportio centum denariorum, ad decem millia talentorum quæ est decem aureorum, ad sex milliones coronatorum. Dominus sex millia millium aureorum remiserat seruo spatium exquirenti suppliciter, qui deinde ex maxima ingratitudine, noluit protogare diem solutionis suo conseruo, qui decem duntaxat aureos illi debebat.

*Paulus de Palacio in Math. 18.*

*4. Reg. 4.*

Ponderanda sunt ista verba, Iussit venundari enim & vxores eius & filios. Mos erat antiquis vxorem vendere & filios pro debitis. 4. Reg. 4. Ecce creditor venit (dicebat Vidua Eliseo) vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi.

*Paulus de Palacio in Math. 18.*

Nunc operæ pretium duxi fusionem huius cõtextus ad morum informationem producere expositionem. quam ex Paulo de Palacio sum mutuatus, Is igitur ad hunc modum scripsit: Rex tunc ponit rationem cum seruis suis, id est, cũ Christianis: cum eos ad confessionem sacramentalem adducit. Tunc item, cum eos reuocat ad cor, admonens, Vbi sint? vbi iaceant prostrati? Cupis forsan scire, quæ sunt tot talenta? Audi: Dedit Deus homini talenta naturalia, & supernaturalia. Quoad naturalia, Dedit homini corpus, tot organis sensibúsque instructum, Animam immortalem tot potentiis vigentem, acumen rationis, & arbitrij libertatem. En tibi naturalia talenta, Si ad supernaturalia oculos conuertas. Primũ dedit homini filium vnigenitum: qui factus est nobis iustitia, sanctificatio, redemptio. Secundò, dedit Ecclesiam, vbi sunt sacramenta, sacræ literæ, sacræ cæremoniæ, Sacer Dei cultus, & religio. Tertio, dedit gratiam, Virtutes nimirum infusas, quas Theologas vocant, de quibus Apostolus: *Nunc manent, fides, spes, charitas, &c.* Quartò dedit gratias gratis datas. Demum, Quintò dat Deus infinitas inspirationes, & spiritualia beneficia, quibus à malo homo auocetur, & ad bonũ promoueatur. O verè talenta, & decem talenta, & decẽ millia talenta: Profectò talenta sunt quibus cœlum Deúmque ipsum mercari licet. Si igitur hæc talenta in cultum Dei insumãtur; iam nihil debebit qui insumit, Siquidẽ in vsus Do-

mini qui dedit, expenduntur. Sed si (quæ nostra est infelicitas) in obsequiū diaboli perdantur: certum est, nos ea debere Deo, qui exactissimam eorum rationem exiget à nobis, Vt enim est liberalis dando, ita exactor est ratione exigendo. Sic ibi *Patientiam habe in me, &c.* Hoc est, spatium mihi pœnitentiæ, sicut olim Ezechiæ regi, concede. *Dimitte me,* precabatur Iob *vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* Porrò mirum est, quàm audacter confidentérque dicat, *Omnia reddam tibi.* Vnde tibi pauper, decem millia talenta? Si te tuáque vendas, nihil es, vnde igitur tibi tanta soluendi fiducia? Sed profectò (ait de Palacio vbi sup.) eleganter ipse dicit. Patiētiā habe in me, reddam omnia tibi: quia ex inimico sibi Deum amicum facere cœpit. Patientiam igitur habe in me & gratiam inueniam apud te, & en cœpi tibi omnia reddere. Si enim amicus mihi fueris, quid non acceptabis in pretium debitorum? Calicem aquæ frigidæ, pro magna solutione recipies. *Mar.* 9. Vt enim tibi inimico & infenso, nihil quamuis grāde accipitur in pretium, ita amico & placato quiduis (etiam paruum) in satisfactionē acceptatur. Sapienter Deus ab homine petit, cùm dicit: *Fili, præbe mihi cor tuum. Prouer.* 23. Hoc enim si præbeas, cuncta prebuisse videberis. Adde quod, adeo cōfidenter promittit istā satisfactionem operum, quia nonit per pœnitentiam applicari sanguinem Christi, qui cū infiniti valoris sit, profectò omnia talēta valet. Tūc Dominus, cui sæpè animus potiusquam opus satisfacit, debitū dimittit. Ille, inquam, qui *Diues est in misericordia. Ephes* 2. Longè plus supplici contulit, quàm petiuit. Moram enim temporis petiit, at is totius debiti remissionem contulit. Verè enim pius, verè misericors Dominus, qui abundantia pietatis suæ & merita supplicum excedit & vota.

*Iob.* *De Palatio vbi sup.* *Marc.* 9. *Prouer.* 23. *Ephes.* 2. *Collecta Eccl.*

Omne debitum remisit, id est, debitum legis naturæ, legis Mosaicæ, ac legis Euangelicæ seu gratiæ. Legis, inquam, naturæ violatæ in his duobus præceptis. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, &, Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, eadem facite illis. Legis Mosaicæ, in duabus tabulis descriptæ, quod Decalogum siue decem præcepta legis moralia. Legis denique Euangelicæ, in his duobus comprehensæ mandatis, *Diliges Dominum Deum tuum, super omnia, & proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis, vniuersa lex pendet & Prophetæ. Math.* 22. *& Ioan.* 13. *Mandatū nouū*

*Math.* 22. *Ioan.* 13. *&* 15.

*do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem. Capite item 15. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Magis autem peccat Chriſtianus, qui hanc triplicem legem ſuſcepit, & tranſgreditur, quàm Iudæus, vel Paganus.

Portò, quod addit: Miſertus illius, debitum dimiſit ei, eúmque abſoluit, videbitur fortaſſis fauere Lutheranis, dicentibus in pœnitentia non requiri ſatisfactionem: ſiquidem Deus debitum dimittit. Sed toto aberrant cælo, & valdè falluntur. Si enim de baptiſmo loquamur, ita eſt Deum dimittere debitum, ſine noua ſatisfactione baptizati. Si verò de pœnitentiali confeſsione agamus: planè debitum dimittit: Illud videlicet, quod antè debebat, ſcilicet debitum æternū. Violationem etiam triplicis legis ſuprà enumeratæ, condonat & indulget clementer: atque gratiam in Sacramento pœnitentiæ attrito vel contrito confert liberaliſsimè. Quod ſi de debito temporali, in quod æternum committatur, inſtas. Reſ-
2. *Reg.* 12. pondeo, ex pœnitentia Dauidis regis, 2. *Reg.* 12. pœnam tēporalem, poſt veniam & peccati deletionem, manere perſoluendam atque expiandam. Ideóque ſatisfactione opus eſt, vt impleantur digni pœnitentiæ fructus. Poteſt autem fieri, vt tanta ſit peccatoris contitio, humilitas & verecūdia: vt ſine noua ſatisfactione peccatum deleatur à Deo, vt Magdalenæ contigit: *Cui dimiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum.*
*Luc.* 7. *c.* *Luc* 7.

Nec leuiter & perfunctoriè pertranſeunda ſunt hæc verba: *Patientiam habe in me.* Quænam, amabo, patientia eſt iſta? Illam nimirum patientiam poſtulabat, qua omnes mundi labores Chriſtus agnus manſuetiſsimus pertulit: Qui, vt ſcribit
1. *Pet.* 2. Apoſtolorum vertex ac columen. *Primæ Petri ſecundo cap. cùm malediceretur, non maledicebat: qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, &c.* Illam quæſo Domine, patientiam, quam habuiſti coram Anna, & Caipha, coram Herode & Pilato, illam quam cruci ſuffixus, poſt flagella, ſputa & ſpineā coronam habuiſti: hanc pie IESV, habe in me. Si enim hāc mihi tribueris & demonſtraueris: Omnia prorſus reddam tibi, ex tuo refundens, & de tuo tibi ſatisfaciens, Alioqui pœnitentia, quam egero, abſque tuis meritis, abſque tua erga me patientia, nullius erit momenti, at verò cum his omnibus, vniuerſa debita mea pleniſsimè potero perſoluere.
*Eccl.* 29. Succurrit illud: *Eccl.* 29.. *Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris: dedit*

*enim*

*eum pro te animam suam.* Quisnam alius pro nobis sponsor, ac fideiussor (Gall. dicimus, *plege & caution, corps pour corps*) extitit, nisi Christus? *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm sed etiam pro totius mundi.* 1. *Ioan.* 2. Accommodabitur facilè huic instituto, memorabilis duorum Pythagoreorum historia, quam Cicer. lib. 3. offic. sic refert. *1. Ioan. 2.* *Cic. l. 3. de off.*

Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse, vt quum eorum alteri Dionysius Tyrannus, diem necis destinasset, & is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulauisset, vas factus sit alter (Gall *pleige*) eius sistendi, vt si ille non reuertisset moriundum esset sibi ipsi: Qui quum ad diem se recepisset admiratus eorum fidem tyrannus, petiuit vt se ad amicitiam tertium ascriberent. Sic ibi.

Vt autem huius beneficij magnitudinem (quam nullus pro dignitate poterit amplificare) aliquatenus apprehendatis: Cogitate Christum Dominum in cruce pendentem, sic patrem orasse: Pater mi, Ego tibi hoc passionis meæ sacrificium, hæc vulnera, hanc crucem, hunc sanguinem, ipsam denique acerbissimam ignominiosissimámque mortem, quam patienter tolero, suppliciter offero, vt peccatorũ miserearis, vt illis errata condones, eósque ad tui sancti nominis timorem pariter & amorem pertrahas. *Pater ignosce illis* pro quibus hæc sustineo. *Luc.* 23. Hoc infiniti valoris sacrificio placatus Pater æternus, ad gratiam & amicitiã suam vocat, quoscumque vocat. Hoc est quod Theologi dicunt, Christum Dominum primam vocationis, & iustificationis gratiam nobis promeruisse. *Luc. 23.*

*Patientiam habe in me, & cæt.* à tribunali Dei viui, ad eiusdem Christi pro nobis mortui tribunal, appellatio & prouocatio est ista. *Prouocauit Paulus, Act. 25. à Festo præside ad Cæsarem. Cæsarem appello, inquit,* Et tu peccator à tribunali rigoris, & seueræ iustitiæ, ad thronum gratiæ & immensæ misericordiæ diuinæ, prouocare & appellare debes, clamans & orans: *Patientiam habe in me, &c.* à Deo irato, ad eundem per Christi mortem placatum appello. Sicut Machetas quidam Macedo, à Philippo rege, ad eum ipsum prouocauit, authore in Apophtegmat. Plutarcho. atque prosperè & successit, nec parùm ei profuit. *Act. 25.* *Plut. to. 1. Op. in Apophth.*

Sequentia iam videamus: *Egressus seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, &c.*

Meritò iste egressus dicitur, quia non proposuit Deum

ante conspectum suum, nec est Domini reueritus maiestatem, verùm ita egit, sicque se gessit, ac si Deo nec præsens nec cognitus esset. Hoc modo & *Caim à facie Domini legimus egressum. Genes. quarto cap.* Imò diabolus ipse, qui omnium impiorum caput est, *egressus à facie Domini legitur: Iob 1.cap.*

Gen. 4.
Iob 1.

Delictum serui huius non parum aggrauat, quòd tam citò beneficij accepti immemor fuerit, quod tàm acerbè omnem prorsus exuens humanitatem conseruum suum tractauerit, tertiò, quòd pro vili pretio illum excruciauerit & excarnificauerit. Iure optimo Dauid sibi data optione Gad prophetæ respondit: 2. *Reg.* 24. *cap. Melius est vt incidam in manus Domini, (multa enim misericordia eius sunt) quàm in manus hominum.*

2. Reg. 24.

*Videntes conserui contristati sunt valdè, &c.* Hi conserui Angeli sunt, vnus enim eorum Ioanni Theologo ac Euangelistæ in Apocal. dixit: *Conseruus tuus sum & fratrum tuorum.* Rex autem rem gestam audiens accersitum seruum grauiter redarguit: Vbi obseruandum est, hanc vocationem per mortem fieri, quamobrem nihil respondere potuit, Etenim post hanc vitam omnis excusatio cessabit.

Apocal.

Sed dubium est, Si conseruo non tenetur dimittere seruus debitum, quin iure possit repetere, cur ergo eum Dominus damnat non remittentem? Respondeo, Damnauit seruum, quia non est misertus conserui, atque suscepti beneficij & gratiæ oblitus, erga Deum ingratus fuit. Licet inferiores iudices non possent hanc ingratitudinem punire.

Per hunc seruum nequam intelligitur homo, qui leuiter à proximo offensus, non vult ei etiam rogatus iniuriam remittere acceptam. Quod videntes conserui (id est, Angeli sancti qui nobiscum Domino omnium seruiunt) nunciauerunt hæc facta crudelia Domino suo. Nam & ipsi opera nostra Deo annunciant, requirentes super his beneplacitũ voluntatis eius.

Traditur ingratus ac crudelis seruus tortoribus, donec soluat etiam nouissimum quadrãtem. Cuius verbi difficillima est explicatio. Quomodo enim Deus (qui vniuersum debitũ illi remiserat) peccata semel remissa, iterum repetit? Cùm quis summa beneficia, post summa debita recepit à Domino, Si iterum offendit in scelere grandi, hoc peccatum ex ingratitudine, fit grauissimum, adeò vt grauitatem præcedentium delictorũ aut superet aut æquet. Et ita debitor huius peccati debitor dicitur totius præcedentis debiti, quia hoc debitum tantum est: quantum erat antiquum, & hac ratione antiquum

in nouo videtur reuiuiscere. Scribit quidem Apostolus: *Rom. 11. cap. Sine pœnitentia esse dona Dei.* (quia non repetit quod donauit) Quomodo igitur nunc vniuersum debitum, quod iam donauerat, repetit, quando seruum nequam torqueri præcipit, quoadusque vniuersum debitum redderet? Respondendum vt supra: peccata dimissa, propter nouū ingrati animi crimen, quodammodo redire, quia magna illa ingratitudo qua post præceptum ingens beneficium homo aduersus benefactorem delinquit; tantùm ferè ponderis & grauitatis, quantùm præterita peccata, habet. Quærat hîc aliquis & rectè quidem. *Deus non punit bis in idipsum, ex propheta Nahum.* Quomodo ergo post veniam datam, vniuersum debitum repetit Dominus? Respondeo. In recidiuante peccata semel dimissa, eadem numero non redeunt. quod enim reuerà deletum est, non imputatur amplius ad pœnam: Iuxta illud, *Psal. 31. Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, &c.* Sed ob ingratitudinem peccator grauius punitur. *Rom. 11.* *Nahum 1.* *Psal. 31.*

Tractari solet hîc quæstio. Vtrum peccata dimissa redeant? Qua de re consulere licebit Magistrum sententiarum, lib. 4. dist. 22. Ibi proponit contrarias opiniones, eorum nempe qui asserunt, peccata semel dimissa, si reiterantur & replicantur, seu iterum quis similia admiserit, redire simpliciter. Item aliorū affirmantiū absonum videri, vt peccata dimissa iterùm imputentur: Ideóque neminem pro peccatis semel dimissis, iterùm à Deo puniri. Quæ verisimilior probabiliórq; est sententia. Sed ideò dicuntur dimissa redire & imputari, quia propter ingratitudinem ita reus & peccator constituitur, vt antè fuerat. Sic enim quod dimissum fuerat, dicitur exigi, quia remissionis perceptæ ingratus, ita reus fit, vt antè fuerat. Vtriq; parti quæstionis probati fauent doctores. Ideóq; alicui parti non præiudicans (ait Magister ibidem) studioso lectori iudicium relinquo, addens mihi tutū fore ac saluti propinquum, *sub mensa dominorum micas edere Matth. 15.* Sic Magister. *Magistr. sent. lib. 4. dist. 22. per totā dist.* *Matth. 15.*

Veruntamen obiter hîc illud est dicendū, (inquit Iudocus Clitoueus, Dominica 22. post Trinitatem) quod illud Euangelij verbū, quo Deus dicitur ab ingrato seruo repetisse debitū iam dimissum, non ita est intelligendū, quod peccata prius dimissa, homine relabente postea in peccatum, redeant quantum ad culpā aut reatū. Nam peccata, quæ semel dimissa sunt integrè à Deo nunquā illa eadē Deus imputabit ad culpam, neque de illis exiget postea pœnam, *cùm sine pœnitentia sint* *Iud. Clithou. Domin. 22. post Trin.*

quentes, propensi simus, néve inexorabiles seu implacabiles ac irreconciliabiles erga illos nos exhibeamus.

Finem dicendi faciam, vbi D. Antonij Paduani ordinis nostri expositionem proposuero. Iste homo rex, inquit, est Iesus Christus, homo in humanitate, rex in diuinitate. Homo in natiuitate: Rex in Resurrectione: Vel etiam in passione, in qua habuit illa regalia insignia quæ spectant ad regem, scilicet, coronam, purpuram & sceptrum. Coronam habuit spineam, chlamidem coccineam, arundinem in manu quasi sceptrum, vnde ante eum genua flectebant; dicentes: *Aue Rex, &c.*

*Oblatus est vnus qui debebat decem millia talenta, &c.* In denario numero decalogus, In millenario perfectio Euangelij designatur. Omnis autem homo debet IesuChristo decem millia talenta. i. Decalogi obseruationem. Vnde *Ecclef. c. 12. Deum time, & mandata eius obserua, &c.* Eccl. 12.

*Patientiam habe in me, &c. Et omnia reddam tibi, &c.* Omnia reddit, qui pro omnibus satisfacit, vt pœna respódeat culpæ. *Facite fructus dignos pœnitentiæ, Luc 3. cap.* Luc. 3.

*Misertus Dominus.* Quia misericordia eius immensa. Hic de ara misericordiæ diceremus, nisi in Decadibus Enneadibúsque nostris egissemus. Hoc loco tantùm dicam in Codice. Theodosiano, lib. 9. tit. 45. De his, qui ad Ecclesias confugiunt, lib. 4. & 5. in vtraque lingua me legisse memini: Græcè quidem sic: ἐλέου βωμὸν τοῖς προσφυγοῦσιν εἶναι προ-στάττομεν: Latinè verò sic: Summi Dei templa timentibus, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita, & vsque ad extremas fores Ecclesiæ, *Confugientibus*, inquit, *aram salutis esse præcipimus.* Vbi vides, ἐλέου βωμὸν, aram salutis nuncupari ab Imperiali constitutione, quam alij verbum verbo exprimentes, aram misericordiæ interpretantur. Decades & Ennead. auth. lib. 4. & 5. C. Theodos.

*Procidens conseruus rogabat, Patientiam habe in me, & cæt.* Vbi D. Antonius, O serue nequam, inquit, eodem verborum ordine Deum rogasti, & dimisit tibi, Tu vero eodem rogatus à conseruo, noluisti dimittere illi, sed in carcerem misisti, At crede mihi veniet tempus in quo implebitur illud: *Prouerb. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur: & Iac. 2. Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Contrà vero Dominus in Euangelio pollicetur, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Faxit Deus Opt. Max. vt propter eum inimicos diligamus, vt minima illis remittentibus quæ in nos ad- Prou. 21. Iac. 2. Matth. 5.

miserunt flagitia ac iniurias, ingentia aduersus Deum, quæ perpetrauimus crimina, sua nobis benignitate condonare dignetur, & vitam concedere sempiternam, pius ac misericors Dominus. Ipsi honor & gloria per æterna sæcula.

AMEN.

---

# DOMINICA XXII. A PENTECOSTE.

## De reddendo Cæsari tributo ac nummo census, *Matth.* 22.

Matth. 22. Marc. 12. & Luc. 20.

*Abeuntes Pharisæi, concilium inierunt vt caperent Iesum in sermone, &c. Vbi suprà.*



ON est nouum aduersus Christum consilia fuisse captata. Quandoquidem regius Vates, *Psalm.* 2. ita fore vaticinatus est, his verbis; *Astiterunt reges terra, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* (Psal. 2.) Herodiani cum Pharisæis nunc colligantur, atque aduersus Christum consilium ineunt, vt quia in opere eum non potuerunt, caperent saltem in sermone. Vt autem isti conuenerunt in vnum contra Christum: Ita nunc Pharisæi quidam, & simulatæ sanctitatis viri, in nihil aliud intendunt, quàm vt veracem ac zelosum prædicatorem capiant in sermone. Quàm verò sit grauis horum iniquitas & dolus: verba Domini per se satis declarant: Vix enim inuenias Christum tàm grauia verba dixisse, quàm nunc. Quid me, inquit, tentatis hypocritæ? quibus grauissima duo crimina illis obiecit. Primùm quòd essent hypocritæ. Quibus nunquam non inclamat Væ. *Matth.* 23. (Matth. 23.) Plus septies ibi dicitur: *Væ vobis hypocritæ, &c.* Secundo obiecit, quod essent tentatores, quod nomen & munus diaboli est.

De Herodianis qui fuerint hoc ordine dicendum arbitror. Quidam putant Herodianos milites fuisse Herodis, qui cum Pharisæorum discipulis mittebantur, vt siquidem Christus negasset censum deberi Cæsari comprehensum pertraherent ad tyrannũ, accusatúmque lege maiestatis, & condemnatum è medio tollerent. Alij existimant, hos non milites Herodis intelligi debere, sed ex Iudæis illos qui stabant à partibus Herodis, sentientes contra Pharisæos, oportere censum dari Cæsari, vt principi, qui pro pace publica, & omnium incolumitate pugnaret. Quorum sententia mihi quidem admodum verisimilis videtur. Erat Herodes Galilææ tetrarcha, quem Augustus Iudæis, vt ab his Imp. Romani nomine tributa colligeret, præfecerat. Et hæc quidem de Herodianis nunc sufficiant.

*Mittunt*, ait sacer Euangelista, *Pharisæi discipulos suos cum Herodianis.* Adquid verò eos miserint? *Lucas c.* 20. expressiùs hoc modo scribit: *Miserunt insidiatores, qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone, & traderent illum principatui, & potestati præsidis.* Ideò insidiatores appellat Euangeliographus, quia eo consilio legationem susceperant, vt Christum apud Herodem, tanquam seditiosum, ac Cæsari infestum, atque perduellionis reum agerent, & traducerent, si tributum non esse persoluendum respondisset palàm & apertè. *Luc.* 20.

Consultò Pharisæi per seipsos ad Christum non accesserunt. Cogitabant enim apud se: Si nos soli euntes interrogauerimus eum, quamuis diceret non licere tributum dari Cæsari, Nemo tamen nobis credet contra eum dicentibus, & testimonia ferentibus: cùm inimici hostésque eius capitales ab omnibus repetemur. Inimicorum autem testimonium, tanquam suspectum in iudicio non probatur: Deinde inimicus manifestus minus nocere potest, quàm fictus amicus, faciliúsque vitatur, vbi personatus ac fictus, dum non cognoscitur præualet.

*Miserunt ergo discipulos suos*, quasi minus suspectos, adhúcque minus cognitos. Non mittebát Pharisæi discipulos, vt Christi sermones audirent, sed mittunt vt capiant illum in sermone, *Aliàs, Ioan. 7. miserant Pharisæi ministros, vt apprehenderent* IESVM. Nunc verò discipulos etiam mittunt, ad capiendum eum in sermone. Videbatur horum patribus filios à Pharisæis edocendos, in omni sanctitate, existimabántque liberos suos, sub sanctulorum istiusmodi ferula, in legisperitos breui euasuros, cùm tamen dolos, technas, atque maligni- *Ioan.* 7.

tatem omnem edocerent Pharisæi suos discipulos, vt ex Euangelio constat.

Non quæsierunt à Christo legis interpretationem, non quomodo ipsi Deo meliùs inseruirent, non consuluerunt animarum suarum saluti, sed in dolo, an debeant Cæsari tributum persoluere exquisierunt. Verùm enimuerò. Vt rectè sapiens admonuit: *Prouer. 21. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Quamuis blandè isti accesserint, tamen Christus, qui corda hominum nouit, durissimis eos verbis excepisse visus est. Verbis ac factis docēs adulatores esse fugiendos, deteriores siquidē sunt, quàm aperto marte pugnantes. De adulationis vitio, quam plurima in Decadibus nostris dixisse satis memini, ad Euangelium: Magister volumus signum videre, &c. quare supersedendum hoc loco duxi, nisi quod pauca quædam selegi ex varijs, nequaquam pœnitenda.

*Prouer. 21.*

*Decades authoris.*

Sicut Actæum (vt Poëtæ fingunt) à canibus, quos alebat, fuit deuoratus, sic ab adulatoribus consumptis opibus, qui illis aurem accommodant, ad extremam adiguntur pauperiem. Adulatores sanè cum damno illius, cui assentationibus blandiuntur, proprijs commodis inseruiunt. Quod facetè Æsopica fabella exprimit: Corui nimirum, rostro suo frustrum casei gestantis, & in arbore considentis, atque vulpeculæ caseum prædictum appetentis: Illa siquidem ad adulandum toto composita, coruum laudibus euexit, affirmans illum niuem condore suo vincere, cygnum modulatione cantus, Aquilam visus acumine superare, omnes denique aues velocitate sua multis parasangis exuperare, longóque post se interuallo relinquere. Rogauit ergo coruum vulpecula, vt dulci suo carmine aures adstantium demulceret, qui vt vulpi astutissimæ gratificaretur, rostrum diduxit & aperuit ad crocitandum. Quo aperto, decidit caseus, super terram, quem ore tenebat. Hunc verò sibi rapiens vulpecula confugit, & coruum crocitantem dimisit. Quo Apologo, graphicè describuntur mores adulatorum, suo commodo ac vtilitati, cum alterius etiam detrimento studentium ac inseruientium. Persimiles sunt adulatores Syrenibus, monstris vtique marinis, quæ faciem habentes muliebrem, dulcissimè cantant, & nautas auscultantes in somnum inducunt, sopitósque in mare demergunt. Vlysses autem præmonitus, suas ac sociorum aures cera obturauit, ne incauti illos Syrenum cantus exaudirent atque

*Apologus Æsopi.*

ita nauis malo ipse astrictus, incolumis periculum euasit. Sic qui patefaciunt aures adulatoribus, in peccatis suis consopiuntur, sicque in profundum iniquitatis demerguntur. Nos ergo mortiferos Syrenum cantus, surda debemus aure pertransire, Vlysis instar, per tot discrimina rerum pergentes.

Sunt adulatores, vt Scorpiones & apes, Scorpio facie blanditur, sed cauda pungit: Apis autem, mel ore gerit, sed aculeo pungit à posteriori parte. Sic & adulatores homines in facie coràm laudant, sed in absentia vituperant. Habet namque venenum suum blanda adulatio.

*Magister*, inquiunt, *Scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, &c.* Hunc à triplici veritate commendasse videntur: videlicet à veritate vitæ, à veritate doctrinæ & à veritate iustitiæ. A veritate vitæ, dicendo: Verax es. Hoc est, in vita tua non est simulatio, sed quod es, hoc vitæ demonstras exemplo. In Christo enim nihil simulatum, nihilne fictum fuit. *Ioan.* 14. *Ego sum veritas*, ait ille. Dicentes autem, *Viam Dei in veritate doces*, à veritate doctrinæ eum commendant. *Ioan.* 8. *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi?* Denique à veritate iustitiæ Dominum commendant, dicentes: *Non est tibi cura de aliquo.* Nam in proferenda veritate nullius vel amicitiam vel inimicitiam curas. *Non enim respicis personam hominum*, subiungunt, hoc est, nec propter pauperem, nec propter diuitem, veritate relicta mendacium loqueris. Non ergo tibi deest nec veritas vitæ, nec veritas doctrinæ, nec veritas iustitiæ. *Ioan.* 14. & c. 8.

*Viam Dei in veritate doces.* Docuit sanè Moyses viam Dei, sed in figura. *Omnia enim in figura contingebant eis.* 1. *Cor.* 10. Mahumed docuit viam diaboli. Philosophi viam naturæ, multas falsitates suis in scriptis immiscentes. Poëtæ, qui Theologiam tractare ausi sunt, figmenta & fabulas ac insanias falsas proposuerunt, sub carminum & verborum arte compositorum lenocinio. De his posterioribus id verum est: *Psal.* 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua, &c.* At tu viam Dei certò, & sine errore doces. 1. *Cor.* 10. *Psal* 118.

Vide quomodo laudes eius præmittunt, quod scilicet veritatis esset obseruator, veritatis doctor, & veritatis defensor. Quibus callidè præmissis mox subijciunt: Quid tibi videtur: Licet censum dari Cæsari, an non? Non aliud sentis, & aliud doces. Licet igitur censum dari Cæsari?

Vt quibusdam videtur, quod sit defensor patriæ, an non? sicut plurimi asserunt: Obserua quòd (vt fusiùs Homilia de Domini natiuitate in Enneadibus nostris dictum est) edicto Cæsaris, singuli profitebantur se esse subiectos Cæsari & censum illi persoluebant. *Luc.* 2. In diebus verò illius professionis, Iudas Galilæus, homo factiosus & seditiosus, auertit populum, *vt Act.* 5. *habetur, dicens non esse soluendum à Iudæis tributum Cæsari, sed & ipse periit, & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.* Adeò autem inualuit ista controuersia inter Iudæos, quòd tandem quia rebellauerunt Iudæi Romanis, & noluerunt eis soluere tributum, per Vespasianum & Titum Rom. Imp. omninò exterminati sunt, & perdiderunt locum & gentem.

*Enneades authoris Homil. de Natiuitate Domini.* *Luc.* 2. *Act.* 5.

Vide, amabo, istorum techna & artificium. Si enim diceret non esse dandum censum Cæsari, statim accusarent eum, tanquam rebellantem Cæsari, & auertentem populum, à soluendo Cæsarij tributo. Si verò responderet dandum esse Cæsari tributum, protinus eum inuisum, & odiosum populo redderent, contra cuius libertatem prædicaret.

Benè admodum regius Psaltes de huiusmodi cecinit, astutis & versutis vafrisque hominibus: *Statuerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.* Quinimò verbis suis illaqueantur, Si enim norunt illi, quia Christus verax est, *Cur ergo interrogant, in qua potestate hæc facis? Math.* 21. Dicentes autem: *Non est tibi cura de aliquo.* Facilè refelluntur; *Illi enim cura est de omnibus. Sap.* 12. Magistrum autem appellantes, quare non subiiciunt se doctrinæ ipsius? Verè ipse magister est, sic per Euangelicum Prophetā loquens: *Ego dominus Deus tuus docens te vtilia. Isa* 48. Vtilia, dixit, non subtilia. Quidam prædicatores contra, subtilia magis ac curiosa, quàm vtilia docent populum. Attamen curiositatis vitium ipsis etiam Ethnicis adeò fuit exosum, vt Plutarchus aduersus illud, integrum, iustúmque librū ediderit. Dicentes verò: *Non respicis personam hominum*, virum probum illum calculo suo comprobant. Acceptio personarum sine peccato esse nequit, quia opponitur iustitiæ, nihil autem opponitur virtuti, nisi peccatum, Si quis autem ex liberalitate dona largiatur, nō ob id personarum acceptor dicendus est.

*Psal.* *Math.* 21. *Sap.* 12. *Isa.* 48. *Plutarchus de curiositate. to. 2. Opusc.*

*Quid me tentatis hypocritæ?* Aduerte quòd dum eum cōtumeliis afficerent. *Ioan.* 8. *Vocantes Samaritanum ac dæmoniacum*, nihil motus tam atroci blasphemia, mansuetè respondit, dicens: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum.*

Ioan. 8.

Dum autem laudibus ipsum demulcent, asperè adulatores eiusmodi reprehendit, tentatores & hypocritas eos appellans, ac simulatores. Cæterùm obserua, non omnem simulationem esse culpabilem. Est enim simulatio prudentiæ seu cautelæ. Verbi gratia, Quando quispiam periculo constrictus, absque vllius detrimento, quippiam fingit vt euadat, quomodo *Dauid simulauit se furere, coram Achis rege Geth, in terra Philistijm, vt sic mortis periculum, capitisque discrimen effugere posset, & euadere*, nec tamen illi imputatur ad crimen. 1. *Reg.* 21. Accomodabitur huic negotio, tritissimus versiculus: 1. *Reg.* 21.

*Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.*

Est & simulatio doctrinæ, quando nimirum doctrinæ causa, quod non est, fingitur; vt quum dicitur fabulosè de Lupo, quod veste pastoris assumpta, oues pasceret, vel quidpiam simile, vt sunt Apologi ac fabulæ, Æsopicis haud absimiles, ad populi formandos mores comparatæ & allatæ. Sed nec talis fictio peccatum est, ipse quoque Dominus, instruendis discipulis suis, huiuscemodi fictione vsus est, *quando finxit se longius ire. Luc.* 24. *Luc.* 24.

Est denique fictio & simulatio duplicitatis, & est mendacium in opere, qualis erat hypocrisis & simulatio Iudæ proditoris, osculi signo Christum Dominum ad mortem tradentis. Talis etiam erat istorum fictio, qui quod nec erant nec esse intendebant, se esse mentiebantur, veritatis, æquitatis, & sinceritatis ac iustitiæ amantes, æqui ac boni studiosos, cùm tamen proditores essent innocentis.

*Ostendite*, inquit, *mihi numisma census*, id est, nummum, qui pro censu capitis dabatur. Notabis hoc loco, quòd monetam cudere, semper fuit eorum, qui principatu summo funguntur: Romani, quòd tunc summam haberent potestatem, etiam ius habuerunt monetæ, illique Cæsaris insculpebant imaginem. Sicut antea Iudæi quoque ius habuerant monetam cudendi, testantibus idipsum scriptis Antiochi regis, ad Simonem summum sacerdotem, quibus & indulsit, vt propriam in sua regione cuderet monetam. *Permitto*, inquit, 1. *Mach.* 15. *tibi, facere percussuram proprij numismatis in regione tua. Ierusalem autem sanctam esse & liberam, &c.* 1. *Mac.* 15.

*Licet censum dari Cæsari?* Sanè eadem quæstio, aliquando inter fideles tractata est, Num videlicet Imperatori Ethnico tributa deberent persoluere? Super qua re Diuus Apostolus *Rom.* 13.

Romanis *scribit. c.13. dicens: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui enim potestati resistit. Dei ordinationi resistit. Deinde, Ideo enim & tributa prestatis. Ministri enim Dei sunt. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: Cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*

*Cuius est imago hæc?* Quæro fratres, Si vniuersos modò vocaret Deus ad supremam rationem reddendam, & vnumquéque nostrûm sigillatim rogaret, Cuius est imago hæc? Quid ei responderemus? Nonne quod isti Christo hîc responderunt? Cæsaris. Cæsar quidem, quo de hic agitur, Tiberius tyrannus fuit, Gentilis & Idololatra vindictæ appetens, multis onustus vitiis, Et tu peccator, qui eadem scelera & abominationes committis imaginem Cæsaris geris, & si tibi maturè non prouideris, vnà cum eo in infernum detruderis *Sicut autem portauimus imaginem terreni, ita nunc portemus, imaginem cœlestis*, vt B. Paulus Corinthiis scribit, *prioris, cap*. 15. Perpende.

1. Cor. 15. Christum secundum imaginem, quæ in illa moneta insculpta erat, sententiam tulisse: Idem quoque in supremo ac vniuersali iudicio iuxta imaginem, quam quis retulerit, in eum sententiam esse pronuntiaturum. Porrò cū in iudicio, nos Deus interrogauerit, Cuius est hæc quam habes imago? Reddidisti ne imaginem meam mihi? Induxisti ne imaginem diaboli, super imaginem Dei? Quis tam horrendæ vocis, imò ingentis fulminis fragorem queat perferre? O vos, quibus diuina imago & violata & fœdata est, nunc eam reparare contendite, ne vox illa, horrendáque execratio. *Matth.* 25. (*Ite maledicti*) vos comprehendat. Pœnitentiæ lachrimæ sunt, quæ

Matth. 25. fœditatem & sordes detergunt. Sacerrimæ vsus Eucharistiæ, eandem imaginem splendori & nitori suo restituit: Ad hæc sacra venite.

*Paulus de Palacio ad hunc locum.* Rursum si infeliciter te diabolo tribuisti, ad thronum gratiæ Christi accede, cum fiducia, (ait Paulus de Palacio hoc loco) Dicito ei, Domine, cuiusnam est hæc, quam mihi impressisti, imago? Si tua est, (vti certè est) redde eam tibi. Certè, horsum ille de cœlo in terram descendit: vt fœdatam in nobis imaginem repararet. An non ille dicit: *Venite ad me, & ego reficiam vos? Math.* 11. qui feci, reficiam. Si ergo Domi-

Matth. 11. ne, tuæ in me Christianitatis imaginē insculpsisti, refice quod per me defecit.

Adde & aliud. Cùm pauperem vides plagis & vulneribus fœdum, vlceribúsque plenum, id tecum reputa. *Cuius hæc est imago?* An non est Christi in cruce pendentis? Quod si ei-

viscera miserationis aperueris, reddidisti Deo imaginem suã, Similis factus es Christo, miserias nostras dolenti, qui languores nostros (teste scriptura) ipse portauit. *Isa.* 53.

Finge tunc litem esse inter auaritiam & misericordiam. Iubet illa nummos recondi, Iubet hæc in pauperem collocari In ea lite Deus est iudex. Is dicit: Cuius est hic pauper imago? Certè Christi: *Reddite ergo quæ sunt Christi, Christo.* Queris quæ sunt Christi? Profectò est misericordia. Eius enim proprium est misereri: Redde ergo Christo in paupere, misericordiam. *Quia, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, ait ille. Math.* 25. *Matth.* 25.

Eandem litem esse existima inter Angelos & diabolum. Diabolus rapit peccatorem, volens eum esse suum. Angeli eundem optarent esse suum. Accedat tunc peccator ad Christum, ostendens ei animam, eius insignitam imagine, & dicat: Cuius est imago hęc? Si tua est, & tu dixisti, vt reddatur cuique suum, tu qui potens es reddere, redde tuum tibi.

Ne graueris & illud audire: Inter misericordiam, & iustitiam Dei super vno peccatore litem esse crede. Vult iustitia peccatorem inferno dare. Est enim proprius infernus peccatori locus. Habet siquidem peccator diaboli, bestiæ, & inferni characterem. At misericordia contendit, reddendum peccatorem Deo, in quàm rem euincendam offert Deo Christum in cruce pendentem, ac sanguine rubentem. Est autem Christus in cruce fixus non quidem peccator. absit, sed peccatoris imago. Habet enim liuores, quos nostra peccata meruerunt. *Cuius liuore sanati sumus: Isa.* 53. Dicit igitur misericordia, Domine, cuius est imago hæc, in filio tuo sculpta? An non est peccatorum? Redde igitur peccatoribus Christũ. O si in hac contentione misericordia vincat. *Superexaltat autẽ misericordia iudicium. Iac.* 2. *Apoc.* 16. *Isa.* 53. *Iac.* 2.

Demùm illud addam: Cum tentamur, contentio est inter vitium & virtutem. Vitium dicit: An liceat animam hanc (velut censum) vitio, mundo, carni, aut dæmoni dare? Esto tu in ea re iudex. Dic: Cuius est hæc imago, huic animę impressa? Si Dei est, cur dęmoni aut vitio tradas?

Non te prętereat, quod Deus fucatam faciem videns, eamque minime probans, dicet: Cuius est hęc imago? Et quia superbię, vanitatis & frequenter libidinis est, verendum erit, ne dicat: Detur hæc imago ei, cuius est. Detur dęmoni. Ipse enim rex est, super omnes filios superbię: Iob. 41. Contenti esse debueramus facie nostra: Est facies nostra imago animę, *Iob.* 41.

at anima est imago Dei. Per vultum externum de interno iudicamus.

Tempestiuè & oportunè hic contra fucum mulierum, aliquid adijciendum existimaui. Ex Iulij Pollucis, onomasticó seu dictionario. Is igitur *lib. 5. cap. 16.* ita de muliebri mundo scribit. οὐ πρόσωπον, ἀλλὰ προσωπεῖον φέρει. φύσεως προκρίνει τέχνην, ἀληθείας ψεῦδος. τοῦ παραμένοντος, τὸ ῥαδίως ἀπαλειφόμενον, τῶν πραγμάτων χρώματα, εἰκὼν ἀντὶ πρωτοτύπου γίγνεται, quòd ita interpretatum & conuersum comperi: Non faciem sed laruam gestat. Artem naturæ anteponit, verum fucato. (seu veritatem falsitati) firmo infirmum (vel, permanenti ac solido, id quod est facile, vt ita dixerim. auferibile vel delebile) & fragile rebus ipsis, Imaginem pro ipso viuo simulachro (seu exemplari ad viuum effigiatio) fingit. Hæc ibi.

*Iul. Pollux. li. 5. c. 16. Omomastici sui.*

A diungam florentissimi martyris D. Cypriani, opere de disciplina & habitu virginum vermiculatum Emblema, seu grauissimum dictum in eam rem: Opus Dei, inquit, & facturæ eius & plastica adulterari nullo modo debet adhibito flauo colore, vel nigro puluere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta natura corrumpente medicamine. Dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinē nostram: Genes. 1.* & audet quisquā mutare & conuertere, quod Deus fecit? Manus Dei inferunt, quando id quod ille formauit, reformare & transfigurare contendunt, nescientes, quia opus Dei est omne quod nascitur, diaboli quodcumque mutatur. Siquis pingendi artifex vultum alicuius & speciem & corporis qualitatem, æmulo colore signasset, & signato iam consummatóque simulachro, manus alius inferret, vt iā formata, iam picta, quasi peritior reformaret: grauis prioris artificis iniuria & iusta indignatio videretur. Tu te existimas impunè laturam (ô mulier) tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Deinde subiungit. Num sinceritas perseuerat & veritas, quando quæ sincera sunt polluuntur colorum adulteriis, & medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Mox prosequitur. Non metuis oro quæ talis es, ne cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, & ad sua præmia & promissa venientem remoueat, & excludat? increpans vigore censoris & iudicis dicat: Opus hoc meum non est nec Imago hæc nostra est, cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est. Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt, quos Deus

*D. Cyprianus de habitu virginum.*

*Genes. 1.*

fecit, sed quos diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es: de inimico tuo compta, cum illo pariter & arsura. Sic inclytus martyr & doctor eximius.

Proferam & Theodoreti in religiosa historia, sanctorum Patrum vitam describentis, testimonium, Is in vita sancti Petri eremitæ Galli occidentalis, quæ in ordine est nona, ita scribit. Mater mea ad diuinum statim accurrit hominem. Habebat autem inaures, catenas, & torques, & alia aurea; quæ sibi induerat, & vestem variam ex sericis filis contextam. Nondum enim virtutem gustarat perfectiorem: florebat autem tempore, & mundum muliebrem gestabat vt adolescentula. Cùm diuinum ergo caput hæc aspexisset, nimij ornatus amoris primum morbum curauit, vsus verbis talibus. Dic mihi, inquit, filia, Siquis pictor in arte benè exercitatus, aliquam pinxisset imaginem, vt præcipit lex artis, & eam proposuisset videre volentibus, veniret autem aliquis alius, artem non sciens perfectè & accuratè temeréque & inconsultè vt sibi videtur, vellet contrà pingere, deinde illam artificiosam reprehendens picturam, superciliis quidem & ciliis lineas adderet longiores, faciem autem efficeret albiorem, & genis rubrum adderet colorem: non tibi videtur prior ille pictor, iure succensurus, quod & ars eius probro esset, & contumelia affecta, & eorum, quibus opus non erat additamentum à manu indocta accepisset? Ergo vniuersorum quoque, inquit, opificem, & nostræ naturæ effictorem & pictorem, iure irasci credite, quò illam, quæ verbis, explicari non potest, naturam & sapientiam accusetis inscitiæ. Non enim rubrum aut album, & nigrum colorem vobis infunderetis, si non existimaretis esse vobis opus hac additione. His autem corpus egere arbitrantes, imbecillitatis damnatis creatorem, deinde subdit: Nolite ergo corrumpere imaginem: neqúe tentetis ea addere, quę sapienter nō dedit: neque hanc adulterinam excogitate pulchritudinem, quæ vel pudicis affert exitium, videntibus insidians. Hæc cum audisset præstantissima fœmina, domum reuersa, omnem extrinsecus inductum abiecit ornatum, neque varia veste induta, neque aureis monilibus exornata, idque cum esset ætate adhuc admodum iuuenis, (in qua verò & illud magis:) Nata enim erat vicesimum tertium, necdum mater facta fuerat. Cùm enim septem alios annos vixisset,

*Theodoretus in sanct. Patr. hist. vita 9. S. Petri.*

me peperit, qui fui eius primus & solus fœtus. Hactenus Theodoretus, Verùm aduersus sese fucātes, curiosísq; exornantes fœminas, & natiuam Dei imaginem in seipsis corrumpentes ac violentes fusius aliàs egimus, in Decadibus nostris sacris, homilia de Magdalenę pœnitentia, ac conuersione peccatricis illius, posteriore tomo. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &c.* Sed nunquid Cæsar liber est? Si subditi sua illi reddunt, an nihil & ipse reddet? Mutua ac reciproca est, vt ita dicam, superioris in sibi subditos, & vicissim subditorum in sibi præpositum obligatio: Certè rex coronam habet, sceptrum & gladium: Hæc reddere populo debet. Reddat caput suum omni virtute coronatum, reddat se perfecta pace subiectis gratiosum, perfecta vindicta hostibus terribilem. Dicere plebs suo regi potest: Dic ô rex, hæc corona, hoc sceptrum, hic gladius, cuius est imago? Profectò corona virtutis, sceptrum iustitiæ, gladius bellicæ fortitudinis imago est. Hęc igitur & Deo & tuo populo redde. Crede coronam, sceptrum, & gladium, populi habere sculptam imaginem, vt hæc populo, quæ populi sunt, reddas: Nec enim sine causa *in pectore & humero Pontifex habebat populum designatum. Exod. 39.* Latissimè patet hic locus. *Reddite quæ sunt Cæsaris. Cæsari, & quæ Dei Deo.* Priùs de Cæsare loquutus est. Deinde Deum posuit, quia quæstio erat de debitis reddendis Cęsari, & non de debitis reddendis Deo, quę non nisi accessoriè & secundariò hîc coniunguntur. Pharisęi enim non quęrebant an aliquid esset dandum Deo, sed Cæsari. Ideoque respondens Christus reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & addidit, Et quæ sunt Dei, Deo: vt responderet quæstioni Pharisæorũ, differentium, quomodo staret, quod homo esset Deo tributarius & homini? Hæc verò sibi non aduersantur, quandoquidem poterant vtrumque præstare, reddentes Cæsari, quæ sunt Cæsaris: & quæ sunt Dei, Deo.

*Sac. Decades to. poster. Ho. de Magdale.*

*Exod. 39.*

Adde quòd, priore quidem ordine Cæsarem, posteriore verò loco Deum posuit: Nam *Apostolo teste. 1. Cor. 15. Prius quod animale est, Deinde quod est spirituale.* Natura enim ab imperfectiori ad perfectius progreditur. Prius humanum corpus sub forma embrionis est, deinde sub forma corporis organica, postremò sub forma hominis propria, quæ est anima rationis particeps immortalis, & beatitudinis capax: Sic gradibus quibusdam à pueritia ad virilitatem, æratémq; perfectam fit progressus. Itaque secundum illam analogiam ac proportionem, de Cæsare priùs quidem mentio habita est,

*1. Cor. 15.*

deinde

deinde quæ sunt reddenda Deo, commemorata sunt.

Nota etiam, non dixisse Christum Date: *sed reddite*, Reddere autem actus est iustitiæ. Dare verò spontaneæ voluntatis, etiam si nullum præcesserit debitum. At in omni debito soluendo, est reddere, quia nullum debitum causatur; nisi ex accepto. Propter hanc obligationem, potius dixit, Reddite; quàm date. Deo quidem debemus aliquid, imò verò quid non? cùm ab eo omne bonum profluat. Principibus autem debemus tributa, quia ab eis, defensionem, tranquillitatem, & alia bona suscipimus. Non dicit, reddite Cæsari, quæcumque petit, sed, reddite quæ illius sunt. Nam vbi potestas seu Magistratus aut princeps à nobis aliquid petit per quod in Dei offensam nos incurrere necesse esset, Id non esset Cæsaris sed diaboli tributum: quamobrem nec facere illud debemus; *Oportet enim obedire Deo magis quàm hominibus. Act.5.cap.* Proinde Christus mox subiecit: *Reddite quæ sunt Dei, Deo*: Principibus fidelis esse debes, quibus subiectus es, Sed Deo longè plura debes. D. Chrysostomi ad hunc locum, *Homil.71.* præclaram sententiam hîc attexere visum est. Tu verò cùm audias reddenda esse Cæsari, quæ sua sunt; Illa solùm dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt. Nam quod fidei ac virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum & vectigal est. Sic Chrysostomus. Ante quem fructuosissimus martyr, Diuus Polycarpus, sic respondisse fertur: Docemur principibus & potestatibus iis, quæ à Deo sunt, honorem deferre, eum scilicet, qui religioni non sit contrarius. Eusebius, *lib. quarto, hist. Eccles. cap.* 15. Rufino interprete, sic meminit. Non igitur dicit, reddite Cæsari omnia, sed quæ sunt Cæsaris. Non constituit Deus Magistratum, vt pro suo arbitrio ac libidine expilaret subiectos, sed vt ab illis moderatè exigeret, quę ad Rempub. honestè gubernandam spectarent. Sicut Deus authoritatem regendi populum dedit magistratui, Ita vicissim Magistratus debet Deo, & Ecclesiæ Romanæ eius sponsæ, omnem obedientiam. Et sicut Romana Ecclesia docet populum Christianum ac Catholicum, magistratui debere esse subiectum, Ita & ipse (qui non sine causa gladium portat) debet Ecclesiam defendere, ac subditos suos ad eius obedientiam ac reuerentiam compellere, Sicque mutuas sibi inuicem præstare debent operas, vt expleatur illud: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.*

*Act. 5.*

*D. Chrysost. homil. 71. in Matth.*

*Euseb. lib. 4. hist. Eccles. ex Rufino.*

*Rom. 13.*

De Tyberio Cæsare, qui tunc imperabat, dixit Christus;

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: Ille impius & crudelis tyrannus, ethnicus & idolis seruiens, extitit: Qua ex re apertè euincitur, non solum probo, sed etiam improbo Cæsari reddenda esse tributa, & qualiacumque tandem sunt debita. Hoc etiam docet Petrus *priore sua Epistola. cap. 2.* his verbis: *Serui, subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.* Ibidem, *Deum timete. Regem honorificate.*

*1. Petr. 2.*

*Stella in Lucã 20. c.*

Ius regis est (ait Stella nostri instituti in Lucam, 20. cap.) vt alatur à regno in pompa regia, & vt ei regnum subministret omnia, quæ necessaria fuerint, tum ad bella gerenda, tum ad pacem conseruandam. Ideò Cæsari, qui tributum exigebat ad iustitiam exequendam, pacem tuendam, bellum gerendum, & splendorem seruandum, reddi iussit. Hæc ille.

Obserua, quod illata est hæc consequentia; Reddite ergo quæ sunt, &c. ex principatu Imperatoris tunc regnantis, Tyberij nimirum, super Iudæos; quem imago cum inscriptione in nummo testabatur. Principum enim est numisma conficere in terris sibi subditis. Reddite ergo, &c. Q. d. Quem profitemini in denario principem esse vestrum, non est quod quæ sunt eius, denegetis ei: neque hoc in dedecus religionis cedit, si reddideritis iura principibus sæcularibus, &c. Reddat ergo populus Cæsari suo, quæ sunt Cæsaris, & reciprocè reddat Cæsar sibi subiecto populo, quæ illi debet, Et omnes, Cæsar nimirum, ac populus eius, reddant Deo, quæ Dei sunt. Honorem vt patri omnium, timorem, vt Domino, (dicente Deo per prophetam: *Si pater ego sum, vbi est honor meus? Etsi Dominus ego sum, vbi est timor meus?*) cultum latriæ, vt Deo vero, (*Matth. quarto, ex Deuteron. 6. cap. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies*, Græcè αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, id est, ei soli latriæ cultum exhibebis, siue, reddes.) obedientiam in mandatorum obseruantia, vt legislatori, & nomothetæ supremo, timorem iterùm, vt iusto & incorrupto iudici amorem denique, vt benefactori suo ac redemptori.

*Malach. 1.*

*Matth. 4. & Deut. 6.*

*Reddite, &c.* Hæc est definitio iustitiæ. Quę reddit vnicuique quod suum est; Deo honorem, quia nos creauit, amorem, quia redemit, Timorem quia iudicaturus est omnes.

Sibiipsi debet homo, Munditiam cordis, Custodiam oris, Disciplinam corporis. *Dixi,* ait regius vates, *custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, & cæt. Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis.* Et D. Iacobus in Catho-

*Psalmo.*

lica Epistola sua: *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Proximo item tria debemus, obedientiam, nempè superioribus, Concordiam cum paribus & ęqualibus, Beneficentiam denique inferioribus, *Date & dabitur vobis*; ait Christus. Dicet aliquis, Hoc argumentum videtur Dominus fecisse. Cuius est, inquit, imago? Si Cęsaris: reddatur ergo nummus Cęsari. Atqui argumentum non valet: Sunt enim apud multos, locupletes, nummi regio charactere & imagine insignati, pecunia & argentum signatum apud multos diuites comperias, non tamen ob id omnes illi nummi regi reddendi sunt. Respondeo, Argumentum Domini efficacissimum est, eo supposito, quod Cęsar tributum exigebat, ad iustitiam exequendam, pacem tuendam, bellum gerendum, splendorem regium seruandum. Si dicas, Quid verò si id Tyberius petebat, ad suos luxuriosissimos sumptus? Fuit enim ille libidinosissimus, idémq; profusissimus, vt Suetonius in eius vita describit, §.42. Propter nimiā vini auiditatem, pro Tyberio Biberius: pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero vocabatur. *& cap* 43. de luxuria ejus ac libidine, *item ca.* 44. de abusu luxurię eius fusè agitur. Responsio est, quòd cùm rex quid postulat, nec de causæ iniustitia constat, ei obediendum est. Pręsumitur enim in dubio, sanctè & iustè petiisse. Ergo argumenti vis & efficacia est. Quod Tiberius rex vester sit, euidenter perspicitur, ex nummi currentis inscriptione Nec enim nummus valere solet in regno, non regis signo percussus. Quod verò causa sit iusta ad petendum, vel constat, vel in dubio creditur esse iusta: reddendus est ergo illi nummus. Cæsar non tibi omnes corradit nummos, sed eos quos si non dares, turbatio nasceretur & scandalum, Reddis Cæsari, quæ suo iure illi debetur. Redde igitur superiori obedientiā, maiori honorē, parentibus pietatem, amicis beneuolentiam, cognatis egentibus subsidium, Nec Deum te defraudasse suo debito existima. Imò si hęc propter amorē Dei exhibueris, id Deo totum exhibitum certo scias. Vltimo (ait Paulus de Palacio hoc loco) id amonendi sumus: quod quia nos Christiani speciali ratione sum⁹ Christi, ideo reddamus nos Christo. Id vero maximè sacerdotes & clericos respicit: Hi enim sors Christi sunt, & hęreditas. Si imago Dei nobis appressa est, reddamus nos Deo. Speciatim etiā hęc vox. Reddite quę sunt Dei, Deo, ad Monachos clamat. Monachi enim per votū solemne Deo se tradiderūt. Iā ipsi se interrogent, Cuiusnam habitus hic monachicus est imago? certè hominis mūdo defūcti

*Sueto. in Tib. Cas. c. 42. & cap. 43. item* §. 44.

*Paul. de Pala. hic.*

Deo traditi: Redde igitur te, ô vir Religiose, Deo: alienum te exhibe mundo. Sic ille.

*Reddite, &c.* Princeps in patria sua monetam habet cudere, ergo ex ipso denario profitemini vos debitores, soluite igitur iura principi vestro, licet infideli.

Michea c. 6. *Quæ sunt Dei, Deo Michea c. 6. Indicabo tibi, ô homo, quid Dominus requirat à te, vtique facere Iudiciũ, & diligere misericordiã, & sollicitum ambulare cum Deo tuo, &c.* Ex his autem tribus officiorũ generibus, primum quidẽ spectat ad nos, nempe, facere iudicium. Secundum ad alios, diligere videlicet misericordiã. Tertium verò ad Deum. vt disertis verbis Sacer testatur vates. Ille iudicium facit, qui cupiditatum suarum libidine compressa, solo rationis & diuinæ legis iudicio vitam moderatur.

Athana. magnus apud Francis. Turr. l. 4. dogmatic. Characterũ. Expendenda est hæc sententia: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, &c.* Iuxta quod à Francisco Turriano, de Dogmaticis characteribus, lib. 4. ex Florentina editione, 1561. fol. 168. citatur Athanasius Magnus Alexandrinus, in sermone, de sanctis Patribus & Prophetis, &c. pertractãs prędicta verba: Reddite ergo, &c. Subiungit interpretandi gratia: τοῦτ' ἔστι τὴν εἰκόνα τοῦ καίσαρος καίσαρι: καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ θεοῦ, τῷ θεῷ. id est, imaginem Cæsaris, Cæsari, & imaginẽ Dei, Deo: Non reprehẽdit Dñs, neque improbauit quod Iudæi imaginẽ Cæsaris facerent, quibus alioqui lex vetabat, ne facerẽt sculptile, aut vllam similitudinem, sed potius iussit, vt ei honorẽ & tributũ redderent, cuius imaginẽ propter eundẽ honorabãt, sic etiã docuit, Quod erat Dei reddẽdũ esse Deo. Ex quo fit, vt sicut honor imaginis Cæsaris, honor Cęsaris est, quem in imagine eius honoramus, sic etiam honor, & cultus imaginis Christi, honor & cultus Dei sit, & honor imaginis Sancti, honor ipsius sancti, & rursus honor, ac cultus sancti, honor & cultus Dei. Quare honor, & cultus imaginis sancti, honor Dei est, ac proinde reddendus Deo, vt quod Dei est, Deo reddatur. Ita ex hoc loco Euangelij, honorem, & cultum imaginũ, acutè cõclusit Athanasius, ad Deum referendum esse, vt honorem imaginis Cæsaris, & inscriptionis, ad Cæsarem. Rursus, fol. 166. ἢ οὐκ ἤκουσας, τί διεταξάμην τῷ νομοθέτῃ Μωσῇ, ποίησόν μοι δύο χερουβὶν ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου εἰς προτύπωσιν τῆς ἐμῆς εἰκόνος. Christus alloquitur. hîc Ecclesiã. Annon audisti, inquit, quid Moysi legislatori præceperim? Facies, inquam, mihi duos Cherubinos, in tabernaculo testimonij, scilicet ad præfigurandam meam imaginem. Sic Athanasius verè hæreticorum Malleus, & Ecclesiæ columen. Cherubini adumbratio erant imaginum, id est, præsignificabant

tenuiter, ponendas esse in Ecclesia Catholica imagines, tum Christi propitiationis nostræ, tum sanctorum eius.

Nihil superesse videtur ad huius Euangelij explicationem, nisi pauca quędam annotare ad verba: Scimus quia verax, &c. Ex quo patet istorum peccatum, non fuisse ex ignorantia, sed ex certa malitia, Scimus, aiunt, Ex ore vestro vos iudico. Ergo peccatum vestrum manet. *Ioan.* 9. Scitis? *Iac.* 4. Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi. Scitis? Ergo acriùs vapulabitis, maioresque dabitis pœnas. *Luc.* 12. Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit plagis multis. *Scimus*, inquit, *quia non curas quemquam, &c.* i. non dimittis timore hominum, etiam Imperatoris, dicere veritatem. Nunc de re magna est quæstio in populo, super qua sententiam tuam expectat & desiderat. Dic an liceat tributum dare Cæsari? *Scimus quia verax es, &c.* Quomodo ergo dicebatis, Seducit turbas? *Ioan.* 7. Non est à Deo, *cap.* 9. Testimonium tuum non est verum, *cap.* 8. Et dæmonium habet, ibidem. Alterum horum mendacium est in ore vestro. Eligite hodiernum testimonium, & credite Domino Deo vestro, regi vestro, & Saluatori vestro. Verax enim est, & viam Dei docet, secundum vestram sententiam, & rei veritatem. Sed nihil minus cordi eorum inerat. Imò iisce adulationibus sperabant Christi cor emollire, vt liberè fauens religioni aduersus Cæsarem, rapetetur à militibus Herodis, vt puniretur, Cum Iuda factioso & seditioso viro, qui professionis tempore, ob similem causam perierat; vt post Apostolica Acta, refert etiam historiographus Iosephus, & nos alibi quoque annotauimus.

*Ioan.* 9. *Iac.* 4. *Luc.* 12. *Ioan.* 7. 8. 9. *Acta Apost.* *Iosephus.*

*Viam Dei in veritate doces, & cæt.* Quo loco obserua, Quosdam viam Dei non in veritate, sed in cupiditate docere, prædicantes propter minimum, non propter Deum, de quibus dici potest illud. *Non propter IESVM tantum, &t. Ioan.* 10. *e.* Quosdam autem in vanitate qui inde laudes humanas expetunt ac fauores. Quosdam verò in curiositate, qui inutilia dicunt, & subtilia, quæ non multùm auditoribus prosunt. Alios denique in mendacio ac falsitate, vt sunt hæreseon dogmatistæ, & prædicantes hæretici, qui quamuis quædam vera prædicent, multa tamen falsa, & mendaciorum plaustra, vt ita loquar, ad subuersionem audientium, conuehunt, & mixtim proferunt, zizania tritico, & lolium frumento permiscentes. Tales conferre ac comparare possumus melli venenato, & ad insaniam adigenti, quo de Plinius, lib. vigesimo primo. nat. histor. cap. decimo tertio. Heracleæ in Ponto,

*Plin. li.* 21. *ca.* 13.

quibusdam annis mella venenata & perniciosissima existunt, ab apibus facta, ex floribus noxium virus concipientibus, aquoso vere existente. Deinde subiungit: Aliud genus in eodem Ponto, mellis, quod ab insania, quam gignit, Mænomenon (dictione Græca) vocant. Gensque ea, cùm ceram in tributa Romanis præstet, mel (quoniam exitiale est) non vendit. Sic ibi, ex nouissima etiam. Iac. Dalecampij Medici, recognitione & emendatione. Non videtur tamen negligenda huius loci emendatio, vt pro vendit, legatur, pendit scilicet in tributis. Cuius me præmonitum voluit, Gul. Fornerius. I.C. ac antecessor. In Aurelianensi Academia, de quo aliis in opusculis nostris, non semel habita est honorifica mentio. Sicut autem Mellis quidem speciem & colorem habebat, sed venenatum erat & lethiferum. Ponticum illud mel *μαινόμενον*, Sic hæreticorum dogmata in speciem mellita & sana videntur, sed mortifera sunt, & venenata. Ideóque vsui Romanis, id est Orthodoxis & Catholicis, esse non possunt, imò reiicieda sunt, & tanquam adulterinum mel reprobatur ab Ecclesia. Appositissimè autē & scitissimè melli insaniam gignenti comparantur, quia vanitates & insanias falsas, furorem Manichæorum, ac Fanaticorum rabiosas crudelitates docent: euersionem altarium, templorum demolitionem, incendia reliquiarum Sanctorum, cædes & homicidia: Et quid non furiosum, & omnem superans Barbariem, & Turcicam, Scythicámque ferociam docent Hæresiarchæ ministri suos discipulos? Huius furoris senserunt impetum magno auitæ religionis damno, In nostra Gallia, pij viri. Tota pœnè funditùs periit vicina Britannia, Anglia vulgò dicta, cōtermina quoque Scotia, Miserè autem deformata est Germania à prętensæ reformationis authoribus Lutheranis. Videat Dominus, & requirat! Exurgat & iudicet causam suā.

Iac. Dalec.

Gul. Fornerius antecessor.

*Licet censum dari Cæsari? &c.* Cuius est imago hæc? &c. De quadruplici hominis imagine nobis agēdum foret hoc loco. Primùm quidem de ea ad quam homo initio conditionis suæ formatus est, nempe ad Imaginē & similitudinem Dei, de qua etiam regius Psaltes: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Secundo de ea, quam ipse sibi per peccatum impressit. Nam qui antè in sommo honore conditus erat, iumentis insipientibus similis effectus est, vt scribit Vates regius. Tertiò, de ea quam vnigenitus Dei Filius ad eam reformandam assumpsit. Nimirum deformatam imaginem nostram in se suscipiens, imaginis suæ pulchritudinem in nobis instaurauit.

Psal. 4.

*Hinc Rom. 8. misit Deus filium suũ, in similitudinem carnis peccati, &c.* Rom. 8.
Ideò carnis peccati similitudinem suscepisse, ait, quia caro eius purissima doloribus & pœnis, quæ propter peccatum illata sunt erat obnoxia. Vt enim siquis abscissas gestaret aures latronis speciem referret, quamuis latro non esset, quoniam pœna hæc latronibus imposita est: Ita caro pœnis atque doloribus subiecta, peccati similitudinem gerit, quamuis à peccato immunis sit. Dolores peccatis nostris debitos in se Christus suscepit vt nos ab illis liberaret. Hac enim ratione de peccato damnasti peccatum, Domine, cùm in peccato inuenisti, vnde peccatum deleres. Sicut enim ex viperæ veneno homines medicinam aduersus venenatum eiusdem morsum conficere solent: Ita tu ex pœnis, quas peccatum importauit in mundum, antidotum nobis aduersus peccati venenum confecisti: Et sicut Dauid Goliam, suo ipsius interemit gladio, ita tu à peccato arma accepisti (pœnis ac morti obnoxius, pro ipsis peccatoribus) quibus peccatum extingueres. Simile quiddam de Banaia viro fortissimo sacra Biblia testantur, his verbis: *Banaias interfecit virum Ægyptium, dignum spectaculo habentem in manu hastam*: Itaque cùm descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam, de manu Ægyptij, & interfecit eum hasta sua. Sic Christus à peccato ipso pœnas suscepit, quas non debebat: vt tantæ humilitatis & patientiæ merito ac sacrificio, nos à peccati debito, Christus Dominus liberaret. 2. Reg. 23.

Quarto & postremo de ea imagine agendum esset, ad quam homo reformari debet: vt ad pristinæ dignitatis formam reuocetur. *Vt sicut portauimus imaginem terreni, ita nunc portemus imaginem cœlestis. 1. Cor. 15.* Quæ imago, nullibi magis, quàm in ligno crucis apparet. Quid enim aliud à me Christi crux, quam peccatorum odium, & laborum amorem exigit? Ergo si quando tales fuimus, qualis vetus, Adam, qui ob exiguam cibi voluptatem, inobediens conditori suo extitit, simus nunc, vt nouus Adam Christus, qui mori priùs voluit, quàm Dei præcepta violare. Si quando fuimus, vt vetus ille Adam, qui cùm homo esset, diuinitatis sibi gloriam & similitudinem vsurpare præsumpsit; simus vt nouus Adam Christus, *qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui propter nos accipiens. Philipp. 2.* Si fuimus, vt ille primus homo, qui ne vxorem suam, hoc est, delicias suas tristitia afficeret, Dei præceptum contempsit: simus, vt iste secundus homo Christus, qui amantissimam carnem suam ad crucem 1. Cor. 15. Philip. 2.

obtulit, vt Dei mandatum impleret. Sic agentes, & Christi pro nobis crucem passi imaginem ad viuum exprimentes in nobis, Quæ Dei sunt, ipsi Deo reddiderimus fideliter, vt debemus. *Reddite ergo quæ sunt, &c.* Hæc prudentissima responsione Dominus noster inimicos confusos reddidit. Sic sapiētia vicit malitiam, sic facer Mosis serpens, Magorum serpentes deglutiuit. Hanc enim sapientissimam responsionem demirati, & turpiter pudefacti, ad perfidiæ suæ magistros vacui redierunt. Hactenus de hac Euangelica lectione, quæ sufficere videntur dixerimus, Et ne tædio lectorem afficiamus, hîc finem imponere decreuimus. Rogantes obnixe Dei Opt. Max. immensam clementiam, vt suam ipse in nobis impressam imaginem, vitijs nostris deturpatam ac deformatam, digito suo reformare, & imagini filij sui conformare ac configurare dignetur: vt veterem expoliantes hominem cum actibus suis, induamus nouum, in omni iustitia & sanctitate. Per eundem Christum Dominum nostrum: Ipsi cum Patre & Spiritusancto, in Trinitate perfecta & consubstantiali, sit honor & gloria per æterna sæcula.

AMEN.

# DOMINICA XXIII. A PENTECOSTE.

## De muliere hæmorroissa, sanguinis perpetiente fluxum annis duodecim, contactu fimbriæ vestis Christi sanata, & puella duodenni à Christo suscitata.

*Loquente* IESV *ad turbas, Ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum, &c.* Math. 9. Mar. 5. & Luc. 8.

*Math. 9. Mar. 5. & & Luc. 8.*

TRES mulieres Gentium, fide celebres compe- rio: Nimirum, Samaritanam, Chananæam, & istam hæmorroissam, quam fuisse Veronicam, hoc vocitatam nomine, habet antiquissima traditio. Refert enim Molanus, de picturis & imaginibus c. 52. quòd Saluator putatur à quibusdam, sui imaginem diuinitus absque manu pictam, reliquisse: (vt Abagaro & Veronicæ.) Item c. 74. Romæ, inquit, Venerandus vultus Domini est, quem Veronicam vocant, in templo nempe, D. Petri Apostolorum principis. Ibi visitur. Qua de re extant hi versus: In supplemento Chronicorum Bergoniensis, dum de Veronica agitur:

*Molanus c. 52. de picturis & imaginibus. & c. 74.*

*Supplement. Chronicorum Bergoniensis.*

*Salue sancta facies nostri redemptoris*
*Impressa panniculo niuei candoris,*
*Datáque Veronicæ in signum amoris.* Hæc ibi.

Theophylactus in *Math.* 9. ea de re sic meminit: De hæmorroissa dicunt, quod statuam Domino fecerit, ad cuius pedes nascatur herba, quæ profluuio sanguinis laborantibus medeatur, quam Iuliani temporibus impij contriuerunt. Sozomenus similiter, *lib.* 5. *Hist. Eccles. c.* 20. Suffragatur huic sententiæ. Verba eius sunt Cæsareæ Philippi (est ea quidem vrbs Phœniciæ, quam Paneadem vocant) preclara erat Christi statua, Iulianus eam, deturbauit, suámque in eius loco

*Theophylactus in Math. 9.*

*Sozomenus lib. 5. Hist. c. 20. & ex eo, tripartita Cassiodori lib. 6. c. 41.*

posuit. At ignis de cœlo statuam in terram deiecit. Christi verò statuam Gentiles violenter confregerunt, Christiani autem fragmenta eius collegerunt. Eadem pariter in tripartita, lib. 6. c. 41. ex eodem Sozomeno referuntur. Eusebius item lib. 7. c. 14. Historiæ Ecclef. Christophorsono Anglo interprete; Mulierem illam dicit ex Cæsarea Philippi, quam Phœnices Paneada vocant, esse oriundam, Illius domum ibi ostendi, Æneam mulieris illius genibus flexis effigiem, instar supplicantis, è regione autem viri imaginem, veste talari, & manum porrigentem mulieri demonstrari asserit: ad cuius pedes inuisitata herba nascitur, quæ vbi ad fimbriam excreuerit, omnes morbos curare dicit. Hanc effigiem IESV esse dicunt. Ipsi ibi eam vidimus. Non mirum, ait ille, eos qui ex gentilibus prognati, à seruatore viuente hîc beneficia recepissent, ista fecisse, cùm nos Petri, & Pauli, & Christi, imagines in picturis aspexerimus. Sic ille.

*Eusebius hist. lib. 7. c. 14. Christophorsono interprete.*

Obserua, Id Apostolorum sæculo contigisse. Fieri autem nequit, ipsos, hanc non vidisse statuam Quod contra Sacrarum imaginum hostes, dictum sit, vt etiam temporibus, Apostolorum statuas ac imagines in vsu fuisse, omnibus in comperto sit. Extat etiã Epistola fœminę illius, ad Herodẽ regem seu Tetrarcham. Apud Damascenũ, lib. 3. de Imaginibus, Tilmanno interprete, Ex Chronographia Ioannis Antiocheni, Sic ibi refertur: Herodes rex Philippi frater, è Iudæa digressus cùm esset, mulier Paneadem incolens, cui nomen Βερνίκη, (Bernice, Vulgò Veronica) volens Christo erigere columnam, non ausa est, citra regis permissionem. In quem finem supplicem libellum illi obtulit, Vt nimirũ, sibi liceret Saluatori aureã erigere columnã, Concessit ei Herodes. Sotiriorũ igitur causa, in grati animi signũ, pro recuperata salute, statuã Christo æneam vel auream excitauit, quod etiam Nicephorus lib. 6. c. 15. testatur Illa statua ad Iuliani vsque tempora perdurauit. Cùm autem scripserit Eusebius, nihil mirum, ista fecisse, qui ex Gentibus erant sentit aperte satis, hanc fuisse de gentibus fœminam. Quod etiam Tertullianus, lib. 4. cõtra Marcionẽ, significat, de hęmorrhoissa ita scribẽs: Cui credibile vt mulier nullius adhuc Dei conscia, nullius adhuc nouæ legis initiata, legem irrumperet, eam cui adhuc tenebatur, &c. quod vtique dicens, videtur sensisse ipsam fuisse Ethnicam. Hofineister in *Luc.* 8. disertis verbis eam fuisse Ethnicam profitetur. Mulier, inquit, Ethnica, à Rep. Israëlis aliena, à Moyse non edocta, ab omnibus Iudæis

*Io. Damascenus lib. 3. de de Imaginibus Tilmanno interprete.*

*Nicephorus Hist. Eccles. lib. 6. c. 15.*

*Tertullianus lib. 4. cont. Marcionem.*

*Hofineister in Luc. 8.*

contempta, &c. D. Hieronymus in *Matth.* 16. scribit, quòd Paneas siue Cæsaria Philippi, est in Prouincia Phœnicis. Phœnices verò populi sunt Syriæ, Iudæis contermini: quorũ præcipuæ vrbes fuerunt Tyrus & Sydon. Colligo autem ex varijs D. Hieronymi locis, quod Paneas colebat Idola Samariæ, siue vitulos aureos in Dan, aliâs enim Dan dicitur Paneas. Cæsarienses erant Iudææ contermini. Ex quibus omnibus tenendum est, hanc hæmorrhoissam gentilem fuisse, Veronicam nominatam; non vt quidam opinati sunt, Iudæam natione ac religione. Quod si quis D. Ambrosium obijciat, lib. de Salomone, c. 5. dicentem: Largum in sanguine fluxum siccat in Martha, dæmones pellit ex Maria, corpus rediuiui spiritus calore constringit. Sic ibi, quod postremum de Lazaro intellexisse videtur. Martham itaque fuisse hanc profluuio sanguinis laborantem existimant Ambrosius. Quid ad hoc dicendum? Respondeo. Ambrosij istam fuisse opinionem, à qua, salua tanti doctoris reuerentiâ, nunc quidem declinare, propter grauissimorum scriptorum Ecclesiasticorum, & Historiographorum suprà citatorum authoritatem constitui. Magno siquidem consensu Veronicam scriptores nominant, & vetustissima tenet traditio, à qua ne transuersum quidem vnguem recedere velim.

*D. Hieronym⁹ in Matth. 16.*

*D. Ambrosius lib. de Salomone c. 15.*

His prælibatis ad contextum aggrediamur. Ecce, ait D. Lucas, c. 8. venit vir, cui nomen Iairus, & ipse princeps Synagogæ erat, & cecidit ad pedes IESV, rogans eum vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei, ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, &c.

Obserua, amabo, vtrimque mulier proponitur, (mulier autem sexum dicit) vtrinque duodecim anni, accedit etiam grauissima vtrimque infirmitas, & in puella mors est subsecuta quæ tres, vt ita dicam, conformitates, mysterio non vacant.

Lucas in verbis supra allatis indicat Archisynagogũ istum tria Christo de filia sua, vt eum ad misericordiam flecteret, dixisse ac proposuisse 1. Quia vnica erat, 2. quia annorum duodecim, quando incipit flos ætatis, 3. quòd hæc iam moriebatur, & in extremis agebat. Naturâ autem sic comparatum est, vt luctuosior sit mors adultæ virginis, quæ iam nubilis esse incipit, dicente Satyrographo: *Iuuenal. saty.* 15.

*Iuuenalis saty. 15.*

*Naturæ imperio gemimus cùm funus adultæ*
*Virginis occurrit, vel terra clauditur infans.*

Domine filia mea modo defuncta est, sed veni impone manum tuam super eam, & viuet, &c. Putauit Iairus Domini præsentiam & contactum, restituendæ sanitati filiæ, esse necessaria. Annuit autem huic principi Dominus, & postulata illi concessit, cùm tamen Regulo huic denegauerit fauorem. Ratio verò specialis huius facti est, quia præsciuerat Christus mortuam fore puellam, priusquam in domum perueniret. Verùm enimuerò, vt mortuam absens resuscitaret non conueniebat, ne miraculum hoc, quale adhuc (fortassis) non ediderat, non sibi ascriberetur; sed putaretur à profundo quodam somno puella naturaliter excitata. Adde quod nemo ob miraculi magnitudinem credirurus erat, absentem Dominum potuisse mortuum excitare. Quamobrem sequutus est Christus hunc Archisynagogum, iuitque cum eo.

*Impone* aiebat pater, *manum tuam super illam, &c.* Sicut Naamã Syrus putabat Eliseum ad se accessurum, manúsque sibi im-
4. Reg. 5. positurum, vt à lepra curaretur. 4. Reg. 5.

*Et viuit*, inquit, Reuera si non venisset Christus, puella iã mortua non reuiuisceret. Non poterat genus humanum pec-
Rom. 5. c cati Adamo mortuum. (*Nam. Rom. 5. In Adam omnes peccaue-*
1. Cor. 15. *runt. & 1. Cor. 15. In Adam omnes moriuntur, & in Christo omnes viuificantur*) ad vitam resurgere, nisi Dominus veniret; quod in typo ostensum est, dum Giezi puerum suscitare cum baculo non potuit: Sed Eliseus in propria veniens, *dum incubuit super puerum & posuit os suum super os eius atque illi commensuratus*
4. Reg 4. c. *est, eum ad vitam reuocauit*, 4. Reg. 4. Applicatio seu accommodatio ad institutum nostrum, non est difficilis. *Filia mea*, dicebat mœstus parens, *modò defuncta est*. q. d. Cùm de domo exirem, nũdum mortua erat, sed modo, vt ego quidem existimo, mortua est, quia reliqui eam moribundam ac morti vicinam.

Interea dum Christus proficisceretur, & cum patre huius puellæ pergeret in domum, vt filiam Archisynagogi inuiseret. Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, &c. Diuina profectò dispensatione factum est, vt ista in via curaretur, vt sic fides Archisynagogi cresceret, & confirmaretur. Morbus istius erat diuturnus, ac Medicorum arte incurabilis, Et licet plures tentassent illum sanguinis sistere fluxum, idque cum facultatum ægræ mulieris dispendio & iactura, semper tamen in peius proficiebat.

A Medicis triplex malum ac damnum reportauit, Multas nimirum pœnas, paupertatem ac egestatem, morbi denique

incrementum. Refert Plinius, lib. 29. c. 1. Illa, inquit, infelicis momenti inscriptio. Turba se medicorum periisse. Et Xiphilinus ex Dione Nicæo in Adriano. Moriens ille, exclamauit illud peruulgatum. *Plinius li. 29. c. 1. nat. hist. Xiphilinus ex Dione Nicæo in Adriano.*

*πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν.* Hoc est.
*Multi Medici Regem sustulerunt.*

Habetur quoque in Græcorum sententiis, In Medicos, versus iste:

*πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδός μ' ἀπώλεσεν.* Id est. *Diuersorum γνῶμαι.*
*Multorum Medicorum visitatio me perdidit.*

Hæc autem amplificant Christi potentiam & bonitatem. Is mirare potest & vult, vbi cessauerit omnis creaturarum vis. Intentio Euangelistæ non fuit medicorum subsidia, artem & diligentiam improbare, sed potius ostendere voluit ac patefacere morbi grauitatem, omnem superantem artem, & vincentem Medicorum diligentiam: Et præmonitos nos voluit, ne in Medicis nimis confidamus. Postquam verò hæc cœpit diffidere medicis, facta est illi salus, eo quòd humanitus non sperauerit salutem. Deus nulli libentiùs opitulatur, quàm qui se agnoscit humanis esse destitutum præsidiis. Vnde Philo dicebat, referente Eusebio, lib 2. hist. c. 5. ex Rufini versione, Cùm fuisset ille euictus, à Caio Imperatore, ad Iudæos conuersus: Bono animo nos esse oportet, quibus natus est Caius, quia necesse est adesse diuinum, vbi humanũ cessat auxilium. Hæc, inquit, Iosephum dicere: libro nimirum. 18. Antiq. c. 10. *Ioseph. Anti. Iud lib. 18. c. 10. Euseb. hist. Eccl. lib. 2. c. 5. 2. Paral. 16.*

Protulimus aliàs exemplum *ex 2. Paral. 16 de Asa Rege, qui ægrotauit dolore pedum*, ( Podagram vocat ) *nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in Medicorum arte confisus est, vnde non conualuit*, sed mors tandem, decurso ferè trium annorum spatio subsecuta est. Discamus proinde in nostra infirmitate ad Deum præcipuè recurrere, & ad Medicos spirituales primùm quidem confugere: deinde corporales etiam Medicos consulendos esse & aduocandos adhibendósque censeo. Non enim damnatur medicinæ vsus, absit. Siquidem Eccles 38. *Honora Medicum propter necessitatem. &c. Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens, non abhorrebit illam, &c.* *Eccl. 38.*

Nec Asa ( cuius sup. facta est mentio) ob medicinæ vsum reprobatur, sed quia non quæsiuit, Dominum, verùm neglecta Dei inuocatione, Medicos consuluit, atque in eis omnem spem suam collocauit.

Meritò itaque cautũ & sancitum est, Decretali epistola, &

Ecclesiastica auctoritate, prout Extra de pœnitentiis & remissionibus. c. Cum infirmitas, &c. disertis verbis habetur; vt priùs Sacerdotes, quàm Medici aduocentur. Verba sunt huiusmodi: Cùm infirmitas ex peccato proueniat, statuimus Medicis corporum, vt moneant infirmos, vt medicos aduocent animarum, vt postquàm de spiritali salute fuerit prouisum, ad corporalis medicinæ remedium procedatur, cùm causa cessante cesset effectus. Verùm de his aliàs plura in Decadibus nostris sacris, Homil. de Centurionis seruo paralytico, nos dixisse meminimus. Quare ad sequentia pergendum nobis arbitramur.

*Extra. de pœnitētiis & remissionibus. c. Cùm cōfirmatas.*

*Sac. Decad. authoris Ho. de Centurionis puero.to.prio.*

Potuit hæc hæmorrhoissa vsurpare illud, quod Themistoclem dixisse legimus, prout refert Plutarchus tom. 1. vitarum in Themistocle Atheniensi, tomo item primo opusculorum in Apophtegmat. Græcorum, quòd cùm apud Persarum Regem, Themistocles, ingens euasisset, & colcretur à multis: Splendida mensa filiis apposita, dixerit: Perieramus filij, nisi periissemus. Sic & ista nisi periissent omnes fermè eius facultates, quas in Medicos erogauerat, vix salua fieret, & de vero medico Christo seriò cogitasset, & ad illum accessisset sanitatem, fimbriæ ipsius contactu, recuperatura: Perierat planè, nisi ita periisset, Domino autem ipsam interius illustrante & excitante, tot aduersis compulsa, ὀψιμαθής tandem adiit: à quo etiam sanitatem recepit.

*Plutarchus in Themistocle. et in Apoph. Græcorum.*

Tetigit fimbriam eius retrò ac latenter. Quia secundum legem, *Leuit. 15. Immunda reputabatur*. Timebat, autem, ne à turba ob immunditiam repelleretur & argueretur. Tantam verò concepit de consequenda per Christum salute fiduciam, vt solo contactu fimbriæ salua fieret, quamuis neminem talem audisset à Christo fuisse aliquando sanatum: Dicebat intra se: Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius salua ero, &c. Q. d. audio quòd solo tactu alios sanat. Ego cùm non ausim optare, vt me immundam tangat, tantam eius credo potentiam, vt si contigero in vestimento, sanitatem recipiam. At quæret aliquis. Cur potius fimbriam, quàm aliam vestis partem expressit? Respondeo. Quia fimbria vestis, insigne esset Iudæorum sanitatis, & distinctionis à Gentibus. Hinc Pharisæi magnificabant fimbrias suas. *Matth. 23*. Agitur autem de fimbria Iudæi, vt sanctitatis nota, & tessera *apud Zachariam*. 8 Prædicitur ibi, quòd in diebus Messiæ *decem homines ex omni-*

*Leuit. 15.*

*Matth. 23.*

*uersis linguis gentium apprehendent fimbriam viri Iudæi.* D. Hieronymus eo loco Christum intelligit, ac interpretatur. Hoc ad litteram in ista hæmorrhoussa impletum cernitur. Eius exemplo (*Matth. 14. Rogabant aliqui, vt vel vestimenti fimbriam tangerent, & quicunque tetigerunt salui facti sunt.* D. Hieronym. in Zach. 8. Matth. 14.

Nota, ad ossa Elisei, solo contactu, ad declarationem sanctitatis Prophetæ, Deus mortuũ excitauit, sicut sacra regum testatur Historia. *quarto Regum decimo tertio.* Quidam *sepelientes hominem proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, reuixit homo, & stetit super pedes suos.* Hæc nimirum exempla, ex veteri nouóque Testamento deprompta, efficacissimè hęreticos nostræ tempestatis reuincunt ac refellunt, Sanctorum reliquias conculcantes, flammis (prò nefas!) tradentes: & indignissimè, ac plusquam Scythicè & Turcicè, pretiosa Martyrum, reliquorúmque Diuorum ossa tractãtes, quæ fuerunt electa Spiritussancti organa, templa, ac domicilia, dum hac in vita mortali olim agerent. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritussancti, qui in vobis est? prima Corinth. sext.* Mitto me agere, de vmbra Petri Apostolorum principis. *Act.* 5. Item de semicinctiis D. Pauli coapostoli & eiusdem collegæ, *Act.* 19. Missa quoque facio, quam plurima ad Martyrum reliquias patrata miracula à Diuo Augustino optimo antiquitatis interprete, sanctissimóque ac fidissimo Ecclesiæ Doctore, lib. 22. de Ciuitate Dei. to. 5. relata ac commemorata. Eò recurrat qui volet ex ipsis haurire fontibus, potiusquàm riuulos consectari. 4. Reg. 13. 1. Cor. 6. Act. 5. & 19. D. Aug. to. 5. lib. 22. de Ciu. Dei.

*Quis me tetigit?* ait Christus, De tactu cum fide intelligit: Quasi ignorans loquitur omniscius. i. Vt cõfessionem prouocaret. i. vt timorem probaret, Sic Adamo dixit olim. *Adam vbi es? Genes.* 3. Aliter turba Christum tetigit, aliter mulier. Hæc in momento, in vno Christo inuenit, quod per annos duodecim à multis Medicis accipere non poterat. Genes. 3

*Turba te comprimunt.* Respondit Petrus. *Quomodo tu dicis Quis me tetigit, &c.*

Ad literam id quidem verum est. Non habebat Christus ianitores, qui accedentes ad Christum impedirent vel arcerent. Quod aduersus superiores dictum sit, & contra quosdam Reges, ac Prælatos, qui se inaccessibiles, vt ita dixerim, reddunt.

Narrat Plutarchus to. 1. opusc. in Apoph. Regũ & Impp. de

Artaxerxe, qui Mnemon, id est memor, cognominatus est, quòd non tantum compellantibus liberalissimè vacabat, sed & vxorem suam iubebat pilenti (vehiculi genus erat) aulæa dimouere (*Gall. tirer les tapis ou rideaux de son coche ou littiere, & se monstrer à descouuert.*) vt posset ab his, qui vellent, compellari in via.

*Plutarch. to. 1. opusc. in Apo. Reg. & Imp.*

Idem to 3. vitarum in Cleomene Rege: Primùm enim, inquit, adirent Græci, neque per ianitorum gregem, vel per libellos grauatim respondebat, Verùm ipse colloquebatur humaniter. Suetonius in Octauio Augusto §. 53. scribit illum sæpè adaperta sella per publicum incessisse, promiscuis salutationibus admisisse & plebem, tanta comitate adeuntiũ desideria etiam excepisse, vt quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi Elephanto stipem. (Hoc est, non sine metu.) Molestum ei erat timeri. Sic ibi. Quid hic Traianum commemorem? De eo refert Eutropius rerum Romanarum lib. 8. quòd culpantibus amicis, ob id quia nimis comis esset: Responderit: Talem se Imperatorẽ esse priuatis, quales esse sibi Imperatores priuatus optasset. Hinc meritò acclamatum est: BONITAS TRAIANI. Non sic Assuerus, qui legem tulerat, *ne quis ad eum nisi vocatus veniret, sub pœna mortis. nisi auream virgam tetendisset (in signũ vtique clementiæ.) Esther. c 4.*

*Idem to. 3. vi. in Cleom. Re.*

*Sueto. in Oct. Augusto. c. 3.*

*Eutrop. lib. 8. rerum Rom.*

*Esther c. 4.*

His artibus Abialon furabatur corda hominum. 2. *Reg.* 15. *Omnem virum.* ait sacer contextus. *qui habebat negotium, vt veniret ad regis iudicium, vocabat Absalom ad se, & familiariter alloquebatur, dicens. Videntur mihi sermones tui boni & iusti, sed non est qui te audiat constitutus à rege.* Dicebatque. *Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iustè iudicem? Sed & cum accederet ad eum homo, vt salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad iudicium. vt audiretur à Rege, & sollicitabat corda virorum Israel.* Sic ibi. (Christus in comitate omnes superauit.

*2. Reg. 15.*

Omnibus obuius erat. Turbæ eum comprimebant, in eũ præ desiderio audiendi sermones ipsius, vt Euangelica testatur historia, turbæ irruebant, *Luc. 5. & 8. c. Confide filia,* ait Christus, per fidem vtique filia effecta est. *Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis que credunt in nomine eius, &c. Gal. 3. Omnes filij Dei estis per fidem.* Obserua, quòd Ethnicam mulierẽ filiam vocat quia fidem filiorum Dei habuit. vnde & Chananæam alloquitur, atque de fide præsertim eam commendat.

*Luc. 5. & 8.*

*Ioan. 1.*

*Gal. 3.*

d.

d. *O mulier magna est fides tua.* Matth. 15. Huic consimiliter dicitur: *Fides tua te saluam fecit.* Matth. 9. *Matth.15. & 9.c.*

Nunc ad puellam accedamus. Nuncij patrem certiorem reddiderunt de filiæ obitu. At Christus patrem mœstum solabatur, exhortans eum vt crederet. Tantummodò crede, ait, Q. d. Vidisti efficacem mulieris huius fidem. Tu sic crede, & propter tuam fidem salua erit filia tua. Non mihi difficilius fuerit mortuum excitare, quàm naturaliter incurabilem mulierem hæmorhoissam sanasse.

*Ingressus domum principis, vidit Christus tibicines, & turbam tumultuantem, & dixit: Recedite.* Tibicines conducebantur, vt excitarent luctum in vicinis & amicis, ad quorum modos gentes, (à quibus Iudæi hoc mutuati sunt) solebant eiulatus emittere, & pectus pulsare. Hos Dominus eiecit. Ex hoc loco habes, quod Tibicines adhibiti fuerunt funerali pompæ nobilis puellæ defunctæ. Obseruatum fuit aliàs à nobis, quòd in funeribus virorum, lu ctificum quid tubis canebatur, at in funeribus puerorum ac puellarũ tibiis. Prioris rei testimonium extat apud Virgilium, Æneid. 11. lib. *Virg. Æneid. lib. 11.*

*It cælo clamórque virùm, clangórque tubarum.*

Posterioris autem apud Ouidium lib. 5. tristium eleg. 1. *Ouid. l. 5. tristium eleg 1.*

*Tibia funeribus conuenit ista meis.*

Et Lucianus, tom 1. de luctu. Quid ista pectorum ad tibiæ modos percussio? (Sub. mihi confert) aut, quid mulierum immodica lamentatio? *Lucian. to.1. de luctu.*

Animaduerte, quod Melodiæ sonorum ad diuersa ordinantur. Quædam enim prouocant, ad audaciam, vt in tubis bellicis. Quędam ad deuotionem, vt in cãticis Ecclesiasticis, & organis ac psalteriis, Nota est Citharæ Dauidicæ via ac energia, *dum enim percuteret manu sua citharam, recedebat à Saule spiritus malus.* 1. Reg. 16. *Quandocumque spiritus Domini malus, arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus,* ait Sacer contextus. Quædam melodiæ sunt ad lætitiam, vt instrumenta musica, *Luc.* 15. in parabola de filio prodigo, mentio expressa fit de symphonia & choro. Aliquæ denique comparatæ sunt ad fletum, luctúmque excitandum Talibus vtebantur antiqui, in exequiis magnorum, vt hoc loco tibicinum fit memoria, in funere huius puellæ. Non est igitur à ratione alienum, si in exequiis ac funeribus Christianorum, campanæ pulsentur, vt homines campanarum sono admoniti, pro defunctorum requie preces fundant. *Sancta* *1. Reg 16.* *Luc.15.*

*enim & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* 2. *Machab.* 12. *cap.* De orationibus pro fidelibus defunctis, Nos aliàs plura. Antequam verò hoc caput claudamus, ex Saxone Grammatico historiæ Danicæ scriptore, lib. 12. de Errico rege à Citharœdo insigni, hominum affectus pro voto inflectente, ad furorem vsque concitato mirabilem profectò narremus historiam. Sic igitur ea de re Saxo: Erricus cùm more regio, domi in propatulo cœnitaret, inter alios quendam musicæ rationis professorem adesse contigit. Qui cùm multa super artis suæ laudibus disputasset, inter cætera quoque sonorum modis homines in amentiam, furorémque pertrahi posse, affirmabat. Quinetiam tantas fidibus vires inesse dicebat, vt perceptis earum modulationibus astantes mente constaturos negaret. Cúmque an eiusmodi vsu calleret? interrogatus peritiam fateretur, tum precibus regis, tum etiam minis effectum præsentare compellitur. Qui cùm nec vecordiæ metu, nec periculi prædictione, imperantem auertere potuisset, ne furori nocendi materia suppeteret, primùm æde armis vacuefacta, complures extra auditum citharæ in ambitu collocandos curauit, oriente vesaniæ strepitu fores irrumpere, ereptámque manibus suis citharam capiti illidere iussos, ne vlterior eius modulatio superuenientes quoque mente captos efficeret. Monuit quoque præsto esse, qui furentium vesaniæ valenter occurrerent, ne lymphantes dementia in rixam versa mutuis seipsos viribus interimerent. Obtemperatum consilio est. Igitur armis domo egestis, claustrorúmque custodia obseratis, fidibus operam dare exorsus, inusitatæ seueritatis musâ ædidit: cuius prima specie præstantes veluti mœstitia, ac stupore compleuit. Qui postmodum ad petulantiorem mentis statum vegetioribus lyræ sonis adducti, iocabundis corporum motibus gestiendo, dolorem plausu permutare cœperunt; Postremò ad rabiem & temeritatem vsque modis acrioribus incitati captum amentiæ spiritum, clamoribus prodiderunt. Ita animorum habitus modorum varietas inflectebat. Igitur qui in atrio melodiæ expertes constiterant regem cum admissis dementire cognoscunt, irrupiáque æde furentem complexi, comprehensum continere nequibant: quippe nimio captu furoris instinctus, eorum se validè complexibus eruebat. Naturæ siquidem eius vires etiam rabies cumulabat. Victo itaque colluctantium robore procursum nactus, conuulsis regiæ

2. *Mach.* 12.

*Saxo Gramm.* 9. *Hist. Danica, lib.* 12.

foribus, arreptóque ense, quatuor militum continendi eius gratia propiùs accedentium necem peregit. Ad vltimum pulumarium mole, quæ vndique à satellitibus congerebantur obrutus, magno cum omnium periculo comprehenditur: vbi verò mente constitit, læsæ primum militiæ iusta persoluit; vt autem acrioribus expiationis modis pœnitentiam æderet: redimendæ noxæ gratia, religiosæ peregrinationis propositum amplexatus est. Iudæámque diuinæ visitationis memoria venerabilem, adire constituit. Hæc ibi. Nec prætermittendum duxi, quod Plutarchus, to. 3. Opusc. lib de Musica, commemorat his verbis: Musicam imprimis ad bellicos terrores vtilem & commodam esse, Veteres illi Græci putauerunt, ad quos bellicos terrores, alacriter ac fortiter capescendos & sustinendos, alij, vt Lacedæmones tibiis canentibus Castorium appellatum modum instructa ornatáque acie cum hoste conserturi manus, promouebantur: Alij ad cantum lyræ in certamen aduersus hostes procurrebant: quo more pericula adeundi, præliorum multis tempestatibus, Cretenses fuisse vsos memoriæ proditum est. Ætate nostra pergunt etiam nunc vti tubis. Post multa tandem ibidem subiunxit Plutarchus: Terpender seditionem quæ Lacedæmonios vexabat, musica sustulit. Hæc ille. Sequentia iam videamus. *Plut. to. 3. Op. l. de Musica.*

Nuncij dicebant: *Mortua est filia tua. noli vexare magistrum, &c.* *Luc. octauo cap.* Tales famulos multi iam principes habent. Quantos inuenias aulicos, & palpones ac adulatores qui dominis ac principibus suadere nitantur, ne IESUM introducant in domos suas. Siquidem IESU domum ingrediente, salutem ille operatur, omnia bona pauperibus largienda curat, vt patet in Zacheo. *Luc. 19. cap.* Et sicut eorum, qui ex obsessa puella diuitias sibi cumulauerant, exacerbata sunt corda, dum viderunt, quod spes quæstus eorum finem habuit: *Act. 16.* Sic & principum serui seu clientes ad adulandum compositi, Christi abhorrent aduentum, eo quod tunc ex iniquo mammona nequeant amplius ditari. *Facite,* inquit Christus, *vobis amicos de mammona iniquitatis, &c. Luc. 16.* *Luc. 8.* *Luc. 19.* *Act. 16.*

*Recedite,* ait Christus eiiciens turbam eiulantem, &c. Luctum simpliciter non tollit, sed immodicum. Non contristemini, inquit Apostolus, sicut illi, qui spem non habent. De lugendis defunctis, quatenus liceat Christianis, & hîc & in Decadibus nostris satis me dixisse arbitror, vt quemadmodum hominis vita à fletu incipit, Ita finis lachrymis non careat. *Luc. 16.*

Verumtamen moderatè flendum est, vt nequid nimis.

*Deridebant eum.* (Christum nimirum, turbæ ac tibicines) Id permittente Deo contigit, vt miraculum clarius fieret, dum sic mors puellæ comprobatur certissimè. vt enim postea dicere non possent, quòd non esset mortua puella, propter hoc se permisit derideri, vt calumniatorum ora obturarentur: vsque adeo certa erat puellæ mors, vt Christum deriderent, quia diceret: Non est mortua puella, Nam si non erat reipsa mortua, cur mittunt nuncium mortis ad patrem? Quare plangunt? vt quid tumultuantur? Tantisper enim dum agit in extremis infirmus silentium seruatur, quietè omnia aguntur, tumultus, quoad fieri potest, vitatur, vbi decumbit ægrotus Cur verò derident Christum, vt ignarum discernere inter mortem ac somnium? Sic certè mortua erat, vt à nullo perito medico excitari potuerit, Christus tamen dormiebat, qui eam nullo negotio à mortuis excitauit.

Tres Apostolos Petrum, Iacobum, & Ioannem, ac vtrumque puellæ parentem, secum intrare duntaxat, permisit Christus Tres illos etiam in montem secum duxit, *Matth.* 17.
*Matth.* 17. & 26. ac in hortum, *cap.* 26. In domum quidem Iairi, vt futuræ resurrectionis, In montem, vt diuinæ Maiestatis. In hortum denique vt infirmitatis humanæ pro nobis assumptæ idonei forent testes, & omni exceptione maiores, sancti isti Apostoli.

Porrò vere ressuscitationis à mortuis, eorum quos Christus ad vitam reuocauit tria ponuntur signa: Primum, quod ressuscitatus cœpit loqui, *Luc.* 7. Secũdum, quod suscitata puella ambulauit. Tertium, quod verè manducauit. Huic iussit Christus dari ad manducandum, &c. vt nimirum per veritatem comestionis, certitudo veritásque patesceret resurrectionis. Ideò enim & Lazarum suscitatum ambulare fecit coram omnibus circumstantibus: *Ioannis* 11. Soluite eum, ait, & sinite abire: atque commensalem in cœna Bethaniæ sibi parata, habere voluit: *cap.* 12. vt his argumentis veritas confirmaretur, & Iudaica incredulitas reuinceretur atque confunderetur. Eadem planè ratione, Christus ipse à mortuis vere suscitatus, coram Apostolis suis vesci voluit, sicut sacer commemorat Euangeliographus, *Luc.* 24. & *Act.* 1. *Habetis aliquid quod manducetur? Et conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, &c.* Si phantasma esset non loqueretur, non ambularet, non comederet, non reliqua denique vitæ munia ac officia exerceret. Nota est Simonis magi delusio, qui carminibus

[Margin notes: *Luc.* 7. — *Ioan.* 11. & 12. c. — *Luc.* 24. *Act.* 1.]

quibusdam, ac incantationibus nisus est adolescentem defunctum in speciem, & secundum apparentiam externam suscitare: qua de re in Decadibus nostris egimus. Phantastica fuit & illusoria, non vera ac realis hæc suscitatio, sicut Apostolorum princeps certò coràm astantibus conuicit.

Mira sane res quòd hæc puella duodecim annos nata erat, αἱμοῤῥοοῦσα quoque (quæ αἱμοῤῥαγίαν, id est, sanguinis eruptionem, vel αἱμοῤῥοΐδας, hoc est sanguinis fluxum, patiebatur) per duodecim annorum spatium, hac infirmitate laborauerit. Itaque cùm puella ista ædita est in lucem, hæc mulier tam graui morbo affecta est: Cúmque eadem sanitatem in itinere per Christum recuperasset, Tunc puella domi lecto decumbens, viuere desiit. Hæc est rerum omniũ vicissitudo. Quibusdam namque manum dexteram suam Dominus imponit, Aliis verò sinistram. hoc est, his quidem aduersa, illis autem prospera tribuit. Hinc desideratus nascitur filius illi charissimus & optatissimus moritur primogenitus. Sic cancellatis manibus, & in modum crucis dispositis, (vt olim Iacob, Ioseph filiis benedixit) solet Dominus res suorum tractare & administrare; Et sicut dicit Psaltes regius. *Psalm.* 74. *Hunc humiliat, & hunc exaltat.* ne quis scilicet in prosperis, superbiã efferatur, néve in aduersis per desperationem succumbat. Daniele in lacum leonum proiecto, Belis cultores ingenti gaudio affecti sunt, sed septem reuolutis diebus, è lacu sanus & incolumis Daniel extractus est. Et qui perditionis eius causa fuerant, in lacum missi, in momento deuorati sunt. *Dan.* 14. *& cap.* 6. simile quid de eodem legitur. Nec dissimile est, quod in sacra Estheræ historia, *cap.* 7. de superbo Aman, (qui Mardochæo patibulum erexerat & parauerat) disertis verbis habetur: Suspensus est Aman in patibulo, quod parauerat Mardocheo.

*In Genes.*

*Psal.* 74.

*Danie.* 6. & 14.

*Esther* 7.

Sequitur apud Marcum, *cap.* 5. Præcepit Christus vehementer, vt nemo id resciret (nempe puellæ suscitationis modum.) Quàm profunda sunt iudicia tua Domine, Mulierem illam sanguinis fluxu laborantem, quę secretò & clàm fimbriam tui tetigerat vestimenti, sanitatémque est assecuta, nemine conscio vel sciente, tu tamen statim propalasti, dicens, Quis me tetigit? Sensi enim de me virtutem exiisse. Hanc vero puellam, (quam quinque testes te viderunt à mortuis excitasse) vis, & præcipis non publicari, cauésque vt id minimè resciatur. Quorsum hoc? Respondeo. Sanatæ mulieris beneficium Christus propalari voluit, adstantibúsque innotescere, vt nu-

*Marc.* 5.

tantem principis synagogæ fidem ac vacillantem, hoc insigni miraculo confirmaret. Contrà verò in altero miraculo, adeò seuerè parentibus silentium præcipiens, non sibi, sed nobis vtique prospiciebat, qui ob naturæ lapsæ infirmitatem, inanis gloriæ morbo vehementer laboramus. Quam etiam ob causam. *Matth 6.* iussit dicens: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis corã hominibus, vt videamini ab eis.* Deinde, *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito.* cùm interim, Idem Christus Apostolis præceperit:
*Matth.6.* *Matth 5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Nolo silentio præterire, nullâve ratione hîc dissimulare, aut tacere valeo, quòd locus iste Euangelicus de Gẽtilitate intelligitur, quæ sanitatem puellæ, id est Synagogæ præcipuit. Ita enim prodigus ille filius, *Luc.15.* vitulum saginatum, fratri in agro laboranti, eripuit. Sic quondam Iacob vir simplex & lenis, Esau hispido hirtóque ac piloso venatori benedictionem, ac primogenituræ ius præcipuit, ac præoccupauit. Ita tum demum Centurio ille, Domino in cruce moriente, quasi dicas, à fimbria, & vltimo vitæ Christi, sanatus, in Euangelio legitur. *Luc. 23. cap.* Sed sanato Centurione venit Ioseph serò petens corpus IESV. veniet, scilicet sero Israel, petens fidem.

*Luc.15.*

*Genes.27.*

*Luc.23.*

Mulieris hæmorrhoyssæ nomen, genus, & patria in Euangelio subticetur. Sed suprà, ex antiquissima traditione nomen eius expressum est: Veronica enim vocabatur, Genus quoque indicatum, Nam Ethnica & Gentilis, non autem genere Iudæa fuit, Patria similiter expressa est. Siquidem Cæsariensis, siue ex Paneade oriunda est. At vero, Puellæ pater proprio nomine indicatur; dum Iairus, id est, illuminatus appellatur. *Si tetigero tantùm fimbriam, &c.* Quem diuinus tangit spiritus ac instinctus, optat, & in votis habet summum suum coniungi vel infimo Dei: Forsan osculata est hęc mulier fimbriam, sicque summum suum, hoc est, os, iunxit infimo Christi. nimirum fimbriç vestis. Sic & Magdalena *capillis suis tergebat pedes Christi. Luc.7.* Humiles igitur sunt, quos Deus saluat, & circa diuina magnam retinent obseruantiam, demissionem ac reuerentiam.

*Luc.7.*

Sed age, audi mysterium vestis atque fimbriæ: Vestis Dei, est caro sua, fimbria carnis, mors eius est, in qua tintinabula appensa sunt, *melius certè clamantia, quam Abel.* Hic enim clamat ad vindictam: At Mors Christi clamat;

Ignosce illis. *Accessistis ad noui Testamenti mediatorem*, (Scribit Paulus Apostolus,) *& sanguinis aspersionem, meliùs loquentem, quàm Abel.* Sunt etiam in sacerdotis nostri magni fimbriis appensa malogranata, significantia nimiam illam charitatem, *qua in fine dilexit nos. Ioan.* 13. Huiusmodi enim erat pontificalis habitus, sicut habetur in lege. Igitur anima quæ sanari vult, tangat hanc Domini mortem. Quæris, quomodo tanget? Respondeo. Tangat sacramenta Ecclesiæ, in quibus, ait Paulus de Palacio hoc loco, mors & passio Christi (velut in vase) continentur. Hæc si infirmus tangit, sanatur: dicunt enim Theologi: Sacramenta ex attrito, id est, infirmo, facere contritum, id est sanum. *Heb.* 12. *Ioan.* 13. *Paulus de Palacio in Matth.* 9.

Nec silentio obruendum est, *quod Mar.* 5. dicitur: Mulier timens & tremens, sciens, quòd factum esset in se, venit & procidit ante Christum, Et dixit ei omnem veritatem. Cùm ergo peccator sanandus est, priùs tremat intra se, mox procidat coram sacerdote: qui personam gerit Christi, illique confiteatur omnem veritatem, id est, omnia peccata, verè, nullo peccato dimisso, vel scienter & prudenter prætermisso. Nec enim sine mysterio dicitur: Dixit omnem veritatem. Sic de Palacio. *Mar.* 5.

Animaduerte similiter, quòd princeps synagogæ filiam suam sanari petit, Sed subiugreditur mulier, sanguinis fluxum patiens, quia *Æthiopia præueniet manus eius Deo. Psal.* 67. Videlicet quia *cum intrauit plenitudo gentium, tunc Israël saluus fiet. Rom.* 11. Porrò mulier duodecim annis sanguine manabat: Et item duodecim erat annorum filia principis. Ex quo enim crediderat Gens Iudæa; infidelis fuerat Gentilitas. Obiter autem sanatur mulier sanguiniflua, sicut obiter sanantur gentes. Dicitur enim *Act.* 13. *Vobis* (Iudæis) *oportebat primùm loqui regnum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos indicatis æternæ vitæ: Ecce conuertimur ad Gentes sic enim præcepit nobis Dominus.* *Psal.* 67. *Rom.* 11. *Act.* 13.

Tres mortuos à Christo excitatos, Euangelica commemorat historia, mysterium trium istorum habes alibi, nec diutius huic interpretando explicandóque immorari necessarium esse existimaui.

Hæmorroyssa quæ ob fluentem sanguinem se reputabat immundam, ita lege indicante, retrò ad Christum accessit. Non tamen omninò rectè de Christo iudicabat, quæ eum aliquid latere credebat.

Porrò hæc bonam de Christo conceperat spem, recipien-

dæ per eum sanitatis. Tùm quia audiebat alias à Domino sanatas fœminas, vt Socrum Petri, febrili æstuantem ardore, tùm quia videbat Dominum ire ad fœminam sanandam, tùm quia, quamuis opulenta, ad suam tamen domum non est ausa, propter hæmorragiam suam & sanguinis fluxum, Christum conuocare. Tanta interim erat istius fides, vt certò sibi polliceretur, si vel dunraxat Christum tangeret, fore saluandam. Non permisit tamen eam Christus latere, ne fœmina timeret, & scrupulum haberet, ac si esset furata salutem. Potius autem id factum arbitror, vt eam sanaret in corde, vbi credebat, aliquid Christum posse latere. Adde etiam, vt fidem eius propalaret, & in principis gratiam, illam patefaceret, vt eam quoque imitaretur. Voluit item Deum se manifestare, & incurabilem ac deploratum morbum sanando, & quod nihil eum lateret, demonstrando. Postremò hac ratione opem tulit Iairo, ne quid ille dubitaret, de edendo, circa ipsius filiam, miraculo. Atque ita voluit Dominus cum hac muliere diutius immorari, vt interea moreretur puella, & resurrectionis mysterium monstraretur: Ideóque voluit venire nuncios, qui mortem puellæ nunciarent, sicut & Lazarum post eius diuulgatam

*Ioan.* II. mortem excitauit. *Ioan:* 11.

*Noli timere*, ait Christus Iairo, *Sed crede tantummodò, & salua erit filia tua.* Non quod sola fides saluet, vt tota Lutherana cohors & Schola, deblaterat & impiè contendit: sed id dictum est, quia Deus saluare non vult, nisi credentes supernaturalia enim non cuiuis præstanda sunt, *Sed accedentem ad*

*Heb.* II. *Deum credere oportet. Heb.* 11. & *Sine fide impoßibile est placere Deo: ibidem.*

Admittuntur excitationi parentes puellæ, tres Apostoli ac Christus. Parentes quidem, quasi diceret Christus: Parùm puella parentibus debes, præ Christo Domino, qui mortuos suscitat ad vitam, licet enim te genuerint ad vitam. Iam tamen mortua es. Respice ergo ad solum authorem vi-

*Ioan.* II. tæ tuæ, Christum nimirum, qui est *Resurrectio & vita. Ioan.* 11. Petri verò fidem, Iacobi agonem & certamen, contra mundi, carnem & dæmonem ac Ioannis gratiam imitare.

Legalis sacerdos fimbrias rintinabulis & malogranatis or-

*Exod.* 28. natas habebat *Exod.* 28. Cuius rei sanctificationes supra attigimus.

Obserua attentè, Omnia quæ ad fidem miraculi suscitationis huius puellæ, desiderari possunt, exacta ratione ab

Euangelistis fuisse expressa: Nempe Locus, Capharnaum, Pater puellæ, cuius proprium nomen erat Iairus, dignitatis officium, Archisynagogus, ætas puellæ, duodecim annorum, vera mors illius, ex relatione seruorum, ex turbæ tumultuantis fletu & eiulatione, & ex tibicinum canentium strepitu, Denique habes iubentis Christi expressam vocem (Chaldaicè quidem, seu Syriacè, Talitha cumi, id est, puella surge) Talitha autem, commune seu appellatiuum nomen est (vt Grammatici loquuntur) & puellam designat: Tabitha verò cuiusdam discipulæ nomen proprium fuit, & interpretatum significat, Capream, siue, Damam, & *legitur*, *Act.* 9. In Ioppe fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. *Act.* 9. (δορκὰς, ἄδος, ἡ Caprea, Dama, (*Gall. vn Daim, Chieure sauuage,*) παρὰ τὸ δέρκω, τὸ βλέπω, ὀξυδερκὲς γὰρ τὸ ζῶον. Item puella amica, Sic Lexicon Græcolatinum.) Reuchlinus tamen lib. 2. de verbo mirifico c. 11. legendum censet (vbi supra in Actis Apost.) *Lexicon. Græcolat.* טביא, Tabia, non Tabitha .i. Caprea, lingua Assyriorum. *Reuchlin. lib. 2. de verbo mirifico c. 11.* Consentit & Munsterus, in Dictionario Chaldaico siue Syriaco, littera, ט, Teth. Talitha, inquit, puellam significat, Tabia, Capream siue Damam. *Munsterus in Dictionario Chaldaico.* Habes etiam (vt eò vnde profecta est, reuertatur oratio) deambulationem puellæ, & manducationem. Non est quod desideres ad huius miraculi fidem, nec datur locus calumniæ aduersario, etiam si de gloria Christi, tabescat, & dentibus fremat. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, id est, valdè, ait Regius Vates. *Psal.*

In altero autem miraculo curationis mulieris, sanguinis profluuio laborantis, omnes circunstantiæ consimiliter exprimuntur: Quot annis hanc affectionem seu morbum pertulerit, annis nempe duodecim, quod multas in medicos impensas fecerit & tamen deteriùs habuerit, nec conualuerit arte medicorum, quod in Christum fidem conceperit, & spem reposuerit, quòd si fimbriam vestimenti ipsius tantùm tangeret, sanitatem recuperaret: quòd ob reuerentiam, retrò accesserit vt tangeret, quòd postquàm innotuit, tremens in conspectu omnium prodierit, & coram Christo omnem veritatem dixerit: integram faciens confessionem, quod denique à Christo confortata, & de fide commendata, vt iret in pace, mandatum consolationis plenum acceperit: Filia, ait illi Christus, fides tua te saluam fecit, Vade in pace, & esto sana à plaga tua. Hactenus de vtroque

miraculo, & circunstantijs hæc dixisse sufficiat.

*Reuchlinus de verbo mirific. vbi supra.*
*Mar. 5.*

Non prætéribo Reuchlini lib. 2. de verbo mirifico cap. 11. diligentem & accurratam in hunc Euangelicum locum animaduersionem. *Mar.* 5. Apprehendens Christus manum iacentis in tumba puellæ duobus verbis dixit: טבתי קומי· Tabithi, Kumi: quorum primum ad vitam spectat, id est, respice, secundum verò ad sanitatem recuperandam, id est, Surge. Vbi post aliquis non satis diligens transcriptor, ausus est scribere, vt nunc penè vniuersi libri habent. קומי טליתא· Talitha, Kumi, quod est interpretatum. Puella (tibi dico) Surge. Igitur, Puella, tibi dico, vniuersum hoc, nihil huc attinet. Quia admodum demiror quosdam nonnullius in omnium scientiarum doctrina famæ atque nominis, hoc in loco dicere, טליתא, Talitha nomen esse virginis. Sed טבתי קומי, Tabithi, Kumi, verba sunt Christi, quæ Latinè exponuntur. Respice, Surge: Respice, vt viuentem, Surge, vt sanam te oculis cernant vniuersi, quam non tantùm à morte, sed etiam ab omni ægrotatione, meo iussu confiteantur esse liberatam. Nota, quod in persona prima futuri temporis legitur.

*Psal.* 118.

*Psal.* 118. Ad versum: Reuela oculos meos, & videbo mirabilia de lege tua. (Sic enim, iuxta Heb. vertit D. Hieronymus. Ita autem Heb. habetur: ואביטה· Et respiciam) est hoc idem verbum, quod in secunda persona facit. Tabitha, vel Tabithi, id est, respicias, vel respice. Nam, vt solent Latini, sæpe futurum indicatiui pro imperatiuo vsurpare, vt apud Poëtam.

*Virgilius Egloga* 3.

*Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.* Pro, dicite.

*Cant.* 2.

Ita & apud Hebræos idem frequenter crebróque inuenitur vt hîc Respicies pro, Respice. Sed Kumi, per se imperatiuus est fœminini generis, *vt Cant.* 2. *En dilectus meus loquetur mihi: Surge propera amica mea*, vbi ponitur. קומי Kumi, id est, Surge. Hactenus ibi Reuchlin siue Capnio.

*Lyranus in Mar.* 5.

Lyranus noster in *Marcum* 5. *cap.* ad verba: Thabitha Kumi, sic ex professo habet: Duæ sunt, inquit, Dictiones Hebraicæ, quarum prima est nomen, & secunda verbum: vt patet per interpretationem. Sciendum etiam quod Thabitha non est nomen commune, sed est proprium nomen illius puellæ quæ fuit suscitata, & hoc patet per simile. *Act.* 9. vbi dicitur, *In Ioppe fuit quædam discipula nomine Tabitha.* Et ideò Marcus pro nomine proprio posuit commune interpre-

*Act.* 9.

tando sic, Puella. Sciendum etiam quòd illud ibi interpositum, scilicet, tibi dico, non est de significato sermonis Hebraici, hîc positi, sed additum fuit ab Euangelista ad maiorem expressionem, quod ad verbum Christi illa puella suscitabatur. Sic Lyranus.

Prosequitur autem Reuchlinus, vbi supra, suum institutum, & ait: Similis librariorum error in Actibus Apostolo- *Reuchlinus vbi supra.*
rum deprehenditur, c. 9. in suscitatione Dorcadis, de fami- *Act. 9.*
lia sanctorum in Ioppe, quæ est Toparchia Iudææ, vt ait Pli- *Plinius.*
nius, proxima Lyddç. Illic namque ipsius mulierculæ nomen non rectè scribunt, vt ego sæpè tam in Græcis, quàm Latinis codicibus indoctè scriptum inueni, quo exemplo, illos etiam in superiori Euangelio defecisse crediderim. Sed fuit nomen proprium discipulæ fidelis, טביא. Tabia sine vlla quidem aspersione, & absque ת, tau, in finali syllaba, quod interpretatio eius Dorcas edocet, & est nomen Assyriorum, טביא Tabia, quod significat Capream, sicut legimus in libro Chaldaico, qui dicitur, Illen Pithgania. Hucusque Reuchlin.

Quid autem in tantorum virorum dissidentium opinione & controuersia tenendum sit? Si meam libeat audire sententiam, dico, Problema esse, & vtramque opinionem verisimilem ac satis probabilem existere, Reuchlini quidem Hebraicarum literarum professoris sententia, Vide seu, Respice, & Surge, satis confirmata apparuit supra, Nec improbanda mihi videtur, neque verò si Talitha cumi (prout multa habent exemplaria) legamus: reijcienda erit hæc lectio: Puella surge: Nostri autem Lyrani (qui Hebraicè etiam nouerat) opinio, quòd Tabitha proprium puellæ nomen fuerit, à simili comprobatur, ac defendi potest, nec officit, quòd Capream significet, rem vtique pluribus communem, & de multis vniuocè dictam. Ex nomine enim appellatiuo facilè nomen proprium deducitur ac deriuatur: vt à petra siue Saxo, Petrus dicitur: *Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc pe-* *Matth. 16.*
*tram ædificabo Ecclesiam meam.* Quod verò, Tabia non Tabitha legi debeat hoc proprium mulieris nomen, in Actis, *Act. 9.*
non facilè abnuerim, aut iuerim inficias.

Super hac controuersia nihil aliud proferre libet. Sed penes Doctiores, & Hebraicæ linguæ peritiores iudicium esto. Nemo nescit, qui vel summis labiis, vti Canis Nilum, bonas literas degustarit ac libauerit, vnicui-

que in sua arte probato & exercitato, credendum esse. Penes linguæ sanctæ pro essores. ea de re arbitrium defero: Et doctiorum iudicio ac censuræ meipsum humiliter, vt debeo, præsertim verò Sanctæ sedis Apostolicæ determinationi in omnibus submitto.

*Philostr. lib. 4. c. 16. de vita Appollonij.*

Philostratus lib. 4 c. 16. mirandam refert historiam, dicam an fabulam? Imposturam veriùs crediderim, quàm rem gestam. Sic autem narratur.

Aliud præterea ab Appollonio miraculum tale factum est. Puella quædam ipso nuptiarum tempore mori visa est, quam pheretro impositam sponsus lugens sequebatur, de nuptiis imperfectis multùm conquerens, & grauiter dolens. Habitabat autem puella in domo consuli vicina. Huic igitur funeri occurrens Appollonius, deponite pheretrum, inquit, Ego enim vestras pro puella lachrymas sedabo, & simul, quod nam puellæ nomen esset? interrogauit. Plerique igitur illum orationem habiturum putabant, qua mœrentium lachrymas, dolorémque sedaret. Ipse verò puellam attrectans, atque aliquid illi secretò admurmurans, ab ea, quæ videbatur, morte reuocauit, quæ statim etiam loqui incipiens, in paternam domum rediit, Sicut Alceste quondam ab Hercule in vitam restituta. Cúmque puellæ parentes drachmarũ millia quindecim Appollonio donarent, ipse pro dotis accessione puellæ pecunias largiri dixit. Vtrum verò scintillam animæ in ipsa inuenerit, quæ ministros, medicósque latuerat, siue decidens fortè pluuia dispersam, & penè iam extinctam animam calefaciens in vnum congregauerit, difficile coniectatu est, non mihi solùm, verumetiam iis, qui rei videndæ interfuerunt. Id autem satis constat, dum funus efferretur, fortè pluisse. Sic ibi. Quod verò Alceste, quondam ab Hercule in vitam restituta memoratur, ex diuino Platone in Cõuiuio vel de amore, exponendum duxi. Sic autem ibi legitur: Alceste Peliæ filia, sola elegit pro viro suo perire, cùm tamen ille & patrem & matrem haberet: quos illa propter amorem, charitate adeò superauit, vt eos extraneos, & nomine duntaxat filio suo coniunctos esse monstraret. Quod quidem facinus tam præclarum, non tantùm ab hominibus, verumetiam à Diis est iudicatum, vt cùm è multis, qui multa & egregia gesserant, Dij reminiscendi munus, paucis admodum & præstantissimis attribuissent, hanc ab inferis continuò suscitarint, tam egregio facinore delectati. Tanti studium, virtutémque circa amorem Dij æstimant. Hæc Plato.

*Platonis conuiuium. vel, de amore, Phædri collaudatio in amorem.*

Figmentum est poëticum, de Alceste Admeti vxore, quæ pro marito mori voluit, & ab Hercule suscitata fingitur. Nihil ergo sacræ historiæ suscitationis puellæ annorum duodecim (cuius meminit Euangelium) officit, vel obesse potest, quod supra ablatum est. Adde quòd Eusebius in Hieroclem. confutatione lib.4. ea de re sic scribit: Quòd præterea puellam Romæ defunctam ab obitu reuocarit, cùm sit factū hoc vel ipsi Philostrato incredibile, nos quoque a nobis penitus excludamus. Ratiocinatur enim dubitando Philostratus, nū vitalis auræ scintilla intra puellam compressa medicos delituerit quæ mox pluuia ingruente, reuiuiscens atque excitata, in vultu respirantis puellæ prodita sit. Aiunt enim cùm puella ad se rediret, cœlo pluuio leniter irrorasse. Neque enim, si verè puellam hanc Appollonius vitæ restituisset, tam egregium facinus, non Imperatori primum ipsi innotuisset, aliisque subinde primoribus apud illum diuersantibus viris, præsertim verò Philosopho Euphrati, qui ea tempestate Romæ agebat, moxque Appollonio infensus, eundem magis accusasse narratur. (Idem in confutatione lib.6. Patet inquit Euseb.) cuncta Appolloni; miracula dæmonis ministeria esse. Nam quod ad puellam spectat ab inferis reuocatam, siue ad semianimem potius, quod & Philostratus sentit, quæ consopitam vitalis auræ scintillam, dum efferretur, in se haberet, irrorante mox pluuia excitatam: Totum sanè est de illius miraculis amouendum. Non enim sicut & antè dixi, tū grāde facinus, si modò verum fuisset, ita pressum silentio euanuisset, cum præsertim Romæ, vbi tunc Imperator agebat, factum dicatur. Infinita verò generis eiusdem colligi de Philostrato queant, faciléque omnia vt fabulosa, parúmque sibi constantia refutari. Sic ille. Dicerem itaque non esse fidem adhibendam Philostrato, Sicut nec Cornelio Tacito, qui (sicut in Decadibus nostris sacris alias diximus) Vespasiano quædam tribuit miracula: Libro siquidem historiarum ab excessu Neronis quarto, ita scribit: Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, genua eius aduoluitur, remedium cæcitatis exposcens gemitu: monitu SARAPIS Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit, precabatúrque principem, vt genas & oculorum orbes, dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, eodē Deo auctore. vt pede ac vestigio Cæsaris calcaretur orabat. Vespasianus primo irridere, aspernari, atque illis instantibus, modò famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorū,

*Euseb. in Hieroclem confutatione lib. 4.*

*Idem confut. lib. 9.*

*Tacitus lib. 4. hist.*

& vocibus adulantium, in spem induci. postremò æstimari à medicis iubet, an talis cæcitas ac debilitas, ope humana superabiles forent. Medici variè dissere. Huic non exesam vim luminis, & rediturams si pellerentur obstantia: illi elapsos in prauum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi Dei, & diuino ministerio principem electum. Denique patrati remedij gloriam, penes Cæsarem: irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus, iussa exequitur, Statim conuersa ad vsum manus, ac cæco reluxit dies. Vtrumque qui interfuere, nunc quoque memorāt, postquam nullum mendacio pretium. Hactenus Tacitus. Dicerem, saluo semper meliori iudicio, in his duobus sup. commemoratis, neque veram fuisse cæcitatem (vt supradicta Taciti verba satis euincunt) neque veram fuisse ægritudinem, Medicorum arte incurabilem. Imò meræ sunt imposturæ, & fabulosæ narrationes huiusmodi Cornelij Taciti, vel certè dæmonis astu & arte, id factum est, neque veri miraculi loco habendum.

*Caumont firmament des Catholiques.* *Caumont.* opusculo quodam Gallicè edito, inter cætera sic scribit ea de re. *Il est credible que ces maladies estoient du diable, qui empeschoit en l'vn l'vsage de l'œil & en l'autre l'vsage de la main à fin qu'il semblast guerir, quand il cesseroit de nuire, & à fin qu'il obscurcist les vrays miracles de Iesus Christ & des Apostres.* Sic ibi.

Nunc ad allegoriam stylum vertamus. Et quidē per hunc sanguinis fluxum, animæ morbum significari arbitror, cùm quis sic peccatis assueuit, vt diuturna cōsuetudine in naturam quodammodo transeunte, cupiditatum fluxum patiatur, quas vix cohibere possit. Quosdam enim cernere licet, vsque adeò impudico amore sauciatos, vt apertè fateantur, se nullo modo hunc turpem animi motum à se excutere posse. Vt non tam amantes quàm amentes, & mentis impotes, dicendi sint, & ad insaniam propè redacti.

Sunt fateor, multa ac varia huius morbi remedia, nullum tamen præsentius, quam Christi vestem tangere. Sed ea tamen fide, ea deuotione, ea reuerentia, ea fiducia, ea postremo religione, qua hæc mulier illam tetigit. Quid est vestis, Christi. Ea nimirum, qua sacratissimum corpus Christi tegitur. In sacra enim hostia, verum Christi corpus latet, in quod panis substantia versa est: quod tamen candore illo, hoc est, panis specie, ita tegitur ac velatur, vt propheticum illud dicere possimus: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator.* *Isa.* 45. Inter mirabiles autem Sacramenti huius *Isa.* 45.

virtutes & effectus, precipuè numeratur fomitis mitigatio. A quo fomite omnes prauæ cupiditates, tanquam fluxus sanguinis deriuantur: quæ tamen huius Sacramenti virtute restinguntur. Hactenus Ludouicus Granatensis præsenti Euangelio. *Ludouicus Granatensis præsenti Euã.*

Reliquum est, vt huic Homeliæ exoptatum finem imponentes. Deum Optim. Maxim. votis summis deprecemur, quatenus *nos liberare dignetur de sanguinibus*. *Psal.* 50. Imò verò iam peccatis exigentibus nostris, morti destinatos, gratia sua præuenire & à peccati somno lethali, nos suscitare velit: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: Ehes.* 5. Ipsi honor & gloria per æterna sæcula, Amen. *Psal.* 50. *Ephes.* 5.

# DOMINICA XXIIII. AC POSTREMA POST PENTECOSTEN.

## De abominatione desolationis à Daniele prædicta.

*Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, Stantem in loco sancto (qui legit, intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro non reuertatur tollere tunicam suam. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus, Orate autem, vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet: & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi. Matth. 24. Mar. 13. Luc. 21. ex Daniele 9. cap. aut (ex quorundam sententia) ex c. 12. eiusdem sacri vatis.*

*Matth. 24. Mar. 13. Luc. 21. c. Dan. 9. & Dan. 12.*

NVLLVS melior modus exponendi vnum sacræ scripturæ locum, quàm ex alterius collatione. Atque ita cùm vnus Euāgelista alium declarat & interpretatur: illa extra controuersiam habenda est & tuenda, germana ac genuina expositio, quæ ex eiuscemodi locorum collatione deprehenditur, & colligitur. At verò Matthæus ac Marcus, vbi sup. Christum suis Apostolis dixisse scribunt disertis verbis: Cùm videritis abominationem, &c. Quæ autem sit hæc abominatio D. Lucas, vbi supr. explicat dicens. Cùm videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quoniam appropinquauit desolatio eius, &c. Romanorum exercitum interpretatus abominationem illam esse. Aperte siquidem Christus hîc intelligit Hierosolymitanam obsidionem & excidium. Noster itaque

Matthæus

Matthæus per abominationem illam desolationis, cladem & deuastationem vrbis Hierusalem, imprimis intelligit, Secundariò autem & velut ex consequenti, Antichristi tempora præsignauit. Mirùm, certè, quod tanta sit huius loci interpretum varietas, cùm D.Lucas, quod Matthæus ac Marcus abominationem dixerunt, vocet ipse exercitum, haud dubiè Romanorum, sub Vespasiano patre, ac Tito ipsius filio. Hanc obsidionem vocauit Matthæus noster, abominationem, quæ fuit hominum Impiorum in templo, & profanatio eius Templum namque ab hostibus Romanis profanatum & abominabile effectum est.

Diui Patris Augustini verba referam. Is to.2. Hesychio Episcopo scribēs, Sic ea de re inter cætera disseruit. Epist. 80. Lucas patefecit, quod esse posset incertū, non ad seculi finem, sed ad expugnationem Hierusalē pertinere id, quod dictum est de abominatione desolationis. Deinde subiunxit: Lucas apertius de hac eadem re dixit, quæ alij duo Euangelistæ. Matth. & Marc. posuerunt obscurius. Sic ille. *D. Aug. to. 2. Epist. 80. Hes. de supremo mundi die.*

*Quum videritis abominationem desolationis, &c.* Finiuntur hodie (ait hoc loco. Conc. 2. Ludouic. Granatensis.) Euangelia Dominicorum dierum, quæ inter Pentecosten & Aduentum Domini ab Ecclesia leguntur. Est autem materia huius lectionis Euāgelicæ doloris ac timoris plenissima. Agitur enim in ea de duobus maximis iudiciis, quæ in diuinis literis continentur: Nempe de communi totius mundi, & de singulari Iudaici populi Iudicio: quo videlicet Dominus dilectissimum populum (quem ab initio fouerat atque dilexerat, & miris beneficiis ornauerat) Romanorū armis vastandum ac demoliendum tradidit. Vocat autem abominationem, quoniam ab Idololatris & abominandis hominibus ciuitas vastata est: nempe ab exercitu Romano. Hæc ille. *Ludou. Gran. Conc. 2. præsentis Euang.*

Dicens autem, Cùm videritis abominationem, &c. Respondet Christus interrogationi discipulorum quærentium, Dic nobis quando hæc erunt? Et quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? De Hierosolymitana deuastatione, ac mundi exitio quæsierant discipuli. Vtrique autem quæstioni Christus satisfecit, de priore quidem, hoc est, de clade Iudaica, verba faciens primo loco: Cum videritis, inquit, abominationem, &c. deinde, de supremo mundi die nonnulla quoque permiscens, vt fusiùs in sequentibus dicemus (Deo bene propitio nobisque fauente.)

Et quoniam aliqui ex discipulis superstites adhuc futuri

quàm ad locum *Danielis c.9.* Siquidem,*cùm tribus annis & mensibus, sex per Antiochum cessauerit in templo Iudæorũ iuge sacrificium*: At verò illi tempori non conueniat,quod ibidem,*c.9.* scilicet, dicitur: Et vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio: Dicendum vtique arbitramur,ad vndecimum Danielis cap. præfatum scriptorem respexisse.

Præterea, eadem scriptura & Salomoni & Christo Domino conuenit, Ego ero illi in Patrem,&c. *vt colligitur, ex 2. Reg. 7. & Hebr. 1. cap.* Quidni igitur illud de abominatione desolationis,de pluribus similiter vsurpabitur? 2. Reg. 7. Hebr. 1.

*In Daniele c.9. sub finem cap.* Sic legis. *Ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.* Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna,& in dimidio hebdomadis,deficiet hostia & sacrificium: Et erit in templo abominatio desolationis: & vsque ad consummationẽ & finem perseuerabit desolatio.Sic ibi. Quod si ad Antichristum,& tempora circa mundi fidem, contẽdis trahere scripturã, quomodo completæ sunt hebdomadę Danielis? Ex cõputatione septuaginta hebdomadarum, non maior annorum numerus consurgit,quàm quadringenti nonaginta anni. Iam verò à Christi passione anni mille quingenti effluxerũt,& quod excurrit. Igitur Daniel,vbi supra,de desolationis abominatione loquitur, quæ cõpleta fuit in deuastatione Ierusalẽ (Abominatio siquidẽ desolationis prædicitur futura intra tẽpus hebdomadarũ,à Daniele descriptarum,At vero hebdomadæ illę iamdudũ cõpletę sunt, Ergo & abominatio desolationis,in excidio Ierusalẽ,& in illis,quę ibi acciderunt,impleta quoq; est:Propter reconditũ hũc sensum dixit Saluator:Qui legit intelligat. De tempore ergo desolationis ciuitatis Ierusalem,interpretandus est Daniel, & Matthęus Euãgelista Sacer,vt ex D.August.sup.demonstrauimus. Dan. 9.

Obserua sedulo,quod apud eundẽ prophetã, *c.12.* fit rursus mentio de abominatione in desolationem.Vbi certè de Antichristi tẽporib⁹ est sermo,sicut exponũt doctores Catholici, Vnde & desinunt argumentũ,ad probandũ quod Missa sit sacrificiũ:cùm à Daniele dicatur: *cap.12. A tempore,cùm ablatum fuerit iuge sacrificiũ,& posita fuerit abominatio,in desolationẽ: dies mille ducẽti nonaginta.* Sic ibi. Rursus superiore, *cap.hoc est 11. Auferent iuge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem.* Deinde subditur: *Et faciet iuxta voluntatem suam rex, & eleuabitur & magnificabitur, aduersus Deũ deorum. Et Deum patrum suorum non reputabit:* Quæ de Antichristo facilè exponi etiam possunt. Dan. 12. Cap. 11.

desolatio. Sic ibi. Abominatio autem desolationis, qua de hîc Dominus loquitur, breuis erit, quod ex ipsius Domini verbis colligitur, vbi ait: *Et nisi breuiati vel decurtati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, &c.* Arbitramur ergo de hac *Danielem, cap. 12. verba facere,* vbi sic legimus (vt suprà citauimus) *Et à tempore, cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Hæc manifestè citra controuersiam de Antichristi temporalibus dicta sunt apud Danielem. *Matth. 24.* *Dan. 12.*

Quod autem, *Matth. 24.* dicitur: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet, &c.* videri posset etiam, non tàm de Iudaica clade, quam de Antichristi persecutione intelligendum. Videtur enim loqui de afflictione, non vnius Iudææ, sed vniuersali totius mundi, Ait enim. Nisi breuiati fuissent dies illi, nõ fieret salua omnis caro. Prętereà futurum dicit, vt abbreuientur propter electos. Sed Hierosolymæ qui fuerant electi, diuinitus moniti, reliquerãt vrbem priusquam obsideretur. Neque illi dies visi sunt abbreuiari, sed durauerunt, donec funditus euerteretur vrbs: & desolatio, in hodiernum vsque diem durat. Dies autem tyrannidis Antichristi abbreuiabuntur, vt non sæuiat vltra mille ducentos nonaginta dies, vt suprà, *ex Daniele citatum est, & in Apocalypsi, dies mille ducenti sexaginta memorantur.* Item, *Tempus, & tempora & dimidium temporis,* hoc est, tres anni, cum dimidio *vt apud Danielem, cap. 7. & 12. atque Apoc. 12.* pariter extat. *Tamdiu enim sæuiet bestia ipsa cui data est potestas facere menses quadraginta duos, Apoc. 13. c.* quod exactè consonat. diebus mille ducentis nonaginta, qui sunt in Daniele. Quare puto Dominum potissimũ loqui hoc etiam loco de afflictione, quę Antichristi temporibus fiet. Quamuis quidam interpretes, suprà cõmemorata, de solo excidio Hierosolymitano interpretentur. Quandoquidem *D. Lucas c. 21.* ea de re verba faciens, disertè scribit de Iudęis. *Cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.* Quatuor videlicet ex ordine prędicuntur. *Apoc. 11. ite, Apoc. 12. & Apoc. 13. ac Dan. c. 7. & 12.* *Luc. 21.*

Quod Iudęi casuri sint in ore gladij, hoc est, ab hostibus interficiendi. 1.

Quòd qui gladium effugerint, captiui sint ducẽdi in omnes gentes. Multa enim millia Iudęorum à Romanis fuerunt occisa, multa millia fame perempta, multa quoque millia vendita, & ex eis fuerunt alij, hinc inde per omnia regna & climata mundi dispersi. 2.

5. Quòd Hierusalem conculcabitur à gentibus, hoc est, quòd opulentissima & pulcherrima vrbs Idololatrarum pedibus
4. conculcaretur. Quòd Iudæorum populus non sit sic perpetuo permansurus in tantis miseriis, à facie Dei proiectus, sed quòd restituendus sit suo tempore, nimirũ circa mundi finem quando Christus oues suas ex populo gentiũ acceperit. Qua
Rom. 11. de re Apostolus disertis verbis. *Rom. 11. ita scribit: Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israel saluus fieret.* Quibus ita prælibatis, Iam contextum Euangelicum tempus est, vt per singulas periodos (quoad commodè fieri poterit) explicemus.

*Quum videritis abominationem, &c.* Ex superioribus satis constare arbitror, quod dicitur de abominatione desolationis nõ referendum ad tempora Antichristi, saltem secundum proprium, & à Domino primò intentum sensum, sed ad tempus vastationis Hierosolymitanæ, de quo quæsiuerant Apostoli. Id autem D. Augustinus Epistola 80. ex Luca euidens esse ostendit, vt sup. produximus. Certè D. Petrus apud Clementem Romanum, lib. 1. recognitionum ad Iacobum fratrem Domini, Rufino interprete, circa finem declinãdo, abominationem desolationis refert ad vastationem templi, dicens Iudæis: Et quia vos non vultis agnoscere, emensum esse iam tempus hostias offerendi, ob hoc destruetur & templum, *& abominatio desolationis statuetur in loco sancto:* & tunc gentibus Euangelium prædicabitur ad testimonium vestri, vt ex illorum fide, vestra infidelitas indicetur. Sic ibi.

*D. Aug. epist. 80 vt sup. Clem. l. 1. recognitionum. Dan. 9.*

Quòd si quis Irenæum obiecerit, lib. 5. c. 25. ex editione recentiore, qui hæc verba: Cùm videritis abominationẽ ad Antichristi tempora refert, abominationis nomine ipsum Antichristũ intelligens, quem in Hierosolymitano tẽplo putat sessurum, seq; ibi pro Christo & Deo exhibiturum adorandum. Eius verba hæc sunt: Dei Patris Domini nostri, ait, iussu, hoc quod est in Hierosolymis factum est templum, In quo aduersarius sedebit, tentans semetipsum Christum ostendere: sicut & Dominus ait: Cùm autem videritis abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem prophetam, stantem in loco sancto, qui legit intelligat, &c. Sic D. Irenæus. Feuardentius noster ad verba: In quo aduersarius sedebit, &c. hunc edidit commentarium: Docet Apostolus, 2. *Thessal.* 2. filium perditionis, in templo Dei sessurum esse, quod de Hierosolymitano illo, olim extructo à Salomone toties solo æquato, & instaurato intelligi volunt Hieronymus, Augustinus,

*Iren. l. 5. cont. hæreses, c. 25. F. Feuard. ibi: 2. Thess. 2.*

Chrysostomus & Hyppolitus Martyr, qui ita scribit de Antichristo: Templum construet Hierosolymis, quod confestim excitatum tradet Iudæis. Consentiunt Damascenus, & Methodius in reuelationibus. Loco & nomine Christi saluatoris, seipsum tentabit supponere & venditare dicens: Ego sum Christus. Iudæus autem præcipuè mente iam alienatos seducet Christo præmonente. *Ioan. 5. Si alius venerit illum recipietis.* Augustinus ea de re sic: Filium Dei omnipotentis se esse mentietur, Et postea Hierosolymam veniens circumcidet se dicens: Ego sum Christus vobis repromissus, qui ad salutem vestram veni. Ambrosius in 21. Lucæ Antichristus ex scripturis disputabit se esse Christum. Theodoretus in 2. cap. ad Thessal. Seipsum, inquit ille, Christum nominabit. Hucusque Feuardentij Scholium, cum authorum ac locorum designatione speciali, vt ibi nominatim expressit.

*Ioan. 5.* *D. Augustinus.* *D. Ambrosius in 21. Lucæ.* *Theodoretus in 2. c. Thess. al. posterioris Epist.*

Quid ad Irenæum dicendum foret? Respondeo, Vtramque expositionem tolerabilem esse, & defendi posse, primariò quidem de Hierosolymitana clade: Secundario autem posse etiam de Antichristo non incommodè intelligi, quasi ex consequenti. Vt supra non semel habitum est.

Per abominationem desolationis, Ipsum exercitum gentium abominandarum ob idololatriam, & signa quæ contra locum sanctum erant erecta, obsidentem Hierusalem in circuitu intelligendum esse probabilissimè censetur. Romani enim quòd alienigenæ essent & idololatræ, signáque sua militaria imaginibus Cæsaris & Aquilæ insignita, parati essent ciuitati, quæ sancta dicebatur, & templo inferre. Eo nomine profectò abominabiles erant ipsis Iudæis, Erántque illis abonatio desolationis, quòd desolationem magis quam dici possit horrendam, loco quondam sancto, allaturi essent. Verisimile autem est. D. Lucam, qui post Matthæum scripsit & Marcum explicare voluisse quod apud illos obscure positum fuerat, dicendo: Cùm videritis circundari ab exercitu Hierusalem: pro eo quod illi dixerant. Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto vel, vbi non debet. Et quoniam obscuriùs hi fuerant locuti, quod illud per parenthesim additum satis indicat (qui legit, intelligat) ob id fortè D. Lucas velut explicare volens verba Danielis dixit: Cùm videritis circundari ab exercitu Hierusalem, explicata atque expressa intelligentia eius, quod obscurè significatum fuit à Domino per abominationem desolatio-

Daniel. 9. nis à Daniele vate prædictam. Cuius obscuræ Prophetiæ sensum siquis penitius exquirat, is tum demum certò comperiet, quod ibi dicitur de abominatione desolationis, non referendum esse ex Domini saltem præcipua intentione, ad tempora Antichristi. Nam cùm Dominus ad præsens Danielis vaticinium (iuxta plurimorum sententiam) hoc loco remittat, & ex eius explicatione satis constet in eo nihil prædictum de regno Antichristi, sed de vastatione Hierusalem, certum est abominationem desolationis (de qua hic Dominus) ad illam vastationem referendam esse, siue excidium Hierosolymitanum, quemadmodum idem patet ex eo quod sequitur: Tunc, qui in Iudæa sunt fugiant. Erit verò in templo abominatio desolationis, exercitu Romano omnia deuastante & desolante, nec reparabitur vnquam ea desolatio, quemadmodum ea quæ facta est per Chaldæos, sed vsque ad finem, & consummationem sæculi perseuerabit desolatio illa.

Imminente autem hac vastatione, monet Christus quid sit faciendum dicens: Tunc qui in Iudæa sunt, vbi Hierusalem sita est, fugiant, non in vrbes aliquas alias, sed in montes, in quos cõfugere solent, qui hostium oppugnationẽ metuunt qui ibi propter loci altitudinẽ & desertionẽ tuti sint. Et si quis sit in tecto domus (habet enim in ea regione tecta plana supérque versari, & pleráque agere solẽt) aut omninò non descẽdat in domũ, sed aliunde descendens mox sibi fuga consulat, aut saltem non descendat ad hoc, vt tollat quid de domo sua, sed omnibus relictis de sola fuga cogitet. Similiter qui in agro erit, non reuertatur retrò in domũ, vt huic vel cõmodum fugę tollat vestimentũ, aut palliũ suũ, sed potius, vt est nudus, fugã recta ineat. Quorum dictorũ causa apud Lucam additur: dicẽtẽ: Quia dies vltionis (quę scilicet requiretur à Iudęis, pro effuso sanguine omniũ Iustorum, & maximè Messię) hi sunt, vt impleantur omnia quæ scripta sunt, in libris videlicet Danielis, & aliorum Prophetarũ, de huiusmodi deuastatione Iudæorum. Cúmque sola fuga salus contingere possit, adijcit: vę autẽ prægnantibus, & lactantibus in illis diebus, nimirũ quòd his fugere sit impossibile aut difficile: Illis quidẽ propter onus interius, his verò propter onus exterius. Illę enim põdere embryonũ grauantur, hæ autẽ onere lactentium. Siquidem facile est pro salute pecunias & vestes cõtemnere, fieri autẽ leuem, & ad fugã expeditã eã, quæ in vtero habet, aut abijcere infantem eam, quæ lactat, prorsus est impossibile, propter naturæ

vinculū. Væ ergo illis, quia facilè ſimul cum embryonibus & infantibus cōprehēdētur. Vtque magis fugę neceſſitatē ſignificaret, addidit præterea: Orate vt non fiat fuga veſtra hyeme: cùm nimirū difficile fugitur, ob tēporis incōmoditatem, neq; Sabbatho, quo religio vetabat vltra mille paſſus aut bis mille iter facere: Hæc autē omnia Dominus dicit: non quod vellet hæc omnia ſic ad literā à ſuis obſeruari, cùm tunc Apoſtoli & fideles nō amplius eſſent obſeruaturi Sabbathum, quādo capienda erat Hieruſalem, ſed his omnibus exaggerare voluit atrocitatē malorū, quæ tunc eſſent Iudæos cōſtrictura, atque ſignificare tanta ac talia tum fore Iudæorum mala, vt fruſtrà quis putet ſe illis reſiſtere poſſe, aut ſperet illa mutāda & mitiganda, ſed omniū rerum diſpendio, quiſque optare debeat, ſe vel nudū fuga elabi poſſe, omnémque eū, qui ſibi benè cōſulere volet, omnibus modis id agere debere, vt ſumma cum feſtinatione derelinquat Iudæā, ne communibus inuoluatur malis. Sanè, ſicut Dominus hîc fugere iubet his malis incipiētibus, Ita Euſebius lib. 3. c. 5. ſcribit; Chriſtianos, qui imminēte iſta obſidione Hieroſolymis reliqui erant, diuino reſpōſo fuiſſe monitos, vt trans Iordanē in oppidum quoddā Pellam nomine emigrarent, vt ita hæc tēpeſtas non deprehenderet eos in Iudæa. Hæc ferè ad verbū ex Ianſenio in Concordia Euangelica ſua, c. 122. mutuati ſumus, & in hunc tranſcripſimus locum. Cùm, ergo videritis abominandum gentium exercitū vrbi ſanctæ imminentem, (Illud enim eſt quod ait, Stantem in loco ſancto, hoc eſt, firmo propoſito illam euertendi, ibi manentē) tunc qui in Iudęa ſunt, id eſt in tribu Iudę, fugiant ad montes: quia armatorū millitum tota tribus plena erat. Et qui in tecto, nō deſcēdat tollere aliquid de domo ſua, id eſt, cùm obſidionē vrbis viderit, nihil aliud quàm ſubitam fugam meditetur: vel cum rerum omnium ſuarum iactura. Et quia prægnantes & nutrices, ob onus infantium, quos geſtant, aut in ventre aut inter vlnas, effugere nequeunt, Ideo væ inquit illis. Hyeme ſimiliter ob moleſtiam tempeſtatis expedite fugere non licet, neque Sabbatho longiùs ire ob legis edictum. Ideo orate ait, ne tempus fugiendi accidat hyeme aut Sabbatho. Sic Gagneius in Matth. 24. Cui ſubſcripſit & Fridericus Nanſeas prima Centuria Homil. 76. qui diſertis verbis ita refert. Abominatio deſolationis, quæ ſtetit in loco ſancto fuit Titus quoniam Idola coluit, quem quum viderent iā loco imminere, cito debebant & longè inde aufugere. propter repentinam & crudelē eiuſdem Titi Veſpaſiani

*Euſebius lib. 3. Hiſt Eccleſ. cap. 5.*

*Cornelius Iāſenius, Epiſcopus Gandauenſis Concord. Euang. cap. 122.*

*Gagneius in Matth. 24.*

*Friderici Nāſea Cent. 1. Homil. 76.*

hostis tribulationem. Hyeme citò nullus aufugere potest. Sabbatho autem Iudæis non licet ex lege longius, quàm præceptum sit ambulare: fugiendum itaque ante hyemem & ante Sabbathum, id est, citò & longè propter repentinam, & longè lateque patentem ab hostibus in Iudæis tribulationem & calamitatem, quæ omnium maxima esset futura. Ex his constat vehementer peccasse eos, qui sinistro spiritu permoti, eam abominationem (de qua Daniel) in Papam retorserunt: tum quòd ille Christum, eiusque Euangelium profiteatur: tum quòd illam in Hierusalem, & non in Romam, venturam esse calamitatem ac deuastationē disertis verbis in Euāgelico referatur cōtextu. Hactenus memoratus Nanseas. Et quoniam hæreticorum colluuies, nihil crebrius in ore habet, quàm Pontificem Romanum Christi vicarium, ac Petri successorem legitimum, esse ipsum Antichristum, de quo tam in Daniele Propheta, quàm in Euangelijs, in Apostolorum Epistolis, & in D. Ioannis Euangelistæ Apocalypsi prædicitur: Idcirco ex lib. 8. de visibili Monarchia Ecclesiæ, seu, de Antichristo. Nicolai Sanderi, Angli, demonstrandum existimaui, Papam non esse ipsum Antichristum. Imò ne membrum quidē Antichristi, quod saltem attinet ad fidem, quam docet è cathedra S. Petri.

*Nicol. Sanderus lib. 8.*

*Illyricus hæreticus in voce, abominatio.*

Illyricus hæreticus, libro cui clauis scripturæ nomen indidit, sub verbo Abominationis sic impiè aduersus Romanam Ecclesiam debacchatur: Præsertim falsæ religiones ac Idola tanquam res detestandæ & execrandæ simpliciter dicuntur abominationes, tanquam, si hoc nomen esset eis proprium, posito abstracto pro concreto, & eius subiecto. Causa huius appellationis est, quia nihil est Deo, & verè pijs abominabilius, quàm Idola & falsa doctrina. Ideo ea spiritus sanctus simpliciter abominationes vocat: vt Comicus ille scelus pro scelerato, dixit, per Auxesim. Verùm quia inter omnes abominationes, ait idololatrias, quæ vnquam fuerunt, vna vel imprimis est, eximia ac summa, nempe meretrix Babylonica, aut Antichristus, ideo illam prædicit, & sic specialiter *vocat Daniel c. 9. Sic & Christus. Matth. 24. & Mar. 13.* Nec tantùm ei hoc obominationis nomen tanquam maximè genuinum tribuit Propheta: sed etiam addit: *Abominationem desolationis*, id est, Idololatriam horribiliter Ecclesiam ac regnum Christi desolantem & vastantem. Fuerunt quidem & aliæ abominationes ac Idololatriæ innumeræ omnibus temporibus: sed quæ tantum damni regno Chri-

*Daniel 9. Matth. 24. Mar. 13.*

sti dederit, vt hæc nulla vnquam fuit nec erit. Aliæ enim hæ- „
reses plerumque vel singulos errores, vel certè paucos ha- „
buerunt, & breui tempore durauerunt At hæc est cloaca aut „
sentina errorum, & diutissimè regnauit, idque magna ex par- „
te potenter ac libere. Non enim est antea acriter ita perpe- „
tuo oppugnata sicut aliæ; Addit verò non sine causa Christus, „
quòd in loco sancto stabit, id est, in ipso vero Dei populo, re- „
ligione ac hominum conscientiis. Quomodo stet, & semet „
pro Deo ostentet iste *homo peccati, in templo Dei* satis explicat „
*Paulus 2. Thess. 2.* Adiicit verò Christus præterea grauem ad- *2. Thessal. 2.*
monitionem inquiens: Qui legit intelligat, vt ostendat gran- „
de mysterium, hîc contineri. Nimium ergò frigidi, ne dicam „
inepti sunt, qui intelligunt abominationem desolationis à „
Christo & Daniele prædictam, esse exercitum Romanũ. Fue- „
rant & ante ibi exercitus Syriaci, ex fece hominũ sceleratissi- „
morum & impientissimorũ conglobati, qui cœperant, & diu „
tẽpore Machabæorum tenuerant Hierosolymam, nec tamẽ „
eos Daniel hisce verbis significari voluit. Nec obscurè etiam „
Apocalypsis ad Antichristũ hoc dictũ trahit, cum pingit me- „
retricem Babylonicã, tam splendide vestitã ac superbe equi- „
tantem, gestantémque aureũ poculũ, plenum abominationũ, „
de quo propinet regibus ac magnatibus orbis terrarũ: eámq; „
matrẽ omnium abominationũ vocat. Hoc igitur horrendum „
monstrũ Caci Romani, cum toto suo famulitio omnibus fla- „
gitijs, ac spiritualibus & corporalibus latrocinijs, est abomi- „
natio desolationis, à Daniele & Christro prædicta. Hactenus „
amarulẽtissimas Illyrici aduersus sanctam sedem Romanám- „
que Ecclesiã obiurgationes recensuimus, & ad verbum retuli- „
mus. Hîc sanè cum D. Polycarpo exclamare libet. ὦ καλὲ θεὲ, εἰς οἵους με καιροὺς τετήρηκας, ἵνα τούτων ἀνέχωμαι; O Deus bone, in quænam seruasti me tempora, vt isthæc blasphema patiar ac sustineam? Hoc fuit D. Polycarpi Apostoli viri & egregij valde, ac fructuosissimi Martyris, in hæreticorũ blasphemias Epiphonema, vt dicit scribens ad Forinũ: D. Irenæus, apud Eusebium lib. 5. c. 20. Hist. Eccles. Quando Illyricus dicit, hanc singularem abominationem diutissime regnasse, profecto non de vno quopiam homine (nullus enim talis diutissime regnauit) sed de ordine quodam ac professione hominum, loquitur. Seriem ergo Romanorum Pontificum (quos Caci Romani ænigmatica appellatione comprehensos voluit) hanc vult esse abominationem desolationis, qua de hic Euangelicus agat contextus.

*Euseb. lib. 5. cro. Hist Eccles.*

*Sanderus lib. 8. c. 4.* Sanderus lib. 8. c. 4. Negare Antichristum esse vnicam personam, & vnum quendam hominem, qui præ cæteris Pseudoprophetis Christo se in fine sæculorum opponet, est illã oppositionem, seu Antithesim tollere, quam Christus ipse in Euangelio statuit, *Ioan. 5.* *Ioan. 5. Dum ait: Ego veni in nomine patris mi, & non accepistis me: Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Christus ait, *Si alius venerit*, Quis, obsecro, alius? Nonne alius homo? Cæterùm tu dicis, Si alia Pontificum, seu Paparum sedes, & alia hominum secta venerit. Quid igitur? vtrum Christus ait Sedes quædam, aut secta est? Antichristum quippe sibi ipsi, ac non tãtùm sectatoribus suis Christus opponit. Ex vna enim parte ait: Ego veni: Ex altera: Si alius venerit. Ex vna in nomine patris mei, Ex altera, in nomine suo: Ex vna non accepistis me: Ex altera, Illum accipietis, &c. Nonne vt hæc pronomina, Ego & me, personam Christi certam, Sic etiam illa, Alius, &, ille, certam Antichisti personam denotant? Non igitur de serie quadam, & successione hominum, sed de vno potissimum hominis agi ruri tam ex Christi parte, qui vnus homo est, quam ex Antichristi, quem etiam vnum quendam hominem futurum esse, credere debeamus.

*Idem c. 16. eiusdem lib. 8. Ioan. 5.* *Idem c. 16. eiusdem sup. nominati lib. 3.* Iudæorum, inquit, proprius error est, vt Antichristum suscipiant. Qua de re Saluator verè dixit: Si alius venerit in proprio nomine, illum recipietis. Quod si ità est, cùm lõgè clarissimum sit. Iudæos nondum suscepisse Pontificem, Romanum, vt verum Messiã suum, sed illum non secus, quàm alium quemlibet Christianum, imò illum eò grauius, quò sublimior Christi minister est, odisse: clarissimum etiam est Pontificem Romanum non esse illum insignem Antichristum, in id missum, vt qui noluerint Christum credere, credant mendacio. Nunquid aliqui Iudæi Papam crediderint esse Messiam suum. Certè nec vnus quidem Iudæus, à condito seculo Romanum Pontificem pro Messia vnquam habuit, Non est igitur Pontifex Romanus ille falsus Christus, quem in suo nomine venientem, Iudæos recepturos esse, Christus prædixit: Quæ demonstratio tum certa est, vt ne species quidem aliqua iustæ defensionis Protestantibus relicta sit.

*Cap. vbi sup. Ioan. 5. D. Ambros. in 21. Luc.* *Cap. idẽ. 20.* Persuadebit inquit, Iudæis Antichristus se Christum esse, quemadmodum Christus ipse dicebat Ioan. 5. Si alius venerit, illum recipietis, &c. Vnde Ambrosius. Antichristus (inquit) ex Scripturis disputabit se esse Christum,

Seipsumque (ait Theodoretus) Christum nominabit. Verũ nemo Pontificum Rom. dixit vnquàm se Christum ipsum, aut liberatorem humani generis esse. Nemo illorũ id ex Scripturis probare conatus est. Papa igitur non est Antichristus. *Theodoretus in 2. Thess. 2.*

*Rursus c. 22.* Antichristus (ait Sanderus) cùm & Iesum negauerit esse Christum, & seipsum dixerit Messiam verum esse, eámque rem Iudæis probari, suámque doctrinam recipi viderit: prorsus non homines tantùm, sed etiam Deum contemnet, seque ipsum (*vt Apostolus ait. 2. Thess. 2.*) *Extollet supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*. quamquam enim verus Messias & Christus haberi vult, non tamen Christi humilitatem imitabitur. Nam Christus venit in nomine patris sui. velut à Patre missus quem se maiorem esse, tum ob naturam assumptæ carnis, tum ob rationem originis, qua genitus est à Patre (eidem ὁμοούσιος ac consubstãtialis) semper & vbique agnouit. Verùm Antichristus venit in suo ipsius nomine, hoc est, nullum agnoscit principium, à quo generatus, sit: nullum Deum, à quo in carnem sit missus, verùm (vt Chrysostomus ait) omnem sibi potestatem tyrannicè vindicabit, se omnium Deum profitebitur, se maximum Deorum esse gloriabitur. *Et aduersus Deum deorum (ait Daniel. c. 11.) loquitur magnifica: Nec quenquam Deorum curabit, &c.* *Cap. 22. vbi sup.* *2. Thess. 2.* *D. Chrysost. Homil 40. in Ioannem.* *Daniel. 11.*

Perspicuum verò est Pontifices Romanos nihil tale de seipsis docere aut sentire, imò passim se agnoscunt, indignos illo ministerio, quod illis à Christo impositum sustinent, peccata presbyteris & conseruis suis confitentur, velut Christi ministris, & in sese hominibus subijciunt, tantùm ab eo absunt, vt se extollant supra Deum ipsum. At Illyricus (qui su.) obiecerit: Papam sese pro Vicario Christi venditore. Respõdeo. Si quoquomodo in Christi nomine venire, hoc esset efferre se supra Deum, & eius cultum: omnes Apostoli extulissent se supra Deum, & eius cultum. Omnes enim venerũt in Christi nomine, hoc est, velut ab eo missi, virtutémque & authoritatem prædicandi & operandi ab eo capientes, baptizabant, & miracula operabantur in nomine Iesu Christi, Sed Christus (*Matth. 24.*) eos appellauit Pseudoprophetas, qui non quoquomodo venirent in nomine eius, verùm, qui præterea venturi essent, in proprio nomine, atque ob id dicturi essent, Ego sum Christus: & ita venirent, non quidem in Christi nomine, velut eius vicarij, sed velut eius hostes, negantes eum fuisse, aut esse Christum, aut Messiam verũ, quia ipsi potius id essent, Sicut Symon Magus dixit. Illyricus *Obiecti Illyr.* *Math. 24.*

Euangelii verba vitiosè interrupit. Christus enim dixit: Multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus. Vnde apparet Christum non de illo egisse, qui diceret se vicarium Christi. Nam is adeò non dicit, se Christum esse, vt nisi alius præter ipsum Christus existeret, is vices eius gerere non posset. Illyricus ergo non rectè fecit, cùm ea Euangelij verba omisit, quæ declarabant, quidnam Christus appellaret in nomine Christi, venire. Cum enim tam is veniat in nomine Christi, qui legatione pro Christo fungitur, quam is qui nominat se Christum seu Messiam cúmque Christus non priorem eius verbi sententiam, sed posteriorem reprehenderet: Illyricus in hoc egit Sophistam, quòd Papam, qui venit in nomine Christi, legatione fungens pro Christo, vult videri à Christo reprehensum esse, cùm Christus non nisi eum reprehenderit, qui nominat se Messiam. Et quod Christus breui quadam oratione perstrinxit, dicens (*Matth.* 24. Cum videritis abominationem desolationis, stante in loco sancto, &c. hoc D. Paulus, longiore quadam oratione explicauit, cum ita scriberet: *Reuelabitur homo peccati, filius perditionis qui aduersatur, & extolletur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquã sit Deus.* Nihil enim aliud hæc omnia Pauli verba explicant, quàm id quod Christus vnico abominationis vocabulo significauerat. Præclarè enim Hilarius ait: Antichristus ex eo dictus est abominatio, quòd aduersus Deum veniens, honorem sibi Dei vendicet. sic ille. Ista propria est Antichristi blasphemia. Papa igitur, qui nec se Messiã asserit, nec se effert supra Deũ verũ, non est Anitchr.

*D. Hilarius can. 25. in Matth.*

*Præterea cap. 26. vbi supr. Sanderus.* Si inquit, Antichristus in templo Hierosolymitano sessurus est (id quod Patres, nõ sine magnis rationibus verum existimant) profectò Papa, qui nunquam hactenus in illo Iudaico Templo, iuxta historiam sedit nunquam hactenus fuit Antichristus ac neq; adhuc est.

*Cap. 26. vbi sup. Sanderus.*

*Adde quod, cap. 27, subiungit Sanderus,* quod Antichristus dicitur sessurus, non tantum in templo Hierosolymitano, sed præterea in quolibet alio Templo seu Ecclesia. Vnde Protestãtes inferunt, Papam esse Antichristum, quia papa in Ecclesia Dei sedet. Quasi verò quia Antichristus tyrannico modo sedet in Ecclesia Dei, propterea quicũq; in Ecclesia Dei quocumque modo sedet, ob idipsum sit etiam Antichristus. Licebit hac ratione, vt Apostolos & omnes eorũ successores appellemus Antichristos, quia illi quoque suo modo sederunt in Ecclesia Dei. Nã sederunt super cathedras suas, certè nõ extra Ecclesiã Dei, sed in ea. De his enim, qui intus, id est, in Ec-

*Cap. 27.*

clesia Dei sunt, iudicarunt Denique ( Ioannes in Apocalypsi vidit Sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis. Si ergo præpositi, per quos Ecclesia nunc gubernatur, sedēt super sedes suas in Ecclesia Dei, nō est cōtinuò Antichristus, quicunque in Ecclesia Dei sedet. Quid ergo est? Vtique Antichristus non tantum sedet in Ecclesia, sed etiam sedet ibi vt Deus. Ita enim Paulus scribit secūdum Græcos codices: adeò vt tanquam Deus in templo Dei sedeat, ostentans se quod sit Deus ( Græcè sic. ὡς Θεὸν καθίσαι, &c. tāquā Deus sedeat ostēdens se tanquam sit Deus) Nos autem negamus Papam ostentare se Deum, aut sedere tanquā Deū in Ecclesia. Sedet enim in Ecclesia quidem, sed vt minister Dei, nō vt Deus, Qui verò non sedet in Ecclesia, tanquā Deus, ille non est Antichristus. Nec tamen putandum est, quòd Ecclesia Dei vnquā habitura est Antichristum pro vero Deo. Ille enim sedebit in Ecclesia velut Tyrannus, cui omnes fideles & Catholici, præcipuè autem Ecclesia Romana, contradicetur: Hæc enim est petra, aduersus quam non præualent portæ inferorum, &c. Itaque Cyrillus Hierosolymitanus cath. 15. rectè negat Antichristum in Christi Ecclesia sessurum, quia videlicet Ecclesia christi, quæ in eius fide manserit, non agnoscet Antichristum pro legitimo iudice, sic Sanderus, Cyrilli verba hæc sūt vbi sup. de Antichristo: Vt ipse in templo Dei sedeat &c. Quale autem templum dicit? in templo quod reliquum est Iudæorum. Absit enim, vt in hoc id fiat, in quo sumus. Hæc ibi Antichristus proinde in templo Salomonis, & nō Petri sedebit, Studiosissimum, inquit Cyrillus, vbi supr. se esse ostendet illius templi: vt ipse de progenie Dauid esse videatur, qui templum à Salomone olim extructum, ipse sit reædificaturus sic ille. Ad hæc (*vt præfatus Sanderus cap. 35. vbi sup. scribit*) Enoch & Elias prædicuntur adfuturi sub Antichristi temporibus, vt aduersus tentationes eius diabolicas, populum Dei muniant. *Qua de re Apoc.* 11. habetur: *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis*: In quem locum Arethas cæsareæ cappadociæ Episcopus, hunc edidit cōmētariū. Et certè quod Elias propheta venturus sit, manifestum est, quū scriptura hoc prędixerit, Malach 4. Ecce ego mittā vobis Eliam Thesbitem, priusquam veniat dies Domini magnus, & manifestus, &c. De Enoch verò testimonium quidē quod ad aduentū spectat, ex scriptura non habemus, præter transpositionē, ne gustaret mortē. *Genes* 5. *Ambulauit cum Deo (Enoch) & non apparuit, quia tulit eum Deus, Eccl.* 44. *Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.*

*D. Cyrill. Hierosolymit. Cateche* 15. *f.*

*Sanderus c.* 35 *vbi sup.*

*Apoc.* 11.

*Arethas in Apoc.* 11. *c.*

*Malach.* 4.

*Genes.* 5.

*Eccl.* 44.

Fertur autem, inquit Arethas, ex traditione præconū Christi, quod mirabiliter in Ecclesia recipitur, ipsum quoque (Henoch) venturum cum Elia Thesbite.

Venient enim ambo, vt protestentur his qui tunc erunt, ne fallacibus Antichristi signis fidem adhibeant, & in hoc suo testimonio agent ad tempus trium annorum & dimidij, Nam mille ducenti sexaginta dies tantum explent temporis spatiū.

*Andreas Cæsarea Episcop. in Apoc. de Enoch et Elia cap. 30.* Sic ibi ex Andrea Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, hæc mutuatus videtur, qui ita scribit & interpretatur hoc Diui Theologi & Euangelistæ Ioannis vaticinium suprà allatum. *Dabo duobus testibus meis, &c* Per hos testes, ait, plerique doctorum acceperunt Enoch & Eliam, qui sub seculi finem à Deo accepturi sunt trium annorum cum semisse spatium: quantum nimirum ex mille ducentis sexaginta dierum numero conflatur, ad vaticinandum & prædicandum? Hactenus ille. Quapropter cum Enoch & Elias nondum venerint, ac multo minus Episcopis Romanis se opposuerint: Certum etiam est Pontificem summum seu Papam Antichristum non esse.

*Sander. c. 44 D. Hipplytus Martyr.* *Iterum Sanderus, c.44.* Ad persecutionem Antichristi, inquit, hoc vel maximè pertinet, vt non patiatur baptismum Christi liberè administrari. Vnde Hippolytus martyr putat Antichristi sigillum tale fore, vt quisque cogatur dicere: *Nego baptisma.* At verò baptismus in medio papatu omnino liberè ac legitimè administratur: fieri itaque nullomodo potest vt Papa sit Antichristus.

*Idem Sander. c. 45.* *Rursus idem. c. 45.* Antichristus. ait, Eucharistiæ oblationem publicam ac liberam, tollet per annos tres & mēses sex. In dimidio hebdomadis, hoc est, tribus annis & sex mensibus, hoc sacrificium iuge Christianorum tollendum est ab Antichristi confugientibus Christianis ante eum per loca deserta, non erit, qui aut Ecclesiam intret, aut oblationē offerat Deo. Vnde meritò etiam D.Hippolytus in oratione de consummatione mundi, scripsit. Tunc, id est, tempore Antichristi, Ecclesiam ædes sacræ instar tugurij erunt, pretiosumque corpus & sanguis Christi non extabit in diebus illis. Liturgia extinguetur, Psalmorum decantatio cessabit, Scripturarum recitatio non audietur,&c.

*D.Hippolytus Martyr orat. de consumma. mundi.*

*D. Hieror. in 12. Dani.* In summa. perspicuè D. Hyeronymus affirmat, in 12. Danielis. cap. quod Antichristus iuge sacrificium, & Dei cultum interdicet, per annos tres ac dimidium. Certè quidem Papa prohibet Euchariftiam, velut noui Testamenti nouam oblationem, offerri Deo. imò summam cultus externi Religio-

acnq

nem in Euchariſtia meritò conſtituit, conſtituendámque docet. Papa igitur non eſt Antichriſtus.

Iam verò, ait prænominatus ſcriptor, *cap.62.* cùm iuge ſacrificium tollere conentur noſtræ tempeſtatis hæretici, nonne ſingulares Antichriſti miniſtros ſe exhibent, eiúſque præcurſores, qui quod tandem ab Antichriſto auferendum erat, ipſi priùs auferant, vt ita minus negotij Antichriſto ſuperſit?

Accedit eodem, quòd cum Antichriſtus Baptiſmum etiam Chriſti debeat abrogare, Lutherani & Caluiniſtæ omnes eatenus gratificãtur Antichriſto, vt interim negent, Baptiſmum Chriſti radicitus tollere peccata, gratiámve conferre. Quid quod etiam Caluiniſtæ negant Baptiſmi neceſſitatem, in iis paruulis, qui ex parentibus Chriſtianis procreati ſunt? Quod ergo nec paruulis neceſſarium eſſe, nec adultis gratiam conferre docetur: id quàm leui brachio, velut cæremonia quædam inutilis, ab Antichriſto remouebitur.

Vt autem Antichriſtus non curat Deum patrũm ſuorum, Ita nec hæretici Hugnoſtici, vllam rationem habent anteceſſorum ſuorum, & Cathedræ D. Petri, atque ſucceſſionis Epiſcoporum. Cúmq; Antichriſtus Chriſtianæ religionis omnia monumenta aboliturus ſit, atque ob eam cauſam appelletur abominatio vaſtans & deſolans omnia, auſim dicere ab orbe condito nunquàm fuiſſe vllam ſectam perinde ad euertendã omnia religionis ſigna deditam, ac hodie Caluiniſtæ, quorum omnis cogitatio in eo defixa eſt, vt altaria Chriſto dicata deturbent, Templa Dei ſubuertant, ſacras imagines confringant, Monaſteria ſpolient Xenodochia diripiant, Scolas publicas diſſipent. Reliquias Martyrum profanent, memorias Sanctorum violent, Sepulchra mortuorum aperiant, cœmiteria diſturbent, cærimonias tollant, Sacramenta irrideant, ac Sacrificium tremendum conculcent. Quid eſt viam ſternere Antichriſto, ſi hoc non eſt?

At de his iam ſatis ſit. Nunc ad contextũm regrediamur: *Quæ dicta eſt à Daniele propheta, &c.* Hîc prouidentiæ Dei maximum argumentum eſt, quòd Daniel plus quingentis annis antea ſignum propoſuerat, vt in tempore monerentur, ſibiq; cauerent: vnde regius Pſaltes, *Dediſti* (inquit) *metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.*

*Qui legit intelligat, &c.* Hîc Iudæorum cæcitas taxatur, qui ſcripturas propheticas oſcitanter ſine intellectu legebant: Admonentur etiam Apoſtoli, vt in legendis illis vigilantes

sint, déque intellectu solliciti. Legere etenim (vt habet peruulgatum prouerbium) & non intelligere, negligere est. Q. d. Quisquis desolationem hanc viderit, manifestè colligat, venisse, ac passum esse iam Christum, post cuius aduentum & mortem (iuxta Danielis vaticinium) abominatio desolationis consecutura erat.

*Quæ in Iudæa sunt fugiant ad montes, &c.* Vbi tutior habitatio; Significans nullas tunc ciuitates securas fore in omni Iudæa. *Ita Angelus iubebat Loth ascendere ad montem, vt ibi seruaretur. Gen.* 19. Hoc verò Christus prædixit Apostolis, vt postea credentes commonefacerent. Eusebius, *hist. Ecclesiast. lib. 3. cap. 5:* scribit (vt etiam suprà citauimus) Christianos, qui tum Hierosolymis adhuc erant, diuino oraculo ad ciuitatem quandam, Pellam nomine, trans Iordanem fugere iussos. In tantis periculis, nulli nisi per fugam patebit ad salutem aditus. Fugiant, inquam ad mõtes, vt inter feras tuti lateant, quibus inter homines nullus erit tutus latendi locus.

*Gen. 19.* *Euseb. in hist. Eccles. lib. 3. c. 5.*

Quod si ad Antichristum referre oporteat, Ideò Iudæa nominatim exprimitur, quoniam primi qui Antichristo adhærebunt, erunt Iudæi, iuxta quod Christus insinuasse visus est, *Ioan. 5. Si alius, inquit, venerit in nomine suo, illum accipietis.*

*Ioan. 5.*

*Orate vt non fiat fuga vestra hyeme aut sabbato, & cæt.* hoc est, Orate vt fuga vestra expedita sit, nullis impedita remoris vel tempestatis vel religionis. Hyems tum ob frigoris rigorem, tum ob dierum lucisque breuitatem, ad iter faciendum non congruit. Sabbatis quoque nefas erat Iudæis iter facere, nisi ad pauca stadia, vt quidam dicunt ad mille passus, ex instituto maiorum, *vnde & Act. 1. legimus: sabbathi habens iter;* Aut etiam periter sabbathi, circiter duo passuum millia significantur. Verùm ea de re superiùs, à nobis dictum est.

*Act. 1.*

*Væ prægnantibus in illis diebus, & cæt.* Prægnantes fœtus suos non possunt veluti alia impedimenta abiicere, & fugere. Lactantes verò parùm sunt ad fugam accinctæ & idoneæ, quòd prædilecta sua pignora teneriùs habent vitâ propriâ. *Nunquid potest obliuisci mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Isa. 49.*

*Isa. 49.*

Possunt etiam hæc referri ad ea quæ in excidio contigerunt Hierosolymitano: Fames siquidem tunc temporis eò vsque inualuerat, vt præter omnium abominabilium cibos, quædam mulier proprium filium sibi coxerit. Durum telum necessitas. Vnde Christus cùm ad mortem duceretur. *Luc. 23. Filiæ Ierusalem, ait, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super*

*Luc 23.*

*filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt, &c.*

*Erit tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi, ne...fiet, & cæt.* Rationem tam vrgentis ad fugiendum necessitatis reddit. Addit Lucas de Iudæis; Et captiui ducentur in omnes gentes, & cæt. Nunquàm in aliqua historia legimus tantam calamitatem passam fuisse Ierusalem, vt tunc quidem passa est, Chaldæi quamuis Ierusalem destruxerint, & templum incenderint, atque in seruitutem Iudæos abduxerint, leuia tamen hæc sunt, præ iis, quæ à Romanis passi sunt, in vltionem necis Christi. Captiuitas siquidem Babylonica septuaginta duntaxat annorum fuit: Hæc verò, quæ per Romanos facta est, qua de Christus præsenti Euangelio agit, Iam per mille quingentos annos, & eò ampliùs durat, neque vnquam reuocata est. Cuius plusquàm tragicam historiam Iosephus, qui in ea obsidione adfuit, describit. *Ioseph. de bello Iudaico.*

Iustum autem fuit vt pro maximo peccato ac grauissimo, maxima infligeretur pœna. Nam iuxta mensuram delicti, erit plagarum modus, ait Sacer contextus.

Animaduersione dignū duxi, quod Cornel. Iansenius ad hunc Euangelij locum, obseruauit. Hinc ædificatur, inquit, & confirmatur fides nostra, cùm quæcumque Dominus de eo populo tam distinctè prædixit, omnia adimpleta cernimus, vt ob id tantò certiùs credamus suo etiam tempore implenda, quæ mox subiunxit Dominus ad tempus nouissimi aduentus sui pertinentia. Vbi obseruanda Dei, pro fidei nostræ confirmatione, prouidentia; qua factum est, vt non Ioannes ipse Euangelista hæc Domini vaticinia perscriberet, qui ipse cuncta oculis suis adimpleta vidit, Sed illi Euangelistæ, qui ante Iudæorum mortui sunt excidium, vt omni careret suspicione, Christi de his vaticinium, nec quæ Iam facta erant videretur scripta, quasi olim prædicta. Qua Dei prouidentia rursum factum est, vt rerum apud Iudæos gestarum, is accuratam perscriberet historiam, qui Iudæus esset, & apud Iudæos magnæ authoritatis, quique ea quæ narrat, & oculis suis conspexisset, & eorum magna pars fuisset: Ex cuius narratione, etiam illo hoc non intendente, declararetur apertissimè veritas omnium à Christo prædictorum. *Corn. Iansen. c. 122.* *Is est Iosephus qui belli Iudaici exactā cōscripsit narrationem.*

Declarat item efficaciam prædictionis Dominicæ, quod scribit Theodoretus, de Iudæis & Iuliano Imperatore, vt refertur, lib. 6. hist. tripartitæ cap. 43. Cùm enim Iulianus acerrimus Christianæ religionis hostis, Iudæis præcepisset,

destructum in Ierusalem templum reparare, credens se Dominicum verbum istud posse destruere, miris modis Iudæorum conatus cœlitus est impeditus, itavt postalia multa à cœpto opere eos deterrentia, tandem ignis ex fundamentis, quæ suffodiebantur, egrediens, plurimos fodientium concremarit, aliorum membra dissoluerit. Nocte quoque plurimis in vicina porticu dormientibus, cadens subitò cum tecto, ipsa porticus dormientes oppresserit: Alio verò die in cœlo signum crucis splendens apparuerit, ac Iudæorum vestes crucis signaculo implerentur, non tamen splendenti, sed nigro colore signatæ cruces Iudęis impressæ sunt. Quæ considerantes Deo rebelles Iudæi, diuina flagella expauescentes, à cœpto cessauerunt opere, atque relicta Iudæa ad propria sunt reuersi, confitentes Deum esse, qui ab illorum progenitoribus, ligno crucis affixus fuerat. Sic ibi. Verissimè itaque Christus ipse hîc dixit: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non pręteribunt. Verbum enim Domini manet in æternum, vt Euangelicus vates dixit.

*Cassiodorus in tripartita, l. 6. c. 43.*

*Isa. 40.*

*Tunc siquis vobis dixerit, Ecce hîc est Christus, & cæt. Surgent enim Pseudochristi, & cæt.* Docet, ait Stella in *Luc.* 17. non expectandum esse alium Messiam. Acceperunt olim Iudæi falsos Christos seu Messias, vt in Decadibus nostris postremis Homiliis me scripsisse memini: vt Iudam quendam Galilæum, Theodam, Barcozbam, & similes aliquot impostores. Atque in regno Portugalliæ in oppido Setunal appellato, quidam nostro tempore, inquit Stella, surrexit, dicens se esse Messiam, cui aliqui Iudæi crediderunt & adhæserunt. Quo cognito ab hæreticæ prauitatis inquisitoribus, apprehensi, in vrbe Vlyssiponensi, (vulgò *Lisboa*, Gall. *Vlisbonne*,) (Lusitanorum hæc est maxima & potentissima ciuitas) omnes combusti sunt publica sententia. Sic Stella, qui hęc circa annum Domini 1582. Salmanticæ excudenda curauit.

*Stella in Luca cap. 17.*

*Sacra Decades auth. postremis Homiliis.*

*Si dixerint vobis*, ait Christus, *Pseudochristi & Pseudoprophetæ; Ecce Christus in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere, & cæt.* Pseudoprophetarum igitur est, docere Christum, post Euangelij sui promulgationem, in deserto aut, in penetralibus latitare. Verùm quid aliud docent Lutherani, & Caluinistæ omnes, qui Ecclesiã Christi in deserto, & in penetralibus per tot generationes latitasse affirmant? Est enim Christus in Ecclesia sua quærendus & expectandus, in qua regnat in æternum, *Luc.* 1. *Regnabit in domo Iacob in æter-*

*Luc. 1.*

*uum, &c.* Si ergo in deserto, in penetralibus aut in latebris quibusdam agit Christi Ecclesia, ibidem etiam agit Christus: Ecclesia tamen à Christo vocatur *ciuitas supra montem posita, quæ non potest abscondi. Matth. 5.* *Matth. 5.*

Lutherus hæresiarcha & apostata, Ecclesiam veram voluit multis etiam seculis in deserto & penetralibus egisse, ait *Sanderus, lib. 8. cap. 54.* Et Beza Hugnosticorum Geneuensium antesignanus, in confessione sua, *cap 5.* Fidelium gregem, dicit, vni penè Deo interdum esse cognitum. An hoc non est, Christum ad desertum & penetralia redigere? Deus, inquit Diuus Augustinus, *tom. octauo, in Psalm. decimo octauo.* In manifestatione posuit Ecclesiam suam. In sole posuit tabernaculum suum. Ipse nimirum sponsus, posuit in sole, hoc est, in manifestatione, tabernaculum suum, hoc est, sanctam Ecclesiam suam. Sic ille. *Sanderus, l. 8. c. 54.* *D. Aug. to. 8. in Psal. 18.*

Obganniunt hæretici, Veritatem diu fuisse ignotam & inauditam. O desertum hæreticum! ô penetralia hugnostica! Si veritas ignota fuit multis seculis & inaudita, Ergo præualuissent contra Ecclesiam inferorum portæ; contra Christi, qui mentiri non potest ipsissima & diserta verba: *Matth. 16.* Item ille promisit, *se affuturum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi*, non cum iis, qui sub modio absconderentur, & prædicarent in deserto, ac penetralibus, latebrisque hæreticorum, sed cum iis, qui docerent & baptisarent omnes gentes. Erat baptismus in Ecclesia Romana, erat doctrina Euangelij, in multis simul gentibus, ante Lutheri, ante Caluini exortum: Erat igitur Christus cum iis, qui docebant, & baptizabant multas gentes, perseuerantes in communione sedis ac Cathedræ Petri, aduersus quam non præualebunt Inferorum portę. Non erat autem Ecclesia illa in orbe terrarum, quæ nunc dicitur Lutherana, Caluiniana, Bezana, & Hugnostica, nec sic olim dicebatur, nec baptizabat & docebat multas gẽtes: Sicut sola vera & Catholica Ecclesia Romana, quæ semper mansit, *cuiusque fides numquam deficiet*, assertore & sponsore Christo, Prætensa igitur huiusmodi Ecclesia, quæ aut nulla fuit, aut in deserto & penetralibus egit, Erat Triphonij Specus, aut Antichristi antrum, & non lucerna illa, quam Christus *in Candelabro posuit, vt luceret omnibus, qui in domo sunt. Matth. 5.* *Matth. 16. & c 28.* *Luc. 22.* *Matth. 5.*

Adiicere libet, ex eodem *Sandero vbi suprà, cap. 63.* Maiorem esse gloriam Ecclesiæ Christi, quàm veteris Synagogæ olim fuerit, quæ in typum & figuram eius præcessit. Ac sanè quis *Sander. c. 63. vbi suprà.*

dubitaret veritatẽ imagini,ac multò magis vmbræ duntaxat,
Agg. 2. præferendam esse? Hoc Aggæus Vates, *cap. 2* prædixit. *Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquàm primæ, dicit Dominus exercituum*. Non enim tam de materiali domo hîc agitur, quàm de Christi Ecclesia, quę spiritualis domus Dei est Si ergo maior est Ecclesiæ, quàm Synagogæ externus etiam splendor: nunc restat, vt quantus fuerit splendor Synagogæ accuratè perpendamus. At Synagogam constat ab exitu filiorum Israel ex Ægypto, incipientem, ad Christum vsque ita perdurasse, vt nullum pręterierit temporis momentum, in quo populus Dei vel digito demonstrari non potuerit. Vixit enim populus Israel sub Moyse primùm in deserto, mox sub Iosue, vsque ad ingressum in terram Chanaam. Deinde verò in eadem terra sub iudicibus & regibus de tribu Iudę, vsque ad captiuitatem Babylonicam. In ipsa etiam captiuitate, egit in captiuitate & transmigrationę tam apertè, vt nemo vicinorum ignoraret ibi esse tùm Prophetas, tùm sacerdotes, & populum reliquum, qui profitebatur cultum vnius Dei, secundum legem Mosis. Imò inde etiam populus rediit, vnà cum ordinariis ducibus suis, Zerobabele filio Salathiel, duce Iuda, & Iesu filio Iosedech, Sacerdote magno. Itémque postea cum scribis, Esdra & Nehemia. Porrò à captiuitate vsque ad Christi aduentum, semper egit Dei populus in terra Chanaam, primùm sub Pontificibus & Ducibus, deinde sub regibus, Ita vt Christus iã aduenıens, nõ modo in tẽplo Salomonis, tãquam
Ioan. 4. in suo doceret verùm etiam diceret: *Ioan. 4. Salus ex Iudæis est.*

Quibus ita positis efficitur, vt Synagoga nunquàm latuerit, aut cognitionem hominum effugerit, à primo exitu filiorum Israel ex Ægypto, vsque ad Christi aduentum, qui nouam ex Gentibus Ecclesiam reliquiis Iudęorum inseruit, *condens* (vt
Ephes. 2. Apostolus loquitur) *duos populos in semetipso angulari lapide*. Multò igitur minus vlla ratione fieri potuit, vt Ecclesia Christi per vllum tempus etiam minimum latuerit, aut cognitionem hominum effugerit, ab ipsius primo aduentu, ad secundum vsque, in quo reddet vnicuique iuxta opera sua. Percurre singulas generationes à Moyse vsque ad Christum, quod fuit spatium annorum circiter mille quingentorum. In hoc toto spatiò, nullus mensis aut dies pertransiit, in quo non facillimè ostendere licuerit, populum Dei. Aut enim in deserto erat (si de illis 40. annis agatur) aut in ipso ingressu est, aut in ipsa terra Chanaam, aut in Babylone, nominatim sub hoc Iudice, Rege, Duce, Sacerdote.

Deinde cùm multi fuerint, & in terra Chanaam, & in Babylone alieni à Deo: facilè respondebo, Illum esse populum Dei, qui tribum Leui, sectatur, qui circa Arcam Dei, & Tabernaculum fœderis in terra Chanaam agit, qui Templum Salomonis in Hierusalem obseruat: in Babylone verò illum qui credit & adhęret Iosedech Sacerdoti magno, ac Iesu filio eius, ac Prophetis Danieli, Aggæo, Zachariæ, ac Scribis Esdræ, & Nehemiæ, & Duci Zorobabel, quíque profitetur spem reditus in Hierusalem secundum verbum Ieremię Prophetæ. Qui autem statuit veram Ecclesiam Christi fuisse aliquot seculis ignotam, is minorem infinitis partibus Christi, quàm Mosis gloriam, in hoc mundo esse docet. Hæccine est illa maior gloria domus secundæ, quàm primæ, Ecclesiæ quam Synagogæ, Christi, quàm Mosis?

Lutherus, ait Sanderus vbi suprà, ad exemplum Eliæ confingit, dicens: Prophetas Sacerdotes Seniores, Reges, Principes, Pharisæos, omnes denique Eliæ temporibus errasse. Tametsi darem Lutheranis, hoc in diebus Eliæ factum fuisse; tamen ex vmbræ imperfectione, velle statum perfectæ veritatis oppugnare, hoc profectò est Christo Moysem præferre: Legémque adhuc non esse impletam contendere, At Christus ipse inquit de sua Ecclesia: *Ciuitas suprà montem posita, non potest abscondi: Portæ inferorum non præualebunt aduersus illam. Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Item dicit præco veritatis, Paulus, *Domus Dei columna est, & firmamentum veritatis.* Matth. 5. & 16. Luc. 22. Matth. 28. 1.Timoth. 3.

Deinde ne hoc quidem de Elia ita se habet, quemadmodum comminiscitur Lutherus. Non enim Elias in illis verbis 3. Reg. 19. *Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus*, id agit vt neminem præter se fidelem aut esse, aut à se cognosci dicat. Nam de ijs tantum, qui erant in decem tribubus loquebatur. Ac sanè certissimum est, eum non de omnibus Iudæis aut fidelibus loqui, sed de ijs tantum, qui erant in Israël, hoc est in decem tribubus, qui aliâs dicebantur Samaria, vel, Ephraim. Cùm enim à diebus Ieroboam ob ambitionem ipsius, discessio à Cathedra Moysis, & à templo Ierosolymitano facta esset, ac propter tyrannidem omnium propè Regum Israël, & maximè Iezabel, pauci fidem perfectè in ea gente confiterentur: tunc Elias conquerebatur, se relictum esse solum, Vel quod nullum alium Prophetam, vel etiam, quod 1. Reg. 19.

nullum alium, ante certè quaſi nullum iuſtum & perfectum, quem Zelus domus Dei, comederet, præter ſe, in regno Iſraël cognouerat. In regno, inquam, Iſraël. Nam in regno Iuda, non ille ſolus, ſed alij etiam permulti, tam priuatim, quàm publicè permultos cognouerant, qui templum Dei adirent quotidie, ac Sacrum ibi ſecundum legem facerent, de regno igitur Samariæ duntaxat Elias agit. Dereliquerunt, ait ille 3. *Reg.* 19. Pactum Domini, filij Iſraël, filij, inquam, Iſraël, hoc eſt, decem illæ tribus, quæ, quoniam maior pars filiorum Iacob erant, ſolæ iam obtinuerunt nomen Iſraël: Cùm aliæ tribus (Leui Beniamin & Iudá) regnum Iuda, potius à regali tribu, de qua & Dauid fuerat, nominarentur. Deinde, cùm Elias dicat: Altaria tua deſtruxerunt conſtet autem altaria in Hieruſalem iam nec fuiſſe deſtructa, nec potuiſſe ab Iſraëlitis deſtrui, propter tribus illas, quæ in fide perſtiterunt, quæque pro Templo Domini decertabant, neceſſe eſt, vt Iſraëlitæ intelligantur illa deſtruxiſſe altaria, quæ olim. Abraham, Iſaac, & Iacob, cæterique Prophetæ, dum peregrinarentur, extru-
3. Reg. 18. xerant: *Vnde & c. 18. lib. 3. Reg. idem Elias curauit altare Domini, quod deſtructum fuerat.* Ex quo intelligimus, fuiſſe quoddam altare Domini antè extructum in monte Carmeli, quod Schiſmatici poſtea deſtruxiſſent. Vti nunc Pſeudo Euangelici, altaria Domini per omnes, quas poſſunt, Eccleſias, impiè demoliuntur. Quod olim impunè factum eſſe, tam moleſtum Eliæ fuit, vt indè coniecturam faceret, ſe ſolum in Iſraël relictum eſſe, qui ab Idololatria foret immunis. Tertiò Elias addit: Prophetas tuos occiderunt gladio, &c. Vtique id non fecit rex Iuda, qui regnauit in Ieruſalem. Nam Aſa (qui aut tunc, aut non multò ante regnauit in Iuda quadraginta & vno anno (ait ſacer conte-
3. Reg. 15. xtus. 3. Reg. 15.) *Fecit rectum ante conſpectum Domini, ſicut Dauid pater eius, & abſtulit effœminatos de terra, purgauitq; vniuerſas ſordes Idolorum, quæ fecerant patres eius, &c. Excelſa autem non abſtulit. Verumtamen cor Aſa: perfectum erat cum Domino cunctis diebus ſuis. Ioſaphat filius Aſa, viginti quinque annis regnauit in Ieruſalem, & ambulauit in omni via Aſa patris ſui, & non declinauit ex ea, fecitq; quod rectum erat in conſpectu Domini, verumtamen excelſa non abſtulit, adhuc enim populus ſacrificabat, & ado-*
3. Reg. 22. *lebat incenſum in excelſis.* Hactenus ſacer contextus. 3. *Reg.* 22. Ergo ſine omni controuerſia, Elias optimè ſciebat, & altaria iam tum ſtetiſſe in templo Salomonis, regéſque Aſa pri-

mum, deinde Iosaphat, rectam fidem coluisse. Mortuo autem rege Iosaphat, *Ioram filius eius regnauit pro eo 2. Par. 21. & recessit à viis aui, & patris sui, ambulauitq; in viis regum Israël. Allata sunt autem ei literæ, ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus: Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat, patris tui, & in viis Asa regis Iuda, sed incessisti per iter regum Israël, Ecce Dominus percutiet te plaga magna, &c.* Erat tunc translatus Elias, *vt patet ex 4. Reg. 3.* Viuente adhuc Iosaphat. Nonne ex his verbis liquidò apparet, Eliam cognouisse vias regum Asa & Iosaphat? Nonne populum quoque sub illis regibus rectè ambulasse significat, cùm Ioram accusat, quòd habitatores Ierusalem fornicari fecit? Nam si priùs passim fornicati essent, non tam Ioram fecisset Iudam, & habitatores Ierusalem fornicari, quàm eos à fornicatione priore non cohibuisset. Ex quo apparet, tum permulta etiam centena millia fidelium in Iudæa fuisse, quo tempore, Elias conquestus est, se in Samaria relictum esse solum, tum eundem Eliam non ignorasse tot centena millia in regno Iuda, & Ierusalem extitisse, cùm in Epistola sua laudabilem & de rege Asa, & de Iosaphat mentionem fecerit. Non ergo de altaribus templi Salomonis, aut de tyrannide aliqua vel regis Asa, vel Iosaphat, sed tantùm de tyrannide Achab regis Israël, & Iezabel vxoris eius, conquestus est Elias. Nec se vel in toto terrarum orbe, vel etiam in tota Iudæa, sed tantùm in Samaria solum Dei viri cultorem relictum esse, existimauit, ac fidelem; veluti hallucinatur Lutherus apostata.

2. Par. 21.

4. Reg. 3.

Postremò idipsum probatur ex responso *Domini ad Eliam. 3. Reg. 19. Derelinquam*, inquit, *mihi in Israël, septem millia virorum, &c.* In Israël, inquit, tot millia derelinquam. Etenim in Iuda, iam aliquot centena millia (per ministeria templi, per sacrificia, & per apparitiones suas coram Domino ter quolibet anno, fidem vnius Dei profitebantur. Non igitur Iudæa cultoribus legis caruit, sed tantùm Samaria. Nec Elias hoc voluit, aut cogitauit, quòd videlicet se cognouerit solum fidelem in terra. Nouerat enim, Dei templum in Ierusalem esse, nouerat & regem Asa, & præcipuè regem Iosaphat (in cuius diebus hæc dixerat) placuisse Deo illis diebus. Non ille tot millia Leuitarum, non Michæam Prophetam, *Non Sacerdotes Elisama & Ioram, non Amariam Pontificem ipsum (quorum omnium. 2. Par. 17. & 19. mentio fit)* idololatriæ accusauit, nec illa vndecies centena & sexa-

3. Reg. 19.

2. Paral. 17. & 19.

ginta millia, quæ ad manum regis Iosaphat erant, eique ministrabant, sub quinque ducibus electis, & principibus exercitus: Edna, Iohanam, Amasia, Eliada & Iozabad. (2. *Par.* 17.) Non, inquam, hæc tot centena millia hominum, Elias aut à sua cognitione, aut à spe in Deum exclusit, qui in fide venturi Messiæ, legem Moysi ritè in Ierusalem obseruabant. Insani estis, Protestantes, si ita de Elia iudicatis.

In Samaria ille erat (non in Iuda) cùm illa verba loqueretur. Ibi altaria destruebantur, ibi Prophetæ occidebantur gladio (nam interficiebat Iezabel Prophetas Domini) ibi denique Dominus reliquerat sibi septem millia virorum fidelium. Verùm de hoc Eliæ exemplo sit dictum satis. Iam ad textum reuertamur.

*Pseudo Prophetæ, dabunt prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi, &c.* Obserua, quòd prædestinatio infallibiliter suum consequitur effectum, nec tamen necessitatem imponit, vt scilicet effectus, cum necessitate proueniat, In prædestinatis namque libertas arbitrij remanet & contingentia. Aduerte, quæso, quod Apostolorum coryphæus ac princeps *posterioris Epist. c.* 1. Scribit *: Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Quod quidem in sensu composito, vt loquuntur Theologi, exponi debet, quòd scilicet Iustus dum ministrat *in fide sua, virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem*, quæ omnia proposuit Apostolus vbi suprà: *Dum ergo hæc facit Iustus, non peccat.* Et hic est sensus, compositus, Veluti, *&* 1. *Ioan.* 3. *omnis qui natus est ex Deo,* ait D. Ioannes, *peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* Quòd si in sensu diuiso esset exponenda sententia, certè falsa esset. Quandoquidem peccare non potest iustus, & aliquando peccat. Patet in Petro Paulo, Magdalena, Dauide & alijs electis. Necessario ergo debes vti illa distinctione peruulgata, de sensu composito & diuiso. Sic nunc cùm dicitur: In errorem inducerentur, (Si fieri potest) etiam electi. At fieri non potest in sensu composito, nam de suis ouibus Christus asserit, *neminem illas rapturum, vel rapere posse, de manibus suis. Ioan.* 10. Attamen in sensu diuiso prædestinatus potest seduci, & damnari&c. quia simpliciter & ex se peccare, & ca-

2. *Pet.* 1.

1. *Ioan.* 3.

*Ioan.* 10.

dere poteſt. Hæc in Scholis crebrò excutiuntur.

*Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ.* Q. d. Si brutæ volucres, ſtatim olfaciunt cadauer, & aduolant: quantò magis electi mei, qui in me crediderunt, fiduciam ſuam & ſpem in mea paſſione fixerunt, aduolabunt ad coruſcationem glorioſi illius mei aduentus, quando illos, qui hîc mearum afflictionum & mortis fuere participes, reddam & gloriæ meæ conſortes? Ne itaque metuatis, ne in tanta rerum confuſione, ſitis à me ſeparandi. Si roges, vbi appariturus ſit Chriſtus? Reſpondit. In loco vbi corpus fuit, nempe in quo paſſus eſt Dominus, non remotè ab illo loco, vt fuſiùs ea de re in poſtremo cap. Ioëlis noſtri egimus, nimirum in valle Ioſaphat, non procul ab Ieruſalem, & monte Caluariæ. Et ibi congregabuntur Aquilæ, id eſt corpora reſurgentium, quæ erunt vt Aquilæ, velocia. Vnde in perſona talium dicit Apoſtolus: *Rapiemur in nubibus, obuiã Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Iob. 39. De Aquila ita ſcribit: *Pulli eius lambēt ſanguinem, & vbicunque cadauer fuerit, ſtatim adeſt.* Hinc publicum prouerbium ortum eſt. Luc 17. *Vbicumque fuerit corpus congregabuntur & Aquilæ.* Locutus eſt autem de Aquilis, & non de coruis, aut vulturibus, quamuis hæc tria auium genera, ad cadauera venire ſoleant. Quia Aquilæ à longiſſimis regionibus per odorem percipiunt, vbi cadauera iaceant; Quod non cõuenit coruis, quia non ſic elonginquo odorantur cadauera, ſicut Aquilę & vultures. Quoniam verò tardi ſunt in volatu vultures, at aquilæ pernici volatu ad cadauera tranſuolant: Idcirco de his potius ſermo habetur, quàm de carniuoris alijs volucribus. Aquila item regina eſt auium, Et obid electorum Dei idoneum ac conueniens eſt, ſymbolum, atque ſignificationem gerit. *Vbi ego ſum,* inquit Chriſtus, Ioan. 12. *illic & miniſter meus erit.* Et c. 17. *Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum.*

*Sacræ Enneades authoris in cap. 3. Ioëlis.*

*1. Theſſ. 4.*

*Iob. 49.*

*Luc. 17.*

*Ioan. 12. & 17.*

Hac ergo ſententia parabolicè Dominus ſignificat, quòd quemadmodum vbicumque fuerit cadauer aliquod, illic continuò congregantur etiam Aquilæ, ſagaciſſimo ſuo olfactu, cadauer vnde paſcantur à longè percipientes, nec indigentes alicuius demonſtratione: Ita & fideles mox eſſent celeri quodam raptu coniungendi ſibi, tanquam illi vnde paſcantur & reficiantur, quodque opus non haberent aliquo iudicante ſuam præſentiam, vt ad ipſum conuenire poſſent.

Eſt apud Græcos pro dictione corpus, πτῶμα, id eſt cada-

uer dictum & Græcis & Latinis, ab eo quòd per mortem cadat. Cadaueribus autem vescũtur aquilæ, quæ olfactu sic illa etiam à longissimo percipiunt spatio. Quamuis autem vulturum, hac in parte eadem sit natura quæ aquilarum, tamen electos Aquilis potius Dominus comparare voluit, quòd Aquila regale sit animal, visus acutissimi, & agilis celerisque ac sublimis volatus, quo intelligeremus eos demùm ad ipsum cõgregandos, qui regio animo voluptatibus imperarēt, & terrenis rebus despectis in cœlestibus conuersarentur, ac tales agilitate sui corporis, qua donabuntur, facilè ad ipsum subuehendos in cælum. De huiusmodi aquilis, dicit, Psalmista

*Psal.* 102. *Isa.* c. 40. (*Psal.* 102. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Et Isaias c.* 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.*

*Enneades authoris. Domi. 1. Aduentus.* *Stellæ cadent de cælo. &c.* His de signis iudicium futurum antecedentibus, affatim in Enneadibus nostris Dominica prima Aduentus, comperies, Eò tibi recurrendum esse censeo.

*D. Chrysostomus.* *Tunc parebit signum filij hominis in cœlo, &c.* Signum filij hominis. D. Chrysostomus, & qui hunc sequuntur, crucem intelligunt, quam aiunt ipso sole fulgentiorem apparituram, ad redarguendum Iudæos, qui regem suum à Deo sibi cœlitus missum, noluerũt agnoscere vt reciperent, sed eiectum ex vrbe crucifixerunt. Id palam testatur Ecclesia quæ ita canit:

*Ecclesia.* *Genes.* 3. *Hoc signum crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.*

Verùm, dicet aliquis. Cur in cœlo crux? Respõdeo. Si Deus gladium flammeum ante Paradisum collocauit, *Genes.* 3. *Vt homines ab eius arceret ingressu.* Quid mirum, si crucem in cœlo (id est meliori Paradiso) collocat, in qua est flamma gladij illius extincta, & acies hebetata? Si Duces cùm triumphant: vrbe aliqua capta, victoriæ vexilla in summa arce constituũt:

*Matth.* 11. c. Quid mirum si Christus cœli arce rapta per crucē, ipsam crucem in cœli collocet loco? *Certè regnum cælorum vim patitur. Matth.* 11. c. *& violenti rapiũt illud:* Rapiũt verò per crucem.

*Genes.* 8. Collocetur igitur in regno cœlorum.

Sicuti fuit arca Noë super montes Armeniæ collocata, posteà quàm homines ab aquis diluuij seruauit. *Genes. cap.* 8. Ita & crux, vbi homines ab aquis sæculi huius seruauerit, in cœli montibus collocabitur.

*Genes.* 9. Crux in cœlo est arcus fœderis in nubibus, de quo dixit, Deus: *Genes.* 9. *Videbo arcum & non ampliùs nocebo hominum generi.* Ita cruce cœlis affixa, & veluti insculpta, non amplius pij damnum sentient.

Demùm Crux apparebit in cœlo, vt notetur cœlum cruci deberi.

Quæ cùm ita sint, nõ est cur à cruce, eiusque signaculo abhorreant adeò, nostræ tempestatis vesani hugnostici: *Signatur enim* in Apocalypsi *serui Dei in frontibus suis*. Verùm de cruce consignatione, nos aliquando, σὺν θεῷ, plura dicemus.

*Tunc plangent omnes tribus terræ*. Plangere, est tundere seu percutere, vnde Ouidius, *libr. 1. Metamorphoseon:* *Ouidius lib. 1. Metamorph.*

*Plangere nuda meis conabar pectora palmis.*

Sic solent quibus dolor, & luctus intolerabilis esse videtur, Inde factum, vt prolugere accipiatur absoluta significatione.

*Et videbunt filium hominis venientem in nubibus*. Sicut in nube Dominus cœlos ascendit sic in nubibus redibit ad iudicium. Quamobrem Angeli sic discipulos alloquuntur. *Act. 1. Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum, euntem in cœlum.* *Act. 1.*

*Veniet in maiestate, &c.* Id est, veniet tota Angelorum curia comitatus, toto sanctorum agmine stipatus veniet, cum luce immensa, & cum incredibili tubarum fragore. *Matth. 25. Cùm venerit filius hominis, in maiestate sua & omnes Angeli eius cum eo. &c. Et Apostolus. In nouissima tuba (canet enim tuba)* In tanta maiestate venturus est tunc Dominus, vt videant impij, hæretici, & infideles, quem contempserunt. Vt perpetuò hæreat impiis pauor ille, a Iudicis visione conceptus, & dolor ab eius gloria procedens. Vt rursum pij gestiant ac cupiant gloriæ illius infinitatem. *Matth. 25.*

*Congregabunt electos eius à quatuor ventis, &c.* Quatuor præcipuas mundi partes, intelligit, Orientẽ, Occidentem, Aquilonem, & Meridiem, quibus totum mundum vult comprehendi. Docet neminem, vbicumque tandem ille sit, relictũ iri. Colligi siquidem à quatuor ventis, nihil aliud est, quàm colligi ex omni dispersione terræ: Et colligi ex cœlis: quàm colligi, ex omni dispersione aëris, in quem multa Sanctorũ corpora fuerunt conuersa, ac in ventum dispersa, postquam fuerunt concremata. (corpora enim combusta, in aërem cõuertuntur) Angeli antem, piorum corpora reposcat ab aëre: qui in sanctis literis cœlum dicitur. *Vnde & volucres cœli, nominantur in parabola. Matth. 13.* Ergo à quatuor vẽtis, & à summis cœlorum piis colligentur. *Matth. 13.*

*Ab arbore fici discite parabolam.* Ea de re satis iam diximus in Enneadibus nostris, Dominica prima Aduentus, nec est cur hoc loco plura eã in rem congeramus, ne tædium ob prolixi- *Ennead. auth. Dominica 1.*

tatem lectoribus adferamus.

*Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribūt, &c.* Cœlum, inquam, & terra trāsibunt immutatione non abolitionē sui, vt interpres est D. Hieronymus. Sensus verborum Domini est, authore Theophilacto: faciliùs est transire cœlum, & terram aboleri, ac illa firma & immobilia, quàm vt aliquod ex meis dictis mendax sit, *Nam quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita* Vt apud regium Psaltem Dominus ipse profitetur.

*D. Hieron.*
*Theophylact.*

Hactenus quidem hoc de Euangelio adducta, ex variis, explicatio, studiosis lectoribus ac diuini verbi præconibus satisfacere poterit. Quapropter huic visum est homiliæ, diu desideratum imponere finem. Deum Opt. Max. summis exorantes votis, vt ab ira ventura, nos liberare dignetur: Peccatorum nostrorum (quæ multò grauissima sunt) veniam misericorditer indulgendo, & gratiam suam nobis impertiendo vt ad gloriam tandem perueniamus sempiternam. In die iudicij libera nos Domine. Amen.

*Finiunt Tessaradecades Quadripartitæ Dominicalium Concionum totius anni, in duos Tomos distributæ.*

Sit laus omnipotenti Deo.





# SYLLABVS LOCVPLETISSIMVS RERVM AC VERBORVM, insigniorum quæ hoc secundo Tomo Tessaradecadum continentur.

## A.

## D.

F.

L.

## M.

Mundus

N.

## O.

P.

## Q.



## R.

S.

## T.

V.

FINIS INDICIS SECVNDI TOMI.

*Errata quæ hoc ſecundo Tomo continentur, ſic corrigenda.*

Aruerius pro Aruernus. fol. 5. pagina 2. linea. 2. tenarij, pro ternarij. f. 96. p. 1. l. 6. nauticam pro manticam, 115. p. 1. l. 18. effænis pro effrænis. f. 126. pag. 2. lig. 8. propter pro prope. f. 128. pag. 2. lig. 18. Angelos pro Anglos. 190. p. 1. lig. 20. ſunt pro ſuit. f. 207. pag. 1. lig. 18. pratæ pro piratæ 226. p. 2. l. 9. premendum pro prætermittendum f. 273 pag. 1. lig. ſanitatis pro ſanctitatis. 367. pag. 2. lig. 4.